
SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV. ANG.
VE
RI
TAS

SVRIVS

—

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

SVRIVS

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS

NUMERO AUCTAE MENDIS EXPURGATAE ET NOTIS EXORNATAE

QUIBUS ACCEDIT

ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO E CONGREG. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE

OPUS

ILLUSTR.MO AC REV.MO

D. D. LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURIN.

DICATUM

VOL. X.

OCTOBER

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

MDCCCLXXIX

SVRIVS

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS

NUMERO AUCTAE MENDIS EXPURGATAE ET NOTIS EXORNATAE

QUIBUS ACCEDIT

ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO E CONGREG. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE

OPUS

ILLUSTR.MO AC REV.MO

D. D. LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURIN.

DICATUM

VOL. X.


OCTOBER

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

MDCCCLXXIX


HARVARD COLLEGE
FEB 6 1914
LIBRARY.

OCTOBER

VITA S. REMIGII RHEMOR. ARCHIEPISC.

ET FRANCOR. APOSTOLI

SCRIPTA AB HINCMARO ITEM RHÊM. EPISC. *

Anno migr. probab. 532 — Nat. Gallus.

PROOEMIUM. Hincmarus, nomine non merito episcopus, ac plebis Dei famulus, dilectis fratribus ac comministris nostris, hujus S. Rhemensis Ecclesiae filiis.

Sicut a senibus et jam provectae aetatis viris religiosis, fideli relatione didicimus quae a suis Majoribus audierunt narrari, eos vidisse librum maximae quantitatis, manu antiquariâ conscriptum, de actu, vitâ, virtutibus atque obitu beati Remigii, sanctissimi patroni nostri. Qui hac occasione deperiit: quoniam Aegidius, post B. Remigium quartus istius civitatis episcopus, quemdam virum religiosum, Fortunatum nomine **, metricis versibus insignem, qui a multis potentibus et honorabilibus, in his Gallicis et Belgicis regionibus, per diversa loca tunc vitae ac scientiae suae merito invitabatur; petiit de eodem libro, cothurno gallico dictato, aperto sermone aliqua miracula quae in populo recitarentur excipere, quatenus ea sine taedio audire et mente recondere, atque per ea ad amorem et honorem Dei et ipsius protectoris sui idem populus excitari valeret. Cumque ipsa excerptio coepit lectione in populo frequentari, et a multis propter brevitatis suae facilitatem transcribi, ipse magnus codex a negligentibus negligentius coepit haberi; usque dum Caroli principis tempore ***, quando propter discordiam et contentionem de principatu, inter eum et Ragenfridum, frequentia ac civilia, intestina et parricidalia bella in Germanicis et Belgicis ac Gallicanis provinciis religio Christianitatis pene fuit abolita: ita ut Episcopis in paucis locis residuis, episcopia laicis donata, et per eos rebus divisa extiterint: adeo ut Milo quidam, tonsurâ clericus, moribus, actu et habitu irreligiosus laicus **** episcopia Rhemorum ac Trevirorum usurpans insimul, per quadraginta

* Claruit pietate et doctrinâ Hincmarus med. saeculo IX. Hanc Vitam ab interpolatoribus et amanuensibus vitiatam, e prolixiori primigenia lectione in multis castigavit Laur. Surius; nos autem nonnullis abrasis, minus ad sancti laudes pertinentibus, breviorem reddidimus.

** *Venantium Fortunatum.* De quo in Vol. I, p. 244.

*** Carolus hic est cognomento *Martellus*, vide in Vol. V, p. 366: sed et notam lege Vol. II, p. 240.

**** Illustratur hic locus per ea quae dicuntur in Vita S. Rigoberti, Vol. I, pagg. 105 et seqq.

circiter annos pessundederit. Cujus infelici tempore, de ista Rhemensi ecclesia non solum pretiosa quaeque ablata fuerunt, sed et ecclesiae atque domus religiosorum destructae, et res ab episcopio fuere divisae. Illi quoque pauci, qui erant residui, clerici negotio victum quaerebant, et denarios, quos mercimonio conquirebant, in chartis et librorum foliis interdum ligabant. Sicque praefatus liber cum aliis partim stillicidio putrefactus, partim a soricibus corrosus, partim foliorum abscissione divisus, intantum deperiit, ut pauca et dispersa inde folia reperta fuerint. Cum vero tempore Pipini regis, praedicti Caroli principis filii, revelatio fuit * ostensa Eucherio, Aurelianensis civitatis episcopo, de damnatione aeterna ejusdem Caroli, qui res ecclesiarum diviserat: idem Pipinus, sicut et aliarum ecclesiarum episcopiis, huic Rhemensi partem de rebus ecclesiasticis reddidit, et Tilpinum in hac urbe Rhemorum episcopum ordinari consensit. Hoc enim in hac ecclesia Rhemensi novissimo seculi tempore de libro memorato, sed et de aliis accidit, quod antiquo tempore de authenticis scripturis evenisse sanctus Joannes Chrysostomus in homilia 9 Evangelii secundum Matthaeum, memorat dicens: Multa enim ex propheticis periere monimentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Judaei, nec desides modo, sed et impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia vero tum incenderunt, tum conciderunt profane. Et de profanitate quidem tali Jeremias refert. De negligentia vero in quarto Regum libro legimus, quomodo post multum temporis, vix Deuteronomii sit volumen repertum, defossum quodam in loco, ac pene delètum. Sed et plura de Scripturis in his quae habemus, memorata legimus quae non habemus: sicut est liber justorum, qui commemoratur in libris Regum: et sicut est liber bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio est: neque Carmina Salomonis, neque Disputationes ejus sapientissimas de lignorum natura herbarumque omnium, itemque jumentorum et volucrum, reptilium et piscium: vel quod in libro, Verba dierum, dicitur: Reliqua vero operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetae, et in libris Ahiae Silonitis: in visione quoque Addo Videntis contra Jeroboam filium Nabath, et multa hujusmodi volumina quae Scriptura quidem fuisse probat, sed hodie constat non esse. Vastata namque a Chaldaeis Judaeâ, ut in patrum litteris legimus, etiam bibliotheca, antiquitus congregata, inter alias provinciae opes, hostili est igne consumpta: ex qua pauci, qui nunc in sancta scriptura continentur, libri postmodum Esdrae pontificis et prophetae sunt industriâ restaurati. Unde scriptum est de eo: Ascendit Esdras de Babylone, et ipse *scriba velox* in lege Moysi. Velox videlicet, quia promptiores

* Vide ad calcem p. 420, Vol. II.

litterarum figuras, quam eatenus Hebraei habebant, repererit. Et in epistola regis Persarum: Artaxersis (*Esdrae* 1°, VII).

Quocontra et nos, multis aliis perditis, plura in quibusdam historiis et diversis membrànulis, ac usitata relatione, a praecedentibus relicta posteris, de ortu et vita, seu virtutibus et obitu domini et sanctissimi patris ac protectoris nostri Remigii habemus, quae in memorata excerptione non continentur. Unde bonis vestris desideriis placuit, ut illa mea servitus ad ignorantium et subsequentium notitiam in unum colligeret. Quod et jam diu fecissem, nisi me spes vana deluderet, quibusdam dicentibus, quia in illo et in illo loco magnum librum de virtutibus et vita ipsius patroni nostri reperire valerem. Ad quae mittens, quae mihi promissa fuerunt, penitus falsa invèni. Nunc autem, opitulante Domino, qui mirabilis est et gloriosus in Sanctis suis, meritis ipsius sancti Francorum apostoli et patroni nostri, vestrisque adjutus orationibus, aggrediar quae diu distuli, a progenitoribus et ortu ejus incipiens, et sic tam ea, quae in historiis a Majoribus editis, de illo inveni, quam et illa, quae in diversis schedulis dispersa rèperi: verum et illa in serie digerens, quae vulgata relatione percepi: quia ut longe ante nos dictum est, et etiam in sanctis scripturis, sed et in evangelica veritate comperitur: vera est lex historiae, simpliciter ea, quae fama vulgante colliguntur, ad instructionem posteritatis litteris commendare. In quibus omnibus, lectorem diversitas styli non perturbet: quoniam ea, quae de historiis Majorum adsùmam, et ea quae in antiquis schedulis reperiam, ita ut inventa fuerint, ponam...

§ 1. Post vindictam scelerum (*a*), quae facta est a Domino caede Galliarum, prosequente Wandalorum crudelitate, misericordiam coeli distillarunt: cum ad mitigandam, gentis Francorum barbarica ferocitate superventuram, divinae animadversionis propter iniquitates perseverantes ultionem, mundo praesulem a Deo praedestinatum, Remigium pontificem hoc ordine protulerunt.

§ 2. Erat quidam venerabilis, ac dignus professione et nomine, Montanus monachus, in reclusione solitariam vitam ducens, jejuniis, vigiliis, atque orationibus continue vacans, necnon caeterarum virtutum insignibus adeo divinitati se commendabilem reddens, ut angelicis saepe frueretur alloquiis, et frequenter coelestibus visionibus ac revelationibus interesset. Is ergo cum pervigil in oratione pro pace sanctae Ecclesiae, quae multis ac diversis afflictionibus apud Galliarum et Belgicarum provincias vexabatur, Dei omnipotentis clementiam indefessis precibus exoraret, nocte quadam plus solito orationem pròtelans, usque lucis

(*a*) Irruptio hic indicatur Wandalorum quos cum aliis barbaris in Gallias evocavit, anno CCCCVI, Stilico, primus Honorio imperatori a consiliis, qui regnandi cupidine, tam grave romano Imperio intulit vulnus.

crepusculum in contemplatione permansit. Qui cum, lassitudine ac fragilitate carnis compellente, paululum membra sopori dedisset, subito per divinam gratiam, angelorum choris et animarum coetibus, beatissimorum hominum jam cum Deo regnantium, et immortalitatem adhuc corporum exspectantium, spiritibus interfuit, et familiarissimum coepit audire colloquium. Inter caetera igitur, quae in conventu illo coelico audivit, etiam illi sancti spiritus, humanae salutis avidi, queritari coeperunt de Gallicanae dejectione ecclesiae, et quid facto ad talia opus esset, crebro versare sermone, dicentes, quia jam tempus esset miserendi ejus. Duplicia enim receperat pro omnibus peccatis suis, quamquam faex ejus non sit exinanita. His ita inter se conferentibus, subito vox adfuit, a superioribus atque secretioribus adytis saluberrime atque suavissime intonans, quae et praesentium solaretur spirituum moestitiam, et quod futurum erat, gratulabunda promulgaret sententiâ, ita dicendo: *Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de coelo in terram adspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum: ut annuncietur nomen ejus in gentibus, in conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino* (*Ps.* 101). Cilinia, in utero concipiens, filium pariet nomine Remigium, cui a me salvandus populus committetur. Beata siquidem Cilinia *, intenta piis operibus, licet corpore teneretur in mundo, mente conversabatur in coelo. Quae in flore juventutis pepererat de unico viro suo Aemilio Principium, Suessionum civitatis postea sanctum episcopum, et fratrem ejus, patrem beati Lupi episcopi ejusdem Principii successoris, qui usque ad ultima gloriosi Remigii tempora, sacerdotio est functus, sicque defunctus **.

§ 3. Vir autem ille venerabilis, inter illius temporis innumera pericula, tanta consolatione accepta, Ciliniae divinum oraculum, gratiâ Dei perceptum patefecit. Tandem credentibus parentibus verbis viri Dei, fit gaudium, quod talem suscepturi essent prolem, in cujus conceptione non foret ardor explendae libidinis, sed amor generandae juxta divinum praesagium sobolis. Concipitur ergo futurus Christi pontifex, et Christi adminiculante misericordia, mater beatissima, quem auspice Deo concepit, feliciter filium genuit, cui Remigii secundum Domini dictum, in baptismate nomen imponi fecit.

§ 4. Nec illud silendum est, quia in chartis recenti tempore post illius obitum, sed et post plura annorum curricula factis, de rebus Rhemensi Ecclesiae traditis, *Remedium* fuisse nominatum legimus. Quod qui merita et acta illius attendit, congrue hoc eum nomine appellatum fuisse intelligit. Qui mitigator furoris Domini, in tempore iracundiae factus est reconciliatio, et

* Recolitur in Rom. Martyrol. xxi huj.
** Memorati in hac periodo Principius et Lupus recoluntur I et xxv Sept.

magnificatus a Domino in conspectu regum, in verbis suis, sicut in sequentibus ostendemus, monstra, videlicet paganos feroces, placavit. Merito igitur eum Remedium fuisse nominatum in baptismate crederemus, nisi in emendatioribus gestis illum oraculo divino per sanctum Montanum, Remigium vocari debere, cognosceremus. Sed et in versibus metricis ab ipso compositis, et jussione illius in quodam vase ab eo consecrato sculptis, ita legimus :

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injecto aeternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Quod vas usque ad nostra tempora perduravit, donec fusum, in redemptionem datum est Christianorum, ut a ministris diaboli Nortmannis redimeret pretium argentei calicis, quos de potestate tenebrarum redemerat effusus sanguis calicis, Christi videlicet passionis.

§ 5. Traditus autem a parentibus scholae litteris imbuendus, in brevi coaevis et etiam natu majoribus suis doctrinâ excellentior est effectus. Studebat quoque teneros annos morum maturitate vincere, et benevolentiam cordis, charitatis melle condire, turbas frequentium populorum vitare, et ut praeconem suum fecisse didicerat, vitâ solitaria in reclusione Domino servire : qui locus in castro Laudùno (*Laon*) hactenus designatur, et colitur. In qua reclusione secundis successibus certatim sanctae conversationis studiis justus adolescens Domino militavit. Et cum ad viginti et duos aetatis suae annos pervènit, defuncto Bennadio archiepiscopo in hac urbe Rhemensi, omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptus fuisse dinoscitur potius, quam electus. Fit ergo concursus populi, diversi quidem sexus, conditionis ac dignitatis, necnon et aetatis : sed unius atque ejusdem sententiae cuncti hunc vere Deo dignum, et qui populis praefici deberet, acclamabant. Vir autem beatissimus his angustiis depressus, nimiis afficiebatur angoribus : quia nec fugae locus usquam patebat, nec populo, ut ab intentione coepta resipisceret, ullo modo satisfacere poterat. Divinae namque erat voluntatis, ut qui omnium saluti prospecturus erat, omnium acclamationibus eligeretur : et qui unitati fidei cum jam fidelibus, et futuris fidelibus erat provisurus, unione, cuncti populi ad sedem eveheretur sacerdotalis honoris. Sanctissimus quidem vir cum his acclamationibus se urgeri conspiceret, de infirmitatis et aetatis suae tempore conqueri coepit, et quia Ecclesiasticus ordo infirmam aetatem ad hanc non reciperet dignitatem, voce publica fatebatur. Timebat enim, ne immatura aetas inimici versutiis impugnata, aliquid contraheret sinistri. Sed divina gratia, et vocem populorum constantissime in ipsius perdurare fecit

electionem, et sanctum virum ab antiqui hostis protexit malignitate. Et cum populi acclamaret frequentia, et sanctissimus vir magna reniteretur constantiâ, placuit omnipotenti Deo ei manifestissimis monstrare indiciis, quod ipse de eo haberet judicium.

§ 6. Etenim cum modo praedicto reniti conaretur, videntibus cunctis qui aderant, descendit subito radius novi luminis super ipsius viri sancti verticem, ac si ipse sol de coelo motus, super eum ceciderit: et quia illuminandarum lux parabatur animarum, ipse quoque, cum ad hoc opus adsciseeretur, lumine debuit declarari visibili. Ipse namque erat lucerna, quae non sub modio curae corporeae, sed super candelabrum purissimae ac Deo dilectae conversationis erat ponenda: quatenus his, qui in domo sanctae Ecclesiae futuri erant, lumen optimae institutionis praeberet.

§ 7. Placuit etiam omnipotentiae divinae, huic miraculo aliud addere, ad ostensionem meritorum beatissimi viri. Et enim radio supradicto se illustrante, sensit capiti suo unguinis sacri infusum liquorem, quo totum ejus delibutum est caput. Et merito: ut qui oleum spirituale populis, quo eorum quidem capita visibili, mentes autem praedicatione, Sancto Spiritu in se loquente, uncturus erat chrismate invisibili, id est, gratiâ ejusdem Spiritus Sancti, ipse quoque prius tali unctione insigniretur. Acceptis autem talibus ac tantis auspiciis, divinis timuit contraire statutis. Neque enim tutum illi videri poterat, tot signis praecurrentibus, divinae contradicere jussioni, praesertim cum luce et unctione Sancti Spiritus, quae oleo visibili designatur, interius illustratus atque perunctus, ut et sanctus Isaias, admittendum se in divinum ministerium, debere se potius offerre, quam excusare, didicerit.

§ 8. Posthabita ergo omni dubitatione, atque ancipiti submota sententiâ, unanimitate episcoporum Rhemensis provinciae, infulis induitur sacerdotalibus, benedictione consecratur episcopali, atque in sede praesulatus collocatur hujus civitatis Rhemorum. Ubi statim sic apparuit aptus et devotus, tanquam si officio, ad quod noviter ascenderat, jugiter praefuisset. Fuit itaque in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in humanitate profusus, in doctrina praecipuus, in charitate perfectus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus. Sinceritatem mentis, vultus sui serenitate monstrabat: et pietatem clementissimi cordis, ostendebat in lenitate sermonis. Quicquid ad salutem posset pertinere aeternam, non minus implebat beatissimus opere, quam sermonis praedicatione docebat. O virum, per omnia Deo dignum. Eminebat in ipso habitu, animi pulcritudo: in specie exterioris hominis, ipsam putares expressam imaginem sanctitatis. Erat irreverentibus terribilis aspectu, reverendus incessu, metuendus severitate, venerandus benignitate.

Censuram auctoritatis, temperabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus quidem minabatur frontis austeritas, sed blandiebatur cordis serenitas. Erga bene agentes, Petrus apparebat in vultu: erga delinquentes, Paulus in spiritu: ac sic convenientе in uno diversitate gratiarum, illius pietatis, hujus erat aemulator districtionis: ita ut cum praesentiam ejus quisquam vix sustineret, absentiam ferre non posset. Internorum autem bonorum suorum formas ac species, sicut nemo ad plenum potuit inspicere, ita nemo sufficit explicare. Quas sicut ille studuit excolere, ita et laboravit occulere: et cum haec vellet augeri, nolebat agnosci. Sed quia haec est natura justitiae, ut quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescat, et occultatio ipsa, praedicatio sit: per populos tantorum bonorum fama volitabat. Eminebat in admiratione omnium, veluti civitas super verticem montis exposita, nec jam lucerna poterat latère sub modio. Gloriosa illa anima aperuit latentes in se divitias coelestium munerum, et de armario suaveolentium virtutum, aromata sanctificationis et gratiarum suarum supra omnem hanc ecclesiam effudit. Neglector quietis, rèfuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Sic in se excoluit diversas gratiarum virtutes, ut vix pauci tenerent singulas, quomodo ille implevit universas. Semper in operis exercitio, semper in compunctionis affectu. Nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi ut aut de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. Qui contrita continuatis jejuniis ossa studebat de persecutore inimico, longo triumphare martyrio, pro cibo ac potu hoc secum incessanter ruminans: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte. Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Defecit in salutare tuum anima mea.* Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Et consolando se dicebat: Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus. Satiabor, dum manifestabitur gloria ejus (*e Psalmis*).

§ 9. Nam quia specie sui conditoris ad quam anhelabat, necdum satiabatur, continuis suspiriis atque gemitibus, diurnis atque nocturnis lacrymis illum desiderans, pio luctu ad superna gaudia sublevata, flendo, se anima sancta pascebat: et intus quidem doloris sui gemitum tolerabat, sed eo refectionis pabulum percipiebat, quo hic vis amoris per lacrymas emanabat. Praeter vitam avide nihil esuriebat, praeter justitiam nihil delectabiliter sitiebat. Praesentia tanquam inania atque transacta, absente spiritu non videbat, et in futuro reposita quasi oculis subdita

circiter annos pessundederit. Cujus infelici tempore, de ista Rhemensi ecclesia non solum pretiosa quaeque ablata fuerunt, sed et ecclesiae atque domus religiosorum destructae, et res ab episcopio fuere divisae. Illi quoque pauci, qui erant residui, clerici negotio victum quaerebant, et denarios, quos mercimonio conquirebant, in chartis et librorum foliis interdum ligabant. Sicque praefatus liber cum aliis partim stillicidio putrefactus, partim a soricibus corrosus, partim foliorum abscissione divisus, intantum deperiit, ut pauca et dispersa inde folia reperta fuerint. Cum vero tempore Pipini regis, praedicti Caroli principis filii, revelatio fuit * ostensa Eucherio, Aurelianensis civitatis episcopo, de damnatione aeterna ejusdem Caroli, qui res ecclesiarum diviserat: idem Pipinus, sicut et aliarum ecclesiarum episcopiis, huic Rhemensi partem de rebus ecclesiasticis reddidit, et Tilpinum in hac urbe Rhemorum episcopum ordinari consensit. Hoc enim in hac ecclesia Rhemensi novissimo seculi tempore de libro memorato, sed et de aliis accidit, quod antiquo tempore de authenticis scripturis evenisse sanctus Joannes Chrysostomus in homilia 9 Evangelii secundum Matthaeum, memorat dicens: Multa enim ex propheticis periere monimentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Judaei, nec desides modo, sed et impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia vero tum incenderunt, tum conciderunt profane. Et de profanitate quidem tali Jeremias refert. De negligentia vero in quarto Regum libro legimus, quomodo post multum temporis, vix Deuteronomii sit volumen repertum, defossum quodam in loco, ac pene delètum. Sed et plura de Scripturis in his quae habemus, memorata legimus quae non habemus: sicut est liber justorum, qui commemoratur in libris Regum: et sicut est liber bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio est: neque Carmina Salomonis, neque Disputationes ejus sapientissimas de lignorum natura herbarumque omnium, itemque jumentorum et volucrum, reptilium et piscium: vel quod in libro, Verba dierum, dicitur: Reliqua vero operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetae, et in libris Ahiae Silonitis: in visione quoque Addo Videntis contra Jeroboam filium Nabath, et multa hujusmodi volumina quae Scriptura quidem fuisse probat, sed hodie constat non esse. Vastata namque a Chaldaeis Judaeâ, ut in patrum litteris legimus, etiam bibliotheca, antiquitus congregata, inter alias provinciae opes, hostili est igne consumpta: ex qua pauci, qui nunc in sancta scriptura continentur, libri postmodum Esdrae pontificis et prophetae sunt industriâ restaurati. Unde scriptum est de eo: Ascendit Esdras de Babylone, et ipse *scriba velox* in lege Moysi. Velox videlicet, quia promptiores

* Vide ad calcem p. 420, Vol. II.

litterarum figuras, quam eatenus Hebraei habebant, repererit. Et in epistola regis Persarum: Artaxersis (*Esdrae* 1°, VII).

Quocontra et nos, multis aliis perditis, plura in quibusdam historiis et diversis membrànulis, ac usitata relatione, a praecedentibus relicta posteris, de ortu et vita, seu virtutibus et obitu domini et sanctissimi patris ac protectoris nostri Remigii habemus, quae in memorata excerptione non continentur. Unde bonis vestris desideriis placuit, ut illa mea servitus ad ignorantium et subsequentium notitiam in unum colligeret. Quod et jam diu fecissem, nisi me spes vana deluderet, quibusdam dicentibus, quia in illo et in illo loco magnum librum de virtutibus et vita ipsius patroni nostri reperire valerem. Ad quae mittens, quae mihi promissa fuerunt, penitus falsa invèni. Nunc autem, opitulante Domino, qui mirabilis est et gloriosus in Sanctis suis, meritis ipsius sancti Francorum apostoli et patroni nostri, vestrisque adjutus orationibus, aggrediar quae diu distuli, a progenitoribus et ortu ejus incipiens, et sic tam ea, quae in historiis a Majoribus editis, de illo inveni, quam et illa, quae in diversis schedulis dispersa rèperi: verum et illa in serie digerens, quae vulgata relatione percepi: quia ut longe ante nos dictum est, et etiam in sanctis scripturis, sed et in evangelica veritate comperitur: vera est lex historiae, simpliciter ea, quae fama vulgante colliguntur, ad instructionem posteritatis litteris commendare. In quibus omnibus, lectorem diversitas styli non perturbet: quoniam ea, quae de historiis Majorum adsùmam, et ea quae in antiquis schedulis reperiam, ita ut inventa fuerint, ponam...

§ 1. Post vindictam scelerum (*a*), quae facta est a Domino caede Galliarum, prosequente Wandalorum crudelitate, misericordiam coeli distillarunt: cum ad mitigandam, gentis Francorum barbarica ferocitate superventuram, divinae animadversionis propter iniquitates perseverantes ultionem, mundo praesulem a Deo praedestinatum, Remigium pontificem hoc ordine protulerunt.

§ 2. Erat quidam venerabilis, ac dignus professione et nomine, Montanus monachus, in reclusione solitariam vitam ducens, jejuniis, vigiliis, atque orationibus continue vacans, necnon caeterarum virtutum insignibus adeo divinitati se commendabilem reddens, ut angelicis saepe frueretur alloquiis, et frequenter coelestibus visionibus ac revelationibus interesset. Is ergo cum pervigil in oratione pro pace sanctae Ecclesiae, quae multis ac diversis afflictionibus apud Galliarum et Belgicarum provincias vexabatur, Dei omnipotentis clementiam indefessis precibus exoraret, nocte quadam plus solito orationem pròtelans, usque lucis

(*a*) Irruptio hic indicatur Wandalorum quos cum aliis barbaris in Gallias evocavit, anno CCCCVI, Stilico, primus Honorio imperatori a consiliis, qui regnandi cupidine, tam grave romano Imperio intulit vulnus.

crepusculum in contemplatione permansit. Qui cum, lassitudine ac fragilitate carnis compellente, paululum membra sopori dedisset, subito per divinam gratiam, angelorum choris et animarum coetibus, beatissimorum hominum jam cum Deo regnantium, et immortalitatem adhuc corporum exspectantium, spiritibus interfuit, et familiarissimum coepit audire colloquium. Inter caetera igitur, quae in conventu illo coelico audivit, etiam illi sancti spiritus, humanae salutis avidi, queritari coeperunt de Gallicanae dejectione ecclesiae, et quid facto ad talia opus esset, crebro versare sermone, dicentes, quia jam tempus esset miserendi ejus. Duplicia enim receperat pro omnibus peccatis suis, quamquam faex ejus non sit exinanita. His ita inter se conferentibus, subito vox adfuit, a superioribus atque secretioribus adytis saluberrime atque suavissime intonans, quae et praesentium solaretur spirituum moestitiam, et quod futurum erat, gratulabunda promulgaret sententiâ, ita dicendo: *Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de coelo in terram adspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum: ut annuncietur nomen ejus in gentibus, in conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino* (*Ps.* 101). Cilinia, in utero concipiens, filium pariet nomine Remigium, cui a me salvandus populus committetur. Beata siquidem Cilinia *, intenta piis operibus, licet corpore teneretur in mundo, mente conversabatur in coelo. Quae in flore juventutis pepererat de unico viro suo Aemilio Principium, Suessionum civitatis postea sanctum episcopum, et fratrem ejus, patrem beati Lupi episcopi ejusdem Principii successoris, qui usque ad ultima gloriosi Remigii tempora, sacerdotio est functus, sicque defunctus **.

§ 3. Vir autem ille venerabilis, inter illius temporis innumera pericula, tanta consolatione accepta, Ciliniae divinum oraculum, gratiâ Dei perceptum patefecit. Tandem credentibus parentibus verbis viri Dei, fit gaudium, quod talem suscepturi essent prolem, in cujus conceptione non foret ardor explendae libidinis, sed amor generandae juxta divinum praesagium sobolis. Concipitur ergo futurus Christi pontifex, et Christi adminiculante misericordia, mater beatissima, quem auspice Deo concepit, feliciter filium genuit, cui Remigii secundum Domini dictum, in baptismate nomen imponi fecit.

§ 4. Nec illud silendum est, quia in chartis recenti tempore post illius obitum, sed et post plura annorum curricula factis, de rebus Rhemensi Ecclesiae traditis, *Remedium* fuisse nominatum legimus. Quod qui merita et acta illius attendit, congrue hoc eum nomine appellatum fuisse intelligit. Qui mitigator furoris Domini, in tempore iracundiae factus est reconciliatio, et

* Recolitur in Rom. Martyrol. XXI huj.
** Memorati in hac periodo Principius et Lupus recoluntur I et XXV Sept.

magnificatus a Domino in conspectu regum, in verbis suis, sicut in sequentibus ostendemus, monstra, videlicet paganos feroces, placavit. Merito igitur eum Remedium fuisse nominatum in baptismate crederemus, nisi in emendatioribus gestis illum oraculo divino per sanctum Montanum, Remigium vocari debere, cognosceremus. Sed et in versibus metricis ab ipso compositis, et jussione illius in quodam vase ab eo consecrato sculptis, ita legimus :

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injecto aeternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Quod vas usque ad nostra tempora perduravit, donec fusùm, in redemptionem datum est Christianorum, ut a ministris diaboli Nortmannis redimeret pretium argentei calicis, quos de potestate tenebrarum redemerat effusus sanguis calicis, Christi videlicet passionis.

§ 5. Traditus autem a parentibus scholae litteris imbuendus, in brevi coaevis et etiam natu majoribus suis doctrinâ excellentior est effectus. Studebat quoque teneros annos morum maturitate vincere, et benevolentiam cordis, charitatis melle condire, turbas frequentium populorum vitare, et ut praeconem suum fecisse didicerat, vitâ solitaria in reclusione Domino servire : qui locus in castro Laudùno (*Laon*) hactenus designatur, et colitur. In qua reclusione secundis successibus certatim sanctae conversationis studiis justus adolescens Domino militavit. Et cum ad viginti et duos aetatis suae annos pervènit, defuncto Bennadio archiepiscopo in hac urbe Rhemensi, omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptus fuisse dinoscitur potius, quam electus. Fit ergo concursus populi, diversi quidem sexus, conditionis ac dignitatis, necnon et aetatis : sed unius atque ejusdem sententiae cuncti hunc vere Deo dignum, et qui populis praefici deberet, acclamabant. Vir autem beatissimus his angustiis depressus, nimiis afficiebatur angoribus : quia nec fugae locus usquam patebat, nec populo, ut ab intentione coepta resipisceret, ullo modo satisfacere poterat. Divinae namque erat voluntatis, ut qui omnium saluti prospecturus erat, omnium acclamationibus eligeretur : et qui unitati fidei cum jam fidelibus, et futuris fidelibus erat provisurus, unione, cuncti populi ad sedem eveheretur sacerdotalis honoris. Sanctissimus quidem vir cum his acclamationibus se urgeri conspiceret, de infirmitatis et aetatis suae tempore conqueri coepit, et quia Ecclesiasticus ordo infirmam aetatem ad hanc non reciperet dignitatem, voce publica fatebatur. Timebat enim, ne immatura aetas inimici versutiis impugnata, aliquid contraheret sinistri. Sed divina gratia, et vocem populorum constantissime in ipsius perdurare fecit

electionem, et sanctum virum ab antiqui hostis protexit malignitate. Et cum populi acclamaret frequentia, et sanctissimus vir magna reniteretur constantiâ, placuit omnipotenti Deo ei manifestissimis monstrare indiciis, quod ipse de eo haberet judicium.

§ 6. Etenim cum modo praedicto reniti conaretur, videntibus cunctis qui aderant, descendit subito radius novi luminis super ipsius viri sancti verticem, ac si ipse sol de coelo motus, super eum ceciderit: et quia illuminandarum lux parabatur animarum, ipse quoque, cum ad hoc opus adscisceretur, lumine debuit declarari visibili. Ipse namque erat lucerna, quae non sub modio curae corporeae, sed super candelabrum purissimae ac Deo dilectae conversationis erat ponenda: quatenus his, qui in domo sanctae Ecclesiae futuri erant, lumen optimae institutionis praeberet.

§ 7. Placuit etiam omnipotentiae divinae, huic miraculo aliud addere, ad ostensionem meritorum beatissimi viri. Et enim radio supradicto se illustrante, sensit capiti suo unguinis sacri infusum liquorem, quo totum ejus delibutum est caput. Et merito: ut qui oleum spirituale populis, quo eorum quidem capita visibili, mentes autem praedicatione, Sancto Spiritu in se loquente, uncturus erat chrismate invisibili, id est, gratiâ ejusdem Spiritus Sancti, ipse quoque prius tali unctione insigniretur. Acceptis autem talibus ac tantis auspiciis, divinis timuit contraire statutis. Neque enim tutum illi videri poterat, tot signis praecurrentibus, divinae contradicere jussioni, praesertim cum luce et unctione Sancti Spiritus, quae oleo visibili designatur, interius illustratus atque perunctus, ut et sanctus Isaias, admittendum se in divinum ministerium, debere se potius offerre, quam excusare, didicerit.

§ 8. Posthabita ergo omni dubitatione, atque ancipiti submota sententiâ, unanimitate episcoporum Rhemensis provinciae, infulis induitur sacerdotalibus, benedictione consecratur episcopali, atque in sede praesulatus collocatur hujus civitatis Rhemorum. Ubi statim sic apparuit aptus et devotus, tanquam si officio, ad quod noviter ascenderat, jugiter praefuisset. Fuit itaque in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in humanitate profusus, in doctrina praecipuus, in charitate perfectus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus. Sinceritatem mentis, vultus sui serenitate monstrabat: et pietatem clementissimi cordis, ostendebat in lenitate sermonis. Quicquid ad salutem posset pertinere aeternam, non minus implebat beatissimus opere, quam sermonis praedicatione docebat. O virum, per omnia Deo dignum. Eminebat in ipso habitu, animi pulcritudo: in specie exterioris hominis, ipsam putares expressam imaginem sanctitatis. Erat irreverentibus terribilis aspectu, reverendus incessu, metuendus severitate, venerandus benignitate.

Censuram auctoritatis, temperabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus quidem minabatur frontis austeritas, sed blandiebatur cordis serenitas. Erga bene agentes, Petrus apparebat in vultu: erga delinquentes, Paulus in spiritu: ac sic conveniente in uno diversitate gratiarum, illius pietatis, hujus erat aemulator districtionis: ita ut cum praesentiam ejus quisquam vix sustineret, absentiam ferre non posset. Internorum autem bonorum suorum formas ac species, sicut nemo ad plenum potuit inspicere, ita nemo sufficit explicare. Quas sicut ille studuit excolere, ita et laboravit occulere: et cum haec vellet augeri, nolebat agnosci. Sed quia haec est natura justitiae, ut quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescat, et occultatio ipsa, praedicatio sit: per populos tantorum bonorum fama volitabat. Eminebat in admiratione omnium, veluti civitas super verticem montis exposita, nec jam lucerna poterat latère sub modio. Gloriosa illa anima aperuit latentes in se divitias coelestium munerum, et de armario suaveolentium virtutum, aromata sanctificationis et gratiarum suarum supra omnem hanc ecclesiam effudit. Neglector quietis, rèfuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Sic in se excoluit diversas gratiarum virtutes, ut vix pauci tenerent singulas, quomodo ille implevit universas. Semper in operis exercitio, semper in compunctionis affectu. Nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi ut aut de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. Qui contrita continuatis jejuniis ossa studebat de persecutore inimico, longo triumphare martyrio, pro cibo ac potu hoc secum incessanter ruminans: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte. Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Defecit in salutare tuum anima mea.* Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Et consolando se dicebat: Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus. Satiabor, dum manifestabitur gloria ejus (*e Psalmis*).

§ **9**. Nam quia specie sui conditoris ad quam anhelabat, necdum satiabatur, continuis suspiriis atque gemitibus, diurnis atque nocturnis lacrymis illum desiderans, pio luctu ad superna gaudia sublevata, flendo, se anima sancta pascebat: et intus quidem doloris sui gemitum tolerabat, sed eo refectionis pabulum percipiebat, quo hic vis amoris per lacrymas emanabat. Praeter vitam avide nihil esuriebat, praeter justitiam nihil delectabiliter sitiebat. Praesentia tanquam inania atque transacta, absente spiritu non videbat, et in futuro reposita quasi oculis subdita

concupiscebat. Et vere felix terra, quae talem genuit, ac de alumno nobis patronum de homine angelum ac doctorem nobis emisit. Bene igitur et congrue, secundum Prophetam, de illo dicamus: *In memoria aeterna erit justus* (*Psalm.* 111). Digne enim in memoria versatur hominum, qui ad gaudia transiit angelorum. Qui ideo gratiam Dei glorificatus invènit, quia mundi gloriam, adjutus Dei gratiâ, non quaesivit. Qui gubernaculum fidei viriliter tenens, ancoram spei tranquilla jam in statione composuit. Qui contra impetum diaboli, scutum Dei infatigabiliter tenuit, ut ad victoriam perveniret. Habemus in eo medicum e coelo, cum quo sanctitas, immo ipse sanctitatis auctor civitatem nostram intravit. Quantis caecis, a via veritatis errantibus, visum quo Christus videtur, aperuit? in quantorum auribus, sermonibus coelestium mandatorum, pretiosum infùdit auditum? Quantos intrinsecus vulneratos, angelici oris arte et orationis virtute curavit? quantorum animas, peccatis jam in corpore defunctas, ad emendationem tanquam ad lucem vocando resuscitavit? Docebat quotidie filios suos, ne res alienas concupiscerent, ne eis conjuges extraneae pulcrae essent, ne peccati venènum per aspectum animam penetraret. De quantorum cordibus ille, quos iniquitas et impietas possidebat, fugavit luxuriam, remòvit iram, restrinxit invidiam, revocando illuc fidem et castitatem atque misericordiam? Quantos vir ille Apostolicus poenitentiae medicamentis a peccatorum morte resuscitavit, custos animarum, cupiditates rèsecans, iram comprimens, malitias extirpans? His magis vir ille temporibus necessarius fuerat, quibus tanta iniquitas sumptis quotidie, deficiente justitia, viribus, convalescit. Et quidem ille in hac peregrinatione seculi solo corpore constitutus, cogitatione tamen in illa aeterna patria conversatus est. Qui huic mundo crucifixus ac mortuus, quicquid laboravit, de hac vita ad illam transtulit, et de sinistra semper transmisit ad dexteram, atque in coelo suos reposuit sudores. Et inter haec omnia intendebat vir beatus jactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia excelsa latère: adeo ut non solum corda hominum, belluina feritate crudelia, ad mansuetudinem Christi domaret fidelis servus ejus et prudens, sciens conservis ejus dare in tempore tritici mensuram, id est, pro captu audientium mensurate et opportune divini verbi pabula ministrare: verum etiam aves, ut innocentia et potestas primi Adae, antequam peccaret, cui omnia irrationalia subjecta fuerunt, ut Scriptura demonstrat, in isto sancto viro per secundum Adam, Dominum nostrum Jesum Christum, reformata intelligerentur.

§ **10**. Cum enim inter domesticos suos contingebat illum secretius habere convivium, et delectaretur in hilaritate carorum, descendebant ad eum intrepidi passeres, et in manu ejus, mensae reliquias colligebant. Discedebant alii sàturi, accedebant alii

saturandi. Sic mansuescebat feritas avium, in operatione virtutum. Delectatio namque illius talis erat in hilaritate carorum, sicut de beato Job legimus, quoniam non cadebat lux vultus ejus in terram: quia nimirum in tanta gravitate vultum tenere consueverat, ut nunquam contemptibili laetitia resolveretur: sed quotiescumque hilariorem se praesentibus exhibebat, certa semper hoc causâ utilitatis eorum faceret. Ita et hic sanctus, religiosa gravitate discretus in omnibus, non vanitatis jactantiâ haec vel dissolutione agebat: sed ut Dei ostenderetur collata sibi gratia, et ad ejus amórem et fidem, qui mirabilis in sanctis suis, servos suos multis modis consolari ac mirificare dignatur, suorum corda excitarentur, et illius servituti se propensius mancipare nt. Sed et non sine consideratione videtur praetereundum, cur iste sanctus in jucunditate carorum, amplius in mansuetudine ac pastione passerum, quam aliarum avium delectabatur. Et ut primo dicamus simpliciter, solent homines alias aves domesticas habere in domibus suis, passeres autem, licet in tectis, sicut legimus, et videntes scimus, soleant habitare, humana gaudentes vicinitate, intra domos tamen suas domesticos habere non solent. Unde constat quia si aves, quae in domibus domesticae haberi solent, in manu pasceret, pro nullo haberetur miraculo, nec esset, unde convivantibus jucundatio proveniret. In domum quoque secretiorem aliis avibus, quae intra cubícula domesticae haberi non solent, nisi passeribus, qui in tectis, humana vicinitate gaudentes, habitare solent, ad hanc servo Dei divinam collatam gratiam demonstrandam, facultas non erat conveniendi.

§ **11**. Sed si altius aliquid in hoc sancti Dei facto perscrutari volumus, intelligere possumus, quia nullae aves tam saepe in Scripturis commendantur, sicut passer, columba et turtur. Columba quippe et turtur, quae gemitus pro cantu edere solent, quia luctus sanctorum in praesenti seculo, et superna desideria per secretas orationum lacrymas, et cantus ecclesiae publicos designent. Passer vero avis corpore parva, sed maxima sagacitate sollicita, quae nec facile laqueis irretìtur, nec per ingluviem ventris, escarum ambitione decipitur. Haec propter infirmitatem suam, ne aut ipsa a suo insidiatore capiatur, aut fetus ejus serpentinis devorentur insidiis, ad domorum fastigia celsa concurrit. Huic merito prudens et humilis quisque comparatur, qui diabolicae calliditatis fraudes fugiens, vigiliis et orationibus ac poenitentiae lacrymis intra sanctae Ecclesiae septa se munire festinat. Redemptor etiam et Salvator noster se passerem dignatus est designari, Psalmista teste, qui dicit: *Etenim passer invenit sibi domum.* Jam quippe passer domum sibi invenit, quia aeterni coeli habitaculum noster Redemptor intravit: ubi factus est sicut passer solitarius in tecto, quia solus inter mortuos liber,

sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit, ut sit et vocetur filius Dei. Hic est verus Deus, et vita aeterna. Ad quem in hac peregrinatione positi anima cujusque fidelis suspirans, sic jocundatur, dum per fidem rectam et sancta desideria ac per bona opera, in coelorum regno mansionem suam sentit esse praeparatam: sicut passer in foramine parietis exultat: id est, etiam veraciter fidelis in foramine maceriae, scilicet in unitate Ecclesiae, quae de perforato in cruce Christi latere, lavacro rigatur et poculo, a maligni spiritus et membrorum ejus malignitate protectus * exultat: et qui ex sanguinibus, et voluntate carnis, et voluntate viri natus, sed sanguine Jesu filii Dei de potestate tenebrarum redemptus, et ex aqua et spiritu, quo idem Dominus Deus noster ex gloriosa semper Virgine Maria Domina nostra est natus, et ipse a virgine matre Ecclesia, immaculato divini fontis utero est renatus, ac Christo incorporatus, gaudio inenarrabili et exultatione exultat.

§ 12. Sunt et alia, quae de hoc beati Francorum apostoli facto (signa enim apostolatus ejus, Franci sunt, sicut in processu monstrabimus) ad nostrae utilitatis augmentum considerantes trahere possumus, comparantes illud actioni Joannis apostoli. Fertur enim relatione Majorum, quia cum B. Joanni apostolo avis, quae perdix vocatur, viva et sana a quodam oblata fuisset, coepit eam leni manu demulcendo tractare. Quod videns quidam adolescentium, ad coaevos suos ridendo dixit: Videte quomodo ille senex cum avicula, sicut et puer, ludit. Beatus vero apostolus ista per spiritum cognoscens, vocavit ad se juvenem; interrogans quid manu teneret. Cui juvenis, Arcum, inquit. Et B. Joannes: Quod habet officium illud, quod in manu tenes? Et juvenis: Sagittamus, inquit, inde bestias, sive aves, vel alia quaeque. Et B. Joannes: Quomodo, inquit, vel quali ordine? Et juvenis curvatu arcu tetendit illum, et tensum in manu tenuit. Sed cum B. Joannes nihil ei subsecutus loquendo fuit, post aliquod spatium juvenis arcum distendit. Cui B. Joannes: Cur, inquit, arcum distendisti? Ad quem juvenis: Quia si diutius tensus teneretur, infirmius tela jactaret. Et ad haec sanctus apostolus: Sic et humana fragilitas si semper in rigore contemplationis persistat, et sibi non condescendat, minus necessario valida contemplationis pennâ sublevatur. Quod pia provisione Conditoris et Salvatoris nostri agitur, ut per collatam gratiam crescamus in profectu virtutum, et per infirmitatis nostrae recognitionem, discamus humilitatis custodire virtutem. Quo facto et sermone audientibus magnam instructionis aedificationem et praesentibus contulit, et futuris seque sequentibus dereliquit. Sic et de hoc beati Remigii facto maximam instructionis aedificationem, et in carorum cara

* His nugis vel fabellâ petitis delectabatur Hincmari aevum.

dilectione, et in fragilitatis nostrae discreta condescensione, nobis valemus assumere, si ut ille passeribus subministrans, *qui non serunt, neque congregant in horrea*, sed Deus pascit illos, aliis saturatis, alius saturandos suscepit, nos qui res et facultates, vel cognationis successione, vel fidelium collatione suscepimus, fratribus, qui non praeparaverunt sibi (quia *hilarem datorem diligit Deus*), cum gaudio bona, quae possumus, ministrantes, alios quibus bona ministremus, adsciscimus: plus gaudentes de bono opere, quam de bona possessione: ut et Deus collaetetur bono operi nostro, qui operariis pietatis se in judicio dicturum praedixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv).

§ **13**. Accidit autem quodam tempore, cum pastorali solertia ex more parochias circuiret, ut si negligenter aliquid in divinis cultibus ageretur, fidelis Christi servus agnosceret, et ut bonus agricola, quae inculta erant, ad bonae operationis fructus proferendos excoleret, ut ad vicum, cui vocabulum est Calmaciacus, perveniret. Ubi dum quidam caecus, per intervalla temporum occultantis se daemonis invasione possessus, ab eo opem misericordiae postulasset, quoniam ante ipsius sancti viri praesentiam occultari non potuit (erat enim illius generis, de quo Dominus in Evangelio dicit, quod non ejicitur, nisi in oratione et jejunio) coepit, qua dudum captus fuerat, daemonis infestatione idem caecus corporis vexatione torqueri. Tunc B. Remigius in oratione, qua semper animo ad Dominum intendebat, corpore, quod jejuniis et bonorum operum exercitio incessanter afficiebat, se humiliter ad terram prostravit, statimque lumen pristinum caeci oculis reddidit, et ab eo pestem immundi spiritus effugavit, et ne ultra eum vexare praesumeret, in nomine Christi praecepit, opemque victus petitam pauperi tribuit. O ineffabilis gratia pietatis, a quo dum sola substantia petitur, triplex remedium obtinetur. Victu pavit egenum, muneravit visu caecatum, reddidit libertati captivum. Atque ita contigit per hoc insigne miraculum sanctae Trinitatis mysterium, ut cum apparuit unus in paupere, Trinitas se ostenderet in salute.

§ **14**. Qui ergo tentationibus, sive occultis in mente, sive apertis in corpore, antiqui hostis sentit se infestatione urgeri, opem intercessionis ejus obnixe deposcat: et si fideliter petierit, ab infestatione immundi spiritus se ipsius meritis et orationibus a Dei gratia liberari non dubitet. Qui supernae lumen contemplationis ignorat, qui praesentis vitae tenebris pressus, dum venturam vitam nequaquam diligendo conspicit, et quo gressum operis porrigat, nescit: lumen intelligentiae ac contemplationis, atque necessariam cordis compunctionem, per intercessionem ejus apud Domini pietatem expostulet, nihil haesitans, quia pro certo accipiet. Qui paupertate spiritualis victus atque vestitus, fidei videlicet, spei et charitatis, ac ceterarum virtutum se arctari cognoscit:

vel etiam temporalibus necessitatibus ac tribulationibus sentit affligi, ejus intercessionum solatia gemitibus et lacrymis exspectat, et quod pauper, caecus atque daemoniosus per illum obtinuit, se solatio consolationum obtinere confidat. Verum si ad primas rogantis lacrymas Dominus precibus hujus intercessoris nostri respondere, id est, erranti sospitatem mentis dare, vel opem ferre necessitatem patienti distulerit: nec sic quidem a petendo, quaerendo, pulsando desistendum est, neque impetrandi subeunda desperatio: sed tanta potius perseverandum instantiâ, tam obstinato frequentandus est, cum intercessionibus hujus protectoris et adjutoris nostri clamore, Salvator, donec et ipse de coelis Domino pro supplicatore suo supplicet: sicque fiet, ut si mentem ab intentione proposita non mutaverit precator, nequaquam fructu piae petitionis fraudetur. Sed et si pro sua fragilitate quis, seu pro aliis intervenerit, desiderati potietur effectus: nisi forte petentem cor in petitione reprehenderit, cum resistere se praeceptis ejus meminit: quia dignum profecto est, ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus.

§ **15**. Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpae reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod erravit: quatenus erroris macula cum fletibus tegitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Curandum est etiam, ne ad hoc rursus pròruat, quod se mundasse fletibus exultat: ne, dum plorata iterum culpa committitur, in conspectu justi judicis ipsa etiam lamenta levientur, et cor iterum praeterita in petitione reprehendant. Graviter namque unusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo vel audiendo respicit, quae vivendo contempsit: et inde dubitatione confusus, se ad orandum Deum convertit. Unde Joannis voce dicitur (*Ep.* I *Jo.* III, 21, 22): *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum, et quidquid petierimus ab eo, accipiemus.* Ac si diceret: Si id quod praecipit, facimus: id quod petimus, obtinemus. Valde namque apud Deum utraque haec sibi necessario congruit, ut et oratione operatio, et operatione oratio fulciatur. Hinc etenim Jeremias ait: *Scrutemur vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum: levemus corda nostra cum manibus ad Deum in coelos* *. Vias etenim nostras scrutari, est, cogitationum interna discutere. Cor vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus ròborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat: cor levat, sed manus non levat. Quisquis vero operatur, et non orat: manus levat, et cor non levat. Juxta Joannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitae pravitas nulla contradicit **.

* *Thren.* III, 40.
** Quid sit manus simul et cor in coelum orando levare, optime declaratum est.

§ 16. Erat enim hic praesul beatissimus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens. Cum ergo circumiens parochiam sollicitudine pastorali, transiret per episcopii villam, cujus vocabulum est Tudiniacus, aspexit messores messem secantes: accedensque ad eos, cum verbo praedicationis exhortatus est eos, dando cibum et potum in consolationem laboris. Et dum haec agerentur, accidit, sobrinam illius, nomine Celsam, Deo sacratam, proinde transire, et villam suae proprietatis, nomine Celtum, adire. Quae cum cognovit sanctum Remigium juxta transitus sui viam esse, venit ad eum, et benigne, ut par erat, ab illo suscepta, petiit eundem virum sanctum, ut una cum illa domum suam, quo ibat, dignaretur adire. Idem vir sanctus, ut erat praestabilis super justis petitionibus, ipsius sobrinae suae postulationi praebuit assensum. Et cum pariter ad domum pervenissent, et inter se familiaria et spiritalia haberent colloquia, venit minister ipsius Celsae, ad auriculam ejus dicens, quod villicus ejus vinum, quod in eadem villa fuerat, jam vendiderat, excepta parvula quantitate, quam pro salvando vasculo reservavit. Cujus vultum sanctus Remigius videns rubòre perfusum, interrogavit quid ei suus minister in auriculam dixerit. Quae illi prompte respondit, quoniam non tantum pro eo de ipso nuncio verecundabatur, quantum pro eis, qui cum eo advènerant. Cognita vero causâ, beatus Remigius hilari vultu consolatus est eam, dicens: Pro hac re, filia, noli contristari: dabit enim inde Dominus largitate pietatis suae solitam consolationem, qui per prophetam suum se timentibus nihil deesse promisit. Et dixit eidem sobrinae suae, audientibus illis qui aderant, ut alia illa curaret: ipse autem vellet interim hortum et viridarium atque domos illius circumire, et videre qualiter illa maneret. Et sic de industria prius alia circumiens, pervenit usque ad cellarii ostium. Et interroganti, quid in illo tecto haberetur, respondit minister, cellarium esse. Idem autem vir sanctus dixit, se illuc introire velle. Cui cum nemo auderet contradicere, interrogavit cellarium, si haberet in aliquo de ipsis vasculis vel aliquid vini. Et designato vasculo, in quo aliquid vini remanserat, dixit: Claude ostium, et sta de ista parte, usquedum ego ad te revertor. Et pergens ad alteram frontem vasculi, quae erat juxta parietem, fecit crucem super idem vasculum, quod erat non modicae quantitatis: et genua flectens ad orationem, oravit diutius: et coepit vinum per foramen superius, per quod eidem vasculo infusum fuerat, adeo redundare, ut super pavimentum ipsius domus largiter inundaret. Et viro sancto adhuc decumbente in oratione, cellarius timore perculsus exclamavit, dicens: In nomine Christi, quis unquam tale vidit? Quod cum audivit S. Remigius, surrexit ab oratione, et praecepit illi, ut

nemini hoc indicaret, sed diceret, dominae suae ministris, impetratum vinum se habere, unde ministrare valerent. Sanctus vero Domini rediens ad praefatam sobrinam suam, consolatus est eam, dicens: « Filia, noli contristari, sed *spera in Domino, et fac bonitatem, et pascèris in divitiis ejus* (*Psalm.* 36). Habes nunc vinum: laetemur et exultemus in Domino. Quod factum cum ipsa et homines ejus per cellarium cognovissent, quia, ut scriptum est, opera Domini narrare honorificum est, dixit ad eum sobrina sua: Nunc cognovi, sancte pater, quia divina inspiratione ad hanc domum hodie te vocavi: propterea de hac villa te et ecclesiam tuam perpetuo haeredem esse faciam. Et praesentialiter ipsam villam ad Rhemensem Ecclesiam tradidit, et eidem sancto praesuli inde chartam et vestituram secundum morem legalem fecit.

§ **17**. Quia humani generis adversarius non desistit ostendere nocendo malignitatis suae potentiam, immissione sua surgentibus subito flammarum globis, hanc civitatem (*a*) Rhemorum succendit. Et nimia vastatione oborta, jam partem fere tertiam favillis extantibus, concrematio peracta consumpserat, et quod residuum erat, victrix flamma lambebat. Cujus rei nuncius cum ad beatissimi Remigii antistitis pervenisset auditum, illico ad orationem in basilica beati Nicasii urbis hujus pontificis et martyris (nam ibi tunc morabatur) se prostravit: et surgens ab oratione, suspiciens in coelum, ingemuit et dixit: Deus, Deus meus, adesto voci meae. Et concito cursu per gradus, ante ipsam ecclesiam, petris compositos, egressus, civitatem petiit. In quibus petris, ac si super molle lutum, impressa ejus fuerunt vestigia, quae hodieque ibi ad memoriam divini miraculi demonstrantur. Et sic celeri velocitate cucurrit, atque se igni opposuit. Statimque ut extensa dextrâ contra ignem, cum invocatione Christi nominis signum sanctae Crucis fecit, totum illud incendium, velut quodam reatu cognito, fracta et concisa atque in sese relisa virtute, coepit ante viri Dei praesentiam fugere. Quod vir Dei semper insequebatur, et inter ignem, et ea quae adhuc erant residua, cum signo sanctae crucis et invocatione Christi se opponebat. Sicque totum flammarum globum, ante se fugientem, per *Patentem* portam (sic enim tunc temporis vocabatur, quia portis aliis clausis ob civitatis custodiam, pro exeuntium et introëuntium commoditate in die patebat) divina potentia expulit, et alia portâ ad

(*a*) RHEMORUM civitas, Rhemi, gallice *Reims*, apud Jul. Caes. de Bello Gall. *Durocortorum*, apud alios Doroctorum, Belgicae 2 (Campaniae gallicae) caput, tantam studiorum famam erat adepta ut illam Cornelius Fronto Athenis comparare non dubitaverit. Fidem ineunte V saec. accepisse dicitur, ac in Metropolim evasit tum civilem tum ecclesiasticam e Galliarum maxime conspicuis. Hujus Archiepisc. Tilpinus sive Turpinus illustris Hincmari decessor saeculo VIII, a Carolo-Magno multis donatus pro Ecclesia sua privilegiis fuit, ac a Rom. Pontif. Primatis Belgicae 2. titulo et auctoritate decoratus. Conciliorum sedes extitit octo circiter supra triginta, quibus vel ipsimet Summi Pontifices vel eorum Legati praefuerunt. Celebratissimam hanc Ecclesiam reddidere S. Remigius, et baptismum per huj. sancti Episcopi manus a Clodoveo Rege susceptum, quo toti Francorum Genti, Christianae Religionis veritas illuxit.

hoc officium deputata, praefatam portam clausit, et ut nunquam ab aliquo aperiretur, cum interminatione vindictae, qui illam praesumeret aperire, prohibuit: sicut et Josue imprecatus est ultionem de eo, qui muros Jericho, Dei virtute dejectos, denuo restauraret. Post quosdam vero annos, civis quidam nomine Fercintus, secus illam portam manens, pertusum in maceria, qua eadem porta obstructa fuerat, fecit, per quem, fimum suae cortis ejiceret. Quem mox tanta est vindicta secuta, ut non homo, non pecus clade superveniente in eàdem domo remanserit. In quo miraculo omnibus gratia Dei declaravit, quod vir Dei plenus fide plus igne divini amoris caluit, qui saevitiam tantae indignationis meritis sanctis evicit, expulit et extinxit. In eo enim, quia in silicibus ejus fuerunt impressa vestigia, et beati Petri in elemento instabili soliti gressus jussione Domini extiterunt, licet diverso modo, non tamen diversa fide ac gratià, operationem Christi conspicimus. Nam et in veris historiis legimus, quia in sancta civitate Jerusalem servatur lapis durissimus, in quo monstrantur pia Redemptoris vestigia, quando ante Pilatum judicem stetit, cujus cordi saxo duriori, exigentibus culpis, ejus verba imprimi nequiverunt.

§ **18**. Et silicibus impressis vestigiis servi sui Remigii, contra malitiam diaboli, cujus membrum Pilatus extitit, pugnaturi, dignatus est demonstrare, quia dedit ei, sicut discipulis suis in carnis praesentia dixerat, *potestatem calcandi supra omnem virtutem inimici* (*Lucae* x). Verum et in hoc facto gratia suae potentiae voluit demonstrare, quam *speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Is.* LII): per quem auferebat a duris corde, et ablaturus erat ab infidelibus Francis corda lapidea, atque daturus erat infidelibus corda mollia, ad recipienda divini verbi semina, ut per patientiam referrent fructum in tempore suo. Sed et per se Dominus, qui perforato in cruce làtere suo aedificavit Ecclesiam, profundens aquam et sanguinem, quibus èadem Ecclesia lavacro rigatur et poculo: et per hunc servum suum, cui regendam suam commisit Ecclesiam, impressis in petra vestigiis, quando robustiora saxis vestigia, et molliora vestigiis saxa ostensa sunt: demonstrare figuraliter voluit, quod de eadem Ecclesia per Moysen figurata locutione praedixit: *Ferrum et aes calceamentum ejus.* Calceamentum quippe in Scriptura sancta, munimen praedicationis accipitur, sicut scriptum est: *Calceati pedes in praeparatione evangelii pacis.* In eo quod, inter ignem, et ab incendio necdum tacta stans, cum signo crucis et invocatione Christi nominis iste vir sanctus, qui cum suis collegis dicere poterat, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, se transgredi flammas prohibuit, Dei miraculum fuit repraesentatum, quando Aaron pontifex, ut iram Domini placaret, thuribulum cum incenso odorifero sumpsit, atque inter mortuos et viventes

stetit. Cujus meritis et precibus postulemus in nobis extingui flammas vitiorum nosque liberari ab igne perpetuo intolerabilium tormentorum. De eo quod praefatus civis contra vetitum beati Remigii, quod ille clauserat, aperire praesumpsit, et ultione non caruit: nos quoque pertimescamus Sanctorum verba et praeceptiones parvipendere: quia Deo in se loquente, sine mutabilitate manentes sententias exprimit eorum sermo, qui transit.

§ **19**. Quaedam puella ab urbe Tolosa *... Potest ergo fragilitate carnis exutus, et choris angelicis sociatus, plebem suam et quemlibet cum fide petentem, de casu cujuslibet periculi imminentis, meritis et precibus suis eripere, et quemcumque a malis ad bona conversum, de cujuscumque peccati morte resuscitare, sed et de futura perpetua morte liberare, qui adhuc in ergastulo corruptibilis carnis positus, vitam mortuae valuit restaurare.

§ **20**. Propterea quoniam duae mortes sunt in unoquoque nostrum, una videlicet animae per peccatum, et altera corporis propter peccatum ad poenam peccati: quia mors est animae quando Deus eam deserit ob magnitudinem peccatorum: et mors est corporis, quando ab anima desèritur: et duae sunt resurrectiones, nunc animae in Ecclesia per filium verbum Dei, quando per gratiam ejus resurgit a morte iniquitatis: et haec est prima resurrectio, quam qui habet, et in secunda, quae est corporis, feliciter resurget in vitam aeternam, per verbum Dei carne factum filium hominis, qui potestatem accepit judicium facere: quod judicium in fine erit seculi: et ibi non erit resurrectio animarum, sed corporum. Petamus igitur corde contrito, cum lacrymis, bonis operibus suffragantibus, per hujus patroni nostri intercessionem nos resuscitari a morte animae in praesenti vita, ut vivamus in Christo: et ut resurgentes corpore in fine seculi, aeternaliter vivamus cum Christo: credentes firmiter, nos per ejus intercessionem hoc apud Domini misericordiam obtinere posse, si fideliter petierimus: qui in curatione prius a daemone, et post in resurrectione corporis a morte praefatae puellae, certissimum pignus de meritis ejus accepimus.

§ **21**. Habeamus seduli ante mentis oculos horam exitus nostri de corpore: praeveniamus faciem Domini in confessione peccatorum nostrorum, et lacrymis ac bonis operibus: indulgentes his qui in nos peccaverunt, ut indulgentiam peccatorum nostrorum obtinere possimus apud Domini misericordiam: et non negligamus bona quae nunc agere possumus: quia exuti corporibus, postea nec mala nec bona agere poterimus: sed pro his, quae in isto seculo egimus, condignam remunerationem in illo seculo accipiemus ab eo, qui, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua.*

§ **22**. Denique cum quidam aegrotus familiae non ignobilis,

* De sanatione Tolosatis puellae praestat legere apud Fortunatum, inferius in 2. Vita § 6.

necdum baptizatus, se a sancto postularet Remigio visitari, et jam velut in ultimo spiritu positus, credere se fateretur et baptizari deposceret, aegroto abrenunciante, et benedicto fonte, S. Remigius a presbytero loci illius exorcizatum oleum et chrisma quaesivit. Qui simplex oleum se habere, sed oleum exorcizatum et chrisma in ampullis, in quibus fuerat, jam penitus defecisse respondit. Sanctus autem Remigius ipsas ampullas sibi afferri praecepit: quas vacuas super altare misit, et se in orationem prostravit. Surgens autem ab oratione, ampullam, in qua brevis habebatur olei exorcizati: et alteram ampullam, in qua brevis continebatur sacri chrismatis, plenas invenit. Sicque infirmum, qui ante abrenunciaverat, post abrenunciationem oleo exorcizato perunxit: demumque baptizatum, secundum traditionem ecclesiasticam, chrismate sacro linivit. Qui mox animae sanitate recepta, etiam corporis incolumitatem promeruit. Quem, fratres carissimi, quem imitatum atque secutum in hoc miraculo beatum Remigium debemus advertere, nisi eum qui in nuptiis, ad quas venire et eas sua praesentiâ dignatus est sanctificare, hydrias vacuas aquâ impleri praecepit, et eamdem aquam nutu suo in vinum convertit? Et quidem Dominus potuit implere vacuas hydrias vino, qui in exordio mundanae creationis cuncta creavit ex nihilo: sed maluit de aqua hydrias impleri, et de ipsa aqua facere vinum: ut ministrorum obsequio hydriae aquâ replerentur, et benedictionis suae nutu aqua verteretur in vinum: ut patenter ostenderet, quia sicut omnia fecit ex nihilo, ita et naturas rerum sanctione sua mutat, ut ipse volet. Et beatus Remigius servus et amicus sponsi Ecclesiae, credentem per divina mysteria socians eidem corpori ejus, verbis solemnibus poterat simplex oleum exorcizare, et sanctum chrisma, sicut et fontem, sacrare: sed maluit ut Dominus singulatim de sacramentis sanctificati ampullas, in quibus fuerant, benedictionis suae potentia repleret, et se fidelem in verbis suis, quibus dixerat: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis ad confirmandam fidem neophyti credentis obsequio famuli sui, ostenderet. Certum est, quoniam qui in exordio creationis, creaturis singulis benedixit, et eas semper ipsa benedictione in usus hominum crescere et multiplicari fecit: et de creaturis panis ac vini aquâ mixti, sed et olei, secundum suam traditionem, ad invocationem sacerdotis semper bona creat: non faciendo quod jam erant: sed sacrosancta mysteria faciendo existere, quod nondum erant, corpus videlicet et sanguinem suum, et chrisma salutis aeternae: idem ampullas singulas oleo replevit, et ad invocationem sacerdotis sui, sanctificationis benedictionem singulatim infudit.

§ **23**. Cum gentis Francorum, ut historiae produnt, de Troja civitate, impugnantibus et expugnantibus Graecis, pars cum Aenea in Italiam perrexit: pars eorum, videlicet duodecim millia in

finitimas Pannoniae partes secus Maeotides paludes pervenerunt *, ibique civitatem advenientes aedificaverunt, quam ob suam memoriam Sicambriam vocaverunt: in qua multis annis habitaverunt, et in gentem magnam usque ad tempora Valentiniani imperatoris creverunt. Et ita sub principibus crinitis, juxta morem gentis subinde succedentibus, per Thuringiam regionem Germaniae a castello Dispargo **, in quo diu habitaverunt, ad Belgicae provinciae Tornacum atque Cameracum civitates aggressi sunt. Indeque usque ad Sommam fluvium partem Belgicae provinciae occupaverunt, ubi plurimis temporibus degerunt sub Clodoveo et Meroveo rege, a cujus nomine celeberrimo, Franci vocati sunt Merovingi: sicut a Valentiniano imperatore Attica linguâ vocati sunt Franci, hoc est, feroces. Cui Meroveo in principatum successit Childericus, qui de Basina regina Thuringorum habuit filium Clodoveum, qui fuit rex magnus super omnes ante se reges Francorum, pugnator bellicosissimus atque egregius. Illis temporibus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Rhenum, quam Coloniam vocaverunt, et Trevirorum civitatem super Mosellam, quae ab Hunnis antea diruta et afflicta fuerat, succendentes ceperunt. Illo tempore in his partibus circa Rhenum usque Ligerim fluvium habitabant Romani, quorum princeps erat Aegidius. Ultra Ligerim autem dominabantur Gotthi, quorum princeps erat Alarìcus. Burgundiones quoque Arriani, ut et Gotthi, habitabant juxta Rhodanum fluvium usque ad civitatem Lugdunum, et ei confines urbes, quorum princeps erat Gundebaldus. Eo tempore mortuus est Aegidius, et successit in principatum Romanorum qui habitabant in Galliis, filius ejus Syagrius. Mortuo autem Childerico, qui Aurelianum et Andegavos civitates cum suo exercitu Francico occupavit atque vastavit, Clodoveus filius ejus sagaciter Francorum regnum suscepit. Anno quinto, Clodoveo regnante, Syagrius filius Aegidii, dux Romanorum qui in Galliis habitabant, in Suessionis civitate, quam pater ejus tenuerat, residebat; super quem Clodoveus cum hoste advenit atque devìcit: quemque ab Alarico, apud quem Tolosae, fugiens Clodoveum, aliquamdiu habitavit, sibi trasmissum recepit et occìdi praecepit, et omnia quae illius erant suae potestati subègit.

§ **24**. Eo tempore multae ecclesiae a Clodovei exercitu depredatae sunt. Erant autem, sicut et rex illorum, fanatici et pagani. Attamen audientes miracula quae fiebant per beatum Remigium, reverebantur eum: et licet pagani diligebant illum, in quo lux coelestis gratiae omnibus resplendebat: et Rex illorum libenter

* Fabulosa *Francorum* origo; otiosum, remotiorem inquirere quam saeculo IV, e Pannoniae extremis ad Oceanum oris. Explode pariter nominis etymon huc vitiose allatum; potius a belgico-germànica voce *Franck* sive *liber* petendum.

** Dispargum castellum statuunt esse aliter appellatum Destemium, forte hodiernum *Dusseldorf* in Germania superiori apud Tungros, Thuringiam minus proprie ab Hincmaro dictam. — Andègavi, gall. *Angers* — Aurelianum, *Orléans*. — Cameràcum, Tornàcum: *Cambrai*, *Tournay*. — Suessionum civitas, *Soissons;* Sèquana et Ligeris flumina, gall. *la Seine*, *la Loire*.

illum audiebat, et audito eo, multa faciebat et a multis nequitiis se cohibebat. Erat enim S. Remigius vir sapiens atque sanctissimus, egregius rhetoricus, praeclarus in virtutibus, caecis visum restituens, mortuis vitam reparans, daemonia ejiciens, omniumque infirmitatum languoribus medelam praebens.

§ **25**. Transitum autem rex faciens secus civitatem Rhemorum per viam, quae usque hodie, propter Barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur: noluit eamdem civitatem introire, ne ab exercitu suo aliquod malum ibi fieret. Sine voluntate autem et conscientia ipsius, pars quaedam indisciplinatorum, quoniam non erat potestas temporalis inhabitantium, quae eis resisteret, eamdem civitatem intravit, et quaedam ornamenta atque sacra vasa inde rapientes, ut praedones solent, absportaverunt. Inter quae urceum mirae magnitudinis atque pulcritudinis rapientes tulerunt. Sanctus autem Remigius missos suos ad regem Clodoveum direxit, deprecans, ut si aliud de sacris vasis ecclesiae recipere non mereretur, vel illum urceum missis suis reddere juberet. Haec audiens Rex, ait ad missos ecclesiasticos: Sequimini nos usque Suessionum civitatem, quia ibi cuncta quae acquisita sunt, dividenda erunt. Cumque ille urceus mihi in partem obvenerit, quae Episcopus postulat, adimplebo. Veniens autem Suessionum civitatem, cunctam praedam, quae absportata vel acquisita fuit, rogat afferri in medium. Cumque omnia fuissent in praesentiam Regis allata, dixit: Rogo vos, o fortissimi pugnatores, ut mihi dare urceum istum non negetis. Hoc rege dicente, Franci illi, qui bono animo fuerunt, ajunt: Omnia, gloriose Rex, quae cernis, tua sunt, et nos tuo dominio sumus subjecti. Quod tibi bonum videtur, hoc fac: nullus enim tuae potestati resistere audet. Cumque haec illi benigne dixissent, unus Francus levis, cum vociferatione, elevata bipenni, quae alio nomine vocatur francisca, percussit urceum illum, dicens: Tu nihil hinc accipies, Rex, nisi quod tibi sors vera donaverit. Obstupefactis omnibus, rex injuriam suam patienter sufferens, acceptum urceum nuncio ecclesiastico reddidit, servans iram in corde absconsam. Transacto anno, Clodoveus rex, ut omnium armorum nitorem videret, omnem exercitum jussit cum armorum apparatu venire secundum morem in campum Martium (sic enim conventum illum vocabant a Marte, quem pagani deum belli credebant, a quo et Martium mensem, et tertiam feriam, diem Martis appellaverunt: quem conventum posteriores Franci Maji campum, quando Reges ad bella solent procedere, vocari instituerunt). Verum ubi Rex cunctum exercitum circumivit, venit ad hominem illum, qui urceum praeterito anno cum bipenne percusserat, et ait ad eum: Nullus hic tam inculta et sordida habet arma, sicut tu: quia neque clypeus, neque lancea, neque bipennis est utilis. Accepit autem Rex franciscam ejus, quae vocatur bipennis, et

projecit in terram. Cum autem ille se inclinasset eam recolligere, Rex statim elevata manu Franciscam suam in caput ejus defixit. et ait: Sicut tu in Suessionum civitate superiori anno in urceo illo fecisti, sic et facio tibi. Mortuoque illo, exercitum Rex de ipso campo jussit ad propria in pace discedere. Grandis pavor et timor pro hac re in Francorum populo surrexit.

§ **26**. Clodoveus decimo anno regni sui, commoto exercitu, sibi Thuringiam provinciam subjugavit. Inde Gundebaldi regis Burgundionum neptim, filiam videlicet fratris sui Chilperici. quem gladio interfecerat, nomine Crotildem, pulcram satis puellam et vere christianissimam, interveniente Aureliano consiliario ac legatario suo, nutu divino in conjugem sumpsit, sicut lector in suo loco plenius legere potest. In diebus illis dilatavit rex Clodoveus regnum suum usque Sequanam: sequenti tempore usque fluvium Ligerim occupavit. Accepitque Aurelianus castrum Milidunense *, quod et in ducatum obtinuit.

§ **27**. Concepit denique ac peperit filium Crotildis. Quem cum sacro baptismate consecrari vellet, rex non acquiescebat ei. Necdum enim credebat in Dominum Deum coeli. Regina autem quotidie illi praedicabat eum: at ille nolebat eam audire. Interea Regina parat filium ad baptismum, ornat ecclesiam velis atque cortinis, ut regis cor ad credendum compungeret. Baptizatus est puer, quem Ingomirum vocavit, quique in Albis decessit. Unde Rex nimis contristatus, reputabat Reginae, increpando dicens ad eam: Quia si in nomine meorum deorum puer dedicatus fuisset, utique incolumis diu vixisset. Quia vero in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere non potuit. Regina vero dicebat: Deo gratias ago qui me non duxit indignam, ut de utero meo primogenitum in regno suo recipere dignatus sit. Ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac causa retineo. Postea vero genuit filium alium, quem in baptismo Clodomirum vocavit. Et hic cum aegrotare coepit, dixit Rex: Non potest aliud, nisi de isto sic fiat, quomodo fuit de fratre ejus, ut baptizatus in nomine Christi vestri, cito moriatur. Sed orante Regina et Domini misericordia praecurrente, recepit sanitatem. Regina quoque non cessabat Regi praedicare, ut Deum verum coleret, et idòla quae colebat, vana relinqueret: sed nullo modo animum ejus ad credendum poterat commovere, donec tandem aliquando bellum contra Alemannos Suevosque moveret, in quo compulsus est Deum confiteri, quem antea negaverat.

§ **28**. Factum est autem bellantibus inter se, Francis et Alemannis atque Suevis, ut Clodovei exercitus nimis corrueret.

* Milidùnum vel Melodunum castrum, gall. *Melun* in insula *Franciae* dicta. Aurelianus, regis consiliarius, perperam introducitur in nuptiis Clodovei cum Crotilde, et in voto conversionis ad Christum, quod sponte emisit rex in ferventis proelii discrimine; quodque adeo mirabiliter est memoranda victoriâ in Suessionensi campo *Tolbiac* coronatum. — De S. Reg. Crotilde fuse egimus in MARTYROL. ILLUSTR. ad III Jun., pag. 499. Lege etiam in Vita S. Vedasti apud Surium, Vol. II, p. 149 et seq.

Aurelianus consiliarius ejus intuens Regem, ait: Domine mi Rex, crede modo Deum coeli, quem domina mea Regina praedicat, et dabit tibi ipse Rex regum et Deus coeli atque terrae victoriam. Ille vero elevatis in coelum oculis, commotus in lacrymas, ait: « Jesu Christe, quem Crotildis regina mea praedicat esse filium Dei vivi, qui subvenis in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum adjutorium devotus postulo, ut si mihi victoriam super hos hostes dederis, et expertus fuero virtutem illam, quam de te populi praedicant, credam tibi, et in nomine tuo baptizabor. Invocavi enim Deos meos, et, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo. Unde credo eos nulla potestate esse praeditos, qui sibi credentibus non succurrunt. Te Deum verum invoco et in te credere desidero: tantum ut liberer ab adversariis meis. » Cumque haec orans clamaret, Alemanni in fugam versi, terga dederunt: et videntes Regem suum interfectum, Clodovei potestati se subdunt, dicentes: Parce, precamur, Domine Rex, ne pereat plus populus: jam tui sumus. Tunc jussit Rex imminentem plagam cessare, et Alemannos cepit, ipsosque ad terram eorum sub jugo tributario constituit. Sicque facta victoriâ, reversus est in Franciam ad Reginam suam, et narravit ei qualiter per invocationem nominis Jesu Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt haec anno decimo quinto Clodoveo regnante.

§ **29**. Tunc Regina, ut impleretur dictum Apostoli, *Salvatur vir infidelis per mulierem fidelem* (1. *Cor.* VII): vocavit S. Remigium, urbis hujus Rhemensis antistitem, deprecans eum, ut Regi salutis viam praedicaret. Quem sanctus sacerdos per multam salutaris vitae doctrinam ad baptismum venire praedicabat. Et ille ait: Libenter te audiam, beatissime pater: sed unum restat, quia populus, qui me sequitur, non vult deos suos relinquere. Vadam autem adhortari eos, juxta verbum tuum. Et veniens Rex ad populum, coepit hortari eos, ut Deum, qui eis victoriam dederat, crederent, quoniam dii eorum in tribulatione sua nihil eis prodesse potuerunt. Acclamaverunt autem omnes, praecurrente misericordia et potentia Dei: Mortales deos relinquimus, gloriose Rex, et verum Deum immortalem, quem Remigius praedicat, credere parati sumus. Nunciantur haec S. Remigio. Ille quoque gaudio magno repletus, Regem et populum qualiter diabolo et operibus ac pompis ejus abrenunciare, et in Deum credere deberent, apertis et brevibus verbis instruxit. Et quia dies sancti paschae imminebat, jejunium secundum christianorum consuetudinem eis indixit *.

§ **30**. Die vero passionis Dominicae, quem parasceven usus ecclesiasticus vocat, pridie scilicet antequam baptismi gratiam Rex et populus ejus percepturi erant, cum sanctus Remigius et venerabilis conjux Regis Crotildis, pro Regis et populi ejus salute

* Non dies Paschae imminebat, sed ut certo constat, Festum Nativitatis Domini anno CCCCXCVI.

in oratione pernoctarent, Episcopus ante altare S. Mariae multas effundens lacrymas, et Regina in oratorio S. Petri, juxta domum regiam: expleta oratione, Pontifex ad ostium regii cubiculi pulsaturus accessit: ut videlicet per alta silentia noctis aliis curis Regi absoluto, liberius posset committere sacra mysteria verbi. Quem ostiis apertis cubicularii Regis reverenter suscipiunt, et cum honore debito usque ad penetralia Regis introducunt. Sed et Rex alacriter ei obviam prosilivit, eumque amplexus, cum ipso et venerabili conjuge in oratorium beatissimi Petri principis Apostolorum, quod, ut diximus, cubiculo Regis contiguum erat, processit. Cumque illi tres, Pontifex scilicet et Rex atque Regina, dispositis sedilibus consedissent, circumstantibus quibusdam clericis, qui cum Pontifice venerant, et familiaribus Regis atque Reginae, et sanctus praesul Regem monitis instrueret salutaribus, ac evangelicis disciplinis imbueret: ad confirmandam verae fidei praedicationem, per sanctum depromptam Pontificem, etiam visibiliter ostendere Dominus voluit quod cunctis fidelibus promisit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Repente namque lux tam copiosa, totam replevit ecclesiam, ut claritatem solis evinceret: et cum luce vox pariter audita: Pax vobis: ego sum, nolite timere; manete in dilectione mea. Et post haec verba lux quae advenerat, recessit, et incredibilis suavitatis odor in eadem domo remansit: ut patenter ostenderetur illuc auctorem lucis et pacis atque suavitatis venisse. Quem nemo eorum qui aderant, praeter Episcopum, propter fulgorem luminis timore perculsi, intueri valuerunt: tantaque claritatis gloria Pontificem sanctum perfudit, ut splendor ex eo procedens, plus conspicuam domum, in qua sedebant, reddiderit, quam lucernarum lumina ibidem lucentia.

§ **31**. Rex itaque et Regina pedibus sancti se prosternunt sacerdotis, et cum magno pavore ac gemitu consolationem ejus requirunt, et quid sibi ad utilitatem atque salutem pertinens esset agendum, cum magna expetunt devotione, parati audire et opere complere quae a sancto Pontifice discerent. Nam lumen quod eos exterius perfudit, etiam interius illuminavit, et ad quaerendum salubre consilium incitavit. Delectabantur namque in verbis illis quae audierant, licet exterriti essent de luminis claritate. At vero vir sanctus, sancta repletus sapientiâ, coepit eos instruere, hanc esse visionis divinae atque angelicae consuetudinem, ut in adventu suo terreant corda mortalium, sed subsequenti consolatione demulceant praecedentem timorem: instruens eos ex auctoritate sanctarum scripturarum, quomodo singulis quibus apparuerant, et in primordio apparitionis incusserint videntibus se timorem, sed post per gratiam consolationis, gratissimam eorum cordibus praebuere laetitiae hilaritatem. Cumque vir sanctus de talibus eos sufficienter instruxisset, prophetico repletus spiritu, cuncta quae

eis vel semini eorum eventura erant, praedixit: qualiter scilicet successura eorum posteritas regnum esset nobilissime propagatura atque gubernatura, et sanctam Ecclesiam sublimatura, omnique Romana dignitate regnoque potitura, et victorias contra aliarum gentium incursus adeptura: nisi forte a bono degenerantes, viam veritatis reliquerint, et diversos vitiorum fuerint secuti anfractus: quibus negligi ecclesiastica solet disciplina, et quibus Deus offenditur: ac per hoc regna solent subverti, atque de gente in gentem transferri. Quod de Moyse scriptum legimus, quia splendida facta est facies ejus, dum respiceret in eum Dominus: hoc et in beatum Remigium luce splendida illustratum, factum fuisse audivimus: quoniam sicut Moyses legislator populi veteris erat a Domino constitutus: ita et beatus Remigius evangelicae gratiae lator populo, in proximo per fontem baptismatis innovando, extitit munere Christi electus.

§ **32**. Interea eundi via ad baptisterium a domo regia praeparatur, velis ac cortinis depictis ex utraque parte protenditur, et desuper adumbratur, plateae sternuntur, ecclesiae componitur baptisterium balsamo et caeteris odoramentis conspergitur: talemque gratiam Dominus subministrabat in populo, ut aestimarent se paradisi odoribus refoveri. Sicque praecedentibus sacrosanctis evangeliis, et crucibus cum hymnis et canticis spiritualibus atque litaniis, sanctorumque nominibus acclamatis, sanctus pontifex manum tenens Regis, a domo regia pergit ad baptisterium, subsequente Regina et populo. Dum autem simul pergerent, Rex interrogavit Episcopum, dicens: Patrone, est hoc regnum Dei, quod mihi promittis? Cui Episcopus: Non est hoc, inquit, illud regnum, sed initium viae, per quam venitur ad illud. Cum vero pervenissent ad baptisterium, clericus, qui chrisma deferebat, a populo est interceptus, ut ad fontem venire nequiverit. Sanctificato autem fonte, nutu divino chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram ulli non patebat egressus ecclesiae vel ingressus, sanctus pontifex oculis ac manibus protensis in coelum, coepit tacite orare cum lacrymis. Et ecce subito columba nive candidior attulit in rostro ampullulam, chrismate sancto repletam, cujus odore mirifico super omnes odores, quos ante in baptisterio senserant, omnes qui aderant, inaestimabili suavitate repleti sunt. Accipiente autem sancto pontifice ipsam ampullulam, species columbae disparuit. De quo chrismate fudit venerandus Episcopus in fontem sacratum *.

§ **33**. Viso autem Rex tanto miraculo, abnegatis diaboli pompis et operibus ejus, petiit se a sancto pontifice baptizari. Procedit novus Constantinus ad lavacrum salutiferum, in quo delendi erant leprae veteris morbi, sordentesque antiquae peccatorum maculae diluendae, divino muneri obsequente beato Remigio, in quo

* Haec, atque ejusmodi praeclara S. Remigii signa retulit bona fide Hincmarus ex Anonymo.

apostolica doctrina et virtutum gratia alter repraesentari videbatur Silvester. Ingresso autem in fontem vitalem Clodoveo, sanctus episcopus dixit ore facundo: « Mitis depone colla, Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti: » praeceptis salutaribus illum instituens, humili devotione venerari ecclesias, ad cultum religionis aedificatas, ut Deum adoraret in eis, quas rigida profanitate incendere consueverat; et idola quae in asylis suis pro Deo adorare solebat, fidei ardore succensus, dejiciendo incenderet. Cujus sapientia miranda est in brevitate sermonum, quibus discretionem ostendit inter illam adorationem et servitutem, quam saepe a sanctis viris honore venerationis et amore obsequii, angelis et hominibus exhibitam legimus: et illam adorationem et servitutem, quam cultu divinitati debito, Deo soli juxta praeceptum ipsius, non autem ulli creaturae exhibendam, sanctae scripturae lectione cognoscimus. Et sic post confessionem orthodoxae fidei, ad interrogationem sancti pontificis secundum ecclesiasticum morem, baptizatus est trina mersione in nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et susceptus ab ipso pontifice de sancto fonte, perunctus est sacro chrismate, cum signo sanctae crucis Domini nostri Jesu Christi. Baptizantur autem de exercitu ejus tria millia virorum, exceptis parvulis et mulieribus, baptizantur sorores ejus Albofledis et Landehildis, et factum est gaudium in illa die angelis sanctis in coelo, et hominibus devotis in terra. Multi denique Francorum exercitus, necdum ad fidem conversi, cum Raganario ultra Sommam fluvium aliquandiu degerunt, donec Christi gratia cooperante, gloriosis potitus victoriis, eundem Raganarium, flagitiis turpitudinum inservientem, vinctum a Francis, sibi traditum rex Ludovicus * occidit, et omnem Francorum populum per beatum Remigium ad fidem converti et baptizari obtinuit.

§ **34**. De miraculo siquidem, quod Dominus dignatus est ostendere per columbae speciem in allatione chrismatis, sicut et de aliis, rata est Catholicorum Patrum sequenda sententia, qua dicitur: Divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. Baptizatus autem Rex cum gente integra, plurimas possessiones per diversas provincias sancto Remigio tam ipse quam Franci potentes dederunt: quas ipse per diversas ecclesias tradidit, ne Franci eum rerum temporalium cupidum esse, et ob id ad Christianitatem eos vocasse putarent, et fidem Christi ac sanctum sacerdotium vilipenderent.

§ **35**. De quibus rebus in Orientalibus Franciae partibus, petentibus traditoribus, portionem quamdam episcopio Rhemensi adjunxit: et de his quae in Rhemensi provincia illi fuerunt

* Idem est saepe in hac historia, ac Clodoveus; quem cum *Clodovicum* nonnulli dixerint, ortum *Ludovici* nomen est, Francorum Regum stirpi adeo solemne.

traditae, non modicam partem ecclesiae Sanctae Mariae in castro Lauduni clavati * Rhemensis parochiae, ubi nutritus fuerat, tradidit: ibique Genebaldum, virum carne nobilem, et tam in scripturis sanctis, quam et in secularibus litteris eruditum, qui relicta conjuge, nepte scilicet ipsius beati Remigii, vitam religiosam expetierat, episcopum ordinavit, et parochiam ipsius comitatus Laudunensis praefato castro subjecit. Qui Genebaldus plus quam necesse fuerat, de anteacta vita et gradus sublimitate confidens, cum debuerit cogitare, quia nec David sanctior, nec Salomone sapientior esset, qui mulierum delinimentis periclitati sunt: incaute suam uxorem, quam relinquens mutaverat in sororem, quasi pro instructione salutari, frequentius se visitare permisit, oblitus Scripturae, dicentis: *Lapides excavant aquae, et alluvione terra consumitur, et rupis transfertur de loco suo* (*Job* XIV). Unde contigit, ut crebrae visitationes, et blanda ac frequentia mulieris colloquia, durum contra luxuriae mollitiem cor Episcopi emollirent, et quasi rupem saxeam de loco suae sanctitatis ad luxuriae inquinamenta transtulerint: et item contra Scripturam, dicentem: *Quis alligabit ignem in sinu suo, et vestimenta ejus non comburentur?* (*Prov.* VI); admota igni paleâ, id est, muliebris carnis materiâ, libidinis ignem suasione diabolica, quasi vento vehementi, exagitante, ardor luxuriae in flammas erùpit, et concumbente eo cum eàdem, quondam uxore sua, mulier concepit: et post partum mandavit Episcopo filium se peperisse. Genebaldus vero confusus et dolens, nuncio dixit: Quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latère non potuit, in cubiculi absconso generatus est, recte vocabitur Latro. Sic ei nomen imponat. Et quia culpa hominibus non innotuit, ne suspicio inde procederet, si se a solita visitatione femina illa subtraheret, coepit ut antea domum frequentare Episcopi. Sicque factum est, ut tecta hominibus culpa, et in cordibus tam Episcopi quam feminae tectus luxuriae ardor, quoniam, ut notum est, quo magis tegitur, tectus magis aestuat ignis: contra culpam compunctus Episcopus post fletum ad culpam rediit, et oblitus est, quod planxerat, cum extinguere noluit, quod per desiderium ardebat. Iteravit peccatum, quod egerat. Concepitque iterum mulier, et misso nuncio, mandavit Episcopo se feminam peperisse: quam jussit nominari Vulpeculam. Quod, cur ita eam nominari voluerit, qui fraudes et significationes in scripturis ipsius animalis cognoscit, quas ad dolos ac versutias deceptoris diaboli, et ad carnis petulantis illecebras et anfractus retulit, facile satis advertit.

§ **36**. Tandem Domino, qui beatum Petrum respexit, et negationem amarissime flevit, illum respiciente, Genebaldus in se reversus, ad sanctum Remigium misit, petens ut Laudùnum veniret: quia tales causae ibi emerserant, quas per se diffinire non

* *Laon* hod. urbs est; vide S. Benedictam in MARTYROL. ILLUSTR., VIII huj.

posset. Beatus autem Remigius, sicut Genebaldus petiit, Laudunum pervenit. Et susceptus cum debita reverentia, ac secreta cubiculi petens, Genebaldum interrogavit, pro qua causa illum vocaverit. Genebaldus vero cum maximo fletu et ejulatu volens tollere stolam de collo suo, et procidere ad pedes sancti Remigii, cum magna virtute a beato Remigio est detentus, ne stolam de collo suo tolleret. Et postquam diutius ambo fleverunt (intellexerat enim beatus Remigius Genebaldum admisisse crimen, pro quo stolam vellet deponere) vix singultibus et lacrymis Genebaldus per ordinem omnia retulit, quae commiserat. Quem sanctus Remigius videns contritum et pene desperatum, blande consolatus est, dicens: Non tantum doleo de admisso a te crimine, quantum quod sic male sentis de Domini bonitate, cui secundum evangelicam veritatem, non est impossibile omne verbum. Ipse de nihilo cuncta fecit, primumque parentem, in quo omnes peccaverunt, gratia salvum fecit: nullumque peccantem ad se reversum despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. Quatriduanum etiam foetentem Lazarum, lacrymis sororum, quae significant sollicitas ac flebiles poenitentium cogitationes, compatiendo, flevit et a mortuis suscitavit, suscitatum convivio suo admisit. Mulieris etiam ipsius, quae fuerat in civitate peccatrix, manibus iniquitate pollùtis, sanctissimos pedes suos is qui super angelorum omnium verticem ad Patris dexteram considet, attrectari non renuit: Nunquam ulli quantiscumque vel qualibuscumque peccatis mortuo, seu mole ac scelerum enormitate sepulto, gratiam resuscitationis a peccatis denegat. Digne poenitentem, atque peccata sua deflentem, per januam reconciliationis communionis altaris sacrosancti restituit.

§ **37**. Et ut erat doctissimus, ac orator eloquentissimus, testimonia de latitudine sanctae scripturae, et exempla poenitentium in unum colligens, ad animandum eum illi proposuit, et exhortato poenitentiam indixit. Factaque mansiunculâ cum lecto in modum sepulcri, et parvissimis fenestellis, ac oratorio, quae hodieque manent secus ecclesiam sancti Juliani, Genebaldum in ea reclusit, et clerum ac parochiae ipsius populum per septem annos, ut et propriam parochiam, gubernavit, et unam diem Dominicam Rhemis, alteram apud Laudunum celebravit, in qua reclusione poenitentiae, quantae contritionis et continentiae idèm Genebaldus fuerit, divina misericordia demonstravit.

§ **38**. Septimo siquidem anno in vigilia coenae Domini, cum idem Genebaldus in oratione pernoctaret: et seipsum defleret, quoniam is qui ad hoc ordinatus fuerat, ut in illa die poenitentes Deo reconciliaret, ipse suis criminibus exigentibus, nec inter poenitentes in ecclesia merebatur consistere: circa mediam noctem angelus Domini cum magna venit luce ad eum in oratorium, ubi pronus jacebat, et ait ad eum: Genebalde, exauditae

sunt pro te orationes patris tui Remigii: suscepit quoque Dominus poenitentiam tuam, et dimissum est peccatum tuum. Surge, et hinc egredere, facque ministerii episcopalis officium, et reconcilia Domino poenitentes de criminibus suis. Genebaldus autem nimio terrore perculsus, respondere nil potuit. Tunc angelus Domini confortans eum, et ne timeret, hortatus est, sed gauderet in misericordia Domini sibi collata. Qui animatus, dixit ad angelum: Non possum hinc egredi, quia dominus et pater meus Remigius clavem hujus ostii secum habet, quod et sigillo suo signavit. Et angelus ad eum: Ut non dubites, inquit, me a Domino missum, sicut patet tibi coelum, sic et ostium istud patebit. Et statim salvo sigillo ac serâ, ostium illud apertum est. Tunc Genebaldus in modum crucis se jactans in limine, dixit: Etiamsi ipse Dominus Jesus Christus dignatus fuerit, ad me venire peccatorem, hinc non egrediar, donec ille venerit, qui me in ejus nomine in ista reclusione constituit. Et statim angelus Domini discessit ab eo.

§ **39**. Beatus quoque Remigius in crypta, quae retro sedem erat ecclesiae Sanctae Mariae Rhemis, pernoctabat in oratione, et quasi dormiens, in excessum est raptus: Et vidit angelum assistentem sibi, qui ei omnia, sicut dicta et gesta fuerant, narravit, et jussit ut quantocyus Laudunum peteret, et Genebaldum sedi episcopali restitueret, et coram se ministerium episcopale agere persuaderet. Mox sanctus Remigius, nihil dubitans, cum summa celeritate Laudunum petiit, et in limine ostii, salvo sigillo et serâ reserati, Genebaldum jacentem reperit: quem extensis brachiis cum gaudio et lacrymis laudans Domini misericordiam elevavit, eumque sedi et officio episcopali, veluti angelus Domini praeceperat, restituere maturavit, et Rhemos cum gaudio repedavit. Genebaldus itaque in sanctitate et justitia postea omnes dies vitae suae gratiâ Dei peregit, praedicans cunctis, quanta illi fecerat Dominus.

§ **40**. Ludovicus rex sedem suam in Suessionum civitate, unde Syagrium expulerat, constituens, delectabatur praesentiâ et colloquio beati Remigii. Sed quia villas, quasi sibi Rex et Franci in Pagis, Suessonico et Laudunensi, dederunt, ut supra dictum est. episcopio Laudunensi et aliis casis Dei donaverat, non habebat in vicinitate ipsius civitatis Suessionum, nisi unam villulam, quae sancto Nicasio data fuerat. Unde suadente religiosissima Regina, et petentibus locorum incolis, qui multiplicibus xeniis erant gravati, ut quod Regi debebant, ecclesiae Rhemensi persolverent, Rex sancto Remigio concessit ut quantum circumiret, dum ipse meridie quiesceret, totum illi donaret. Sanctus autem Remigius per fines, quae manifestissime patent, pergens, signa sui itineris misit. In quo fine quidam homo habens molendinum, repulit sanctum Remigium, ne intra illos fines ipsum molendinum concluderet. Quem beatus Remigius blande alloquens, dixit: Amice,

non sit tibi molestum, ut simul habeamus hoc molendinum. Ille autem rejecit eum. Et statim rota molendini verti in inversum coepit. Idem autem homo clamavit post beatum Remigium, dicens: Serve Dei, veni, et habeamus simul hoc molendinum. Cui sanctus Remigius: Nec mihi, nec tibi. Et sic talis fossa in eodem loco devenit, ut extunc et nunc usque in perpetuum molendinum ibi esse non potuerit. Et quia repulsus est a quibusdam hominibus, ne silvulam quamdam intra terminos suos concluderet, dixit ut nec folium unquam de ipsa silva intra terminos suos, cum esset contigua, evolaret, nec fustis illos terminos versus inde caderet. Quod et observatum est, quamdiu illa silva mansit. Abinde quoque procedens, venit ad villam, nomine Caviniacum. Quam concludere intra fines illos volens, ab hominibus ejusdem villae rejectus est. Tum ille hilari vultu modo rejectus, modo repropinquans, signa per suum iter misit, sicut loca demonstrant, per quae rejectus et per quae propinquans perrexit. Tandem rejectus, dixit illis: Semper laborate, et egestatem sustinete: sicut hodieque manentis sententiae verborum illius virtus ostendit. Surgente interea Rege a somno meridiano, reversus est ad eum sanctus Remigius, et omnia quae ambitus circumitionis illius continuit, ei praecepto suae auctoritatis Rex donavit: quae usque hodie Rhemensis ecclesia, quarum rerum capita sunt Judiacus et Ociliacus, jure quieto possidet.

§ 11. Legimus in sacra et antiqua historia, sanctum David montes Gelboë maledixisse, ut nec ros nec pluvia veniret super eos, neque essent agri primitiarum. Habemus sanctum Remigium ore prophetico maledixisse insensibilibus creaturis, ut possessores earum, sterilitatis damno in vindicta retributionis ferirentur.

§ 12. Eulogius quidam vir praepotens, convictus apud regem Ludovicum de crimine regiae majestatis, cum se purgare non posset, ad ecclesiam Sanctae Mariae, et ad intercessionem beati Remigii confugium fecit. Cui sanctus Remigius et vitam et rerum suarum apud Regem obtinuit possessionem. Idem autem recompensationis gratiâ sancto Remigio Sparnacum villam suam in proprietatem dare voluit. Sanctus autem Remigius retributionem temporalem pro intercessionis suae beneficio recipere noluit. Sed quoniam idem Eulogius verecundiae confusione addictus, quia contra natales suos vitâ donari per alterius indulgentiam meruit, in seculari habitu stare non voluit, sanctus Remigius ei dixit, ut si perfectus esse vellet, venderet omnia sua, et daret pauperibus, et sequeretur Christum. Et sic de thesauro ecclesiastico taxatum pretium, quinque scilicet millia argenti libras, Eulogio dedit, et eamdem villam in possessionem ecclesiae comparavit: bonum exemplum omnibus Episcopis, tam suo tempore in carne viventibus, quam post eum in ordine succedentibus derelinquens: ut pauperibus, aut viduis, aut pupillis, vel pro his, qui ad

misericordiam Ecclesiae confugiunt, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes, in exsilio aut in insulis damnantur, aut certe quamcumque sententiam suscipiunt, juxta sacros canones subvenientes, vel quaecumque agentes bona, pro temporali retributione non faciant: sed juxta Dominicam vocem: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x): quod Dei gratiâ, id est, gratis data acceperunt, gratis etiam, id est, sine retributione temporali proximis largiantur. Unde bene, cum virum justum describeret, propheta ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere* *. Neque enim dixit, munere, tantum: sed adjunxit, Ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa: Munus a manu, pecunia: Munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, vel quodcumque bonum, unde retributionem a Deo sibi in futuro seculo reddi cupit, tunc ab omni munere manum excutit, quando in divinis rebus non solum ullam pecuniam, sed etiam gratiam non requirit.

§ **43**. Partem etiam maximam sylvae in Vòsago, pretio comparavit, et mansioniles ibìdem constituit, qui ab aquis, super quibus constituti sunt, Cosla et Gleni vocantur: hominesque in eisdem mansionilibus de vicina episcopii villa, quae Berna dicitur, a Francis sibi data, manere disposuit, ut picem annuatim religiosis locis ecclesiae Rhemensis administrarent: quibus et Pensam dedit, quae usque hodie ab incolis ipsorum locorum habetur, cum qua debitum suum exsolvunt. Ipsius quoque comparationis suae fines per gyrum adeo exterminavit, ut et omnibus videntibus pateat ipsa exterminatio, et a progenie in progenies hactenus ipsae exterminationes, ab eo factae, nomine tenus vocitentur ac designentur. In quibus exterminationibus quodam loco in fuste cavo manu sua petram misit, qua omnes, qui volunt manum in caverna, in qua petra posita est, ponere, possunt et ipsam petram volvere, et eam a caverna nullo ingenio valent extrahere. Post quaedam vero tempora quidam invidens, quod multi ad laudem sancti Remigii hoc pro religione tenebant, manu ipsam petram de caverna extrahere voluit. Quod non valens, securi ipsum pertusum ampliare tentavit: et elevante eo securim, ut fustem percuteret, dextera manus illius exaruit, et oculorum lumen amisit: et qui famam sancti Remigii extinguere voluit, laudis venerationem adauxit.

§ **44**. Ludovicus rex cum Dei benedictione per S. Remigium accepta, de victoria sibi ab eo praedicta securus, et in mandatis accipiens, ut tam diu ad dimicandum pergeret, quam diu illi benedictum vinum, sibi ab eo datum, in quotidiano usu potatum sufficeret: iter arripuit contra Gundebaldum et Godeglislum fratrem ejus, commoto exercitu maximo: et Burgundiones cum

* Isaiae xxxiii, 15; et S. Greg. Pp. Hom. 4 in Evang.

ingenti multitudine venerunt contra eum super Oscharam fluvium secus castrum, quod Divion dicitur: ibique inter se atrociter confligentes, Gundebaldus ac Godeglislus cum Burgundionibus terga verterunt, et vix fugâ lapsi evaserunt. Ludovico, ut solebat, existente victore, Gundebaldus se in Avinione reclusit, et per Aredium consiliarium suum pacem a Ludovico expetiit. Ludovicus vero, ablatis thesauris, cum praeda maxima et Francorum exercitu ad propria est reversus. Et mittens legatum, nomine Paternum, virum industrium, ad Alaricum regem Gotthorum, de amicitiae inter eos conditione mandavit. Alaricus vero cum per Paternum vellet Ludovicum decipere, a Paterno exploratis quae circa eum erant, et thesauris ejus ingenio subarratis, illusus est.

§ **45**. In diebus illis rex Ludovicus cum venisset Parisios, ubi sedem suam constituit, ait ad Reginam et ad populum suum: Satis mihi molestum est, quod Gotthi Arriani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio et ejiciamus eos de terra ipsa nostrisque ditionibus, quia valde bona est, eam subjiciamus, habentes justitiam adversus Alaricum, ad quem pro amicitiae conditione legatum direximus, per quem nos decipere voluit. Placuit hoc consilium proceribus Francorum. Tunc per consilium Reginae suae fecit Ecclesiam in honore apostolorum Petri et Pauli in Parisiorum civitate, et per consilium beati Remigii in Aureliano civitate Episcoporum synodum convocavit: in quo conventu multa utilia constituta fuere. Rex quoque devotissimus, pergens contra Alaricum Arrianum, benedictionem petiit a sancto Remigio. Cui et benedictionem dedit, et victoriam in verbo Christi spopondit; deditque illi plenum vas, quod vulgaris consuetudo flasconem appellat, de vino quod benedixit: sicut et fecerat, quando post baptismum contra Gundebaldum perrexerat, praecipiens illi, ut tam longe ad bellum procederet, quam diu illi et suis, quibus inde dare vellet, illud vinum de praedicto flascone non deficeret. Bibit ergo inde Rex, ac regalis familia, et numerosa turba populi, et exinde uberrime satiantur: et vas vini detrimentum non patitur, sed benedictione Dei, per S. Remigium indita, more fontis inundatione repletur. Movit autem Rex cunctum exercitum suum de populo Francorum, versus Pictàvos * civitatem: ibi enim tunc Alaricus rex Gotthorum commorabatur: et sic per pagum Turonicum ** pergens, et reverentiam sancto Martino atque beato Hilario exhibens, sicut locis suis lector inveniet, cum Alarico rege Gotthorum in campo Moglotinse super fluvium Glinno, milliario decimo ab urbe Pictavorum, bellum conseruit. Illisque inter se compugnantibus, Gotthi cum Rege suo nimis collisi, terga verterunt. Ludovicus sicut solebat, victor extitit.

§ **46**. Cumque Alaricum interficeret, duo Gotthi cum contis eum

* *Poitiers.* ** *Tours.*

ex adverso in latere feriunt: sed propter loricam, qua indutus erat, laedere nequiverunt. Magis autem loricâ fidei indutum Dominus per orationem S. Remigii, patris et patroni sui, adjuvit eum. Patrata siquidem victoriâ, et multis civitatibus suae ditioni subjugatis, usque Tolosam perrexit: et thesauros Alarici accipiens, per Engolismam civitatem, cujus muri ante conspectum ejus corruerunt, interfectis Gotthis Arrianis, qui ibi erant, cum gloriosa victoria de multis civitatibus, ad propria rediit.

§ 47. Per idem tempus ab Anastasio imperatore codicillos Ludovicus rex pro consulatu accèpit. Cum quibus codicillis etiam illi Anastasius coronam auream cum gemmis et tunicam blatteam * misit: et ab ea die consul et augustus est appellatus. Sed et Hormisda (*a*) Romanae Sedis pontifex sancto Remigio, antiquae metropolis Episcopo, quae tunc temporis habebat sub se duodecim civitates et totidem Episcopos eisdem praesidentes, vices suas in regno Ludovici regis, nuper cum integra gente ad fidem conversi per sanctam ejus praedicationem, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, commisit hoc modo:

EPISTOLA HORMISDAE PAPAE AD REMIGIUM

Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. Suscipientes plena fraternitatis tuae congratulatione colloquia, quibus nos germanae salutis tuae laetificavit indicio corporali cum spiritualibus officiis incolumitas subnixa: congruum esse perspeximus, hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire laetitiam. Agis enim summi documenta pontificis, dum et praedicanda facis, et ea insinuare non differs. Praerogativam igitur de nostri sumpsimus electione judicii, quando id operatum te esse didicimus, quod caeteris agendum obnixius imperamus, ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, et Apostolicae sedis vigorem, et Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti et spiritualis filii nostri Ludovici, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis et Apostolorum temporibus aequiparandis signorum miraculis, praedicationem salutiferam comitantibus, cum gente integra convertisti, et sacri dono baptismatis consecrasti, salvis privilegiis, quae metropolitanis decrevit antiquitas, praesenti auctoritate committimus: augentes studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, a quo jam probavimus acutius universa servari: gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas, et decreta sanctissimis definita Conciliis, ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam et fraternae monita exhortationis ostendimus. His ea, quanta dignum est, reverentiâ custoditis, nullum relinquit culpae locum sanctae observationis obstaculum. Ibi fas nefasque praescriptum est: ibi prohibitum, ad quod nullus audeat adspirare: ibi concessum, quod debeat mens Deo placitura praesumere.

* Idest Purpuram consularem Rom. Imperii.
(*a*) Sedit hic S. Pontifex annos 10, a DXII, Cal. VI Aug.

Quoties universale poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant: et si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide et veritate constitutum, vel provida dispensatione praeceptum, vel personae nostrae auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat. Eo fit, ut et noster animus officii charitate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

§ **48**. Sancti Symmachi pontificatus tempore, Ludovicus rex gloriosus coronam auream cum gemmis, quae regnum appellari solet, beato Petro, sancto Remigio suggerente, direxit. Beatus Hormisda papa miserat Constantinopolim ad Justinum imperatorem in legatione Germanum Capuanum episcopum, cujus animam vidit ab angelis in coelum deferri S. Benedictus, qui pro curatione puellae daemoniacae, ad beatum Remigium litteras suas irrito direxit.

§ **49**. Post haec omnia mortuus est Ludovicus rex in pace, et sepultus est in basilica S. Petri apostoli, quam ipse et Regina sua aedificaverunt. Mortuus est autem anno quinto * postquam cum Alarico rege Gotthorum pugnavit. Regnavit quoque simul annis triginta. Et eodem momento, quo mortuus est Ludovicus Parisiis, revelante Spiritu Sancto beatus Remigius, cum esset Rhemis, defunctum fuisse cognovit, et sibi assistentibus indicavit. His ita gestis, filius Clodomiri, filii Ludovici regis, nomine Clodoaldus, interfectis a Clotario fratribus suis, quos una cum eo post patris obitum Crotildis regina nutriebat, in clericum se totondit, et processu temporis, vitae ac religionis suae merito, partem haereditatis a patruis regibus obtinuit: de qua Duziacum villam in pago Mosogamensi, cum appendiciis suis, sancto Remigio et Rhemensi Ecclesiae tradidit, et villam Riviliacum in pago Biturico, S. Dionysio delegavit. Villam quoque Novientum in pago Parisiaco, cum omnibus ad se pertinentibus, matri Ecclesiae Parisiensis civitatis, ubi presbyter extitit ordinatus, donavit. In qua villa, plenus virtutibus, migrans ad Dominum, in Ecclesia, quam ipse aedificaverat, corpore fuit in pace sepultus **.

§ **50**. Cum Episcopi demum Galliae ac Belgicae provinciarum, causâ fidei ad synodum convenerunt, beatum Remigium undecumque doctissimum, et in scripturis sanctis eruditissimum, ac in ecclesiasticis dogmatibus exercitatum, ad idem concilium (*a*) venire petierunt. Cui synodo Arrianus quidam haereticus, acerrimus disputator, et dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus, et inde nimis elatus, intererat. Ingrediente autem sancto Remigio Episcoporum concilium, a multitudine fratrum

* Anno communi sententiâ DIX vel DXI.
** De S. Clodoaldo lege in MARTYROL. ILLUSTR. p. 808.
(*a*) Aurelianense anni DXI, illustre ob Episcopor. numerum et unum supra triginta statutos canones ecclesiasticae disciplinae.

exspectantium, assurgentibus omnibus, reverenter sicut angelus Dei suscipitur. Superbus autem haereticus, et male de viro Dei sentiens, dedignatus est ei assurgere. Qui protinus, cum sanctus Remigius ante eum transiit, ita obmutuit, ut nec verbum quidem ullum effari potuerit. Exspectantibus autem omnibus, ut post allocutionem S. Remigii haereticus ille aliquid diceret, nihil potuit loqui: sed ad vestigia S. Remigii pronus cadens, nutibus veniam petiit. Cui S. Remigius dixit: In nomine Domini nostri Jesu Christi, veri filii Dei vivi, si ita de eo recte sentis, loquere, et de illo, sicut catholica credit Ecclesia, crede et confitere. Ad cujus vocem ante superbus haereticus humilis jam et catholicus, catholicam fidem de sancta et inseparabili Trinitate, et de Christi incarnatione catholice confessus est, et in eadem confessionis suae fide se permansurum professus est. Sicque anima per infidelitatem perdito, et corporali voce propter superbiam condemnato, virtute divina S. Remigius et animae et corporis reddidit sanitatem: cunctis, qui aderant, seu haec audituri erant, sacerdotibus patenter ostendens, de male sentiendo peccante in Christum, qui per humanitatem proximus et frater nobis fieri dignatus est, quomodo erga peccantes in se vel in Ecclesiam, atque rebelles, et erga post recognoscentes et poenitentes debeant agere.

§ **51**. Senescente autem S. Remigio, et Dei spiritu sibi revelante, quoniam abundantiam ipsius anni secutura esset fames: secutus S. Joseph providentiam, de annona, quae in villis Episcopii nata fuerat, vel quam ab aliis comparaverat, acervos, quos metas dicimus, fecit, ut populo, fame postmodum laboraturo, inde subvenire valeret. Unde et in villa quae Celtus dicitur, plures metas fieri jussit. Ipsi autem homines Celtenses, semper rebelles et seditiosi fuerunt. Qui quadam die Dominica inebriati, coeperunt inter se dicere: Quid ille *Jubileus* (sic enim appellabatur propter aetatis prolixitatem S. Remigius) facere vellet de illis metis quas congregaverat? an civitatem inde facere vellet? quia sicut turres per muros civitatis, ita per circuitum cortis, metae habebantur. Et suadente diabolo, se mutuo adhortati sunt, ut focum in eas mitterent. Quod cum S. Remigio in propinqua villa quae Basilicae cortis dicitur, consistenti, celeri nuncio est delatum, ascendit equum, ut ad tantam praesumptionem compescendam, ad Celtum (*villam*) veniret. Quo cum pervenit, jam ipsae metae ardebant. Beatus autem Remigius et aetate et vespertino frigore, sicut in autumno solet fieri, frigidus, de equo descendit, et a longe se calefacere coepit, tranquillo corde et ore dicens: Semper bonus est focus si non super potest. Verumtamen omnes qui hoc egerunt et qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderosi * fiant, et feminae gutturnosae sint. Quod ita completum est. Nam usque ad tempora Caroli Magni imperatoris, qui eosdem homines

* Herniâ laborantes.

de Celto, quoniam Vicedominum in eadem villa morte crudelissima occiderunt, exterminavit, et auctoribus interfectis, consentientes per diversas provincias dispergi atque perpetuo exsilio condemnari fecit, et de caeteris villis Episcopii Rhemensis eamdem villam restaurari praecepit: ita viri et feminae mulctati permanserunt, sicut sancti viri sententia promulgavit. Quosdam etiam de eorum progenie, qui tunc fugâ lapsi, cum alii dispergebantur, remanserunt, et ad eamdem villam redierunt, nos hanc vindictae sustinentes sententiam vidimus, sicut et Giezi cum domo sua, maledictione Elisei, leprà mulctatus est (4. *Reg.* v).

§ **52**. Apte quidem sententia viri Dei, spiritu ejus repleti, quo sicut praesentes vidit, ita posteros eorum rebelles ac seditiosos praevidit: vindictam hujusmodi praesumptores non solum in se, verum et in genere contraxerunt: ut sicut peccato primi parentis, per tràducem seminis, cuncti ex eo geniti peccatum ejus et mortem corporis pro peccato illatam traxerunt, ita et genitalibus eorum praesumptorum generati, vindictam illatam generantibus sustinerent. Et quia in femineo sexu non erat, ubi vindicta similis in membris similibus monstraretur: sicut per guttur primae matris gustus illicitus transiens, ad praevaricatricis sobolem derivavit culpam, sic et ad genitas de hac stirpe propagaretur ignominiosa haereditas: veluti per Moysen Domino dicitur: *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus* (*Exodi* xxxiv, 7).

§ **53**. Post praemissas autem et alias multas virtutes quas Dominus per hunc sanctum suum operari dignatus est, gemitus et suspiria illius exaudiens, quibus dicebat: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei:* et revelavit ei Dominus, consolans eum, imminere diem obitus sui. Qua de re, secundum sacros canones, testamentum rerum suarum condidit, ad haereditatem illam festinans, de qua Propheta dicit: *Cum dederit dilectis suis somnum, haec est haereditas Domini.* Omnis qui dormit in morte, perdit haereditatem. Sed cum dederit dilectis suis somnum, haec est haereditas Domini: quia electi Dei postquam pervenerint ad mortem, tunc inveniunt haereditatem. Sic S. Remigius terrènam derelinquens haereditatem, accepit aeternam: quia oliva fructifera per lucida misericordiae opera extitit in domo, videlicet Ecclesia Dei. Unde speravit jure in misericordia Dei sui, veraciter dicens: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte:* quia sicut corpus satiatur pane, ita de lacrymis reficitur anima, quoniam exinde sperat remissionem peccatorum habere. Dies vero et nox, pro seculi diversitate ponuntur: quia sive in prosperis rebus, sive in adversis, desiderii sui lacrymas Deum desiderans anima fundit, sciens scriptum: *Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Ps.* cxxvi). Ante lucem quippe surgere, est, prius quam claritas aeternae lucis et retributionis appareat, in praesentis vitae nocte gaudere.

Sedendum ergo prius est, ut post recte surgamus: quia quisquis nunc se sponte humiliat, hunc sequens gloria exaltat. Manducat autem panem doloris: qui gemit in hac peregrinatione, et coelesti desiderio ad aeternam anhèlat patriam. Còndito siquidem testamento, et dispositis omnibus, quia ut scriptum est, verus agricola omnem vitis verae palmitem fructum ferentem purgat, ut fructum plus afferat: oculorum corporalium lumine aliquamdiu est privatus, quatenus mentis oculis intentius quae superna sunt, ad quae toto desiderio anhelabat, contemplari valeret. Studebat autem in suae probationis tentatione semper gratias agere, hymnis Dei et laudibus diebus ac noctibus vacans, et fideli mente intelligens, quoniam qui humiliter flagella suscipiunt, post flagella sublimiter ad requiem suscipiuntur. Quod et in eo Dominus in praesenti volens ostendere, quasi pignus aeternae lucis antequam decederet, visum ei restituit. Unde sicut et de amissione luminis, nomen Domini benedixit.

§ **54**. Et non post longum spatium sciens adesse diem sui transitus, per Missarum celebrationem ac sacrae communionis largitionem, valefaciens et dans pacem filiis suis, postquam per viginti et duos annos in clericali ordine: in Episcopatu vero septuaginta quatuor continentissime ac religiosissime fidelis servus et prudens Domino ministravit, nonagesimo sexto aetatis suae anno, idibus januarii, sancti certaminis cursu consummato, fide servata, cum multiplici bonorum operum fructu et animarum lucro, ut diu desideravit, animâ coelos penetrans, terrae corpus reddidit: accipiens stolam albam, animae scilicet beatitudinem sempiternam, donec in resurrectione alteram accipiat stolam, beatam videlicet una cum anima resumpta glorificandi corporis immortalitatem.

§ **55**. Beatus igitur athleta Dei, confessor officio, martyr quoque studio, invictus certamine, palmam quaerens sanguine. Quem quia diu contigit in corpore vivere, necesse fuit etiam longiora carnis et diaboli et pravorum hominum tentamenta tolerare. Quia enim, adjuvante se Domino, virtutem patientiae fortiter servare contendit, et in pace Ecclesiae vixit, et tamen martyrii palmam tenuit. Consummato ergo feliciter cursu, ad sanctorum Apostolorum ac Martyrum consortium, confessor Domini pretiosus Remigius post mortem corporis gloriose pervenit, sicut attestatur Apostolica illi gratia collata, gens videlicet Francica, ad fidem Christi per eum conversa, et baptismi gratiâ consecrata: martyrii palma, longanimitas patientiae in longaevitate ipsius vitae: confessionis gloria, orthodoxae fidei praedicatio, et virtutum tam in vita ipsius corporis, quam et post obitum praeclara ostensio.

§ **56**. Caeterum cum funus sanctissimum deferretur ad sepulturam ecclesiam versus sanctorum martyrum Timothei et Apollinaris, secus ecclesiam sancti Christophori martyris, in loco, ubi

extunc et nunc crux est posita, et ubi multa miracula Deus postea pro sancto Remigio ostendit: ita feretrum est aggravatum, ut nullo modo quocumque ingenio, vel a quantiscumque hominibus posset moveri. Et stupentibus omnibus, et petentibus Dei omnipotentiam, ut dignaretur ostendere, in quo loco ejusdem sancti sui corpus vellet reponi: designaverunt ad basilicam praefatorum Martyrum, et feretrum moveri non potuit. Proposuerunt, ut ferretur ad ecclesiam sancti Nicasii, et moveri non potuit. Proposuerunt, ut ferretur ad ecclesiam sanctorum Sixti et Sinicii, et nec sic moveri potuit. Tandem coacti, quoniam parva ecclesiola erat in honore beati martyris Christophori, sed nullum corpus nominati Sancti in ea jacebat, et in qua eique circumjacentibus atriis ex antiquo erat coemeterium Rhemensis Ecclesiae: petierunt ut Dominus declararet si in eadem ecclesiola vellet illud corpus sanctissimum poni. Et sic tanta facilitate motum est feretrum, ut nullum onus portantes sentirent. Sepultum est autem illud venerabile corpus in eadem ecclesiola, ubi altare est in honore sanctae Genovefae, quae familiarissima extitit beato Remigio. Quod manifestum est actum fuisse divina dispositione, atque ipsius voluntate, ut sicut res suo nomine adquisitae, juxta sacras leges episcopio Ecclesiae Rhemensis erant unitae; ita et quae ipsius meritis erant deinceps acquirendae, Rhemensi Ecclesiae, in cujus jacèret territorio, unirentur.

§ **57**. Post cujus obitum cum lues inguinaria populum primae Germaniae devastaret, et omnes Rhemensis provinciae incolae hujus cladis terrerentur auditu, concurrit Rhemensium populus ad sancti sepulcrum, congruum hujus causae flagitare remedium. Accensis quoque cereis, lychnisque non paucis, hymnis psalmisque coelestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto, quid adhuc precatui desit, in tractatu rimatur. Repererunt etenim, revelante Deo, qui sanctum suum mirificari voluit apud homines, quem apud se mirificatum habebat, qualiter oratione praemissa, adhuc majori propugnaculo urbis propugnacula munirentur. Assumpta igitur pallâ de beati sepulcro, componunt eam in modum feretri: accensisque super cruces cereis atque super ceroferariis, dant voces in canticis: circùmeunt urbem cum vicis, nec praetereunt ullum hospitium, quod non hac circumitione concludant. Quid plura? Non post multos dies, fines hujus civitatis Rhemensis lues aggreditur memorata. Verumtamen usque ad eum locum accedens, quo beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, intro ingredi ullo modo non est ausa: sed etiam quae in principio persuaserat, hujus virtutis repulsu reliquit. Qui beatissimus pontifex et in vita corporis, et post obitum, sicut infirmis sanitatum gratiam reddidit, sic et in pervasores saepissime ultor extitit.

§ **58**. Erat enim campus haud procul a basilica tellùre fecundus

(tales enim incolae olcas vocant), et hic datus sancti basilicae fuerat. Quem unus e civibus pervadit, despiciens hominem, qui eum sancto loco contulerat. Qui cum ab Episcopo ac loci praeposito crebro conventus fuisset, ut quae injuste persuaserat, redderet: parvipendens verba, quae audiebat, pertinaci direpta defensabat intentione. Denique causa extitit, et non devotio, ut properaret ad Sancti basilicam. Arguitur iterum a loci praeposito pro pervasione campi, sed nihil dignum ratione respondit. Explicitisque negotiis, ascenso equo ad domum redire disponit: sed obstat nisui ejus sacerdotis injuria. Nam sauciatus a sanguine, diruit in terram. Obligatur lingua, quae locuta fuerat campum tollere: clauduntur oculi qui concupierant: manus contrahuntur quae rapuerant.

§ **59**. Tunc balbutiens, et vix sermonem explicare valens, ait: Deferte me ad basilicam Sancti, et quantumcumque super me auri est, ad sepulcrum ejus projicite: peccavi enim, auferendo res ejus. Aspiciens autem dator campi hunc cum muneribus deferri, ait: Ne accipias, quaeso, sancte Dei, munera ejus, quae nunquam cupide accipere consuevisti. Ne sis, deprecor, adjutor ejus, qui inflammante concupiscentia, rerum tuarum nequam possessor extitit. Nec distulit sanctus audire vocem pauperi sui. Nam homo ille licet jussisset dari munera, ostendit sanctus Domini, se illa non acceptasse. Unde rediens pervasor domum, amisit spiritum, recepitque ecclesia res suas.

DE TRANSLATIONE S. REMIGII

§ **1**. Sepulto, ut praediximus, corpore beati Remigii in ecclesia sancti Christophori, cum multa et stupenda miracula in eàdem ecclesia per merita ejus, Domini gratiâ fierent, ampliata et exaltata est ipsa ecclesia. Et facta cryptâ retro altare, in quam transferretur corpus sanctissimum, effossum est de loco in quo erat, ut in fossam, factam in memorata crypta, deponeretur, sed nullo modo moveri potuit. Superveniente autem nocte, et pernoctantibus fratribus in hymnis et canticis, multis accensis luminaribus, circa mediam noctem sopor in omnes irruit. Et evigilantibus eis, calendis octobris cum sanctissimo corpore sepulcrum inventum est in fossa cryptae, retro altare factae. Tantâque evigilantes odoris suavitate repleti sunt omnes qui adfuerunt, ut humana lingua hoc effari non valeat: et sic per totam diem et in crastinum ipse odor in eàdem ecclesia perseveravit. Ipsaque die translationis ejus, cum divinis laudibus sumptae sunt reliquiae a corpore illius, de capillis videlicet ejus, et casula ac tunica ipsius: et involutum est corpus illius integrum, sed exsiccatum de brandeo rubeo.

§ **2**. Processu denique temporis Pipinus rex, Caroli Magni

pater, volens Episcopii Laudunensis villam, quae Anisiacus dicitur, accipere quasi sub censu, sicut et alias quasdam fecerat, venit in ea manere. Ubi cum dormiret, venit ad eum sanctus Remigius, dicens: Tu quid hic facis? Quare intrasti in hanc villam, quam mihi te devotior homo dedit, quamque ego Ecclesiae Dominae meae sanctae Dei Genitricis donavi? Et flagellavit eum satis duriter, ita ut livores postea in corpore ejus apparerent. Et cum disparuit beatus Remigius, Pipinus surrexit, ac valida correptus febre, quantocyus ab ipsa villa recessit. De qua febre non parvo tempore laboravit. Et deinceps princeps regni, usque ad moderna tempora, ibi non mansit, sicut nec in Codiciaco vel Juliaco, nisi Ludovicus rex Germaniae, quando super fratrem suum Carolum regnum ejus invasit, in Juliaco mansit, et in die crastina turpiter ante ipsum fratrem fugiens, vix evasit.

§ 3. Nostra aetate colonus quidam villae Rhemensis Episcopii, quae Plumbea Fontana dicitur, manebat juxta fiscum regium, qui Rosetus vocatur, et nec peculium, nec messem, vel pratum propter fiscalinorum infestationem quiete habere valebat. Unde saepe justitiam apud regios ministeriales petiit, quam obtinere non potuit. Tandem invenit sibi salubre consilium. Nam coxit panes et carnes, et accepit cervisiam in vasculis, prout potuit. Quae omnia in vase, quod vulgo benna dicitur, collocavit, et carro superposuit: sicque junctis bubus, candelam in manu habens, ad basilicam sancti Remigii properavit. Quo perveniens, de pane et carne ac cervisiâ matricularios pavit, candelam ad sepulcrum Sancti posuit, et ejus auxilium contra opprimentes se fiscalinos expetiit. Pulverem quoque de pavimento ecclesiae, quantum valuit, collegit, et in panno ligavit, et in praedictam bennam misit et desuper linteum, sicut supra corpus mortui affectari solet, composuit, et cum carro suo ad propria remeavit. Quicumque autem de obviantibus eum interrogabant, quid in illo carro duceret, respondit se sanctum Remigium ducere. Et admirabantur omnes in dicto et facto illius, putantes illum esse amentem. Perveniens autem cum eodem carro in pratum suum, in eo pastores pascentes diversi generis animalia de fisco Roseto invenit: et invocato sancto Remigio, ut eum contra oppressores suos adjuvaret, coeperunt boves et vaccae cum maximis mugitibus invicem se cornibus impetere, hirci hircos, caprae capras cornibus impugnare, porci cum porcis confligere, verveces cum vervecibus se collidere, pastores se fustibus et pugnis mutuo percutere. Et levato maximo turbine, pastores ejulantes, animalia secundum genus suum cum maximo sonitu et strepitu, ita coeperunt Rosetum versus fugere, ac si maxima multitudo insequentium eos cum flagellis persequeretur. Quod videntes et audientes fiscalini, nimio terrore perculsi, non putaverunt se vel una horâ vivere posse. Unde correcti a praesumptione sua, ab afflictione pauperi sancti Remigii

adeo cessaverunt, ut postmodum idem pauper homo pacifice et sine inquietudine possideret sua. Et quoniam juxta fluvium Saram in loco lutoso manebat, maximam molestiam in suis habitaculis a serpentibus sustinebat. Qui accipiens pulverem, quem de pavimento ecclesiae sancti Remigii colligens secum detulit, per sua habitacula sparsit, et postea serpens in eis locis, in quibus pulvis sparsus fuerat, non apparuit. Quibus ostensis miraculis, certo indicio colligere possumus, quia si non haesitantes in fide, in tribulationibus nostris auxilium sancti Remigii ex corde petierimus, et ab angelorum satanae, qui in serpente matrem humani generis allocutus deceperat, infestationibus, et a pravorum hominum improbitatibus, ejus meritis et intercessionibus liberabimur.

§ 4. Quidam vir nobilis de territorio Nivernensi, obtentis reliquiis beati Remigii, oratorium in ejus honore in proprietate sua aedificavit: ubi Dominus multas virtutes per merita ipsius sancti sui ostendit. Cum autem defuncto Ludovico imperatore, Aquitani gentilicia mobilitate absque jugo principis, prout quisque poterat, se efferre, et ad invicem pugnare, ac per contiguos pagos debacchari coeperunt, pauperes homines substantiolas suas in ecclesiis reponere studuerunt. Unde confisi opinione virtutum, quae ibi fiebant, ad salvandum sua in eodem oratorio quique poterant, certatim reposuerant. Audientes autem praedones idem oratorium multis plurimorum opibus refertum, aggressi sunt eas diripere. Quorum unus obseratum ostium pede percussit, ut seram effringeret, et mox eidem ostio pes ejus adhaesit, et resupinus praesumptor in terram cecidit. Quod videntes alii, aufugerunt. Ipse autem miser cruciatu cogente, cum maximo ejulatu coepit culpam suam fateri, et cum lacrymis amarissimis profiteri, quod si Deus per merita sancti Remigii pedem illius ab ipso compede solveret, nunquam ulterius de ipsa vel de alia ecclesia quicquam tolleret, vel tolli, quantum in ipso esset, ullo modo consentiret. Caballum quoque suum cum sella, et alia quae potuit, ad eamdem ecclesiam donavit: sicque post confessionem et lacrymas atque professionem et votum, pes ejus ab ostio, cui inhaeserat, est solutus. Verumtamen postea de ipso arido pede claudus remansit, usquedum computrescente crure ac femore, post diutinum laborem mortuus fuit.

§ 5. Quando tres fratres reges, Clotarius, Ludovicus et Carolus, regnum post patris sui obitum inter se diviserunt, episcopium Rhemense, quod tenebat Folco presbyter, Carolus inter homines suos divisit, villam Juliacum Richwino in beneficium dedit. Cum autem uxor illius, nomine Berta, in cubiculo villae ipsius jacèret, venit ad eam sanctus Remigius, dicens: Non est iste locus tuus ad jacendum. Alterius meriti et officii debet esse, qui hanc villam habere, et in hoc cubiculo jacère debet. Surge quantocyus, et

hinc abscede. Quod illa parvipendit, putans se visum inane videre. Altera vice venit ad eam sanctus Remigius, et dixit ei: Cur hinc non abscessisti, sicut tibi praecepi? Vide ne amplius te hic inveniam. Quod illa, ut prius, pro nihilo duxit. Tertio ut venit ad eam sanctus Remigius, dixit: Nonne jam semel et secundo tibi praecepi, ut hinc abscederes? Sed quia contempsisti hinc pergere, aliorum deportatione abscèdes. Et percussit illam virgâ quam tenebat in manu. Quae toto corpore in maximum tumorem converso, quod vidit, viro suo Richwino et aliis quam plurimis dixit, et per aliquantos dies severissime cruciata, vitam finivit. Cujus corpus vir ejus in ecclesiam sancti Remigii deportari, eamque ibìdem sepeliri fecit. Mirantur quidam, quod cum vindicta mortali illam de praedicta villa expulit, et corpus ejus in ecclesia sua sepeliendum recepit. Quod nemo mirabitur, si perpenderit, qua intentione sancti vindictas in delinquentes exerunt. Videlicet ut si se recognoverint, hic recipiant quod merentur, ne post mortem aeternis suppliciis crucientur...

DE SECUNDA S. REMIGII TRANSLATIONE

§ 1. Anno incarnationis Dominicae octingentesimo quinquagesimo secundo, nuper adhuc ampliata ipsa ecclesiâ, cum de loco cryptae prioris, sepulcrum una cum beati Remigii corpore translatum est in cryptam, majori et pulcriori opere factam, ipsum corpus sanctissimum, sicut et in anteriori translatione, ab Episcopis Rhemorum dioeceseos integrum inventum est, et brandeo rubeo involutum. Et cum de ipso sepulcro in locello argenteo est transpositum, pars de ipso brandeo cum sudario, quod fuerat super caput ejus, assumpta in scriniolo eburneo, secus altare sanctae Mariae in civitate honore debito veneratur. Locellus autem argenteus, cum corpore ipsius Sancti, sepulcro marmoreo, in quo ante jacuerat, superpositum fuit, et reliquiae, quae ad caput illius extra sepulcrum repertae fuerant, in sepulcro, in quo jacuerat, a praefatis Episcopis fuerunt positae calendis octobris: Quo calendarum die et altera ejus translatio ante plures annos fuerat celebrata.

§ 2. Cum autem sanctissimum corpus ejus de sepulcro in praedictum locellum argenteum translatum fuit, Rado tunc subdiaconus Ecclesiae Suessonicae, qui cum episcopo suo Rothado illuc convenerat, jam per annum integrum dolore dentium adeo die noctuque vexabatur, ut sensum prae nimio dolore metueret perdere. Qui, dum Episcopi in compositione sancti corporis intenderent, maxillam in qua dolore vexabatur, loco in quo corpus sanctum jacuerat, apposuit: et mox ab ipso dolore liberatus, deinceps dentium dolorem non sensit, sicut post vigintiquinque annos idem referre curavit. Et ipso die in quodam oratorio, ubi

memoria beati Remigii colitur, in pago Ribuario, duo contracti sanati fuerunt. Ex tempore quidem primae ac secundae translationis, sicuti et ante, multae et insignes virtutes in eodem loco per ipsius sancti merita ex diversis infirmitatibus sunt operatae. Quas quidem habemus descriptas, sed hic propter pluralitatem, et quia saepius ibidem ostenduntur, omisimus ponere.

VERSUS INSCRIPTI SEPULCRO S. REMIGII

Hic famulus Hincmar Domini, sacra membra locavit
Dulcis Remigii, ductus amore pio.
Qui prius est sanctus, mundo quam matre creatus,
Et magnus dictus coelitus ore Dei.
Bis denos binosque gerens feliciter annos,
Sorte Dei sumpsit pontificale decus.
Sexaginta simul bis septem manserat annis
Istius urbis honor, praesul, et orbis amor.
Vitam defunctis reddens, quoque lumina caecis.
Egerat et vivens plurima mira satis.
Nam domuit fera corda animo pius, ore profusus,
Sicambrae gentis regia sceptra sacrans.
Nonaginta quidem sex cum compleverat annos,
Splendida lux nostras deseruit tenebras.
Idus jam plenas cum Janus mensis haberet,
Emeritus miles praemia digna capit.
Isdem Hincmarus prius hac in sede sacerdos,
Post triginta loco constitit et numero.
Cui sextusdecimus sub hac radiante lucerna.
Remigio, Rhemis munia cara dedit.
Annis septenis, quinis ac mensibus egit
Pastoris curam, haec recolenda patrans.
Octingenteno quinquagenoque secundo,
Quo Deus est anno virgine natus homo:
Tertius et Carolus regni componeret actus,
October primam cum daret atque diem.
Ac ter centenus octavus tangeret annus,
Hic justus Domini quo petit astra poli,
Ter centum fuerant tres et deni quatuor anni,
Quo vitae Francos gurgite lavit ovans.
Ipsius is precibus coelesti in sede locetur,
Quem terris coluit verus amator, Amen (*a*).

(*a*) Ecclesiola S. Christophori, ubi primo, ut supra § 56 narravit Hincmarus, repositum S. Remigii corpus fuit, brevi ob signorum, quibus ejus sepulcrum illustrabatur, celebritatem, illius nomen assumpserat. Benedictini autem Ordinis apud hanc a S. Tilpino constituti Abbates, post 2.am de qua item supra, sacri corporis translationem, saeculo x, Basilicam in S. Francor. apostoli honorem amplitudine et elegantiâ praeclaram, aedificandam susceperunt quae Rhemorum civitatis insigne visitur monumentum (Cathedralis vero ecclesia Beatiss. Virg. Deiparae est sacra); S. Remigii Basilicam, S. Leo Pp. IX (de quo in MARTYROL. ILLUSTR. p. 337), ut spoponderat cum adhuc Fullensis

VITA EJUSDEM S. REMIGII ARCHIEP.

AUCTORE FORTUNATO PRESBYTERO
CUJUS MEMINIT HINCMARUS IN PRAEFATIONE AD VITAM EJUS
QUAM XIII DIE JANUARII REPERIENS *

§ 1. Beati Remigii Antistitis depositio sancta, nobis hodierna die mysticae festa solemnitatis exhibuit, quae annis singulis cum in se cursus temporum volvitur, nostris desideriis innovatur. Hic itaque primis ortus natalibus, parentum nobilitate fulgebat. Quem divina pietas non solum priusquam nasceretur, sed antequam conciperetur, elegit: intantum, ut Montanus quidam monachus, dum levissimo sopore quiesceret, tertia fuerit admonitione pulsatus, ut matri suae benedictae Ciliniae, quod masculum conceptura esset, veridica relatione praediceret, et nomen ejus vel meritum designaret. Qui illico implevit imperium, et fecundissimae genitrici concipiendae sobolis gaudia nunciavit. Illa vero sicut fidei et credulitatis non apparuit dubia, ita suscepit in partu quod praescierat in utero. Haud morosa extitit, haud incerta: felicissimum pignus secura protinus edidit quod prius corde concepit. In quo assiduae venturae aetatis merita dulcis infantia designabat, et quod ante conceptum mater agnoverat, ante tempora jam videbat. Studebat teneros annos morum maturitate vincere, et benevolentiam cordis, charitatis melle condire. Quid plura? Cum secundis successibus certatim sanctae conversationis studiis adolescens Domino militaret, et vigesimo secundo anno secundioris meriti sumpsisset exordium, in urbe Rhemensium, omnium generaliter votis ad pontificale culmen raptus fuisse dignoscitur potius, quam electus. In quo statim sic apparuit aptus et devotus officio, tamquam si quo noviter ascendebat jugiter praefuisset.

§ 2. Fuit itaque in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in charitate perfectus, in humilitate profusus, in doctrina praecipuus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus. Nunquam invenit in eo humani generis adversarius,

Episcopus esset, magnificentissima pompâ dedicavit Kalendis octobris anni MXLIX; quae dies, utpote alius jampridem peractae solemnis translationis, S. Corporis anniversaria, licet emortualis S. Remigii fuerit XIII jan., inclyti Francorum Apostoli memoriae in universa Ecclesia recolendae est assignata.

Quoties translatae sunt S. Remigii Reliquiae, reposita simul eadem in arca, pretiosae thecae inclusa, SACRA AMPULLA quam tradit Hincmarus supra § 32 coelitus demissam, sacrum suppeditans Chrisma ad Regis Clodovei Baptisma; cujus liquore per intinctam auream acum, inungi consueverunt dum solemniter coronam in Rhemensi Metropolitana susciperent Franciae Reges. Multa circa hanc *sacram Ampullam* sunt hinc inde prolata. Asservabatur religiosissime, ob mirae originis traditionem atque ut pignus quo fausta sibi ex legitima Clodovei haeredum successione ominerentur Franci; sed in horrendo turbine qui sacra cuncta et profana in Galliis sub XVIII saeculi finem evertit, temerato impiorum manibus, S. Remigii sarcophago, sacra ampulla disparuit.

* Ita Surius in I editione. Illam nos Martyrol. Romano adhaerentes, ad 1 octobris collocandam curavimus. Attamen laudatam Fortunati scripturam, quae conficiendae S. Remigii historiae Hincmaro praeluxit, ob reverentiam erga auctorem, nefas duximus hinc omnino eliminare.

nec quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret. Sinceritatem mentis, vultus sui serenitate monstrabat, et pietatem clementissimi cordis, ostendebat in lenitate sermonis. Quidquid ad salutem pertinere posset aeternam, non minus implebat beatissimi operis studio, quam sermonis praedicatione docebat. Longum est itaque verbis exequi, ne irrogemus audientibus de nimia prolixitate fastidium, quanta in eum ornamenta bonorum omnium, quae sunt vel pretiosa, vel maxima, supernae remunerationis praerogativa contulerit. Studeamus ergo pauca disserere, plurima praeterire. Nam si tanta virtutum suarum insignia, aut ariditas nostri sermonis posset excolere, aut memoria retinere, prius habere poterit terminum lux hodierna, quam pagina.

§ 3. Intendebat vir beatus Remigius jactantiam virtutis fugere, in quo non poterat gratia coelica latère. Cum vero contigisset eum habere inter domesticos suos secretius convivium, et delectaretur in libertate carorum, descendebant ad eum passeres intrepidi, et in manu ejus, mensae reliquias colligebant. Discedebant alii saturi, accedebant alii saturandi. Sic mansuescebat feritas avium in operatione virtutum. Dum vero insedisset refectioni, nunquam auris ejus sacrae deerat lectioni. Nullus est praetermissus gradus, qui non in eo faceret perfectionis cumulum.

§ 4. Accidit autem quodam tempore, cum ex more, pastorali solertiâ parochias circuiret, ut si negligenter aliquid in divinis cultibus ageretur, fidelis Christi servus agnosceret: in vicum, cui vocabulum est Calmaciacus (*Chaumicy*) ipsius devotionis studio accessit. Ubi dum quidam caecus ab eo opem misericordiae postularet, coepit, qua dudum captus fuerat infestatione daemonum, corporis vexatione torqueri. Tunc S. Remigius in oratione, cui semper animi sancta intentione vacabat, corporea sedulitate se prostravit, raptumque lumen pristinum reddidit oculis, et pestem immundi spiritus effugavit. O ineffabilis gratia pietatis! a quo dum substantia sola petitur, triplex remedium obtinetur. Victu pavit egenum, muneravit visu caecatum, reddidit libertati captivum. Atque ita contigit per hoc insigne mysterium, ut dum apparuit unus in paupere, trinitas se ostenderet in salute *...

§ 5. Quaedam vero puella ab urbe Tolosa, praeclaris orta natalibus, ab adolescente infantia, vesani spiritus tenebatur obsidione captiva. Quam cum tenero amore diligerent piissimi genitores, ad sancti Petri sepulcrum in Romana urbe cum plurima multitudine et multa devotione duxerunt: ubi quidam Dei servus cum auxilio sacri corporis plurima patrabat signa virtutum, hanc tamen puellam cum nulla potuisset intercessione purgare, nec ab ipsa callidi hostis vires valuisset expellere, hoc responsum antiquus hostis reddidit, divini nominis obtestatione constrictus, quod

* Subseq. § hinc expunctum vide supra in prolix. Vita § 17.

nunquam alterius de eodem habitaculo, nisi hujus beatissimi Remigii antistitis emundatione possit expelli. Tunc parentes ejus, et ipsius Benedicti servi Dei, et Alarici regis Gotthorum affatibus suffragati, cum aegrota sobole ad S. Remigium antistitem pervenerunt, deprecantes ut virtutem ejus agnoscerent in purgatione sobolis, quam praescierant confessione latronis. Tunc beatus Remigius cum diuturna luctatione se non esse dignum assereret, et consueta patientiâ repugnaret, precibus est populi supplicantis devictus, ut orationem pro ipsa funderet, et parentum lacrymis condoleret. Tunc S. Remigius, meritis sanctitatis armatus, verbi praecepit imperio, ut iniquus praedo per quod ingressus fuerat, abscederet, et Christi famulam relaxaret. Itaque cum nimio vomitu et obscoeno foetore per os quod fuerat ingressus, abscessit. Sed paulopost discedente Pontifice, sed ipsius horae spatio, dum nimio labore fessa nutaret, vitali calore exempto, spiritum exhalavit et spem salutis suae adèmit. Iteratis autem precibus, supplicantium turba recurrit ad medicum. Beatus autem Remigius illud se accusat potius perpetrasse facinus, quam sanitatis praemium indulsisse: et extitisse homicidii reum, non contulisse remedium. Ad basilicam igitur S. Joannis, ubi corpus jacebat exanime, populi obtentus deprecatione, regreditur: ibique sanctus Remigius cum lacrymis ad pavimenta sanctorum in oratione prosternitur, et reliquos, ut idem facerent, adhortatur. Tunc S. Remigius effuso lacrymarum imbre, consurgens, suscitavit mortuam, quam prius sanavit aegrotam. Quae protinus apprehensa manu Pontificis, cum integra incolumitate surrexit, et ad propria feliciter remeavit. Indicare enim possumus, quantus, in praesenti miraculo fuit parentum fletus prae gaudio, laus populi prae triumpho. Putasne, cum quo gemitu, quantaque devotione, Gloria in excelsis Deo, cecinerunt, qui per sacrum antistitem divina videre mysteria meruerunt? Potuit ille plebem suam de casu cujuslibet periculi imminentis eripere qui vitam mortuae valuit restaurare.

§ **6**. Inter hujusmodi igitur virtutum suarum insignia, elegit beatissimus Remigius athleta Christi, transitum lethiferi soporis excipiens, procellam mundi, senio jam vergente, deserere, et ad portum coelestis habitaculi pervenire. Post cujus obitum tanta ad sui corporis patrocinia fidelibus remedia tribuuntur, tantis ut agnoscatur vivere meritis, quantis fulget exemplis. Hujus vero poena dinoscitur defuisse martyrio, non devotio confessioni. In illis ergo divinis templorum oraculis, ubi ejus patrocinia venerantur, quicquid cum fide petitur, invenitur: et quod speratur studio, praestatur effectu. Profusis ergo unanimiter precibus exoremus, ut nobis vitae salutaris spatio indulgentiam delictorum obtineat intercessio S. Remigii pontificis cum auxilio Redemptoris. Det etiam deprecatio ejus generaliter in hoc mundo tranquilla pacis tempora, qui promisit justis aeterna praemia, Amen.

VITA S. BAVONIS SIVE ALLOWINI CONF.

AUCTORE THEODORICO ABBATE S. TRUDONIS

Migr. circa med. saec. VII — Nat. Belga.

§ 1. Gloriosus Christi confessor Allowinus, cognomento Bavo, ante secularia tempora praeelectus et praedestinatus a Deo, Francorum principum genus, et Austrasiorum Ducum haeres, in Gallia Belgica pago Hasbaniensi *, loco haud obscuro natus et altus est, Pelagio II universalem Pontificatum administrante, Justino minore in sceptris agente. Pater ejus Eilolphus, mater Adelthrudis dicta est: religionis tam casti amatores, ita continenter limen ecclesiae calcantes, ut exemplum vetus de Abraham et Sara putares. Ingenti nobilitate, clara domo, ampla possessione ditati, solas divitias aestimavere cultum Dei. Tali igitur stirpe generatus cum adolevisset vir Dei Allowinus, uxorem ducit nobilissimis aeque ortam natalibus, filiam videlicet Adilionis, per idem tempus famosi Comitis. Decursu temporis, filia eis nascitur Aglethrudis, et ipsa a Deo praeelecta, et virginitatis centesimo fructu, ut post patuit, remuneranda. Denique primo aetatis suae tyrocinio inter ipsa crepundia, quae qualisve futura, quomodo victura, qua lege virginitatem suam esset conservatura, Angelus Domini certa ei praescripsit regulâ. Nec defuit prudenti adolescentulae omnipotentis dextera, quae membra animaret juvenilia, et elevaret ad summae perfectionis fastigia, intantum, ut in principio conversationis novellae, ipsis quoque parentibus propositum fieret imitabile.

§ 2. Coepit exhinc beatus Bavo animum ad superna inflectere, mundi deliciarum taedere, balteum militarem rarius cingere, circi frequentiam declinare, non scenae spectaculo, non theatri luxuriae locum dare, adversus spiritalia nequitiae, verbi Dei gladium sumere, justitiam pro thoràce indui, aequitatem semper habere in manibus pro scuto inexpugnabili, leviaque quotidiana peccata amarissimis lacrymis diluere, prioris vitae poenitere, ecclesiae frequens adesse: semper de Deo studebat aliquid aut audire, aut interrogare: de virtute in virtutem ascensiones in corde disponere, jejunia cum fructu eleemosynarum frequentare, sic unicuique virtuti, acsi caeteras non haberet, egregie studere. Animo sic florenti mundus et omnis gloria ejus aruerat, domus ingens, ampla possessio penitus viluerat. Jam stivam aratri teneret, jamque libero gressu ad Antoniorum et Macariorum erèmum evaderet, nisi cura conjugis et parvae Adelthrudis, pedem ejus retineret.

* Indigenis *Haspengaw* in territorio Leodicensi, ad Brabantiae fines.

Vivebat tamen monachum laicus, et inter officiosam populi multitudinem nunquam eum deserebat illa, quam animo conceperat, solitaria erèmus.

§ **3**. Interea conjux, quae et ipsa viriliter in mandatis Domini militabat, decurso vitae praesentis stadio, de habitatione tenebrosi Cedar ad bravìum supernae remunerationis adsciscitur, et ne malitia mutaret mentem ejus, de praesenti seculo nequam eripitur. Cujus funus viduus maritus ita aegre prosecutus est, ut prope ipse moreretur et ita se convertit àd Dominum, ut ejus mortem optasse videretur. Tum vero, afflante Spiritu Sancto, navigium maris hujus seculi totis velis ingressus, quod diu animo deliberarat, praesentialiter exercere non cessat, secunda recusans matrimonia: ut eum intelligeres non diu voluisse servire officio conjugali: quod nunquam assumpsisset, nisi causâ procreandae sòbolis. Magno quasi expletus onere, totum se ad Dei cultum convertere, nihil praeter coelum cogitare, et quasi se relictum gemens, frequenter in suo corde clamare: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Illudque Apostolicum intra se revolvens: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et laqueum diaboli* (1. *Tim.* VI); quicquid donativi Regum largitio contulerat, in stipem pauperum transferebat, dans exemplum, quomodo camelus intrare possit in foràmen acus: quomodo animal tortuosum, deposita gibbi sarcinâ, assùmat sibi pennas columbae, et requiescat in ramis arboris, quae de sinàpis semente succrescit.

§ **4**. Ea tempestate beatus Amandus *, vir apostolicus, et totus ex virtutibus factus, florebat: qui non veritus pro nomine Jesu contumelias pati, quo amplius gentilium audivit debacchari furorem, Gandam accessit, castrum super duo flumina, Scaldem et Legiam constitutum, ipsàque sua nota antiquitate id temporis celebre. Genus hominum, eo superstitiosius, quo animo ferocius: eoque inscium suae in Christo redemptionis, quo hactenus ignarum Christianae religionis. Tradunt hunc locum Cajum Caesarem, Galliâ diuturno bello domita, condidisse, et ex nomine suo, Gandam nomen ei indidisse. Nam cum in citeriorem Hyberniam, quae nunc Anglia nuncupatur, arma pararet, illic putavit hyemandum, vel propter situs opportunitatem, aquâ videlicet ac pabulo exercitui satis superque habilem: vel propter maris brevissimum transitum in insulam, sex non amplius milliariis distantem... Nos vero antiquitatem loci ex eo recte colligimus, quod pleraque vidimus ibi reperta indicia, utpote muri et vasculorum cocti lateris. Praeterea, quod mirum forsitan legenti videbitur, ferrea diversi sexus et aetatis calceamenta, multaque id genus, quae nos facile in assensum antiquitatis cogunt.

§ **5**. Huc respectu omnia miserantis Dei vir sanctus cum venisset, et locum, in quo totius pene orbis daemonia quasi in

* Sur. Vol. II, p. 159.

sentinam confluxerant, verbo veritatis expugnaret, parum se videns proficere (nam et publice contumeliâ affectus et proturbatus est), cum jam manus ejus essent graves, sanctum papam Martinum adiit, multaque de infructuoso in infructuosam gentem suo labore conquestus, iterum ab eo in opus Evangelii animatur, datis ei suppetias venerabili archipresbytero Landoaldo et Amantio diacono. Emensis igitur Alpibus, Galliam ingressi sunt: cumque videret Amandus messem quidem multam, operarios vero paucos, Landoaldum Trajecti reliquit, ubi et per novem annos vices Pontificis (nam Joannes episcopus nuperrime obierat) administravit, usque ad tempus S. Remacli.

§ 6. Ipse vero tota Spiritum Sanctum mente concipiens, Gandam rursus aggreditur, egressa auctoritate a rege Dagoberto et Aichario Noviomensium episcopo, ut qui nollet fidei consentire, cogeretur. Nec defuit certanti militi suo omnipotentis Dei dextera, quae tetigit gentilium corda, et assumpsit in partem haereditatis suae plebem diu fanatico illusam errore. Tandem baptizato populo. sanctae Crucis erecto vexillo, ara Mercurii destruitur, luci succiduntur, fana omnia diruuntur, ecclesia erigitur, consummatur, et in honore beati Petri Apostoli solemniter consecratur. Sic plantata vinea Domini Sabaoth, Clericos imprimis, monachos subinde, qui redderent fructum in tempore suo, induxit, et expostulata episcopali auctoritate, Papa etiam Martino in ipsum consentiente, locum perpetua donavit libertate. Sed ne digressio, quam non inutiliter assumpsimus, onerosa fiat studiosis lectoribus, nunc ad plenariam beati Bavonis conversionem stylum vertamus.

§ 7. Igitur beati Amandi famâ quodam quasi odore, odore, inquam, sicut agri pleni, cui benedixit Dominus, longe lateque diffusa, sanctus Allowinus seculi desideriis non ultra se sustinens retardari, certissimum animae suae capit consilium. Nihil cunctatus, longa viarum per dispendia Gandam advenit, Amandum invenit, prioris vitae culpam fatetur, de culpa poenitentiam pollicetur. Consilium super anima sua requirere, ejus magisterii ungue scabrosam vitam polire, postremo totum se illi ait velle dedere. Quem vir sanctus devote suscipiens, et velut inventae ovi congaudens, Evangelicam statim ingreditur praedicationem, de contemptu mundi, de appetitu coeli, de tentatione diaboli, de consolatione Dei, et de omnibus quae pertinent ad summae beatitudinis perfectionem, diligenter erudit novellum adhuc tyrunculum, perfectum postea Christi militem futurum. Et quoniam antequam incipias, consulto: at ubi consulueris, mature opus est facto: ille statim velut campus Domini repletus ubertate, et collis accinctus exultatione, in valle animi portans granum frumenti, clamans et hymnum dicens, domum redit ex consulto magistri, et rursus accingitur in opus Dei. Facta solemniter donatione,

omnes possessiones suas ad loca sanctorum contradere: peculiare, quod nullum vel rarum ex priori erogatione remanserat, in usus pauperum iterum contradere, nihil sibi ex omnibus reservare; postremo sibimetipsi abrenunciare, et crucem Christi laetis humeris portare. Laudent alii Pompejos, Metellos et Marios, triumphali largitione auram popularem venantes: mihi videtur pauper pro Christo Bavo plus laudandus, qui de triumphato seculo praecones habuit Sanctorum ecclesias, et mendicantium catervas. Quid enim hac virtute mirabilius? quid hac constantiâ robustius? virum nobilis familiae et Senatorum genus, tam obfirmato animo pompam seculi et divitias, in quibus totus educatus fuerat, calcasse, ut tum demum se aestimaret vere divitem, cum pro Christo assumpsisset spontaneam paupertatem? Alii pecunias mittant, et de superfluis suis aera in Evangelicum corbonam projiciant: teste Veritate, nemo plus misit, quam qui de omnibus nihil sibi retinuit.

§ 8. Omnibus ergo dispositis et prudenter ordinatis, columba Christi Bavo, assumpto ramo verae innocentiae, et quasi relicto corvis seculari cadavere, ad suum spiritualem revertitur Noë: et cujus pedes jam non habebant requiem in salo seculi, arcae ostium petit sibi aperiri. Receptus digna cum reverentia, et requisitus iterum super intentione sua, Clericum ait se velle vivere: ut semel alligatus sub jugo regulae, pedem ulterius non liceret retrahere, sed spontanee assumptam necessitatem verteret in bene vivendi voluntatem. Gavisus S. Amandus, multa prius machinamenta diaboli prudenter praetendere, gravem esse ascensum quem vellet arripere, de casu timere; inceptum quidem facilem, finem vero praedicabat esse difficilem. Ubi videt eum nihil cunctari, sed ad omnia sustinenda paratissimi esse animi, gratias agens Deo (qui quos praedestinavit a principio, hos etiam elegit in novissimo) quasi carissimum amplexatus filium, inducit in Dominici scholam servitii, quam primam omnium constat eum rexisse in ecclesia Gandensi. Ibi ante aram beati Petri Apostoli militiam Christi professum, barbâ et capillo tonsum assumit in Clericatum, et plantat in domo Domini cedrum Libani, redolentem sanctarum virtutum odore inaestimabili, et crescentem ròbore imputribili. Denique statim ut ingressus est sanctitatis viam, firmis gressibus ire in magistri sententiam, et quasi navim corporis optato jam collocasset in littore, omnium bonorum, quas olim collegerat, merces exponere, humilitatem ostendere, patientiam exercere, charitatis latum mandatum ex praecepto Dei extendere usque ad inimicum: solus ipse omnibus servire, gloriam virtute superare, et ab his diligi, quos videbatur praecedere. Creber in oratione, jugis in legis Dei meditatione, paratus omni petenti de reddenda ratione: ut ex diversis virtutibus unum hominem compactum putares. Nec facile docebat, quod non didicerat: sed quocumque

divini sator germinis ibat Amandus, illuc studens subsequi, et indivisibiliter adhaerens magistri lateri, ardebat sanctae praedicationis adipe repleri. Et quia flumen Dei repletum est aquis, cum Spiritus Sancti gratia rivos ejus inebriaret, ac multiplicaret genimina, in stillicidiis tanti magistri laetabatur germinans cor discipuli, et pinguescebant speciosa deserti ad germinandum germen Domini. Accendebatur plane in eo ignis ille Evangelicus, quem Jesus veniens in terram fidelium mittere, voluit vehementer ardere: quo repleti discipuli in via, dicebant secura conscientiâ: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Quoties vero lassos artus et confecta jejuniis membra modico sopore reficeret, nudo recubans in caespite, Christum aestimabat secum jacère, castigans delicati corporis carnem, et rèdigens in spiritus servitutem. Populares auras et peccatoris oleum, velut spiritum nequam, fugere: clauso etiam ostio labiorum, in cubiculo pectoris, Deum Patrem sine intermissione orare: nunquam a bono opere, semper intentum spiritus arcum, relaxare: quotidie diabolum in pugnam provocare. Dicant alii, quod aestimant: mihi videtur inter tot cruces positus athleta Dei Bavo, merito computandus in illo admirabili catalogo, qui et lilio confessionis, et rosâ decoratur martyrii.

§ **9**. Etenim de virtute in virtutem proficiens, et novum aliquid quotidie de Deo audire, videre et agere gestiens, ex consensu sui Amandi, loca Sanctorum et vicinos coenobitas iterum accingitur circuire, si forte contingeret aliquid ante inexpertum vel intentatum investigare, ad quod agendum merito se animare deberet. Denique licet pro morum et conversationis honestate jam requiesceret inter medios cleros pennae columbae deargentatae, nihil tamen satis factum aestimare, si quis quid boni posset agere, ad quod agendum ipse non valeret aspirare. Nam quia juxta Salomonem, qui addit scientiam, addit dolorem: omne quod de scripturis sanctis percipiebat, dolor illi de anteactis diebus erat, rèputans omne illud tempus in vacuum se cucurrisse, quod sine poenitentia sibi videbatur quasi perdidisse. Tum vero quotidiana Deo hostia fieri, et velut apis magni ingenii, virtutum flores undecumque colligere, et in alveario mellìti cordis comportare. Nulli eorum, quos ajunt anachoretas, inferior cum esset, erèmum ceu paradisum Dei concupiscere: illos solummodo rèputans cum Deo habitare, quibus contigisset hominum frequentiam declinare.

§ **10**. Capta igitur temporis et loci opportunitate, saltum, quem Beilam nuncupant, ingressus est: ubi repente in remotiori devexae vallis làtere, annosa fagus oculis ejus offertur, cujus concavitatis pedum non minus sex spatiosa altitudo, in modum fornicis camerata, et quae hominem erectum posset in alvo sustinere. Hoc quasi habitaculum ab Angelis Dei sibi reputans

praeparatum, ingreditur tanta cum jucunditate, velut si totius orbis delicias angusto secum clausisset in pariete. Per aliquot dies occultus, latère non potuit. et cum a populo frequentaretur, infelicem esse se judicans, nocturno silentio iterum loco cedit. Est usque hodie eandem mirae magnitudinis fagum videre, quae in aeternam hujus sancti Dei memoriam adhuc continet in se antiquum altare, ubi et presbyter parochiae frequenter ecclesiam èvocat, et communicat. Nec desistit arbor contra morem, tam annosa, adhuc florere et germinare, in qua latuit. Quorum florum amoenitate delectata, in Epithalamio suo loquitur sancta Ecclesia: Fulcìte me floribus...

§ **11**. Igitur inde digressus, longa rursus per dispendia aliam requirit eremum athleta Dei Allowinus, Medmedung nomine, a sua Ganda distantem duorum tantummodo milliariorum itinere. Locus in densissimum nemus silvescens, vasta et pene inaccessibili palude distentus, pomorum quoque quae gignit saltus, et nucum ferax, praeterea amnis leni murmure praeterfluens, facile habitationem suadent. Ingreditur cum sarculo, humum sarrit, cellulam permodicam erigit, in ea se quasi sèpelit. Cibos saltus ministrabat, amnis potum. Vestimenta ipse detulerat secum, sagum et cilicium quae non frigus arcerent, sed nuditatem prohiberent: non mollitiem suaderent, sed carnem domarent. Sic aliquamdiu ignotus cum mansisset, iterumque fama vulgante ulterius posse latère desperaret, comperto quod beatus Amandus monachos in Gandensi ecclesia substituisset, et venerabilem virum Florebertum in Abbatem ordinasset (nam quia ipse incumbebat praedicationi, necesse visum fuit constituere, qui provideret novellae adhuc plantationi): tum vero magno se aestimans quasi donatum munere, ad locum professionis suae statuit redire, ibique qui supererat, reliquum vitae cursum percurrere.

§ **12**. Reversus itaque, quasi Angelus Dei, ut vere erat, recipitur: receptus, hospitio inducitur: inductus honoratur, nec ullum ante habuere gaudium capitalius quam quod talis vir in contubernio eorum est receptus. Dehinc Abbatem in colloquium evocat, reditus sui causam explicat: familiarem sibi fieri cellulam ad commanendum petit et impetrat. Quis enim non modo monachorum sed et Clericorum, Bavonis non desideraret contubernium? Viva vox, manus liberalis, vultus gravis, humilitas inaestimabilis, jucunditas irreprehensibilis, et nescio quae extra hominem hominis habitudo, desiderabilem eum fecerat omni bene viventi in Domìno. Cum autem sive ex amicitia familiari, sive ex regulae praecepto obtemperanter fratres accingerentur in aedificanda cellula viri Dei, ad declarandum electi sui meritum, omnipotens virtus tale ostendit miraculum. Laica persona Artinus, sabulum et lapides plaustro advehens, latratu canum impediebatur. Cumque gravius urgeretur, et longiori mora teneretur, ore procaci

murmurare, et nescio quae maledicta in sanctum virum evomere: permissus diabolus, qui dolebat fana dirui, et ecclesias Sanctorum erigi, hominem vehiculo proturbatum, mole desuper ponderis et jumentorum incursu relinquit mortuum. Evocatus populus, cadaver conclamatum navi imponunt non sine miseratione: et in domum suam perducto, aliud nil erat quod cogitarent, nisi de sepulcro.

§ **13**. Ubi id Bavoni nunciatum est, tum vero dolere, tristari et ingemiscere, reatum suum accusare, sibi defuncti sanguinem imputare: et totis ad Deum conversus visceribus: « Eja, *ait*, Domine, cur recepturus animam ejus, celasti me? » Jubet dehinc cadaver ad se inferri, et clauso ostio, caeteros amoveri, ipse solus super exanimem extendi: seipsum in holocaustum imponere, et adipes pacificorum Deo adolere: appendens scilicet thymiàma orationis in auro pretiosae fidei, qua sciebat omnia possibilia credenti (*Marci* IX). Vix trium horarum spatium intercesserat, orationem necdum terminaverat, cum mors legem pati coacta, restituit quem rapuerat, Artinus surgit et ambulat. Fit strepitus populi: omnis aetas, omnis sexus concutitur novitate miraculi, et in ore omnium sonat laus Dei. Mirum spectaculum, et ad roborandos nascentis ecclesiae filios congruum: qui in hujus resurrectione speciali, cogebantur non haesitare de sua et omnium resurrectione generali. Erat etiam in sancto viro praedicabile illud intuèri, quod cum in ejus laudem omnis vox, omnis lingua consonaret, tanta se abjecit humilitate, ut resuscitati statum, suum reputaret casum, si vel levis ventus aurae popularis intraret ad tangendam radicem humilitatis. Cujus enim mentem, cujus animum ad tam mirificae virtutis insigne non concuteret turbo favorabilis procellae, nisi qui domum suam constituisset in fundamento petrae? Petra autem erat Christus. In cujus summo cacùmine cum requiesceret vir sanctus, firma niti radice, nihil de se praesumere: totum quod erat, ejus gratiae attribuere: et cum exaltaretur extra se, in se tamen humiliari usquequaque. Qui merita Sanctorum ponderant ex virtute miraculorum, vel istius aestimatione miraculi concedant nostrum Bavonem sanctis omnibus jure comparari: in prophetis Eliae parem, Eliseo aequalem: in Apostolis Petro non inferiorem, Joanne concedant non minorem, quem jure sanctis omnibus in unius resuscitatione mortui comparandum aestimamus. Illi plures suscitaverunt, iste unum. Ipsi quod illius faecis cogebat necessitas: iste, quod hujus temporis expetebat humilitas. Etenim si ad hominis respicimus meritum, et qui plantat, et qui rigat, nihil sunt absque eo, qui dat Deus incrementum. Rursus, si miracula velìmus de numero pensare, poterat utique multorum cadavera orando suscitare, qui innumeras usque hodie animas, pondere peccatorum mortuas, et quatriduano in foetore sepultas, amoto desperationis lapide, non cessat

praeparatum, ingreditur tanta cum jucunditate, velut si totius orbis delicias angusto secum clausisset in pariete. Per aliquot dies occultus, latère non potuit. et cum a populo frequentaretur, infelicem esse se judicans, nocturno silentio iterum loco cedit. Est usque hodie eandem mirae magnitudinis fagum videre, quae in aeternam hujus sancti Dei memoriam adhuc continet in se antiquum altare, ubi et presbyter parochiae frequenter ecclesiam èvocat, et communicat. Nec desistit arbor contra morem, tam annosa, adhuc florere et germinare, in qua latuit. Quorum florum amoenitate delectata, in Epithalamio suo loquitur sancta Ecclesia: Fulcìte me floribus...

§ **11**. Igitur inde digressus, longa rursus per dispendia aliam requirit eremum athleta Dei Allowinus, Medmedung nomine, a sua Ganda distantem duorum tantummodo milliariorum itinere. Locus in densissimum nemus silvescens, vasta et pene inaccessibili palude distentus, pomorum quoque quae gignit saltus, et nucum ferax, praeterea amnis leni murmure praeterfluens, facile habitationem suadent. Ingreditur cum sarculo, humum sarrit, cellulam permodicam erigit, in ea se quasi sèpelit. Cibos saltus ministrabat, amnis potum. Vestimenta ipse detulerat secum, sagum et cilicium quae non frigus arcerent, sed nuditatem prohiberent: non mollitiem suaderent, sed carnem domarent. Sic aliquamdiu ignotus cum mansisset, iterumque fama vulgante ulterius posse latère desperaret, comperto quod beatus Amandus monachos in Gandensi ecclesia substituisset, et venerabilem virum Florebertum in Abbatem ordinasset (nam quia ipse incumbebat praedicationi, necesse visum fuit constituere, qui provideret novellae adhuc plantationi): tum vero magno se aestimans quasi donatum munere, ad locum professionis suae statuit redire, ibique qui supererat, reliquum vitae cursum percurrere.

§ **12**. Reversus itaque, quasi Angelus Dei, ut vere erat, recipitur: receptus, hospitio inducitur: inductus honoratur, nec ullum ante habuere gaudium capitalius quam quod talis vir in contubernio eorum est receptus. Dehinc Abbatem in colloquium evocat, reditus sui causam explicat: familiarem sibi fieri cellulam ad commanendum petit et impetrat. Quis enim non modo monachorum sed et Clericorum, Bavonis non desideraret contubernium? Viva vox, manus liberalis, vultus gravis, humilitas inaestimabilis, jucunditas irreprehensibilis, et nescio quae extra hominem hominis habitudo, desiderabilem eum fecerat omni bene viventi in Domino. Cum autem sive ex amicitia familiari, sive ex regulae praecepto obtemperanter fratres accingerentur in aedificanda cellula viri Dei, ad declarandum electi sui meritum, omnipotens virtus tale ostendit miraculum. Laica persona Artinus, sabulum et lapides plaustro advehens, latratu canum impediebatur. Cumque gravius urgeretur, et longiori mora teneretur, ore procaci

murmurare, et nescio quae maledicta in sanctum virum evomere: permissus diabolus, qui dolebat fana dirui, et ecclesias Sanctorum erigi, hominem vehiculo proturbatum, mole desuper ponderis et jumentorum incursu relinquit mortuum. Evocatus populus, cadaver conclamatum navi imponunt non sine miseratione: et in domum suam perducto, aliud nil erat quod cogitarent, nisi de sepulcro.

§ **13**. Ubi id Bavoni nunciatum est, tum vero dolere, tristari et ingemiscere, reatum suum accusare, sibi defuncti sanguinem imputare: et totis ad Deum conversus visceribus: « Eja, *ait*, Domine, cur recepturus animam ejus, celasti me? » Jubet dehinc cadaver ad se inferri, et clauso ostio, caeteros amoveri, ipse solus super exanimem extendi: seipsum in holocaustum imponere, et adipes pacificorum Deo adolere: appendens scilicet thymiàma orationis in auro pretiosae fidei, qua sciebat omnia possibilia credenti (*Marci* IX). Vix trium horarum spatium intercesserat, orationem necdum terminaverat, cum mors legem pati coacta, restituit quem rapuerat, Artinus surgit et ambulat. Fit strepitus populi: omnis aetas, omnis sexus concutitur novitate miraculi, et in ore omnium sonat laus Dei. Mirum spectaculum, et ad roborandos nascentis ecclesiae filios congruum: qui in hujus resurrectione speciali, cogebantur non haesitare de sua et omnium resurrectione generali. Erat etiam in sancto viro praedicabile illud intuèri, quod cum in ejus laudem omnis vox, omnis lingua consonaret, tanta se abjecit humilitate, ut resuscitati statum, suum reputaret casum, si vel levis ventus aurae popularis intraret ad tangendam radicem humilitatis. Cujus enim mentem, cujus animum ad tam mirificae virtutis insigne non concuteret turbo favorabilis procellae, nisi qui domum suam constituisset in fundamento petrae? Petra autem erat Christus. In cujus summo cacùmine cum requiesceret vir sanctus, firma niti radice, nihil de se praesumere: totum quod erat, ejus gratiae attribuere: et cum exaltaretur extra se, in se tamen humiliari usquequaque. Qui merita Sanctorum ponderant ex virtute miraculorum, vel istius aestimatione miraculi concedant nostrum Bavonem sanctis omnibus jure comparari: in prophetis Eliae parem, Eliseo aequalem: in Apostolis Petro non inferiorem, Joanne concedant non minorem, quem jure sanctis omnibus in unius resuscitatione mortui comparandum aestimamus. Illi plures suscitaverunt, iste unum. Ipsi quod illius faecis cogebat necessitas: iste, quod hujus temporis expetebat humilitas. Etenim si ad hominis respicimus meritum, et qui plantat, et qui rigat, nihil sunt absque eo, qui dat Deus incrementum. Rursus, si miracula velimus de numero pensare, poterat utique multorum cadavera orando suscitare, qui innumeras usque hodie animas, pondere peccatorum mortuas, et quatriduano in foetore sepultas, amoto desperationis lapide, non cessat

vivificare, et auctori suo sanctis precibus reconsignare. Nam quid a Deo obtinere non posset, qui verum Spiritus Sancti habitaculum factus fuerat? Quid patrem non exoraret, qui carne superata, Deus ipse in adoptionem filiorum Dei transierat, dicente Psalmista, Ego dixi: Dii estis, et filii excelsi omnes?

§ **14**. Ad alia ut transeamus: quadam die habitaculo egressum, obvium contigit habere servulum, quem aliquando neglecta re familiari, causa supplicii ad nundinas venalem jusserat exponi. Quem ut vidit, acsi ipsum Christum in mortem vendidisset, amarissimas lacrymas fundere, rapto cursu et fiduciâ, pedibus ejus se prosternere, fateri culpam, excusare ignorantiam et petere veniam: illudque cogitans, sanguine sanguinem lavari, forpicem et flagellum in manibus ejus ponere, ut vindicaret in venditorem Christiani sanguinis, sacris verbis obsecrare. Servus e contra recusare, peccatum ex corde, quod in se erat, condonare, libenter ei nunquam serviturum spondere in contumeliam sui quondam et adhuc domini, nec id unquam ajebat sibi posse persuaderi. Ille vero (ut qui nunquam cessaret desiderare passionibus Christi communicare), non desistere, dum mira eloquentia expugnaret nolentis animum, et cogeret magis quam peteret, in suum supplicium. Quid multa? Vincitur manus, ligatur pedes, totum corpus in sublime levatur, poena crudelissima afficitur, et quasi in pilam, cum nil nisi Deo gratias ageret, contunditur: postremo in morem latronum totum caput detondetur. Haec tua sunt, Jesu bone, opera: hic tuus est ignitus amor, quo ardentes omnes electi tui, ipsam quamvis raram peccatorum rubiginem decoquunt fornace tribulationis, aurum mundum futuri in die tremendae examinationis. Tunc in libro dexterae tuae invenietur Carmen et Vae: Carmen videlicet electorum, qui triumphato seculo, laudabunt viventem in secula seculorum: Vae miserorum, quorum mors in mortem pessima, quorum quotidianum et omni massâ ferrea gravius peccatum ne una quidem abluit lacrymula, nec una extinguit fructuosa eleemosyna, nedum spontanea pro Christo supplicia. Itaque in hujus nostrae infirmitatis consideratione libet cum Apostolo exclamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII)? Et quia imperfectum nostrum viderunt oculi tui, Domine, dicamus quod sequitur ex consolatione: Gratia Dei per Jesum Christum.

§ **15**. Tandem gloriosus Dei athleta Allowinus de hoc suo eculeo depositus, confracta et excruciata membra jubet recipi in illa sua nobili nova cellula, quae in fundationis suae principio honorata est revivificati hominis miraculo, et in consummatione venerabili et vere praedicabili supplicio. Dehinc paulisper spiritum cum recepisset, quasi necdum ad purum argenti sui scoriam excoxisset, nihilque satisfactum sperans: adhuc jubet admoveri nervum, quem vulgo appellant cippum, et in eo venerabiles illos

pedes arctari: qui in Sion specula constituti, superni regni pacem evangelizare poterant in populo Dei. Quid de hujus sancti viri factis alii aestiment. ignoro: ego plus stupeo Bavonem libenter vapulantem, quam mortuum vivificantem: plus admiror sponte cippo constrictum, quam totius populi favore celebratum. Itaque quatuor fere menses in hoc retrusus carcerali agòne, cum quotidie pene moreretur, poenam pro deliciis habebat, fessa licet lingua nunquam laudem Dei tacebat, atque mirum in modum cum cruciaretur, fortior fiebat, ut putares eum cum Apostolo dicere: *Quando enim infirmor, tunc fortior sum et potens;* consideransque quo cursu felicitas evolet, quae ante humanos oculos quasi permanens pollet, complebat eas quae deerant, passiones Christi in carne sua: vulneratusque mentem magna in Deum charitate, aestuabat desiderio contemplationis supernae.

§ **16**. Accersito dehinc sancto pontifice Amando et venerabili abbate Floreberto, non modo pedum, sed et totius macerati corpusculi integram reclusionem obsecrat, et vix aliquando impetrat. Arctam specum medio domus aequore ad capacitatem erecti hominis effoderat, quae introgressum non nisi stantem sustineret, et quasi Crucifixi corporis suspensum vultum in neutram partem deflecti permitteret. Eam orationis crucem sibi praeparaverat: in ea inter canonicas horas suspendi magis quam stare elegerat. Nec facile labor, licet difficilissimus, dissuaderi: quia menti totum jam seculum in Christo triumphanti, nil poterat laboriosum videri. Data die evocato Clero et populo, cum Crucibus et thymiamateriis, universoque ecclesiastico apparatu ad reclusionis cellulam convenitur, et sancti Pontificis manibus hostia Christi Bavo, teste Ecclesia, sepelitur magis, quam recluditur, quinto Idus Novembris, qui erat annus sexcentesimus vicesimusnonus Dominicae incarnationis. Sepelitur, inquam, seculo, vivus Deo: cui quia indesinenter adhaeserat, vitam certe suam sursum absconderat *.

§ **17**. Reclusus ergo non sine lacrymis et multorum admiratione, qui viderent in confecto et pene carioso corpusculo tantum vigoris inesse: tum vero demum in summae quietis portum reputans se constituisse suum navigium, tanto ad auctorem suum suspirare acrius, quanto licebat remoto securius. Juxta magnum Oratorem, vereor ne officium putetur ambitio: et quod illius exemplo facimus, qui ait: *Laudate Dominum in sanctis ejus;* appetitu gloriae videamur facere, nec rerum veritatem, sed officiosam verbositatem insinuare. Animadverte, quaeso, prudens lector **, in milite Regem laudari et in sanctis Deum honorari: et quia, cum

* Gandavensis sive Gandensis Monasterii Abbas constitutus est Flodoardus circa annum DCXXXIX; desunt ergo hinc ad rectam computationem anni circiter 23.

** At *prudens* quidem Lector, exaggerationis suspecta habet quae de illa specu et de tormentis a Bavone sponte toleratis hactenus enarravit, quorumque nullus antea Sancti biographus verba fecit. Alia et alia denique Lector noster quia utique prudens, in reliquis huj. hist. §§ arbitratur Theodorici fidei relinquenda.

sit bonum, Regis secretum celare: gloriam tamen Dei honorificum est annunciare. Verum qui nos calumniabitur verba quasi multiplicare, patet liquido, quam non erubescat electis Dei derogare: quibus tanto fuit facilius, non modo carnem domare, sed penitus expugnatam, in virum perfectum mutare, quanto incorporatius unum facti erant cum omnipotente, qui genus mortalitatis Adae veniens in filiationem Dei formare, dicebat: *Sancti estote, quia ego sanctus sum;* et: *Confidite, quia ego vici mundum.* Quicquid dixero, certe minus est; nam etsi omnia corporis mei membra lingua essent, nil utique dignum de hoc invictissimo Dei athleta pronunciarent. Cujus cibus, panis infermentatus, medietatem cinis: potus, aqua non nisi ad mensuram sumpta. Vigiliae semper usque ad defectionem: somnus vix pertingebat usque ad refectionem, ut magis eum aliquid meditari, quam dormire putares. Lectisternia, humus et cinis inspersus; dicebat enim Christianum non debere in deliciis jacère, cujus gloria foenum, cujus finis quotidie festinaret in cineris interitum. Defesso capiti lapis pulvìnar: tegumentum erat illud sanctissimum cilicium. Continentia talis, ut pene mensuram excederet: patientia talis, quae nunquam tribulationibus cederet. Habensque thesaurum in vase fictili, donec mortale hoc indueret immortalitatem et corruptivum hoc vestiretur incorruptionem: nunquam de superveniente carnis molestia dolere, sed semper ad sperandum in Deum se animare, dicens spiritui: Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Lacrymas tam largo fonte fundere, ut putares in eo completum illud Psalmistae: *Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* Velut adeps a carne separatus, et charitati incorporatus, optimam hanc hominum sibi injunxerat provinciam, discordantes in pacem conciliare: pace Deum videri, pace ad coelestia, praedicans, transiri: sal terrae cum esset, infatuatorum stultitiam defricare, animorum quotidie putredines resecare, et poenitentiae medicamento non cessabat curare. Confluebat autem ad eum tota pene vicinia, nobilis et ignotus, mixtum genus, integros dies et noctes excubabant pro foribus. Nunquam sine egèno mensula: nunquam sine hospite fuit ejus cellula. Praeter ea quae extrinsecus erant instantia, quotidiana ejus sollicitudo omnium ecclesiarum: super quas ita invigilavit, ita se afficiebat, tamquam si solus ipse pro eis debitor esset respondere. Quo autem dolente non doluit? quo frigente non alsit? quo patiente non pertulit? quo egente non eguit? Brevi ut concludam sermone: cum omni fortuna proelium conseruit nimis acre: tristis ne opprimeret, aut jucunda ne corrumperet. Infra non substitit, ultra non est progressus: medium firmis occupavit viribus. Vere felix, vere dignissimum omnipotentis Dei domicilium, tot tantisque virtutum odoramentis repletum.

§ **18**. Qui cum supremi operis jam teneret fastigium, et quod

perfectis viris posset sufficere in divinae scalae ascendisset gradum: quasi nil coepisset, aliud exquirit tormentum, tantum scilicet praedicabile, quantum novum et mirabile. Lapidem jubet deferri, quem manibus libratum cum non sufficeret ei, quod volebat, ponderi, alterum pro eo, duorum qui esset hominum onus, praecepit importari. Hunc inter frequentes genuflectiones et perpetuas preces brachiis tenebat, et eo non modo se lassabat, sed pene mortificabat. Nec poterat tamen in lapidis onere sancta manus deficere, quam sustinebat lapis augularis, qui facit utraque unum. Tum vero si quis objiceret, cur seipsum adeo excruciaret, non bonam esse virtutem, quae modum excederet: prudenter respondebat: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Audenter dico: qui se ita quotidiano afficiebat martyrio, si Deciana aut Diocletiani habuisset tempora, sponte omnia praevenisset tormenta: non rogos, non eculeum, non certe bestias refugisset, aut gladium. Nec carebit gloriâ martyris, qui in confessione deitatis aëreas potestates fortiter debellavit, et scuto protectus justitiae, imperterritum latus opposuit monstris spiritualis nequitiae. Quas autem cruces non pertulit, quos ignes non pertransiit, cujus tota vita super terram militia fuit? Quam ita exercuit, ut cum quotidie moreretur, fiducialiter tamen ad Deum diceret: *Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum* (*Psal.* 25).

§ **19**. Nec defuit tentatio, quam statim in ipso principio viriliter debellavit et vicit in Domino. Nam tortuosus ille serpens, cujus sunt mille maeandri, videns et ingemiscens de se triumphari, bona Dei permissione, sed mala sua fretus voluntate, animatur jam senem et emeritum Christi militem in pugnam evocare. Cellulam quasi quidam turbo aggreditur, furores jaculatur, stygios minatur ignes. Ille nihil moveri, nihil penitus terreri, scutum veritatis opponere. Nam diaboli nihil dubitabat hanc esse technam. Pedem in publicum exponere si liceret, aut spiritum homo adhuc tenere si posset, incunctanter exiret, duellum prior ipse moveret, ac manum consereret; tanta mentis constantia, tanta erat ejus ad Deum fiducia. Ajebat autem: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat callidus persecutor. Ad hanc vocem turbo ille cum cessisset, rursus exercitus iniquitatis adest: modo canis, modo lupus: iterum leo vel ursus, totum postremo diabolus, serpentinos pariter et ferales agebat motus. Bavo intus filium iniquitatis irridere, et grandi cum fiducia subsannando dicere: Increpet in te Deus, satan, et increpet in te, qui elegit Jerusalem. Nec mora: legio evanuit, nec ultra civitatem in monte positam impugnare ausa fuit. Tua sunt haec, Christe, opera, tua virtus et magnalia: cujus viae justitia et veritas omnia eloquia. Haec tua est fidelis illa promissio, quam in nascentis Ecclesiae primordio Apostolis, et per Apostolos omnibus militiam tuam professis donativum

insigne dedisti: languores scilicet in nomine tuo ut curarent, et daemonia imperterrito pede calcarent. Quis autem liberius caput diaboli conculcavit? quis impugnantem se filium iniquitatis fortius expugnavit? Nec tamen in eo gaudere, quod spiritus nequam sibi subjicerentur: sed potius summa niti ope, ut nomen suum in coelis conscriberetur.

§ **20**. Hactenus per scopulos tribulationis et syrtes quotidiani martyrii oratio de milite Dei pernavigaverit: nunc secundis velis portus intrandus, et ad terram illam festinandum, de qua scriptum est: *Justi autem haereditabunt terram;* et, *Credo videre bona Domini in terra viventium;* quam sanctissimi agònis sui mercedem gloriosus Dei athleta Allowinus in perpetuam recepit haereditatem. Ad quam possidendam cum videret jam imminere vocationem suam, incessanter se affligere, animamque fontem vivum sitientem, et ad visionem Conditoris sui infatigabili desiderio anhelantem, his verbis consolari quotidie: Exspecta Dominum: viriliter age: confortare et sustine Dominum. In hac exhortatione cum afflictum et pene exossatum corpus modico indulsisset sopori, meruit dulcissima Dei bonitate consolari. Angelus enim in specie columbae adfuit, et super filium notae simplicitatis tam familiariter requievit, ut videretur dicere: Super quem requiescam, nisi super humilem et trementem sermones Dei? Liquefactum statim et pene perterritum amici pectus iterum blande rèfovet, ac totam cellulam tanti miri odoris flagrantiâ replet, ut raptum se aestimans, paradisi deliciis interesse cogitaret, et quasi jam laborum securus, diceret: Ecce haereditas Domini. Non mihi nunc per Scripturarum prata ingenii ducendus est rivulus, quid innocentiae, quid simplicitatis columba videatur habere: cur in ea Spiritus S. super baptizatum Christum legatur requievisse: aut cur in ea Angelus electis Dei soleat apparere. Dives est ad loquendum materia, et sanctarum scripturarum testimoniis abunde trita, de quarum fonte etsi minus nobis suppeteret, possemus mutare. Sed ad alia festinanti hoc solum sufficiat dixisse, merito super eum in columba Angelum venisse, qui columbina plenus erat simplicitate: merito illum odorem divinum hausisse, qui secura conscientiâ poterat dicere: Christi bonus odor sumus in omni loco. Cum vero recessisset visio, in se rediens, et vigilanti animo causam discutiens, velut si addidisset oleum flammae, majori adhuc Sancti Spiritus accendi amore: non dies, non noctes vacare, et deinceps in coelum clamare: *Heu mihi, quia incolatus meus prolungatus est: habitavi cum habitantibus Cedar* (*Ps.* 119).

§ **21**. Subsequitur de thesauris Dei gloriosum miraculum, per quod qui desiderabat dissolvi et cum Christo esse, clementer consolaretur: et qui hactenus studuerat lucernam sanctitatis abscondere sub modio humilitatis, in tota summi Regis republica mirabiliter manifestaretur. Medio in centro sol aestuabat: populus

qui convenerat, praesens intuebatur, cum ecce gloria Domini de loco sancto suo super justi sui caput descendit, et in figura vivificae Crucis militem suum illustravit et coronavit. Cui ille tanta statim occurrit cum jucunditate, velut si non dubitans hoc suum vere corollarium esse, obviis manibus illud videretur excipere et dicere: Mea haec merces, mea est retributio. Crucifixo militavi: Crucis gloriam recognosco. Raram aut nullam cunctis retro diebus visus admisisse laetitiam, omni deinceps proturbato moerore, securus jam de sua remuneratione, quotidie gratulari et dicere: Me autem oportet gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi. Jure ergo in Crucis desuper descensione est mirabiliter glorificatus, qui crucifixi Filii Dei militiam professus, cum triumphato jam seculo, diceret cum Apostolo: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo:* meruit audire a Domino: Gaude et exulta, Bavo, quia merces tua copiosa est in coelo.

§ **22**. Festinabat interim tempus, quo palmes Dominicae putationis purgaretur, et flos qui apparuerat, ad componendum summi capitis sertum colligeretur: cum ecce gloriosus Dei athleta in lectum aegritudinis incidit, quam tamen longe ante praevidit et praedixit. Ingravescebat sensim languor, et purpuream paradisi violam Austro flante gelidus repercutiebat pallor: orare tamen, et lasso anhelitu dura inter suspiria non aetati, non parcere infirmitati: Monachos et plebem quae frequens aderat, castigato sermone hortari: laetus ipse caeteros super se plorantes consolari. Intelligeres eum non èmori, sed migrare, et quasi praesentem Christum intueretur, dissolvi desiderare. Familiarem habebat Domlinum, Thurholtensis ecclesiae presbyterum. Quem cum desideraret ad colloquendum, non facile potuit haberi. Iter prolixum, vasta solitudo, nemus densissimum, non facilem praestabant transitum. Vocatur famulus, et ad requirendum eum festinare jussus, imperium non recusat, et incipit velle ire quo nesciebat. Nihil cunctanti, sed de magistri fide praesumenti, adest derepente Angelus Domini, iter ostendit, ipse comitatur, Turholt usque deducit et exposito negotio, presbyterum assumit et recomitatur. Hunc vir Domini inter loquendum secretum habuit, curam funeris sui ut haberet, injunxit, ejus postremum officio communicavit. Felix presbyterium, felix homo ille, cujus manus pretiosissimam Deimargaritam meruerunt attrectare.

§ **23**. Et jam securis divinae vocationis admoveri ad radicem sanctissimae arboris, cum ecce manibus et toto corpore in coelum extensis, concives suos recognoscit Angelos, eorumque dulci delectatus praesentiâ, Vale, ait, servorum Dei Ecclesia: Christus adest: egredere in occursum ejus, anima mea. In haec verba, spiritum de hujus faecis luto cum efflasset, monachorum statim turba super eum irruit, et sanctissimum corpus deosculando, publicum luctum prior incipit. Aderat in praesentiarum sanctus

episcopus Amandus, et venerabilis abbas Florebertus, qui et ipsi cellulam ingressi, cernunt mirabilia Dei in martyrio militis sui. Quid enim vivens spiritus ejus egerit, corpus mortuum loquebatur: in quo tota caro ita depasta videbatur, ut pelli adhaererent ossa, et circa dentes tantummodo relicta labia. Quis interim non fleret humana compassione, aut quis non gauderet spirituali exultatione? Translatum vero funus sacerdotum Christi manibus, multo cum studio cervicem feretro subjicientibus, media ecclesiâ beati Petri Apostoli ad pernoctandum locatur. Tota convenerat vicinia: omne rus, omnes circa ecclesiae ministros et sacerdotes miserant, nec parvo reputabat se frustratum munere, cui non contigisset huic sanctae depositioni interesse. Erat interea illud miserabile, intueri pauperum turbam, tunc vere patre amisso orphanam, vestes et solatia, quae de manibus ejus acceperant, ostendere, et totam ecclesiam inconsolabili luctu replere. Apparuit autem felix ejus anima in ipsa exitus sui horâ longe manenti sanctae virgini Gertrudi, petens ut mitteret linteamina, condendo funeri necessaria. Discite nunc divites seculi, quorum cadavera putrescunt in serico et gemmis: discite, quod doleatis, et tandem incipite bene contemnere, quod male amatis. Vos tegit byssus et purpura: pauper pro Christo Bavo, nec in funere habet nisi aliunde petita linteamina. Vos in auro sepulti, extructo sub marmore putrescitis: Bavo in humili loculo vix habet, ubi caput reclinet cum filio hominis. Et ecce versa vice, vos potentes tormenta premunt potenter: illum humilem humilis Deus remunerat clementer. Vos ex prophetica comminatione propter contritionem spiritus ululatis in interitum: ille ex divina consolatione ridet et dicet: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum. Nobile vestrum paludamentum mutatum est in confusionem et reverentiam: pauperis sui tristem saccum scidit Deus, et circumdedit laetitiam. Locus vester fumigavit, et non est inventus: ejus memoria apud Deum et homines est in benedictionibus.

§ **21**. Expletis igitur, quae necessaria erant funeri, cum lampadibus et cereis et psallentium choris, in locum agonis sui, hoc est, in reclusionis cellulam reportatur, ibique ex officio sancti episcopi Amandi iterum sepelitur, non jam ad jejunandum, sed pane Angelorum satiandum: non ad sitiendum, sed fonte vivo potandum: non ad plorandum, sed evangelico risu ridendum: ad nullam prorsus hujus corruptionis afflictionem sustinendam, sed ad perpetuae consolationis stolam percipiendam. Felix patria, felix pagus, felix prae caeteris Gandensis procinctus, non, ut olim, idolorum superstitionibus sordidis, et antiquorum tyrannorum vanis monumentis, sed cultu omnipotentis Regis, et protectione hujus invictissimi coelestis curiae militis. Gloriosa dicta sunt de te, in cujus sinu requiescit vas electionis et gratiae, vas, quod omnipotens figulus de communis terrae massa sibi

composuit ad honorem, et omnibus sanctae Ecclesiae domum inhabitantibus ad utilitatem. De hoc certe vase filii desolatorum credendo gustaverunt, et adipiscendo fontem salutis biberunt: alienigenae, et Tyrus, et populus Aethìopum vitale hinc hauserunt antidotum: nemo non accepit quod peteret, nisi quem pigra fides ab accipiendo retraheret. Et cum jam terrarum nullus sit angulus, cui sua hinc non fluxerit salus, in valle tua, Ganda, fluit specialius, te irrigat uberius, tibique sapit abundantius: quae sola penes te retines, quod in commune toti orbi prodest. Tu scilicet hujus salutiferi vasis conservatrix, et miraculorum Dei in eo meruisti fieri pene quotidiana contemplatrix. Tibi possidius medetur corporum vulnera, et resuscitat animarum funera. Tu conservandum recepisti, et reconsignabis in die Domini. O vallis, in summi montis sita vertice, et repleta pinguissima Dei ubertate. Non deficiet ex te coelestis frumenti granum, in qua est habitatio laetantium: etenim Dominus in te habitabit in finem, et finibus tuis ponet pacem: seras portarum tuarum confortabit, et benedicet filiis tuis. Facta est autem hujus pretiosissimi vasis ab omnipotente artifice post multarum tribulationum excoctiones piissima purgatio, et in aeternitatis honorem gloriosa assumptio, Calendarum Octobrium die primo, anno a conversione sua quadragesimo, Dominicae incarnationis sexcentesimo quinquagesimo quarto, Martino universalem administrante Pontificatum.

§ **25**. Praecessere statim ipsam beatae sepulturae clausulam gloriosa miracula, et ex vase misericordiae propinata sunt pocula, quae non deficient in secula, non ab oculis praesentium, non a cordibus absentium, tantum cum fide invocantium. Pauca pono de pluribus, duo tantummodo de innumerabilibus, quae ad declaranda sancti sui merita, Dei ostendit gratia. Hostilis invidia, cujus opus semper injustum, voluntas nunquam bona: invidia, inquam, quae feminam et hominem de paradiso projecit exsulem, nunc quoque hominem cum femina mulctabat poena misera. Stridor gravis, furor indomabilis, spuma continua, habitudo lacrymabilis, vita fastidiosa, notis et amicis omnibus nimis odiosa. Quid agerent? quo se verterent? Nulla spes, nulla consolatio: qui mederetur huic supplicio, inveniebatur nusquam gentium: solius enim Dei salus est hominum. Sed cum fama vulgante nec miseros lateret de tanti patris funere, opportunum rati auxilium sperare Domini, duris ligatos nexibus, virorum tractos manibus ad hoc divinum propitiatorium inutiles, ut victimas tamen dirigunt. Orabat non lingua, sed necessitas: non vox invocantium, sed poena pereuntium: ignari et sensus, et scientiae, tormentis suis provocabant fontem misericordiae. Subvenit fides populi clamantis: Sancte Bavo, sùbveni: qui vivificasti membra mortua, male viventes istos libera. Tracti ad sacrum funus, ut orarent, vixque coacti feretrum ut contingerent

(mirabile miraculum), statim fugit daemonium, et emundata vascula, Dei loquuntur magnalia. Clamor in altum tollitur, nomen Domini benedicitur: de cujus munificentia Sanctorum mors est pretiosa. Haec signorum initia, haec humandum funus sanctitatis ejus praeiere indicia: idcirco maxime praedicabilia, quia Salvatori nostro (salva pace legentium) quodammodo convenientia. In Christi enim morte etsi omnium peccatorum generaliter, Evae tamen et Adam facta est ereptio specialiter. In hujus funere, licet de Christi munere, facta est liberatio maris et feminae. Utrique per daemonium naturae amisere pontificium. Utrique per salutaris mortis pretium, vitae recepere beneficium. Servum autem Domino, creaturam Creatori cum respectu comparo: nam verba veritatis vera sint necesse est, quae ait: Qui in me crediderit, opera quae ego facio, et ipse faciet. Ille quidem potens, non ex accidenti, sed ex proprio: Bavo potens, non ex proprio, sed ex donante Domino: in quo quia credidit, in ego quoque cuncta potuit. Ac per hoc pedem capiti, membrum compono corpori, et in salvante cuncta Domino, non injuriâ servum praedico. Respectus enim talis est, ut ad substantiam species, ad universale singularitas: quorum alterum praecedit ex convenienti velut potestate, alterum subest ex consequenti velut necessitate.

§ **26**. Multa quidem praeter haec sunt, quae in suo nobili membro omnipotens non cessat quotidie operari: quae si deberent per nos omnia annotari, dies ante nos deficeret, ante lassa manus importabili sub fasce succumberet. Pauca tamen aggredi cum vellemus, et modulum nostrum metiremur, illud in causa fuit ne progrederemur, quod lingua diu tacendo quasi aeruginata, et necdum loquendi usu elimata, ad quaedam alia intendebatur dicenda, in quibus quodam veluti praeludio exercitata, tandem per Angelum calculo de altari contingeretur, ac demum ad tam divinum opus praesumendum circumcideretur. Quod si quis calumniabitur, materiam viribus non aequam nos assumpsisse, nec diu, ut decebat, versasse: licet in prologo satisfecerimus, adhuc tamen id responsum volumus, eloquentiam nos non jactasse, sed Aegyptiorum abominationes Deo nostro immolasse. Quem quippe, animal simplex et mundum, quod Aegyptius abominatur edendum, Israëlites Deo suo offert, quoties quis superbam non eructuat loquacitatem, sed humilem profitetur simplicitatem. Id praeter ad silentium nostrum vel maxima causa accedit torcular grave, quo praeter solitum Ecclesia sancta non modo graviter premitur, sed importabiliter confringitur: ut necesse fuerit, Jesum pro peccatis nostris dormientem, excitare et dicere: Praeceptor, salva nos: perimus*. Quis enim siccis oculis pertranseat regna (signum desolationis) inter se divisa, populorum

*** Miserrimam in qua tunc temporis versabatur Ecclesia conditionem deplorat Trudonensis Abbas, Gandàvi scribens saeculo XI.**

quasi maris commotiones, lapidum sanctuarii in capite omnium platearum dispersiones? Dispersi sunt heu lapides sanctuarii: quia qui dicebantur Episcopi, confractis et venundatis ovilibus Christi, commissas oves opposuerunt lupis, et in fugam versi sunt, non pastores, sed mercenarii. In exemplum sunt ecclesiae, manu eorum combustae, altaria sanguine humano cruentata, monachorum examina, pars captivata, pars proturbata, jus et lex, omnia confusa. Et quia quorumdam hominum peccata manifesta sunt, praecedentia ad judicium, cum inebriati fuerint sanguine aliorum, laqueos alterutrum tendunt: invicem, quod dictu nefas est, Episcopi supplantant et supplantantur, captivant et captivantur: ut liquido pateat, quia suorummet manibus ira Dei desaeviens in reos ulciscitur. Ipsa Romanae dignitatis virgo praevaricata, abiit retro, et in diebus nostris fractae sunt mammae pubertatis ejus. Non est dux, neque sacerdos, neque locus sacrificii: Jerusalem calcatur a gentibus: quia qui faciat bonum, est nullus. Miseri Israëlitae, in quorum comparatione Nabuchodonosor servus Dei scribitur. Quibus autem inter tot mala vix aut nullo modo vivere licet, quomodo dicere aut scribere aliquid libet? Quod solum restat, sanctos Dei patres et patronos nobis paremus, quorum felici remigio mare hujus seculi enavigemus, et qui pro reatu jam mergimur, ex beneficio omnipotentis manûs relevemur, quae verbo ventos sedare, et tranquillitatem nutu potest imperare. Ad quod obtinendum beatus Bavo medius constituatur. Bavo in corde, Bavo semper sit in ore. Ipse defensor et patronus, ipse apud omnipotentem Judicem intercessor sit continuus: qui me haec cum devotione scribentem, te Christiane intueatur cum fide legentem.

VITA S. LEODEGARII

EPISCOPI AUGUSTODUNENSIS ET MARTYRIS

AUCTORE URSINO COAEVO; STYLUM NONNIHIL ELIMAVIT L. SURIUS.

Passus anno 676 — Nat. Francus.

PRAEFATIO. Domino, sanctoque Pictavorum pontifici Ansoaldo peccator Ursinus. — Jussioni obtemperans vestrae, beatissime papa, summopere urgente Audolpho, patre monasterii beati Maxentii, ut de vita et passione beati Leodegarii pauca e multis ejus bonis commemorando scriberem: equidem opus suscipere atque etiam edere cupiebam, sed imperitia et simplicitas mea

atque iners facundia non valet explicare tanti viri virtutes. Cujus quidem patientia modernis innotuit temporibus, sed multa jam ante perpessus est, quae nemo novit, nisi ille solus, cui ea intrinsecus exposuit. Nam finis operis ostendit extrinsecus, quanta intus clam et nemine conscio sit operatus. Quae tamen mihi de ejus vita cognita sunt, multorum relatione comperta, quamquam rustico sermone, vobis imperantibus, edere conatus sum: in quibus si interdum prolixioribus verbis usus videbor, feci id, ut a veritatis linea non discederem. Si quid vero ex ejus virtutibus praetermisi, non studio id factum est, sed ignorantiâ. Puto autem, etiam si quis multa sermonis sublimitate et eloquentiâ, hujus viri Dei res gestas apertius explicare velit, non posse id citra mendacii notam fieri. Poteram fortassis etiam ego, annuente Deo, occultis et incognitis verbis uti: sed ea causâ nolui, ut rustici et illitterati me possint intelligere, et homines pii ac Deo devoti, ejus imitari exempla appetant, cujus miracula cognoverint.

§ 1. Beatus Leodegarius * ex Francorum praecelsa et nobilissima progenie ortus, in primis aetatis initiis a parentibus in Clotarii Regis palatium adductus est: nec diu post ab eodem Rege, Didòni Pictavensis urbis praesuli, avunculo scilicet suo, litterarum studiis imbuendus traditus est. Is autem praesul cuidam Dei sacerdoti, viro eruditissimo eum erudiendum commendavit, qui etiam permultis annis magnâ curâ eum docuit, ac deinde bene institutum Episcopo reddidit. Receptum autem Episcopus suo cubiculo sub disciplinae custodia adhibuit, ut quemadmodum ipse se castum corpore conservarat, ita illum quoque sui similem efficeret. Quamobrem etiam creberrime illum admonendo dicere solebat, ut se virginem conservaret, quo posset in Ecclesia Dei dignum electionis effici vas. Optabat enim illum ejus civitatis post se Episcopum habere.

§ 2. Cui quidem rei cum illum cerneret aptum et idoneum, annos fere viginti natum, Diaconum ordinavit. Deinde non multo elapso tempore Archidiaconus effectus, omnibus ejus dioecesis ecclesiis ab eodem pontifice praefectus atque praelatus est. Erat enim egregie facundus, corporis staturâ procèrus, inter plerosque pulcherrimus, aspectu decorus, suavis eloquio, ingenio peracutus, prudentiâ providus, Dei zelo et amore fervidus, perpetuaeque virginitatis custos. Scripturae divinae, tum etiam pontificii et civilis juris cognitione pene omnes ejus parochiae, quam administrandam susceperat, habitatores antecedebat. Intantum vero et seniores, et aequales, et inferiores omnes superabat, ut eloquentia ejus grata esset omnibus qui cum illo loquerentur: moestosque afficeret laetitiâ, et criminibus obnoxios ad disciplinae studium revocaret. Et brevi quidem temporis spatio, sub illo

* Gallice *Léger*.

antistite magnam pacem Pictavensi solo, regiminis sui providentia conciliavit.

§ 3. Cum autem pater monasterii, in S. Maxentii honorem conditi, obiisset, jussu ejusdem pontificis, illud regendum suscepit. Quod sex fere annis ille gubernans, et structuris et magnis opibus ditavit. Interea vero et Episcopo suo egregie probatus, et prae omnibus clarus habitus est, tantaque nominis ejus fragrantia in partes omnes dimanavit, ut in ipsum etiam Regis palatium penetrarit. Per id tempus, minor Clotarius rex cum Batilde matre, regni Francorum habènas moderabatur. Qui cum ejus prudentiam auditione accepissent, cuperentque eum apud se in palatio habere, petierunt ab Episcopo, ut ei faceret copiam cum ipsis in palatio manendi. Episcopus statim jussa complens, magnis rebus instructum, et sapientiae floribus redimitum, eum misit ad illos: qui eum sane honorifice acceperunt. Ille vero intra paucos dies virtute et integritate sua, sermonisque comitate id consecutus est, ut Rex et Regina et plerique pontifices eum praecipue charum haberent, consensuque omnium, maxime Francorum, Episcopi functione dignus proclamaretur. Itaque ab omnibus electum Augustodùni *, quae est Aeduorum civitas, Episcopum curarunt ordinandum. Quo munere decem annis strenue functus cum esset, Clotarius rex, qui eum promoverat, excessit e vivis.

§ 4. Tum vero beatus Leodegarius episcopus id audiens, celeriter ad palatium profectus est, et cum aliis de Rege constituendo tractare coepit: cumque comperissent, Childericum Austrasiorum regem adolescentem, pro sua aetate regnum optime administrasse, quaedam Francorum pars eum voluit habere Regem. Porro Ebroìnus, qui sub Clotario rege Major domus fuerat, Theodoricum fratrem Childerici nitebatur Clotario subrogare. Ejus autem nomen tum erat odiosum apud Francos, ut qui illo rursus jugo premendos se vererentur, quod sub Clotario per eum experti essent. Itaque Ebroìni consilio posthabito, Childericum Francorum Regem elegerunt. Cernens ergo Ebroìnus se destitutum, consiliumque suum prorsus negligi, multo timore correptus, petiit a Rege, ut rebus omnibus derelictis, permitteret ipsi vitâ incolumi degere in monasterio. Illo sic rogante, et Leodegario quoque pro eo intercedente, Rex assensit, et illico eum ad Luxoviense monasterium ablegavit, ut illic monasticum institutum complecteretur. Deinde in regno confirmatus Childericus rex, germanum suum Theodoricum cuidam servo Dei conservandum ac nutriendum commisit: porro Leodegarium episcopum omni domui suae praefecit, et in omnibus Majorem domus esse voluit.

§ 5. Is ergo ea accepta potestate, quicquid adversus priscorum Regum et magnorum pròcerum leges comperit inepte introductum, cum esset vita et moribus inculpatis, ad pristinum reduxit

* *Autun.*

statum. Usqueadeo vero totum Francorum regnum usquequaque restituit, ut omnes se gratularentur Regem habere Childericum, et palatii praefectum Leodegarium. Cum haec annis fere tribus cum multo decore agerentur, malus daemon, qui pro insita sibi invidentia, bona destruere solet, administris suis, quos idem antistes sibi socios adhibuerat rerum gerendarum, invidiae faces admovere coepit, et per illos inter Episcopum et Regem discordiae zizaniam seminare. Imminente igitur tum Paschatis celeberrimo die, Episcopus a Rege petiit, ut Augustoduni diem sanctissimum celebraret. Non abnuit Rex, sed Episcopi precibus studet obsequi. In ipsis igitur vigiliis Paschae pro antiquo more illis pariter euntibus ad Missarum solemnia celebranda, odii seminario adhuc latitante, is qui malorum incentor erat, accedens ad Episcopum, ait: Caveas tibi, sancte pontifex. Missarum enim celebritate peracta, jussu Regis interficiendus es. Nam semen nequam, ab hostibus tuis in ejus satum pectore, hac nocte exeret sese.

§ 6. His auditis, dissimulat interim Episcopus, neque eam rem magnipendens, laetum et serenum vultum exhibet, inchoataque Missarum solemnia honestissime consummat. Postquam autem ipse et Rex Eucharistiam sumpserant, Rex ad palatium pransurus abscessit: Episcopus vero peracto ministerio, haustoque cum suis mero, ut sese habet humàna fragilitas, Regis animos metuens, cum illis tractare coepit, quid hac in re agendum videretur. Ubi autem ad Dominum preces fudit, consultius ei visum est, posthabitis omnibus Christum sequi, quam caedi locum dare, ne manus Regis tam festo die, sacerdotis sanguine inquinarentur, atque in Francorum odium et contemptum incideret, uniusque hominis causâ totius populi concertatio et conflictus oriretùr. Relicto igitur Rege cunctisque regni proceribus, pro nihilo ducens, quid in mundo haberetur, eadem nocte cum paucis iter suscepit, eo profecturus, ubi pauper Christi effici posset. Id ubi Rex cognovit, valde contristatus ac animo moerens, quemdam e fidelibus suis cum magno exercitu post illum misit, qui eum tota nocte insecutus, diluculo assecutus est. Deprecante autem humiliter pontifice, ut liceret ipsi quoque, relicto seculo, vacare Deo in Luxoviensi coenobio, mox id ei permissum est. Itaque celeriter ad monasterium perveniens, Ebroinum jam clericum invenit, eumque rogavit, ut si quid in ipsum peccasset, veniam invicem peterent, et animorum inter se concordiâ jungerentur. At tamen ab Abbate sejuncti, aliquo temporis spatio poenitentiam agentes, inter monachorum contubernia tam strenue se gesserunt, ut perpetuo illic in monastico instituto mansuri viderentur.

§ 7. Per idem autem tempus Childerico rege defuncto, frater ejus Theodoricus ad regni sceptra pervenit. Id ubi utriusque

amici compererunt. videre illos cupientes, cum ingenti studio et favore illos ad propria revocare nituntur. Itaque ad monasterium venientes, cogunt eos deinde egredi, et ad suas domos reverti. At illi multum anxii, tandem illorum dilectioni et amicitiae assentiunt, quippe quos sua causâ noverant prolixi itineris laboribus fatigatos. Cum benedictione ergo Abbatis, inter se pacis concordia juncti Leodegarius et Ebroïnus, Augustodunum proficiscuntur. Eorum adventu tota exhilaratur civitas, obviamque eis procedentes cives, cum magno triumpho eos excipiunt, multum laetantes, quod reciperent patrem suum, quem olim se gubernatorem amisisse planxerant. Restituunt igitur eum in sedem suam: et cum ingenti gaudio pariter afficerentur ac tripudiarent, ipse Episcopus voluit altera luce Ebroïnum magnis affectum muneribus, honorifice a se dimittere. At Ebroïnus non ferens suos vel pauxillum quiescere, nocte fugam capessens, ab urbe recessit, et Austrasios, quos olim adversarios habuerat, sibi amicos adscivit. Non diu post, multis perpetratis sceleribus, cum sibi flagitiorum socios adjunxisset, in Francorum fines per vim invasit, immanissimamque exercens tyrannidem, in Theodorici regis conspectum venit, atque ab illo in pristinum gradum restitutus est.

§ 8. Ita ergo praefectus palatii et Major domus effectus cogitare coepit de ulciscendis inimicis, qui eum noluissent habere subregulum, id est, Majorem domus vel palatii principem. Itaque instar leonis rugientis, per Francorum terras rugitus ejus insonuit, cunctique, qui olim adversus eum egerant, qui tamen caedem effugere potuere, fugae praesidia captarunt. Porro vir Dei Leodegarius instaurandae plebi suae intra urbem suam Aeduam sive Augustodunum intentus erat. Reminiscens autem Ebroïnus malorum omnium, quae cum Childerico rege illum suspicabatur sibi intulisse, adhibitis in consilium hominibus nequissimis, cum eis tractare coepit, qua ratione illum Episcopum perdere posset. Ex iis vero duo, Diddo et Guaimerus caput malitiae effecti, ajunt se illum rapere posse ex urbe ejus, in eumque exercere vindictam, quae Ebroïni malitiam exsatiet. Illorum promissis exhilaratus Ebroïnus, copiosum valde exercitum eis tradidit. cum quo illi festini abiere Aeduam, et urbem circa moenia vastare coeperunt. Id cernens vir Dei Leodegarius, zelo magno accensus erga plebem sibi commissam, et Domini exemplo malens animam suam ponere pro ovibus suis, easque lucrifacere potius, quam uni suae temporariae saluti consulere, collecto totius civitatis clero, cum reliquiis, Crucibus et psallentium choris, Deique laudibus obviam processit hostibus suis, sponteque se obtulit ad obeundum martyrium, si voluntas percussori non defuisset.

§ 9. At illi qui ejus capiendi causâ venerant, nulla erga sacras reliquias moti reverentiâ, eum comprehenderunt. Fertur tunc exclamans dixisse: « Gratias ago omnipotenti Deo, redemptori meo,

quod me hodie dignatus est glorificare. » Ductus est autem ab illis extra urbem, atque illic, ut Ebroïnus jusserat, èruti sunt oculi ejus. Et humano quidem illum orbarunt lumine extrinsecus : at intus mansit illi divinum lumen. Cumque eum custodibus tradidissent, in quoddam coenobium perduxerunt, ubi biennium fere latuit, et magnum reliquit patientiae et humilitatis exemplum.

§ **10**. Eodem tempore Gerinus frater ejus, qui ob metum Ebroïni cum aliis ab eo profligatis Francorum proceribus, aliis in locis degebat, jussu regis Theodorici et principis Ebroïni, ad palatium reverti compulsus est. Simul etiam beatus Leodegarius ex monasterio, in quo tenebatur absconditus, in regis Theodorici praesentiam adduci jussus est. Cumque ambo fratres in principum conspectum venissent, multis contumeliis et opprobriis affecti ab Ebroïno, illi sic respondisse feruntur: « Nos quidem digne haec patimur, quia peccavimus Domino: sed major tamen ejus clementia est, qui nos dignatus est ad tantam gloriam vocare. Tu vero miser Ebroïne, qui tantam injuriam irrogas Francorum genti, teipsum potius ulcisceris, dum aliis vitam auferre cupis. Multos quidem decepisti, et a paterno solo exsulare compulisti: at tu ipse magis etiam exsul eris, quandoquidem et temporalem et aeternam gloriam cito perdes. Dum enim totius Franciae homines excellere meditaris, tuam, qua indignus praeditus es, gloriam amittis. »

§ **11**. Haec ut audivit Ebroïnus, furore magno correptus, jussit ministris, ut Gerinum a Leodegario separarent, uti separatim punirentur, nec possent conjuncti ejusmodi sermones proferre. Cum ergo abduceretur Gerinus, beatus Leodegarius dixit ei: « Aequo feras animo, frater carissime, quod nos isthaec pati oporteat: *non enim sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Peccata quidem nostra multa sunt, sed supereminet magna Dei omnipotentis misericordia, qui ad abluenda se laudantium delicta semper paratus est. Et nos ad breve tempus haec pàtimur, quia mortis debitores sumus: sed si patienter tulerimus, illa nos exspectat vita, ubi sine fine laetabimur in coelesti gloria. » Deinde ministri ad palum alligatum Gerinum, lapidibus obruere coeperunt. At ille deprecabatur Dominum, ita dicens: « Domine Jesu Christe, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, suscipe spiritum servi tui: et qui me ea gratiâ dignatus es, ut instar martyrum lapidibus vitam istam mortalem amitterem, mihi quoque clementissime des veniam scelerum meorum. » Haec dicens, inter verba orationis supremum efflavit spiritum.

§ **12**. Et beatus quidem Leodegarius cupiebat cum fratre sanguinem fundere, ut simul mererentur coronari: sed Ebroïnus ejus obitum differre volens, ut per poenas diu productas ei aeternas quoque conciliaret, et ne coronâ frueretur martyrii, immo vero etiam praemiis gloriae sempiternae privaretur, jussit eum

nudis pedibus per quamdam piscinam traduci, in qua erant petrae instar clavorum acutae. Deinde evulsis jam oculis, humi eum prosterni, linguamque et labia incidi, ut ablatis oculis, pedibus contritis et conscissis, linguâ et labiis incisis, membrorum usu erepto, corporis viribus omni ex parte enervatis, ut nec oculis posset terram cernere, nec pedibus ingredi, nec linguae officio laudare Creatorem: tandem in blasphemiam rueret, atque ita salute omni privaretur, quam, laudando Deum, sibi ingentem coelitus obtinuisset. At vero, qui sine voce corda audit Deus, magisque rogatur corde contrito, quam elatione superborum, vocem tacentis propensius audivit, quam elate loquentis. Ille enim vir sanctus divinum implorabat auxilium, non sono vocis, sed cordis humilitate. Nam cum se omni humano praesidio destitutum cerneret, totis viribus divinum sibi adesse poposcit. Itaque quantum humana impietas eum a supernis abstrahere moliebatur, tantum pietas divina erigebat ad coelestia.

§ **13**. Porro Ebroïnus Waningum quemdam ad se vocans, Tu accipe Leodegarium, inquit, quem aliquando vidisti virum superbum, et tanta eum custodiâ asserva. Aderit enim quandoque tempus ut ab inimicis suis recipiat quod meretur. Waningus vero eum ad suum perduxit monasterium, quod Fiscanum vocant in quo erat sanctimonialium coetus, quibus praeerat Childòmara Christi ancilla. In eo monasterio beatus Leodegarius multis diebus mansit, adhibitis ei custodibus. At vero lingua ejus praecisa suum recepit officium, et magnum doctrinae semen sparsit in populo. Quando autem ad virgines accedebat, tanta, ut fertur, ab ejus ore sermonis suavitas manabat, ut mirarentur quicumque audirent, tanta per illum efficere clementissimum Deum, et morum suorum pravitate damnata, quamprimum ad poenitentiae fructus et remedia advolarent. Ille enim vir beatus diu noctuque in Dei laudibus pervigil adstabat, ut vix parumper ab ecelesia ad corporis res necessarias interdum recederet, aut quippiam vel cibi, vel somni perciperet.

§ **14**. Ea tempestate Theodoricus rex et Ebroïnus synodum multorum Episcoporum ad quamdam villam convocarunt. Et ecce inter caeteros evocatum Diddonem, qui sanctum virum Leodegarium cum Guaimero ab ejus sede abstraxerat, poenis subdiderunt, et condemnatum atque decalvatum, expulerunt a sancta congregatione. Deinde actus in exsilium, et tandem capite damnatus, poenas eorum luit, quae in sanctum Episcopum dolose perpetrarat. Alii quoque Episcopi a Rege per Ebroïnum simili fere poenâ mulctati, in perpetuum exsilium deportati sunt. Porro Guaimerus qui Diddoni socius fuerat ad exequenda in sanctum virum Ebroïni jussa, cum ab eodem Ebroïno, quod ejus tyrannidi assensisset, per fraudem esset in Episcopum promotus, in ejus indignationem, Dei, ut putatur, nutu, incurrit, multis

flagellis caesus, turpissimeque, ut decebat justi proditorem, condemnatus, laqueo suspensus est, et transmissus in tartarum. Morabatur eo tempore B. Leodegarius in virginum supradicto monasterio. Jussus est autem etiam ipse accersiri ad synodum, non tamen, ut ajunt, concilio interfuit, sed seorsum Rex et Ebroinus cum eo sermonem contulisse feruntur, multaque ab eo futura illis praedicta fuisse, quae evenisse manifestum est. Ebroinus vero in sua malignitate perseverans: Multum te, ait ad virum Dei, grandiloquentia tua ad dicendum extimulat. Martyrem te fore suspicaris: idcirco hac temeritate uteris. Multum vero te extendis sed frustra tale praemium expetis. Ut enim commeritus es, ita martyrio potièris. Cupiebat Ebroinus sanctum virum in anima et corpore perdere, et cui jam omnem seculi gloriam ereptam cernebat, a sanctorum quoque meritis excludere. Sed quibus rebus ille sibi videbatur cum a Christo avellere, iisipsis id efficiebat, ut Christo, quem desiderabat, magis adhaereret. Quantum enim crescebat ejus poena, tantum etiam praemia augebantur.

§ **15**. Tradidit autem illum cuidam Chrodoberto, jubens ut eum multa curâ custodiret: Veniet enim quandoque, ait, tempus, quo tollatur e medio. Ille acceptum eum, duxit ad domum suam. Cernens vero eum ex itinere et morbo defessum, jussit refocillandi ejus causâ potum ei praeberi. Sed priusquam ad eum pincerna veniret, ingens lux instar circuli e coelo descendens, super caput ejus resplenduit. Tum illi qui aderant: Quid sibi vult, ajunt, domine, quod super caput tuum sphaerica figura apparet, coelitus lapsum lumen splendidissimum, cujus nos ante hac nunquam simile vidimus? Ille vero in terram prostratus: Gratias ago tibi, inquit, omnipotens Deus, omnium consolator, qui super me servum tuum tale dignatus es ostendere miraculum. Porro reliqui omnes, conspecto eo lumine, tamquam extra sese in ecstasim rapti, tandem collectis viribus, simul laudaverunt Deum, et ad se mutuo conversi, dixerunt: Revera hic homo servus Dei est: simulque promiserunt se toto corde velle ad Deum converti. Atque ita ejus sermonibus pene omnes qui in illa domo erant, paterfamilias, ejus conjux et familia tota, conversi sunt ad Dei cultum. Quotquot autem ejus famam percepere in locis adjacentibus, ad eum concurrebant verba salutis audituri. Ille vero non cessabat sua praedicatione docere omnes, quemadmodum ad regna coelorum possent pervenire.

§ **16**. Sed non multo evoluto tempore, cum jam praepotens Deus pro tam insigni patientiâ decrevisset remunerare fidelem servum suum, Ebroinus jam obstinatus, volens suam in eum crudelitatem perficere, velocissimos post eum equites misit, qui eum neci darent. Illi ergo acceptum eum e domo viri illius, cui custodiendus datus erat abduxerunt per loca ignota. Cumque ad certum locum ventum esset, illic constitit, ita dicens: Non opus

est, filii, ut diutius vos fatigetis. Cujus causâ huc venistis, id ocyus perpetrate, ut satis fiat voto vestro. Ad ejus autem caedem quatuor missi erant: e quibus tres provoluti ad pedes ejus, rogabant ut ipsis veniam daret, et suam benedictionem impertiret. Quartus vero superbe erectus, districto gladio paratus erat ad perpetrandam caedem.

§ **17**. Postquam autem, data benedictione, percussoribus suis bene precatus est vir Dei, et verbum Dei eis ministravit, in preces incumbens, ait: « Domine Deus omnipotens, pater Domini nostri Jesu Christi, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hunc certaminis perducere diem. Oro et obsecro te, Domine, ut tuae pietatis misericordiam mihi impertias, et sanctorum tuorum meritis dignum me facias, et eorum participem, vitaeque aeternae consortem. Ignosce illis qui affligunt me: quandoquidem ego, clementissime Pater, per eos credo me in conspectu tuo glorificandum. » Dum haec diceret, percussor sublato gladio amputavit caput ejus. Ferunt tum erexisse sese corpus ejus, et quasi horae unius spatio stetisse. Id conspicatus percussor ejus, pede eum trusit, ut citius in terram corrueret. Sed miser ille non diu post arreptus a daemonibus et mente captus, divina in eum ultione animadvertente, in ignem se conjecit et mortuus est. Jussu autem conjugis viri hujus Chrodoberti, in villam Sarcingensem * magno omnium luctu deportatus a ministris, et cum vestibus, in quibus trucidatus fuerat, in exiguo oratorio beatus martyr sepultus est sexto Nonas Octobris. In quo monumento annis duobus et dimidio humatum fuisse ajunt.

§ **18**. Ea tempestate sacerdos quidam, ejus oratorii curam gerens, lumen splendidissimum noctibus didicit eo in loco absque humano ministerio fulsisse. Ejus rei fama in vicina loca sese diffudit. Itaque multa languentium turba ad beati martyris venerationem orationis causâ eo adveniens, a diversis morbis liberata est. Claudi gressum, caeci lumen receperunt: purgati sunt ab impuro spiritu daemoniaci, nec raro in venerando illo loco lumen emicuit, quemadmodum illius ecclesiae sacerdos testatur. Ejusdem sacerdotis minister, clericus et custos illius ecclesiae, quadam nocte rebus suis omnibus per fures spoliatus est, in quibus fuit etiam caligula beati martyris, quam pro ejus reverentia apud se absconditam habuerat. Is ergo mature ab oratorio surgens, ad domicilium suum abiit, et omnia sua ablata conspexit. Propere ergo redit ad beati viri sepulcrum, orans ut furto erepta restituat. Et quidem tota illa die et nocte in oratione et psalmodia ad ejus tumulum jejunus permansit, atque inde reversus domum, res suas omnes sibi redditas invènit. Servi quidem illius, qui hoc furtum

* Gallice *Sercin* apud silvam quae ex Sancti Ep. M. nomine, vernacule hodiedum *Saint Léger* appellatur, in Artesia (*Artois*).

fecerat, dominus juraverat, nequaquam id eum perpetrasse: sed domum reversus, mox abiit e vita. Servus quoque, scelus, quod admiserat, male consummavit.

§ **19**. Tum vero fama sanctitatis beati martyris longe lateque manavit, et paulo post, ea quae gesta fuerant, ad Ebroïni quoque notitiam pervenere. Ille vero nuncium clam misit, qui accurate inquireret, et rem certam ad ipsum referret. Paret nuncius, venit ad beati viri tumulum, discit a custode, ubi sit humatus sanctus martyr. Propius inde accedens, non solum precari non vult, sed etiam per contemptum pede humum percutit, et Dei virtutem nesciens, stulte et impie dicere non veretur: En mortuum, nulla virtutum signa efficientem. Abit inde, sed priusquam nunciare posset ei, a quo missus erat, in seipso martyris virtutem experitur, in ipso itinere subito e vita sublatus. Id ubi rescivit Ebroïnus, apud sese tacitum habet, nec cuiquam praeter conjugem id indicare ausus est, ne forte crescente gloria martyris, ipsius apud populum existimatio diminueretur, ut qui tale lumen extinguere conatus sit. Sed interim tamen, quanto plus miser ille virtutes beati viri latère cupiebat, tanto illorum fama ubique augescebat magis. Tribus inde fere elapsis annis, omni lacrymarum fonte plangendus Ebroïnus, qui illustrem hanc lucernam nitebatur extinguere, juxta Domini sententiam, cum multos ipse gladio interemisset, gladio percussus interiit. Infelix sane ac miser, tantis auctus honoribus, et per cuncta mundi climata ejus industriae propagata famâ, apud mortales cum primis celebris, quandoquidem noluit convenienter praecepto Domini Salvatoris, inimicis suis veniam dare, sese misere perdidit, permultos ad coelestia regna transmisit.

§ **20**. Postquam autem miser ille vivendi finem fecit, cum multa laude in palatium, earum rerum rumor penetravit, quas ille diu supprimere studuerat. Aderat tum illic magna Episcoporum et procerum frequentia. Qui cum inter se de sancto martyre conferrent, admirarenturque ea quae de illo dicebantur, vir sanctissimus Ansoaldus Pictavorum episcopus, Utinam, inquit, liceret mihi in mea parochia habere corpus ejus, quem meum constat fuisse parentem. At vero Ermencharius, beati viri in Episcopatu Augustodunensi successor, Jure quidem, inquit, mihi dabitur viri hujus corpus: cum justum sit illic eum requiescere, ubi fuit Episcopus. Denique Vindicianus praesul Atrebatensis (*d'Arras*), in cujus dioecesi interemptus erat, ita dixisse fertur: Nequaquam ita fiet, ut vos sancti Pontifices locuti estis: sed mihi fiat potestas sacrum beati viri corpusculum retinendi: quippe qui illi loco datus videatur, in quo dignatus est quiescere. Tum una omnium Episcoporum qui illic aderant, sententia fuit, ut jejunia et orationes in hoc conflictu fierent, uti sic dignaretur Dominus ostendere, in cujus dioecesi jure sacrum illud corpus condendum

esset. Indicto igitur jejunio et precibus, tres chartulas, eorum sententiam continentes, altari imposuerunt, ut expletis precibus, Dominus declararet, cui beati martyris corpusculum esset tradendum. Completis ergo precibus, et Missarum solemniis celebratis, unus ex ministris, jussu pontificum dubiam manum immisit sub altaris pallam: eàque retracta, quid agendum esset, apparuit. Id conspicati omnes qui huic spectaculo aderant, acclamarunt Ansoaldi pontificis esse justiores preces chartula extracta id satis declarante. Ita ergo sine ulla ambiguitate confirmato concilio, cuidam viro Dei, Abbati suo Audulpho, quia a sancto martyre nutritus fuerat, Ansoaldus praecepit, ut ocyus pro sancto corpore proficisceretur, et cum debita reverentia illud usque ad Pictaviense (*Poitiers*) solum perduceret: ubi sese divino cultui manciparat, illic ejus lucerna perpetuo emicaret. Fecit vir Dei Audulphus, ut Episcopus imperarat, et propere abiit ad locum in quo sanctum illud corpusculum quiescebat.

§ **21**. Ubi id audierunt, qui in circuitu ejus loci habitabant, tum monachi, tum alii utriusque sexus homines, magna devotione compuncti, confestim eo advolarunt: et cum magna partim laetantium, partim flentium turba, sancti martyris, ut Rex jusserat, loco suo motum est corpus. Iter autem illis facientibus, res passim divulgata est: et ecce undique sua sponte dextrâ laevàque accurrunt plurimi ex monasteriis, villis ac viculis: monachi, clerici, laici, cum Crucibus, cereis, suffitu et odoribus suavissimis procedunt obviam, tanta hominum frequentiâ, ut vix quisquam ad feretrum posset accedere, sublatumque in humeros portare. Quotquot enim aliquo laborarent morbo, si feretrum manu contingere possent, illico sanabantur: nec cuiquam negabatur sanitatis beneficium, si ex fide feretri operimentum, aut ejus fimbrias tetigisset.

§ **22**. Inter haec ventum est in villam Gaudiacum Carnotensis (*Chartres*) parochiae, ubi erat puella Radinga, quae in parentum domo septem annis jacuerat caeca, muta et paralytica. Allata vero a parentibus ad beati martyris feretrum, ea nocte dormiens per visum vidisse fertur duos viros splendidissimos, cum aliis illic adstantes. Cumque evigilasset et visionem admiraretur, oculi visum, pedes gressum, lingua loquendi recepit facultatem. Itaque exclamans, ait: Gratias tibi ago, omnipotens Deus, quod per sanctum martyrem Leodegarium sanitati restituta sum. Ab hac laude membris omnibus sana erecta, cum parentibus domum abiit, diu post victura.

§ **23**. Deinde cum in Turonensis territorii Solcanum vicum pervenere, quaedam daemoniaca a parentibus per brachia tracta, clamare coepit se nolle ad sancti viri feretrum accedere. Sed eo invita perducta, cum paululum tetigisset feretri operimentum, a daemonio mundata est. Igitur ad sese rediens, nolebat a feretro

separari, timens ne rursus arriperetur ab hoste, a quo se cernebat liberatam.

§ 24. Inde ventum est in Turonensem urbem. Id audiens civitatis Episcopus, qui tum aderat, Ruotbertus, cum choris psallentium et lampadibus ivit obviam, acceptumque cum suis feretrum, per mediam duxit urbem. Ibi tum quaedam mulier, quod diceretur occidisse maritum suum, collo ac manibus catenis vincta, ita exclamavit: Subvene mihi, beate Leodegari: quandoquidem innocens pereo, a falsis accusatoribus alligata. His dictis, mox rupta catena, a collo et manibus decidit. Quam illa conjecit in feretrum, compertaque est absque noxa dedisse poenas.

§ 25. Cum sic autem idem Pontifex sacrum corpus cum magnis laudibus per suam parochiam deduxisset, et intra Pictaviense solum pervenissent, paululum in vico Egorande quievit: ubi claudus quidam occurrens, postquam ad sacrum corpus in preces se prostravit, statim revaluit: et in pedes erectus, incolumis abscessit.

§ 26. Audiens id quaedam mulier, cujus manus propriam amiserant formam, digitis adeo incurvis, ut mediae palmae infigerentur, et ungues intra carnem haererent absconditi, invocato Dei nomine et sancti martyris, sanata est: et gratias agens Deo, domum repetiit.

§ 27. Illud vero nequaquam silentio premendum est miraculum, quod cum vir Dei Ansoaldus Episcopus Pictavorum, sacrum didicisset adventare corpus, velocemque misisset nuncium, qui ex villa ipsius, quam Interamnem vocant, abunde vinum promeret, unde pauperes et reliquum vulgus, quod sanctum corpus prosequebatur, refici posset, idque ita factum esset: non diu post indicatum est, omnia vasa, quae in cella, unde vinum depromptum fuit, pene vacua remanserant, adeo redundare, ut vinum in pavimentum manaret, et nihilo minus vasa manerent plena.

§ 28. Post haec cum ad Vigennam fluvium vicumque Sannonensem venissent, ventus contrarius undas commovit. Metuentes itaque nautae, nolebant admittere ut in navim intrarent, ne navigantes flumen, in discrimen conjicerentur. At vir Dei Audulphus abbas, cujus curae sacrum corpus commissum erat, sancti martyris meritis fidens, eos compulit, dicens: Mittite in navim, et transite securi; potest namque Deus per sancti sui merita has sedare undas. Cum ergo sacrum corpus esset navi impositum, et nautae jam navigare coepissent, confestim undae subsederunt, et fluvium prospere transmiserunt. Illis vero nocte in ecclesia quiescentibus, quaedam peregrina mulier cum caeco infantulo advenit, tota illa nocte in oratione pervigilans; et ecce mane videt infantulo redditum lumen quod amiserat.

§ 29. Inde recto itinere venerunt ad Gelnagum villam, ad quam vir Dei Ansoaldus obviam progressus est cum turba Clericorum,

vulgi et pauperum, cum thuribulis et suffimentis, cum Crucibus et accensis cereis, cum hymnis et canticis: sacrumque corpus excipiens, perrexit ad urbem. Ubi tum quaedam erat femina, multis annis adeo curva, ut caput propemodum genibus inhaereret. Cumque ea paululum sublatis oculis ad sancti martyris feretrum precata esset, corpori ejus pristinus vigor rediit. Mirabatur Pontifex et qui ei adstabant, virtutem Dei et beati martyris ejus. Deinde cum canticis et magnis laudibus in suburbanam pervenere ecclesiam, in qua beata Radegundis quiescit. Ibi vero quidam curatus est paralyticus, idemque aliquantisper feretrum secutus, permansit incolumis. Ubi ad beati Hilarii basilicam apportatus est sacrum corpus, alius paralyticus in via jacens, tacto feretro, surrexit sanus. Paulopost caeca puella invocans sanctum martyrem, lumen recuperavit: atque ad ejus tumulum perveniens, usque in praesens devota ei inservit.

§ **30**. Postea vero sacro corpore ex urbe Pictaviensi ipsius episcopi Ansoaldi et sacerdotum ac ministrorum ejus humeris aliquantisper exportato, atque usque ad viculum Zezolliolum honorificentissime perducto, magna turba monachorum ex S. Maxentii coenobio, ubi quandoque Abbatis erat functus ministerio, laetabunda in ejus venit occursum, suumque pastorem magno studio suscipiens, cum psalmodia in ecclesia pernoctabat. Mane vero quaedam mulier attulit infantem trium fere annorum, prope exanimem, qui priusquam ad corpus sancti viri accederet, fertur exspirasse animam. At nihilo minus mater eum sub feretro deposuit, et cum lacrymis invocans sanctum martyrem: Domine mi, inquit, redde mihi filium meum. Ita trium fere horarum spatio illa deprecante, quasi de gravi somno evigilans infans, voce qua potuit, ait ad matrem: Mater mea, ubinam es? Tum illa gaudens recepit filium redivivum quem planxerat extinctum. Fuit hoc sane ingens et stupendum miraculum, unde etiam magna in populo fides excrevit de tanti viri sanctitate, cujus gloria manet in coelo sempiterna.

§ **31**. Rursus ergo sublatum est beatissimi martyris corpus, et eo, quo par erat, honore deportatum. In itinere autem occurrerunt ei duo pauperes, vir cum conjuge sua, alter uno, altera utroque carens oculo. Utroque ad feretrum accedente, mulier non haesitans amborum oculorum recipit lumen: vir dubitans, mansit etiam altero lumine orbatus. Prius autem, quam accederent, vir funiculo trahebat caecam uxorem. Postea uxor videns, vicem reddidit viro, caecum eum ducens per viam. Inde perrexerunt ire ad B. Maxentii monasterium: in quo cum vir beatus primo coeperit perversorum hominum animos traducere ad colendum Deum, non sine justissima Dei providentia factum videtur, ut ibidem superioris vitae exemplis etiam miraculorum gloriam adjungeret.

§ 32. Et quidem cum monachi ejus coenobii in ejus properarent occursum, puella in atrio ejus paralytica jacens, atque omnium membrorum officio destituta, cum sancti Leodegarii nomen audiisset, sanam se sensit. Id miraculum conspicati sunt, qui illic aderant, mox vero tanta undique confluxit multitudo, ut atrium vix sufficeret capiendis hominum turbis.

§ 33. Interea mulier quaedam caeca, ex longinqua regione veniens, cum ad sancti martyris adiisset tumulum, lumen recepit. Adolescens quidam, itemque puella a daemone vexati, tremebundi eo venerunt, et per vomitum daemone una cum sanguine rejecto, curati sunt. Innumera alia per id tempus sancti martyris virtutum signa claruere. Sanabantur caeci, surdi, muti, aridi, claudi, daemoniaci.

§ 34. Porro in sancti martyris honorem, jubente Ansoaldo pontifice, operâ Audulphi abbatis monasterii, amplissimum extructum est templum, cujus structura alia est, quam caeterarum basilicarum. Eo templo exaedificato, idem pontifex votum suum executurus, cum omnibus ecclesiae suae sacerdotibus, multisque proceribus et magna populi caterva eo venit, et cum magnis laudibus sepulturae mandavit corpus beatissimi martyris. Quo in loco quotidie cumulantur virtutum insignia in laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et virtus in secula seculorum, Amen *.

VITA S. THOMAE

HEREFORDENSIS IN ANGLIA EPISCOPI

CUJUS AUCTOR FIDE DIGNUS EST LICET ANONYMUS; STYLUM FERE MUTAVIT LAUR. SURIUS.

Ob. anno 1287 — Nat. Anglus.

§ 1. Sanctus Thomas Herefordensis Episcopus, in Britannia majori, quam nunc Angliam vocant, claris ortus est natalibus, patre Wilhelmo de Cantilupo, matre Milicenta comitissa Ebroicensi (*Evreux* in Gall.). In ipsa pueritia puer docilis, aetatem moribus superans, nulli animum voluptati dedit: sed a teneris annis Deum et timere et colere coepit. Cum enim litterarum studiis imbuendus traditus esset, quotidie preces, quas horas Canonicas vocant,

* Reliquiarum S. Episcopi M. fragmenta non modica Pictavienses et Suessionenses adhuc possident, et magna prosequuntur religione.
S. Leodegarii *Vitam* et *Martyrium* docto calamo conscripsit Pater, Benedictini Ordinis jam lumen, qui nunc inter Purpuratorum S. Rom. Eccl. Patrum decora fulget, Jo. Bapt. Pitra.

dicere, et Missae interesse solebat. Studiorum autem causâ primo ad Academiam Oxoniensem, inde Lutetiam se contulit, ubi logicae operam dans, et philosophiae secreta rimatus, magisterii titulo ornatus est. Postea Oxoniam (*Oxfordshire*) reversus, Juris Pontificii Doctor, et Academiae ejus Cancellarius creatus est. Quo in munere prudenter studuit causas discutere, ex aequo et bono ferre sententiam, actiones suas ad virtutis praescriptum componere, morum honestati deditus esse.

§ **2**. Porro cum ejus fama increbresceret, quamvis invitus, coactus est esse Henrici III Angliae regis Cancellarius. Erat namque sermone verax, consilio providus, in sua administranda functione fidelis. Et cum in plerisque honores mutent mores, non in melius quidem, sed in deterius; ille tanto affectus honore, in dies seipso melior fiebat, atque in quibuslibet causis vel negotiis tractandis manus ab omni prorsus munere excussit. Nec propter divitum superbiam tumentium fastum a veritate deflexit, nec propter pauperum abjectionem ab eis aures suas avertit, et misericordiae atque humanitatis officia negavit.

§ **3**. Postquam autem Henricus rex desiit esse in vivis, vir sanctus Oxoniam rediit, et ad Theologiae studia animum appellens, Doctor effectus est. Magnae sane in cibo et potu temperantiae fuit, ita ut nemo unquam vel domesticus, vel extraneus, eum viderit largioribus sive epulis, sive poculis indulsisse: immo tanta ejus erat abstinentia, ut plerumque cum majori appetentia a mensa surrexerit, quam ad eam accessisset. Tanta animi pietate et devotione rebus divinis intererat, ut intuentium fidem et mores informaret: tanta in Missae sacrificio lacrymarum ab ejus oculis copia manabat, acsi coram se Christum Dominum in humana carne patientem videret.

§ **4**. Obtrectationis vitium valde detestabatur, et neque ipse ulli unquam detrahere voluit, neque ut id ab alio fieret, quantum quidem in ipso erat, permisit. Immo vero si quos audiret obtrectantes, severiter illos castigavit. Mentis et corporis ejus tam fuit rara integritas et munditіes, ut Robertus Cantuariensis Archiepiscopus, deinde Portuensis Episcopus Cardinalis, publice de eo Oxoniae dixerit: Ita me Deus àdjuvet, quemadmodum hic homo sic mundus est hodie, quod ad corporis et animi castitatem attinet, uti eo die, quo natus est. Quod si quaerat aliquis, unde id ego sciam, fateor coram Deo, tam pure et aperte me illud legere in vita et conscientia ejus, ut qui a pueritia usque in praesens, confessiones ejus audierim, quam posset quisquam legere in codice optime scripto, et coram ipso expanso. Spero autem praepotentem Deum, qui hactenus eum in hac puritate servavit, etiam deinceps perpetuo servaturum.

§ **5**. Corpus suum vigiliis et jejuniis maceravit, aspero cilicio permultis annis secretius usus est. Cum autem Heresfordensis

ecclesia * suo esset orbata pastore, omnium votis electus, anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo quinto Episcopus consecratus est. Tum vero longe etiam magis, quam antea, factus est vigil ad curam, non segnis ad opus, suavis ad mores. Major tum illi accessit cura pauperum, gestus et sermo humilior, in persecutionibus perferendis animus fortior, ad exequendam justitiam censura severior, in precibus ferventior spiritus, ad praestandas eleemosynas perfectior benignitas et liberalitas, in proprio castigando corpore major rigor. Magna laboris instantiâ in eam incumbebat curam, ut ecclesiae jura tueretur, et quae alii sibi praeter jus fasque vendicarant, ab injustis possessoribus ablata, ecclesiae restitueret. Ea causâ cum gravis extitisset contentio propter ecclesiae Herefordensis jura, Romanum Pontificem adire decrevit, ut ab illo tantis molestiis opportuna remedia impetraret. Eo igitur tam longo et difficili itinere non sine multo labore et corporis sui detrimento suscepto atque confecto, Romam venit, et a Martino pontifice honorifice acceptus est: rebusque et negotiis, quorum causâ eo venerat, pro voto expeditis, dum in patriam redire contendit, morbo oppressus, apud Florentinos juxta Flasconis montem decessit a vita sexto Nonas Octobris, anno salutis millesimo ducentesimo octogesimo septimo. Interea sex diebus corpus ejus exanime asservabatur, odorem spirans suavissimum. Deinde caro ab ossibus separata, in ecclesia S. Severi honorifice sepulta est: ossa vero per tam longinqua terrarum ac maris spatia in Angliam ad sedem ejus apportata sunt.

§ 6. Cumque obviam illis venisset Gilbertus de Clara, Comes Gloverniae, qui ob jura ecclesiae beatum virum fatigaverat, mox ab eis sanguis copiosissimus manavit, ita ut vasa, in quibus ferebantur, sanguine tincta viderentur. Id Comes ille cernens, timore et horrore concussus, jura omnia ecclesiae restituit, et ob ea, quae temere admiserat, egit poenitentiam. Porro beatum Episcopum Joannes Papa XXII Sanctorum catalogo adscripsit, et sexto Nonas Octobris festum ejus solemniter celebrandum instituit. Miracula vero, quae post obitum ejus ad laudem et gloriam nominis sui perpetravit omnipotens Deus, in diversis codicibus ejus loci, ubi sacra ejus ossa quiescunt pene infinita reperi: In quibus fertur sexaginta mortuos excitasse, quadraginta et unum paralyticos restituisse, caecis et mutis vigintitribus lumen et vocem reddidisse. In quodam ejus loci volumine legi annotata diversa miracula ejus quadringenta quinque et viginti, in variis curandis morbis divinitus declarata: praestante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

* Sub Metropoli Cantuariensi.

DE DUOBUS EWALDIS

PRESBYTERIS ET MARTYRIBUS

Ex Histor. Anglor. Venerabilis Bedae, lib. 5, cap. 11.

Exeunte saec. VII — Natione Hiberni.

§ **1**. Ut autem vidit vir Domini Egbertus, quia nec ipse ad praedicandum gentibus venire permittebatur, retentus ob aliam sanctae Ecclesiae utilitatem, de qua oraculo fuerat praemonitus; nec Witbertus, illas deveniens in partes, quicquam proficiebat, tentavit adhuc in opus verbi mittere viros sanctos et industrios, in quibus eximius Wilbrordus presbyterii gradu et merito praefulgebat. Qui cum illo advenissent (erant autem numero duodecim), divertentes ad Pipinum Ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt: et quia nuper citeriorem Frisiam, expulso inde Radbodo rege, ceperat, illo eos ad praedicandum misit. Ipse quoque imperiali auctoritate juvans, ne quis praedicantibus quicquam molestiae inferret, multisque eos, qui fidem suscipere vellent, beneficiis attollens. Unde factum est, opitulante gratia divina, ut multos in brevi ab idololatria ad fidem converterent Christi.

§ **2**. Horum secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hybernia multo tempore pro aeterna patriâ exsulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum Sàxonum *, si forte aliquos ibidem praedicando Christo acquirere possent. Erant autem unius ambo sicut devotionis, sic etiam vocabuli. Nam uterque eorum appellabatur Ewaldus: ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie, unus niger, alter albus, Ewaldus diceretur. Quorum uterque pietate religionis imbutus, sed niger Ewaldus magis sacrarum litterarum erat scientiâ instructus. Qui venientes in provinciam, intraverunt hospitium cujusdam villici, petieruntque ab eo, ut transmitterentur ad satrapam, qui super eos erat, eo quod haberent aliquid legationis et causae utilitatis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habent Regem iidem antiqui Sàxones, sed satrapas plurimos suae genti praepositos: qui ingruente belli articulo mittunt aequaliter sortes, et quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli Ducem omnes sequuntur, et huic obtemperant. Peracto autem bello, rursum aequalis potentiae omnes fiunt satrapae.

§ **3**. Suscepit ergo eos villicus, et promittens se mittere eos ad satrapam, qui super se erat, ut petebant, aliquot diebus

* Hodiernam Westphaliam.

secum retinuit. Qui cum cogniti essent a barbaris, quod essent alterius religionis (nam hymnis et psalmis semper et orationibus vacabant, et quotidie sacrificium Deo victimae salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, et tabulam altaris vice dedicatam), suspecti sunt habiti, quia si pervenirent ad satrapam et loquerentur cum illo, averterent illum a diis suis, et ad novam christianae fidei religionem transferrent: sicque paulatim omnis eorum provinciae veterem cogeretur in novam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos subito et interemerunt, album quidem Ewaldum veloci occisione gladii; nigellum autem longo suppliciorum cruciatu, et horrenda membrorum omnium discerptione: quos interemptos in Rhenum projecerunt. Quod cum satrapa ille, quem videre volebant, audisset, iratus est valde, quod ad se venire volentes peregrini, non permitterentur: et mittens, occidit vicanos illos omnes, vicumque incendio consumpsit. Passi sunt autem praefati sacerdotes et famuli Christi quinto Nonarum Octobrium die, nec martyrio eorum coelestia defuere miracula.

§ 4. Nam cum perempta eorum corpora, amni, ut diximus, a paganis essent injecta, contigit, ut haec contra impetum fluvii decurrentis per quadraginta fere millia passum ad ea usque loca ubi eorum essent socii, transferrentur. Sed et radius lucis permaximus, atque ad coelum usque altus, omni nocte supra locum fulgebat illum, ubicumque ea pervenisse contingeret: et hoc etiam paganis, qui eos occiderant, intuentibus. Sed et unus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis, cui nomen Tilmon, viro illustri, et ad seculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus, indicans quod eo loci corpora eorum posset invenire, ubi lucem de coelo terris radiasse conspiceret: quod ita completum est. Inventa namque eorum corpora juxta honorem martyribus condignum recondita sunt: et dies passionis vel inventionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique gloriosissimus Dux Francorum Pipinus ubi haec comperit, adducta ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in ecclesia Coloniae civitatis juxta Rhenum. Fertur autem, quia in loco, in quo occisi sunt, fons ebullierit, qui in eodem loco usque hodie copiosa fluenti sui dona perfundat.

LITTERA S. ANNONIS ARCHIEPISC. COLONIENSIS DE TRANSLAT. SS. EWALDORUM MART.

§ 1. In nomine sanctae et individuae Trinitatis, anno secundus ecclesiae Coloniensis Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus tam futuris, quam praesentibus. Quoniam vitae hujus spatium breve probatur esse et invalidum, eo quod humana aetas et nascendi lex, licet annorum numerositas prolongari videatur,

semper tendat ad occasum; salutare est omnibus, et totis viribus inquirendum, illuc mente et opere aliquid boni sibi praemittere, ubi, si laeta sint, finem nesciant; et si tristia, dolor interminus, qualemcumque tamen miserationem admittat. Hac de causa pro peccatis meis ego sollicitus, et futuri districtionem judicii pertimescens, decrevi sanctos Dei honorando, et servientes eis sublevando, precatores pro me efficere in judicio, qui de propriis meritis justificari non valeo.

§ 2. Gloriosos itaque martyres Dei Ewaldos, in neglectis propter ignorantiam praecedentium loculis positos, ego peccator et servus servorum Dei, anno secundus Coloniensis Archiepiscopus, licet indignus, transtuli: ut qui jam recepti sunt in coelesti speculatione, apud nos aliquo digni haberentur honore: quatenus omnipotentis Dei, pro quo passi sunt, misericordiam tanto studiosius pro nobis expostulent in coelis, quanto magis apud nos pro modulo nostro glorificentur et honorentur in terris. Actum autem est hoc coram testibus subnotatis: Etzelino Praeposito, Berengario Decano, Everhardo, Ruotberto, Bertulpho, Regenboldo. Coram laicis quoque, Francone urbis praefecto, Hermanno Comite, Gerardo Comite. Et ut verius credatur, firmiusque in posterum teneatur, hanc in testimonium chartam conscribi feci, et in eodem monasterio in memoriale futurum reposui. Translatio vero praedicta, facta est anno Dominicae incarnationis millesimo septuagesimo quarto, Indictione undecima, quinto Nonas Octobris.

VITA S. GERARDI ABBATIS

A QUODAM ERUDITO MONACHO FIDELITER CONSCRIPTA STYLO FERE RHYTMICO, QUEM PROPTEREA LAUR. SURIUS, IN GRATIAM LECTORIS PASSIM MUTAVIT.

Migr. anno 959 — Nat. Francus.

§ 1. Virtus Domini tanto praedicatur gloriosius, quanto in sanctis mirabilius operatur. Operatur enim Deus in Sanctis, ut per eos et in eis se declaret admirabilem. Hinc illa admirabunda vox Prophetae exclamantis: Mirabilis Deus in Sanctis suis. Laus ergo cujuslibet e sanctis, proculdubio laus Dei est. Laudandi igitur sunt Sancti, ut magis magisque laus Dei augeatur. Quamobrem etiam eum, de quo agimus, Sanctum laudando, et revera illum efferimus, et efferendo revera laudamus: ut per eum, et in eo laudetur, magnificetur, mirificetur laudabilis et mirabilis Deus.

§ 2. Vir Domini Abbas Gerardus, exequendis Domini mandatis mire aptus et idoneus, immo coelesti beatitudine per omnia

dignus, uti veridicorum hominum relatione comperimus, ex ingenuis atque orthodoxis parentibus apud Stallerelbas (*Staves*) Lomacensis territorii * vicum procreatus est: claris quidem natalibus illustris, sed morum integritate illustrior. Pater ejus Aetantius ex prosapia Haganonis Austrasiorum Ducis ortus: mater Electrudis, Stephani Tungrorum ** Episcopi soror germana fuisse memoratur. Praestitit autem illi gratia coelestis, ut ab ineunte aetate et annis et sapientiâ proficeret, et tam apud Deum, quam apud homines; gratiosus esset. Etsi autem annis juvenculus erat, at juvenum tamen impudica et obscoena colloquia detestâbatur: potiusque ad bonorum sese familiaritatem adjungens, summopere vitabat pravorum consortia. Ita eum, qui corporis splendida juventute ornabatur, etiam mentis sancta canities egregie commendabat. Crebro vero, idque ardenter, sacrarum aedium limina terens, ecclesiasticorum dogmatum fluenta avide hauriebat: atque illic salutaria pro suo captu monita percipiens, quamvis etiamnum laico habitu tegeretur, accurate ea tenaciori memoria complectebatur, secumque ruminabat: et jam teneriori pectore meditabatur, quae postea multa animi devotione peregit.

Horrens amplecti luxus, et ludicra secli,
Emeruit fieri templum Spiraminis almi.

§ **3**. Ea tempestate Comes Berengarius Namurcense castrum obtinebat: cujus posteri ibidem hactenus perseverant. Ei vero athleta Dei Gerardus commendatus est, ut militiae apud illum vacaret. Praecipuum autem apud eum amicitiae et familiaritatis locum obtinuit, ita ut Comes pro ejus arbitratu comitatum administraret, ei prae caeteris difficiliora magisque arcana committeret: quandoquidem, quod perrarum est, et militia et consilio praestabat. Multa ei ad consulendum prudentia et perspicacia inerat, magnam in rebus ipsi creditis fidem ostendebat. Eximia oris aderat facundia, vultus jucunditas, animi serenitas, in colloquiis mira suavitas, in convictu singularis comitas et mansuetudo, in judiciis severitas, ad opem ferendam virilis strenuitas. Licebat intuèri illum munitum invicta prorsus armatura, fidei galeâ, lorìcâ justitiae, gladio spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes*. VI), scuto aequitatis impenetrabili. Atque hunc in modum praesidiis vallatus inexpugnabilibus, spiritales nequitias indefessus debellabat. Celabat illum quidem paludamentum, quemadmodum olim S. Sebastianum, sed monachum declarat frugalitas, perinde ut militantem S. Martinum. Multa illi erga commilitones benignitas, mira charitas, rara patientia et humilitas. Itaque haud secus ac parentem illum reverendo venerabantur: et tanquam dominum venerando reverebantur. Ille vero thesaurizabat in coelo,

* Inter Mosam et Sabim (*Sambre*).
** Tongres in Belgica.

ubi neque tinea, neque aerugo demolitur. Nudos tegebat, egentes alebat, laborantibus opem ferebat, pusillanimes confirmabat, pupillos tuebatur, viduis adminiculabatur, oppressorum suscipiebat patrocinia, miseris opitulabatur.

Pacis amator erat, litem rixasque fugabat:
Ceu vir Apostolicus, est omnibus omnia factus.

§ 4. At vero tanti viri convictu et contubernio Comes non mediocriter laetabatur, non dubiis argumentis crebro expertus, Domini Jesu manum esse cum illo: quippe cui, opitulante Deo, cuncta cederent ex sententia. Itaque eum aegre posset ejus ferre absentiam, raro eum patiebatur a sua praesentia abesse. Cumque aliquando pro nobilium consuetudine cum suis venatum iret, e re sua arbitratus est fore, si hunc quoque sanctum virum secum educeret. Post eum igitur venandi laborem, sole eousque progresso, ut jam prandendi hora ad cibum capiendum vocaret, Comes cum sua familia domum cogitat. At ille Dei amicus, spiritualia corporalibus anteponens, propinquam Bronii ecclesiam adit, quae cum quibusdam praediis adjacentibus a progenitoribus ejus ad ipsum successione devoluta erat. Erat enim illi praediorum ampla possessio, quippe qui nihil a Majorum suorum virtute degeneraret. Hoc vero oratorìolum jussu Pipini * principis fundatum accepimus, et a domino Lamberto Tungrensi Episcopo dedicatum: ut commodius illic divinis posset interesse officiis, utpote quod in nèmoris vicinia situm esset, ubi princeps ille saepenumero in venatione incumbere solebat. In quo etiam jucundum sane quandoque miraculum contigisse ferunt, ex saxo quodam a beato Lamberto antistite inuncto, aliquamdiu largiter oleo promanante.

§ 5. Cum hîc igitur esset vir Dei Gerardus, sacerdotem jubet accersiri, qui Christi mysteria tractet. Interim ipse, uti decebat servum Dei, orans, divinae vacat contemplationi: et dum longas ad veniendum moras nectit sacerdos, divinitus in beatum virum sopor irruit, didicitque in spiritu, sive per divinam revelationem, locum et formam oratorii, quod postea exaedificavit.

O felix somnus, felix per cuncta Gerardus,
Talia cui Dominus dignatur pandere Christus.

§ 6. Vidit enim in visione, Ecclesiae columnas Petrum et Paulum sibi adstare: quorum alter primus in Senatu et agmine apostolico, manum suam ipsius manui visus est inserere, eumque per ecclesiam et atrium familiarius circumducere. Porro sciscitante viro Dei, quid sibi ejuscemodi inambulatione velit, coepit eum admonere de construendo oratorio, dicens eum se locum sibi delegisse, et filiolum suum Eugenium martyrem ** sibi

* Heristallensis dictus.
** Quem extitisse ajunt S. Dionysii Areopagitae discipulum, postea 1.um Toletanum Episcopum; memoratur in Martyrol. XIII nov.

cooperatorem adhibuisse. Loci, inquit, hujus patronus ego esse constitui, postque Deum custos procuratorque benignus. Hac promissione exhilaratus beatus Gerardus, scire cupiebat, quo pacto res ad effectum perduci posset. Quanam, inquit, ratione pastor egregie, tanti martyris ego me sperem corpore potiturum? Respondet ei Apostolus jucundiori facie: Itane Deo quicquam est impossibile? Tu hujus rei curam in Deum et in me rejice. Porro hanc aedem a fundamento eversam, augustiorem atque elegantiorem ne differas extruere, et quemadmodum nunc tibi ostenditur, omnem ejus structuram absolvere. Interim indicabat ei et oratorii formam, et ut quaelibet ejus partes construendae essent. Jam vero sacerdos accitus advenerat, et pro more compositus, Missam celebrare volebat, nec tamen vel strepitu vel contactu eum excitare ausus erat, satius existimans, ut eum ultro ad se redeuntem sustineret. Tandem visione illa completa, beatus vir expergiscitur, et submurmurantem presbyterum ob diuturnam exspectationem, blande alloquens, his verbis compescit:

« Obsecro, serve Dei, super hoc absiste moveri.
Proficuum valde mihi somnum sic subiisse,
Condignas nequeo grates persolvere Christo,
Cujus mira brevi pausans miracula vidi. »

§ 7. Quod si quis obtrectator eam visionem phantasticam et vanam calumniari velit, convincetur ille atque pudefiet ex re plane consimili, quae in beatissimi patris Benedicti vita commemoratur: puta dormientibus discipulis, omnes eum cujusdam aedificandi coenobii officinas designasse: atque etiam cum evigilassent, adhuc haesitantes, ita eas construere jussisse, quemadmodum ex revelatione didicissent. Quinetiam sanctus Ambrosius Mediolanensis episcopus, sacro altari assistens, apud Turones legitur magni Martini solemnibus exequiis interfuisse. Sed vir Dei Gerardus, Apostolicae jussionis promptissimus executor, postquam structuram illam omnem complevit, illi basilicae munus eximium contulit ex copiosis praediorum suorum redditibus, quod satis esse posset eo in loco Domino servientibus. Instituit enim illic Clericorum sodalitatem, eosque pro data sibi sapientia docuit ad Canonem praescriptum, sive more Canonico, vivere.

Talis relligio praecessit tempore primo,
Donec dante Deo, monachorum inducitur ordo,
Rebus et officio longe praeclarior illo.

§ 8. Eo autem oratorio sic constructo, et Clericorum ministerio, ut dictum est, illic instituto, multum cogitare de thesauro coepit vir beatus, quem Apostolus ei in visione promiserat: id est, qua ratione posset consequi, ut beati Eugenii episcopi et martyris sacro corpore potiretur. In ea autem cogitatione crebro illo versante, comes Berengarius, quadam oblata occasione, divina id

agente providentiâ, legatos mittere voluit in Gallias ad illustrem comitem Robertum, quem postea constat ad regni Francorum sceptra pervenisse. Accito igitur ad se viro Dei Gerardo, solus soli explicat arcanum consilium suum, orans eum peramanter, ut ipse eam legationem suscipere velit. Nihil vero cunctatus vir Dei, cum suis ad iter se accingit, et intra dies non multos venit Lutetiam. Cumque jam ad occasum vergente sole, tardior hora non sineret ulterius progredi, quosdam e suis jubet opportunum hospitium inquirere. Ipse interim cum paucis veneranda beatorum Dionysii et sociorum ejus martyrum limina petens, Deo pias offert preces, et optata sanctorum patrocinia implorat. Eadem hora non sine nutu Dei vespertinas preces monachi persolvebant. Eorum suaves cantiones vir ecclesiasticus attentius auscultat, et cum ventum est ad eum locum, quo solet fratrum chorus Sanctorum suffragia speciatim expetere, et jam quidam nominatim expressi essent, audit etiam commemorari Eugenium optatissimum martyrem. Sed interim tamen apud se non mediocriter haesitat, sit ne ille Eugenius, cujus nomen antea in visione didicisset.

Et coepit secum tacitus deposcere Christum,
Ut se suspensum celeraret reddere certum.

§ 9. Absolutis inde vespertinis hymnis, seorsum ex primis fratribus quosdam abducit, eosque ita compellat: Obsecro vos, domini et patres carissimi, ut exiguitati meae indicare velitis, quisnam ille sit martyr Eugenius, cujus nomen inter caeteros sanctos a vobis audivi commemorari. Illi, animadversa hominis simplicitate, innocentiâ et candore, hunc in modum respondent: Ignoras, pater venerande, hunc Eugenium Toletanum fuisse episcopum? auditorem quoque patroni nostri sanctissimi Dionysii, ejusque collegam in spargendo apud infideles verbi coelestis semine? Qui tandem ditis poenarum cruciamentis confectus, coelo spiritum reddidit cum insigni triumpho, sui sanguinis imbre perfusus *. His auditis, non potuit vir venerandus animi sui celare laetitiam, sed suum illis desiderium aperiens, et ne cui id revelent, obnixe rogans, ita ait ad illos: O mihi nimium dilecti, Deoque devoti patres, si non molestum esset benignissimae charitati vestrae, mihi tantillo homuncioni hujus sancti largiri reliquias: credite mihi, sine mora par pari vobis referrem. Tum illi multum obstupefacti, Quanam, inquit, ratione fieri potest id, quod postulas, vir beate? Vix enim quisquam sufficere possit omnibus referendis miraculis, quae ab illo in Galliis patrata sunt. Unde haud secus, atque Angelum Dei, omnes Eugenium complectuntur. Crede nobis, rem sane difficillimam postulas. At ille

* De hoc S. Eugenio, ex apocryphis Actis Episc. Tolet. dicto, Areopag. Dionysii socio ac Parisiensi Martyre, leges in Append. Vol. seq. idest ad xv nov.

respondet: Ne sic, quaeso, loqui velitis patres mei, nec mihi hujus beneficii spem tam cito eripere. An vero invalida est Domini manus? Num quicquam illi difficile est? Ubi divina adest voluntas, ibi difficultas omnes ut facessat oportet. Ubi autem nulla est difficultas, non potest non praesto esse expedita et prompta facultas. Ex his verbis patres illi magnam beati viri prudentiam colligentes, animi sui propensam erga ipsum voluntatem prorsus aperiunt, ajuntque ad eum:

Eja vir Domini, perpaucis, si placet, audi:
Accipe consilium, si vis attingere votum.

Si animum tuum divinus quandoque compungeret amor, cuperesque hoc in loco monachus fieri, fortassis Deus votis annueret tuis, ut quod tantopere expetis, beati martyris corpus obtineres. Haec quidem nostri consilii summa est: tu quid tibi agendum sit, tecum ipse perpendas.

Post hos sermones abscedunt ad sua fratres:
Sanctus ad hospitium deducitur ante paratum.

§ **10**. At vero consolatoria fratrum illorum verba secum accurate, idque crebro pensitans, sub ipsa nocte manantibus ab oculis lacrymis, et ex imo pectore ductis suspiriis, tandem adversum se in has prorùpit voces: Quid agimus, anima? quid ita diligimus vana? Ecquid tandem prodest mundi hujus gloria? quid pompa fastusque omnis emolumenti habet? An non prorsus frivola sunt haec, planeque caduca? An non instar fumi et umbrae cito evanescunt? Quid ita sub ambiguo fluctuas, et dubia jactaris animi sententiâ? Mundus transit, et concupiscentiâ ejus. Spretis igitur labentibus et caducis, quaeramus, oro, permanentia. Nonne sermo Evangelicus aperte testatur: Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non posse eum esse Christi discipulum? Renunciemus ergo, renunciemus omnibus, ut Christo possimus liberius vacare et adhaerere. Haec et id genus alia dum secum tractat flens et lacrymans athleta Dei, coelo rubescente, sol terris lucem refundit, cogitque eum coepto pergere itinere. Rebus autem ex sententia confectis, non multo post ad comitem, a quo missus fuerat, regressus est. Cumque ei ordine cuncta exposuisset, jam coelestia animo contemplans, desideriis sui aestus inter alia explicat, ita dicens: « Oro te, vir illustrissime, quem Dominus Jesus voluit esse principem populi sui, ut benignas precibus meis aures accommodes. Equidem jam non parum diu sub te militiae operam dedi: at nunc haec dies aliud postulat, nempe ut de alia vivendi ratione cogitem. Itaque monastico indutus habitu, deinceps constitui habitare in domo Dei mei, ut ab omni mundi hujus curâ absolutus, uni Deo vacare queam. Noli, quaeso, noli refragari huic meo proposito, ut si quid in monasterio recte a

me gestum erit, tu, auspice Christo, ejus particeps effici merearis. » Tum vero Comes, subortis lacrymis, singultiens respondet : « Itane, amicorum amicissime, amicum prorsus unanimem deserturus es? Ecquid vero tibi in me displicuit? In te, eheu, hactenus recumbebam, in mutua inter nos concordia atque animorum conspiratione acquiescebam. Sed ut conjicio, evangelica auctoritate edoctus, gladius Salvatoris nos vult alium ab alio separare. Alioqui nisi divinitus isthuc fieri existimarem, quis te vel centìmanus gigas a meo posset complexu divellere? Nunc vero, quando tibi coelitus hic animus aspiratur, ne temere videar aspernari preces tuas, fiat voluntas Dei, et quod tu petis a me. »

Dulcia fraternis tunc imprimit oscula labris,
Edidit et talem moesto de pectore vocem:
Nostrae pars animae, nostri memor esto, valeque.
Atque gemens valde, permisit abire gementem.

§ II. Porro vir Domini inde recedens, ad Tungrensem episcopum Stephanum recta proficiscitur: ut quia post summum pastorem, pastor ejus erat, ab eo hac in re et consilium peteret, et facultatem. Plurimum enim id sibi profuturum credebat, si cum episcopali benedictione hostia viva Deo offerri mereretur. Ab illo autem ea, qua par erat, reverentiâ acceptus, sive quod ei cognatus esset, sive quod ejus sanctitatem optime nosset, inter mutua de rebus salutaribus colloquia, aperit ei causam adventus sui. At venerabilis antistes, ut erat et in Scripturis eruditissimus, et ore facundissimus, multis eum verbis praemonère coepit, ita dicens: « Equidem, fili mihi carissime, non dèrogo quicquam devotioni tuae: sed tibi summopere cavendum est, ne ausus sis in humeros tuos sarcinam imponere, quam postea, velis nolis, cum ignominia deponas. Animi tui propositum non potest non plurimum commendari, sed etiam perfectioribus viris formidabile videri potest. At tu ignoras, in mille sese formans transferentis Satanae versutias? Quod ergo vix potest clericus, divinae scripturae clypeo munitus, quonam pacto laicus sibi promittet, eo praesidio destitutus? » Ad quae Christi tyro sic respondit: « Et ego, mi pater, haec ipsa non semel reputavi mecum: sed non ego meis nitor viribus, sed Domino commendans corpus et animam, mundi hujus gloriolam cum suis oblectamentis contemno. » Tum rursus Episcopus: « Quando, ait, fili carissime, animo te video esse fixo et obfirmato, ne videar dissuadere, quod potius hortari et persuadere debeam, si quid vovisti Domino, id reddas: melius est enim non vovere, quam post votum promissa non reddere. » Deinde ab omnibus eum peccatis absolvens, summae Trinitatis signaculo consignat, et cum eum osculatus esset, hanc adjunxit benedictionem:

« Jesu, summa salus, hominum qui respicis actus,
Cui nihil occultum, cui pectora nostra loquuntur:

Ad bona, posco, tuum benedicens dirige servum,
Ut tua jussa colat, et te super omnia quaerat,
Ut tandem aeternae comprendat praemia palmae. »

§ 12. Hoc ergo munitus viatico, vir beatus ab Episcopo cum spiritali gaudio recedit, Parisiosque ocyus rediens, et beati Dionysii optata revisens limina, in omni obedientia, humilitate et patientia probatus, quemadmodum in sua Regula docet sanctus pater Benedictus, raso capite et barbâ, monasticum induit habitum, eique monasterio donavit, quae juris ipsius essent in Lotharingia *. Nolens autem torpère otio, quod sciret animae esse inimicum ac perniciosum, obnixe rogavit, ut liceret ipsi litteras addiscere. Quod cum valde admirarentur fratres, velle hominem jampridem barbatum, ad puerilia litterarum studia applicari, ille rogare et instare non destitit. Itaque uni e fratribus traditus est litteris imbuendus. Ut vero plus etiam mireris ejus humilitatem et solertiam, ipsa prima litterarum elementa instar quinquennis pueri addidicit. Nec quicquam de suo proposito remittens, intra paucos dies totum Psalterium memoriae commendavit: neque id mirum, cum nulla sit ad discendum mora, ubi doctrix adest gratia Spiritus Sancti. Deinde proponuntur ei sacri codices, et ille divinis dogmaticis praeclare eruditur: et sicut apis sedula per pratorum vòlitat flores, ut mella comportet: ita et ille sanctorum Patrum scripta lectitans, divini favos eloquii ab illorum melliflua doctrina excipit, suoque in pectore sacra mandata recondit. Nec interim tamen ullo tempore rètrahi se sinit ab exequendis illis, quae Canon monasticus juberet: immo vero in cunctis actionibus suis illum ceu magistrum sibi proponit. Id Prior et fratres tacite contemplantes, et qualis quantusve foret, haud obscure pervidentes, ne lucerna sub modio lateret, idoneum censent, qui sacris initietur. Paulatim igitur promotus, etiam presbyterii gradum attigit, quippe qui omni probitate et integritate conspicuus videretur. Etsi autem plane recusaret, et multis modis indignum se clamitaret, at tamen a Priore et fratribus victus, illorum coactus est cedere voluntati, ne obedientiam negligere videretur, quae caeterarum virtutum comes esse solet. Ita ergo altero suae conversionis anno Parisiis a Theodulpho episcopo minores accepit ordines, et tertio ab eodem antistite hypodiaconus ordinatus est. Ab ejus vero successore Fulrado, anno quarto a conversione sua, diaconus est ordinatus. Porro nono anno jam virtutibus sublimiter ornatus, etiam sacerdotio initiatus est a Fulradi successore, Adelelino.

Tale charisma tuis, bone Christe, fidelibus addis,
Qui mentem stolidi, prudentem reddere nosti.
Ecce rudis laicus divino dogmate doctus,
Sacris Ordinibus reperitur magnificatus.

* Antiquus Lotharingiae Ducatus, qui deinde *Lorena* nuncupatum fuit.

§ **13**. Per id tempus illo in monasterio religiosa monachorum congregatio florebat, quorum pectora non nisi coelestia suspirare, permulta virtutum documenta declarabant. In quibus etsi beatus Gerardus ordine postremus erat, magno tamen opere in id incumbebat, ut nulli esset virtutum studio et exercitatione secundus. Seniores honore praeveniebat, juniores amore et benevolentiâ complectebatur, corpus suum macerabat inediâ, crebro in precibus pernoctabat. Cunctis ex animo se credebat inferiorem, in omnibus se Dei ministrum exhibebat. Canonis monastici cultor erat strenuus, ab ejus legibus deflectere plane reformidans. Quod habitu prae se tulit, moribus et vita praestare contendebat. In vestibus ejus vilitas, in victu parcitas cernebatur. Ad obedientiam promptum, ad injuriam patientem se praebebat. Voluit corpus suum humiliare in terris, ut anima quandoque in coelis exaltari mereretur. Quanta ergo superiores humilitate, erga omnes humanitate et benignitate fuerit, quis vel verbis èloqui, vel scripto comprehèndere queat? His vero et consimilibus virtutum floribus redimìtus, omnibus tam magnis, quam pusillis, ex animo carus erat: tantique fiebat a fratribus, ut communi omnium sententia decretum sit, ne quid magni momenti intra monasterium absque eo consilio fieret.

§ **14**. Sentiens autem ille opportunum petendi tempus adesse, et beati Eugenii martyris sacras reliquias impetrandi, fratres pariter congregatos sic allocutus est: « O patres et domini mei, o divinae religionis cultores eximii, o coeli senatores, intra curiam coelestis paradisi degentes: quas ego vobis gratias referre possim, qui me peccatorem et in procellosi hujus seculi fluctibus naufragium facientem, in tranquillum vestri coenobii portum comiter recepistis? Non est certe hujus ulla apud me facultas, nec possum unquam tanto beneficio par esse. Sed tamen potest abunde sarcire Deus benignitate sua, quod hominis fragilitas praestare non potest. Quorsum autem haec mea tendat oratio, paucis vos accipere velim. Cum adhuc secularis me habitus teneret, et aulicae curae plurimum occuparent, sicut mihi testis est Deus, divina mihi dormienti se visio obtulit, admonens, ut in principis Apostolorum et ejus filii martyris Eugenii honorem, in ditionis meae angustiis oratorium extruerem. Parui ego, et Domino adjuvante, brevi illud absolvi, clericisque illic Deo servituris attribui, addens pro mea tenuitate, quae illis ad victum vestitumque sufficerent. Cum sit igitur de hoc martyre divinitus apud me facta mentio, supplex oro et obsecro vos, praesertim cum singularis ecclesia vestra tot sit sanctorum instructa luminibus, unde tota possit Francia illustrari, ut ea, quam dixi, inops basilica a me condita, hoc thesauro ditetur, et vobis reddat Deus gratiam in praesenti, gloriam in futura vita. »

§ **15**. Respondent unanimiter fratres (divino enim instinctu

permoti, non poterant abnuere, quod petebatur): « O Eugeni, clarissima martyrum gemma, quis pro dignitate tuas possit laudes depromere?

Gallia nonne tuis virtutibus enitet omnis?
Nemo tuum petit auxilium, quin impetret illud:
Nam cunctis nôsti languoribus ipse mederi. »

Deinde ad virum Dei: « Magna quidem, inquiunt, postulas, pater dulcissime, et quae cuivis, te dempto, possent justissime negari. Sed quando, ut ais, divinae sic placet voluntati, et optime de nobis merita est tua inter nos imitanda vitae conversatio, cum multa animi propensione et alacritate assentimur piissimis precibus tuis. Nostra enim inter nos omnia et sunt et oportet esse communia, magis vero cum fraternitate tua, cujus facultates nostra ecclesia possidet. Quamobrem et eum, quem petis, beatissimum Eugenium sponte damus, et aliorum quoque reliquias non negamus.»

§ **16**. Quibus auditis, quo tunc animo fuerit vir Dei, quisque ex seipso, modo sic affectus sit, facile potest intelligere et aestimare. Post haec, salutifera optatissimi martyris theca exponitur, quovis auro pretiosiores illius artus continens: eaque ut par erat, honorifice ab aurifice fabrefacta, beato viro traditur ad sua, ut diu desiderarat, asportanda *. Nemo vero hic a nobis ob fidem faciendam exigat nomina eorum monachorum, qui tunc apud S. Dionysium fungebantur ministeriis, quos officiales vocant, cum illos nominatim expressos contineat ipsa sancti martyris translati verissima historia. Neque tamen unius dumtaxat corpus, sed multorum etiam aliorum sanctorum pignora illinc eum asportasse constat, quae undecumque collecta illic fideliter reposuerat. Immo sane, quod vix credibile videtur, fertur etiam unum ex innocentibus pueris, cum coaetaneis ab Herode rege cruentissimo occisum, secum attulisse, qui in Broniensi ecclesia certissime habetur. Quod si cui id dubitationem affert, ex Lieraldo abbate percontetur, qui huic beato viro in coenobii Mosoniensis gubernatione successit, qui cum eo praesens ad clandestinam tot reliquiarum compositionem, demirari solebat, Broniensis ecclesiae angustiis tam mirabilem contineri sanctitatem. Denique fratres viro Dei valefacientes, eum cum sociis a se dimittunt. At ille clanculum profectus ob indigenarum metum, ne forte illi perciperent tantum ipsis ereptum thesaurum, prospero cursu pervènit ad pagi Lomacensis praedium Cuvinium, ubi duo ex S. Germani coenobio monachi degebant, cujus tum erat fundus ejus loci.

* Haud integrum sane thecâ illa S. Eugenii corpus continebatur: sed totum hic pro parte, ut fit, est accipiendum; cum constet, Mabillonio teste in *Annal. Benedictinis*, et ex gravissimis hispanis atque Parisiens. historiographis, diu post S. Gerardi obitum, saeculis videlicet x et xvi insignes valde S. Martyris Reliquias, in Hispaniam fuisse delatas.

unanimiter illic in sancti abbatis Venantii obsequiis cura pervigili excubantes. Eorum explorata satis fidei S. Eugenii pignora commendans (jampridem enim illi erant familiaritate conjuncti), non alienum putavit adire Stephanum Tungrensem episcopum, ut quia tam insigne in ejus dioecesim margaritum importabat, ejus ea de re sententiam audiret.

Sic decorare suos consuevit Christus alumnos.
Hic, spretis opibus, ejus mandata secutus,
Unde nitet patria, cum merce repatriat ista.

§ **17**. Postquam autem vir Dei inde digressus est, beati martyris corpusculo illic relicto, ecce edictum proponitur per loca vicina omnia, ut utriusque sexus frequens caterva certatim ejus in occursum pròperet, et magnum Eugenium, cum magno euge, introducant in locum illi, jubente Deo, praeparatum. Hac Episcopi benigna responsione vir Dei non mediocriter animatus, et ejus auctoritate confirmatus, celeriter Cuvinium revertitur, optatissimi martyris pignus repetiturus. Quod ubi recepit, inter ingreditur, ac Bronium versus, directo tramite, tendit.

§ **18**. Ecquis vero satis referre queat immensam populi turbam, in martyris occursum, cujus fama jam omnium aures impleverat, undique properantem? Ea enim fama

Multos urgebat, multos properare monebat.
Procurvus fossor venit, et defessus arator:
Cernere subulcus desiderat atque bubulcus.
Servus et ingenuus commixtim convolat illuc.

Quis enim martyris praetereuntis rumorem auditione accepit, et domi devotus desesque resedit?

Vix capiunt patuli populorum gaudia campi:
Munera comportant, devota voce salutant.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
Dulciter hymnidicas plebs omnis concinit odas.

§ **19**. Tollunt ad sidera voces, et Dei magnalia concelebrant. Videres iter illud non modo sine labore confici, sed etiam cum magna animorum alacritate, cum jucundo laetantium jubilo. Crederes coelum ipsum arridère blandissima aëris serenitate. Ubi autem haec ad notitiam venere Adelhelmi archidiaconi, viri morum nobilitate clarissimi (sub ejus enim Archidiaconatu haec gerebantur), accitis clericorum ordinibus, iisque Crucis vexilla sanctorumque reliquias sive patrocinia congruenter praeferentibus, non modico etiam coetu promiscui sexus adunato, e coenobio sancti Foillani derepente obviam processit. Postquam autem propius sacrum feretrum beatissimi martyris accessit, tertio se humi prostravit: faciunt idem sui omnes, tundunt sua pectora prostrati, tundentesque confitentes lacrymas edunt et suspiria opportuna remedia implorant, et Deo poenitentiae sacrificia promittunt.

Porro spiritali gaudio compunctus Archidiaconus: « Omnes, inquit, Deo gratias agamus, visitavit enim nos oriens ex alto, et obscura vitiorum caligine sordescentes, tanti patroni gratuito lumine illustravit. Quanta vero illic extiterit exultatio, utroque populo pariter congregato, quis scripto explicare queat? Prae nimia sane laetitia multorum oculi dulcibus madebant lacrymis. Et quis tandem ita ferreo sit pectore, ut sub hoc spectaculo piae compunctionis expers esse queat? Salutari illi sàrcinae alii post alios succedere, illam vel contingere, exosculari, venerari, muneribus prosequi, provehere percupiunt et laetantur. Psallebant àlacres, resonabant undique laudes. Omnes excelsa voce *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis Deo, Te Deum laudamus*, concinebant. Omnia illic praepotentis Dei laudibus personabant: Aetheris arx reboat, concentu terra resultat. Juga montium, vallium concava, densitas nèmorum reciprocas reddunt voces. Illuxit ne, putas, unquam lux laetior usquam?

§ **20.** Tali igitur cum jubilo, tanto cum tripudio Archidiaconi humeris, martyris reliquiae Bronio illatae sunt, atque in beati Petri Apostolorum principis oratorio, loco divinitus illis destinato, repositae. Rursus autem offeruntur munera. promittuntque sese in posterum ejus patrocinia libentissime frequentaturos, sive crebro adituros. Ea tam jucunda translatio ìncidit in beati Agapiti martyris ferias, id est, mensis Augusti decimumoctavum diem. Statutum est autem una omnium tam Cleri quam populi sententia, ut quotannis cultu celeberrimo recolatur. Omnibus festivo gaudio peractis, ad sua quisque reversus est. Quisquis autem hujus sancti suffragia fide non ficta èxpetit, celeriter ea experìtur: gravissime testante vicinia omni, ab eo die, quo eo advectus est, multa ipsos inusitata subsidia persensisse: et ut quondam in Galliis per innumera miraculorum signa beneficum se exhibuit, quemadmodum testantur in scripta relata miracula: ita etiam nunc in Lotharingia crebrioribus virtutum impendendis beneficiis, munificum se praebet.

§ **21.** At vero longe lateque virtutum seu miraculorum ejus famâ increbrescente, coepit ad ejus memoriam undique multa hominum turba, perinde ut apes ad alvearia, confluere pro viribus quisque munera offerentes multa cum animi devotione. Adventant plurimi et ex propinquis et ex longinquis locis, votiva dona permulta apportant piissimo martyri, ad afflictis ferendam opem semper paratissimo.

Adveniunt multi, commissa ob crimina moesti:
Sed precibus sancti, redeunt ad propria laeti *...
Qualiter hic vixit, quisnam depromere possit?

* Quaedam manifeste commentitia et fabulosa rescindere visum est.

§ 22. Hac tempestate Giselbertus dux erat Lotharingiae, vir quidem magnae dignitatis et potentiae, si tamen meminisse et intelligere voluisset illud Davidicum: *Homo cum in honore esset, non intellexit* (*Ps. 48*). Erat enim gener Henrici regis celeberrimi, in matrimonio habens sororem * Othonis, postmodum praestantissimi Imperatoris. Nec illud obscurum est, ut idem Giselbertus et Francigena Eberhardus, copiis magnis, Rhenum transmiserint, et circumquaque Sàxonum vastata provinciâ, cum multa praeda ad idem flumen reversi, ut in patriam redirent, ibi cum suis ab exercitu non magno, immo exiguo, Othonis caesi sint, illo in Alsatia rei exitum praestolante, et divinum implorante auxilium. Ubi sane chronographus ejusmodi verbis utitur: Eberhardus gladiis occiditur, Giselbertus Rheni undis submergitur: quas quia exsorbère prae multitudine non potuit, anima recedente, defecit. Sicque completur vaticinium Psalmographi, dicentis: *Homo cum in honore esset, non intellexit*. Nam propter regni ambitionem haec illis evenêre.

§ 23. Ei duci Giselberto, cum adhuc honor illi suus constaret, Christi confessor Gislenus **, qui in Hainoënsi quiescit territorio, nocte intempesta per visum apparuit, et querelis miscens preces, sic ei locutus est:

Dormis, an vigilas, nimium labentia curans?
Giselberte, meam complens attende loquelam.
Da mihi Dux unum, supplex efflagito, scutum,
Quo communitus oppugnem fortiter ictus,
Quos inferre mihi non desistunt inimici.

Cui heros Giselbertus ita per jocum respondit: « Quorsum tibi, sancte Dei, bellicus clypeus? Scuto divinae protectionis semper et ubique munitus, non indiges nostris, ut equidem arbitror, armis.» At sanctus obscurius dicta explicans, « Ne forte, inquit, suspensum te habeat sermo ambiguus, noveris me diutius ferre non posse quotidianas contumelias, quibus afficiunt Ursidongi Cellenses clerici: In meo enim coenobio nulla omnino religio exercetur. Omnes quae sua sunt, quaerunt: quae tamen Dei sunt, ea nihilipendunt. Corporis quidem mei glebam vehunt et rèvehunt per terram, sed eo tantum, ut fidelium liberalitate se expleant. Interim me nec lacessere desinunt, nec quiescere sinunt: et ut rem totam paucis expediam, nulla apud eos est reverentia nostri. Sed quia Lotharingia tibi paret, obsecro te per Christi nomen, ne differas idoneum mihi pastorem inquirere, sub cujus tuto moderamine pauxilla possim requie potiri. Quod quidem ut obtinere queas, a me paucis accipe: Est in pago Lomacensi locus, quem Bronium vocant, in quo quidam Gerardus

* Cui nomen erat *Gerberga*.
** De quo infra ad diem xi Surius.

degit, verus Christi servus, in angusto domicilio divinae contemplationi vacans, in ipso videlicet monasterii vestibulo. Eum mihi assume, et coenobii mei curam illi demanda: siquidem ad id muneris nemo in hac regione mihi illo magis idoneus videtur.» His dictis, visio disparuit.

§ **24**. Ut autem lector intelligat, quid hae beati Gisleni querimoniae velint, nosse debet, habuisse eum hodieque habere oratorium eo in loco, quem alii Cellam, alii Ursidongum vocant. Erant autem aliquot ibi instituti seu deputati Clerici in ministerium S. Gisleni, regularis disciplinae prorsus ignari, nec ut sunt hodie canonici, sed quales sunt, quos Matricularios vocant. Ii vero partim rei familiaris inopiâ compulsi, partim avaritiae morbo incitati, sacra beati confessoris ossa sive artus suis numeris per vicos et plateas solebant cantitando quaestus causâ circumferre. A qua temeritate cum non cessarent, sed magis magisque in ea progrederentur, justissima indignatione commotus, non passus est sanctus confessor id eos impune diutius ferre. Permisit itaque se a piis (ut ita dicam) furibus auferri, qui quodammodo moleste ferebant eam sancti viri injuriam: vel, ut dicamus id, quod est vero similius, qui plus delectabantur commodis suis, quam alienis. Id ubi compererunt Cellenses illi clerici, sero agnoscentes culpam suam, non mediocri sane et moerore et pudore sunt affecti.

§ **25**. Porro Giselbertus non immemor visionis, eam ad effectum perducere volens, accersit Cameracensem (*Cambray*) episcopum Tietdonem et Raginerum Hainoënsem (*Hainaut*) comitem, iisque quicquid ea visione acceperat, exacte commemorat. Et cum ab eis peteret consilium, illi ajunt se nihil audere consulere aliud, quam quod divinitus facere jussus esset, praesertim cum Gerardus pro vitae sanctimonia toti jam provinciae innotuerit. Tum Giselbertus ad eos: « Ocyus ergo, inquit, ad virum Dei abite cum virga pastorali, eumque, velit nolit, curam hujus Ecclesiae suscipere compellite.» Illi mox accinguntur ad iter; perveniunt ad locum optatum; perquirunt passim de servo Dei; reperiunt eum in cellula secretiori delitescentem, salutant officiose, in mutua charitatis oscula ruunt. Cumque itineris sui causas ei exposuissent, et quod ea legatio, Deo auctore, suscepta esset, ille, ut erat columbina simplicitate, sic illis respondit: « Qua ego ratione id efficiam, quod exigitis, patres carissimi? Ego, inquam, mundi hujus vanitati nuncium remisi, et divino amori omnia posthabere decrevi. Vos ipsi, quaeso, ferte sententiam, num mihi isthuc expediat. Novimus quid Apostolus dicat: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus* (*Tim.* II). Oro, ut me sinatis tali sàrcinâ liberum, plangendis vacare peccatis meis. Atque sane indignum me hoc munere confiteor, nec possum in me recipere, quod vultis: neque enim idoneus sum qui aliis praesim. Non

suppetunt vires, sanctitatis mihi nulla sunt opera. Innocentis vitae regulam cum ipse non sim consectatus, nulla apud me fiducia est recte fungendi Ecclesiasticae gubernationis ministerio. » Ad eam excusationem legati responderunt: « Per Christum te rogamus et obtestamur, dilectissime pater, et sacerdos piissime, uti ne gravatim nobiscum proficiscaris, et ad te sustinentis Ecclesiae gubernacula accedas. Non te latet, ab eodem dici Apostolo, *ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (ad Rom. XIII): nec illud te fugit, quod ab coeli janitore dicitur: *Sive Regi quasi praecellenti: sive ducibus, etc.* (I. Pet. II). Neque vero id nos petimus, ut religionis cultum deseras, vel ut lenocinantis mundi luxus rèpetas: sed ut ex hac caverna egressus, exemplum praebeas sancte vivendi fratribus, tua ope valde indigentibus. Et par est, fortem ac strenuum Dei militem non intra monasterii abscondi latibula, sed potius in ipsum certaminis campum ingredi, et cum hoste manus conserere. Nec tibi tua unius debet salus sufficere: sed etiam fraternae aequum est saluti providere, cum possis prodesse multis, tum verbo exhortationis, tum religionis et pietatis exemplo. Christus in Evangelio dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus:* et: *Nemo lucerna accendit, et ponit sub modio* (Matth. v). Sed quid multis opus est verbis? Noveris pro certo, hujus inobedientiae rationem te redditurum in die illius tremendi examinis, nisi et nostris precibus, et fratrum saluti morem geras, maxime cum sic velit Deus. Tum vir sanctus lacrymans, dixit: « Decreveram quidem solitarius degere, et mea peccata lacrymis diluere: sed ut video, velim nolim, cogor illum propositi rigorem remittere. Neque enim ausus sum venire contra voluntatem Dei, nec debeo Ducis jussa et vestras aspernari preces. Itaque prout ferent vires, fratrum necessitati subvenire constituo. Et nunc sine mora ibo vobiscum, tentabo quod jubetis: potest Deus perficere, quod a me fieri non potest. » His auditis, mire gratulantur legati, pedum pastoritium tradunt ei in manus, animi ejus moerorem hujuscemodi sermone levare conantur: Eja pastor sanctissime, matura proficisci ad ovile tibi commissum, et summi pastoris fretus adjutorio, luporum rictus fortiter coërcere enitere, ne forte, quod absit, errantes oviculae ab illis devorentur. Deinde eum secum abducentes, non absque incredibili Broniensis ecclesiae luctu, celeriter Ursidongum repetunt: et cum ei ex sacrorum canonum praescripto, Ecclesiastica donatione Abbatiae illius supellectilem omnem assignassent, Abbatem eum constituunt. At ille clericorum illic degentium non bona vita accuratius investigata, cum etiam antea teter odor malae illorum famae ad ipsum perlatus esset, consultum existimavit, ut ab illa ecclesia excluderentur. In eorum autem locum substituit dignam Deo monachorum sodalitatem.

§ **26**. Non diu post animadvertens, non illic haberi sacras

beati confessoris Gisleni reliquias (jam ante enim diximus sublatas fuisse), immenso animi dolore corripitur, nesciens quid in tam inaestimabilis margaritae dispendio faceret. Itaque e suis quosdam ad se vocans, iisque sui animi angores exponens, quaquaversum eos mittit exploratum, possit ne certi quippiam resciri, ubinam thesaurus ille lateat. Illis vero frustra laborantibus, et perlustratis circumquaque omnibus, nihil certi renunciantibus, tandem divinitus ei venit in mentem, ut ejus rei causâ Melbodium proficiscatur. Abit Melbodium, et in ipsius oratorii ingressu ab introëuntibus subauditur cujusdam tintinnabuli sonus crebrior, cunctis ignorantibus, et, ni fallor, ipso etiam Dei servo nesciente, quid is sibi velit. Fusa autem prius oratione attentissima, Dominique clementia implorata cum lacrymis, ut sanctum suum indicare dignetur, ex ejus ecclesiae habitatoribus cum summa modestia percontatur, habeant ne vel exiguam earum reliquiarum notionem atque conscientiam. Illi persancte jurant, sibi prorsus nihil de eis constare: quinetiam stomachantur et indignissime ferunt se in sacrilegii suspicionem vocari. Tum vir Dei cum multa animi tranquillitate: « Ne, quaeso, inquit, filioli isthuc moleste feratis: potest Christus pro sua benignitate rem omnem nobis revelare. Ubi enim humanum deficit, divinum auxilium oportet. » Nocte sequenti viro Dei in oratorio pernoctanti, et Deum obnixe deprecanti, sanctus Gislenus, stola indutus apparet, atque ad illum: « Cur, mea causa, amice Dei, tantum tibi laboris et molestiae sumis? Sed nunc disce ex me certissime, ubi sit, quod quaeris.

§ 27. « Ecce super lacunaris tabulatum, quod imminet capiti tuo, unde heri tintinnabuli sonus ab admirantibus auditus est, indecòre repositum est corpusculum meum. Nolim autem neque te, neque posteros latere tuos, non id absque Dei nutu accidisse. » His dictis, in coelum abit. At vir Dei ea visione haud vulgariter exhilaratus, gratias agit Deo, ne ingratitudinis argueretur. Ut vero primos coepit aurora cursus provehere, cum suis in tabulatum ascendit, quaerit sacros artus, inventos prae gaudio lacrymans inde deponit, sociis itidem flentibus, munda involvit sindone, atque in feretro decòre componens, hymnos Deo laetus depròmit, atque iter ingreditur, illos secum asportans. Ecquid vero animi tum Melbodiensibus fuisse putamus? Clerus cum populo pudefactus conticuit, et viri Dei non ferens vultum, in latebras sese abdidit prae rubore. Non fuit ibi quisquam, qui vel mutire auderet. Completum illic fuit, quod Propheta ait: *Omnis iniquitas oppilabit os suum* (*Ps.* 106). Ejus rei fama velox passim volitans, finitimos populos certatim eo properare compulit, clamantes atque dicentes: Salve sancte Dei, cineres salvete recepti. Omnimodas summae Trinitati et tibi gratias agimus, quod corporis tui prodidisti celatores, versipelles et subdolos pudore affecisti, tuarum merita

virtutum declarasti. Quod genus est monstri, sanctorum reliquias suffurari? Ubinam sunt illi, qui tantum in se scelus admisère? Ubinam gentium degimus? Revera cum scorpionibus habitamus. Haec et his pleraque consimilia dicentes, et ob repertas sacras reliquias inter se gratulabundi laetantes, applaudebant venerabili sàrcinae. Ibant clerici cum monachis cantantes, Crucem et vexilla ferentes manibus: sequebantur eos non parva utriusque sexus agmina, nihilo minus Domino festive jubilantia. Ita cum ingenti Cleri populique tripudio, singulari industriâ ejus viri, de quo nobis sermo est, almus confessor suo est loco honorifice restitutus. Ubi deputatis coenobitarum excubiis, Domino Jesu Christo, qui est laus Angelorum, continenter laudes promuntur, ejusque emerito confessori venerabilis laudatio, et laudabilis veneratio exhibetur. Ut autem in sacrilegos inquisierit, et in convictos animadverterit Cameracensis antistes, nihil hic commemorare necesse est, praesertim cum in sancti confessoris gestis annotatum sit. Verum ne Giselbertus dux sine laude a nobis abscedat, fuit ille erga S. Gisleni locum sive monasterium satis humanus, et valde munificus, quaedam praedia subtrahens militibus suis, quibus non pauca beneficii loco contulerat, eaque jure perpetuo possidenda trahens ibidem Christo militaturis. Ubi sane unum est, quod moneo, repetens iterumque monebo. Tibi dico Ursidongi Cellensis monache, qui ducis Giselberti largissima stipe victitas, vide ne sis aliquando immemor animae ejus, sed incomprehensam clementissimi Salvatoris benignitatem precibus importunis pulses, Aurea perpetuae ut contingat praemia vitae. Et ne forte desperandus obmurmures, quod adversus dominum suum Romanum principem rebellarit: cogites eum durissima morte luisse poenas, et Dominum Jesum non bis vindicare in idipsum. Sed nunc, unde deflexit, eo sese nostra referat oratio.

§ **28**. Curâ hac pastorali susceptâ, de qua jam nonnihil egimus, uti sese in omnibus gesserit venerabilis abbas Gerardus, obtusus stylus noster certe exarare non potest. Ne tamen coeptae videamur materiae succumbere, et doctis ludibrio simus, quod juxta illud Evangelii, aedificare quidem coeperimus, sed non possimus consummare: ambiamus, multa precum instantiâ, ejus, de quo agimus, suffragia. ut Sancti Spiritus gratiam nobis conciliet efficacissima intercessione sua, ut ea nobis dicenda suggerat, doceatque hebetudinem nostram. Ille ergo beatus pater apprìme monasticum edoctus Canonem, fratres suae curae commendatos duplici ratione instituebat. Nam convenienter saluberrimae beati Benedicti doctrinae, capacioribus discipulis Dominica verbis proponebat mandata, simplicioribus vero èadem factis suis demonstrabat. At tamen omnia illa, quae subditis vitanda dicebat, suis quoque exemplis cavenda astruebat, instar scribae

doctissimi, de thesauro suo nova et vetera proferens: eratque talis ejus doctrina, qualis et vita. Et quia animarum curam sibi demandatam noverat, ad reddendam rationem se sollicite praeparabat. Auream mediocritatem in omnibus consectabatur, malebatque subditos amore ducere, quam timore compellere. Et cum Christi vices gerere non ignoraret, adeo se omnibus conformare et accommodare studebat, ut mira quadam charitate omnium moribus servire videretur. Illis virtutibus, quibus, teste Scriptura, nihil in vita hominibus utilius est, praeclare instructus fuit, prudentia, temperantia, fortitudine, et justitia, ut recte illud Senecae ei possit accommodari, Viri sacri corpus virtutes aedificasse. Quotidie fere Missarum peragebat solemnia, salutaris passionis memoriam celebrans: ut qui mortuus erat terrenis voluptatibus, et divitiis spiritalibus vivebat, semper Dominico corpori concorporatus, omnes teterrimi hostis infestationes et incursus profligaret.

§ **29**. Cum autem pro more quandoque sacrum celebraret mysterium, et Dominus Jesus jam vellet lucernam ardentem super candelabrum ponere, ut lucèret omnibus in basilicam ingredientibus: quaedam illic femina adfuit ex vico Buxuto, qui Cellae propinquus est, jampridem luminibus orbata. Eam cum rogarent alii, quid illic sustineret, aut qua causâ eo venisset, divinam, inquit illa, exspecto clementiam, et Abbatis hujus, viri Dei, humanitatem: simulque modeste quendam ex adstantibus attrectans, ei voce lugubri in aurem insusurrat, Quaeso te, inquiens, mi domine, per immensam Dei misericordiam, ut miserae mihi eam porrigas aquam, qua post sumptam Eucharistiam servus Christi Gerardus abluet manus suas. Eam ut accepit, omnipotentis Dei virtutem ac beati viri fidem fideliter implorans, cum ingenti devotione pitissando sorbillavit, et faciem illâ abluens, caecasque humectans pupillas, eàdem horâ lumen recepit, et clarissime intuens ipsam inspectantes, ad viri Dei vestigia cum multa gratiarum actione provoluta est. At ille comiter eam èlevans, blandeque corripiens: « Desiste, inquit, filia ab hac cultus et officii specie, nec meae exiguitati donum Dei insipienter adscrìbas. Nam per fidei tuae meritum, et devotae spei accessionem, virtus sacramentorum tibi tuos reparavit obtutus. Abi igitur in pace, et soli Deo gratias age. » Tum illa, quae prius alterius ductu eo venerat, nullius egens ministerio, gratulabunda recessit. Ejus miraculi fama cito longe lateque diffusa, in laudem Dei et servi ejus venerationem permultos excitavit.

O lux vera Deus, cunctorum conditor unus:
Secula per cuncta tua sit promissio vera.
Vos, inquit, Sancti, vos estis lumina mundi,
Nec valet in tenebris abscondi lux probitatis.

§ **30**. Per hoc tempus Arnulphus Marchio Flandriae dominabatur, vir valde opulentus quovis genere divitiarum, uti hodieque claret in ditiori ejus sobole. Is morbo gravissimo vexatus, nullam ex tantis opibus ei potuit adhibere curationem. Recte in eum quadraret versus ille: Aeger dives habet nummos, se non habet ipsum. Perpetuis enim cruciamentis conficiebat eum calculus, morbus intolerabilis, urinae meatus obstruens. Multi quidem ad eum advolabant medici, suam peritiam egregie jactitantes, ut scilicet a pecunioso homine nummos et lautas epulas emùngerent. Ajebant illi incisione opus esse, et sine ea nullam ei posse fieri medicinam. Sed princeps vèritus, ne, dum vitae remedia captat, vitam prorsus amittat, non patitur se ulla ratione incidi. Porro medici animum ei addere volentes, illo inspectante, octodecim eodem affectos morbo inciderunt, eosque omnes, dempto uno, qui mortuus est, brevi curarunt. Sed ille unus e vita ablatus, facile confirmavit comitis animum, ne se pateretur incìdi. Tandem Deo suam illi gratiam aspirante, ad se reversus, spem, quam inconsulte in hominum arte posuerat, in eo collocat, qui omnia curat solo sermone. Hausto autem bono odore famae beati Gerardi, praesertim ex illuminatione caecae mulieris, submisse admodum per celerem nuncium eum rogat, ut ad ipsum venire ne gravetur. Venit ille, et princeps honorifice occurrit venienti, eumque, ut par erat, officiosissime excipit: indicat cum lacrymis morbi acerbitatem: orat, pro ipso Deum omnipotentem ut deprecetur. At vir Dei, « Crede mihi, inquit, mi frater, non ego tantae mihi virtutis aut meriti conscius sum, ut tu quicquam ejusmodi a me homine vilissimo rem tam difficilem exigas. Si vis perfectam, Domino committe, medèlam. » At comes ediverso: « Sentio, inquit, mi pater, quid velis: occasionem quaeris, ne id mihi praestes officii. Sed quaeso te, praepotentis Dei benignitate fretus, ne mihi differas adferre remedium, quod ego certissime mihi in tanta doloris acerbitate per tuas preces adfuturum polliceor. Noli, obsecro, inhumanum te mihi exhibere, sed miserere mei, hominis moribundi, ut tui quoque Deus misereatur.»

§ **31**. Beatus vir sic respondit lacrymanti: « Ne videaris frustra a me petiisse remedium, indicabo tibi, quid facias. Jacta semper in Dominum cogitatum tuum, et quia multis auctus es divitiis, aliquid ex iis erogato in pauperes, et poteris abolère enormitatem scelerum tuorum. Propter peccata enim interdum ejusmodi mala àccidunt. Ubi vero hac ratione Christum tibi propitium reddideris, etiam optatam licebit recuperare salutem.» Ad haec comes: « Gratissimum est, inquit, quod hortaris, serve Dei, modo possim Christi experiri clementiam. Et ecce instar Zachaei illius Evangelici, dimidium bonorum meorum do pauperibus, si tamen sopiri queat morbus saevissimus, me misere depascens. » Deinde praecipit domesticis suis, ut fideliter sancti viri

consilium exequantur. Porro autem indicit ei vir Dei triduanum jejunium, ipso pariter cum illo jejunans, ut ea victus parsimoniâ purificati, immo spiritali refectione recreati, dignius ad Christi percipienda mysteria ambo accederent. Eo jejunio religiose, ut res exigebat, expleto, sanctorumque suffragiis lacrymose imploratis, vir Dei divinis accingitur armis, Missamque suo more lacrymabundus celebrat. Cumque jam sacram sumpsisset Eucharistiam, et Marchioni quoque inhianter exspectanti eam impertiisset, confestim reddendi lotii appetitu Marchio corripitur. Itaque secèdens, nullo negotio cum urina calculum rejicit, et pristinae sanitati mirabiliter restitutum se gratulatur. Quae tum illius animum exultatio obtinuerit, quas Dei laudes, omnes illi faventes deprompserint, quanta erga virum Dei extiterit veneratio, nemo, nisi fallor, requirit, cum nulla id possit a nobis oratione explicari. Hoc breviter dixisse sufficiat, Flandriam omnem, ejus casu adverso pene exanimatam, ejus comperta sanitate quodammodo revixisse. At Abbas reverendissimus, in humilitate bene fundatus, nequaquam sibi arrogavit hujus beneficii munus admirabile, sed illud tribuit sacrosanctae Eucharistiae effectibus, cui nihil impossibile est.

Grates, Christe, tibi, laus, gloria, jure perenni,
Sanctos multiplici benefacto mirificanti.

§ 32. At vero comes Arnulphus, tanti in ipsum collati beneficii remunerator liberalissimus, virum Dei permultis volens muneribus cumulatum a se dimittere, non pauca auri et argenti pondo ei obtulit, ut quondam Naaman Eliseo, in ipsius et fratrum ejus usus cessura. Sed vir sanctus modis omnibus ea recusavit, aitque ad Comitem : « Si nos nostra reliquimus, quo pacto aliena accipiemus? Monachus in terris sibi peculium vendicans, omnis est religionis expers. Monachus pecuniosus, plane leprosus est. Quid est enim pecuniae congeries, praesertim apud monachos, nisi quaedam lepra animae? Sed frater Gerardus non vult profecto pecuniosus esse: neque igitur, Domino miserante, leprosus erit.» Ita ille vir Dei, totus Christi servitio deditus, haud secus timebat paupertatis suas amittere securitatem, quam divites avari solent incubare servandis thesauris suis. Ejus vero exemplo nos monachi instituti, philargyriam et avaritiam, immo Giezi lepram caveamus. Tandem sacramentis terribilibus Comes virum Dei obstringens coëgit, ut facultatum ejus saltem decimas acciperet, easque pro sua prudentia dispensaret. Sed hoc quoque primo humiliter subterfugit, at tamen paulo post non ambitiose suscepit, easque decimas prudentissima consideratione et fidelissima dispensatione in tres partes distribuit ac erogavit, duas partes monasteriis et egènis tribuens, tertiam vero Broniensi ecclesiae necessario reservans.

§ **33**. Ea namque tempestate Broniensis ecclesia erat instar arbusculae recens plantatae, necdum satis radicatae: quae irrigationem expetens, si cultoris industria dormiret, marcescit et inutilis fit. Nec hoc tamen contentus Comes, beati viri insigni probitate et religione permotus, Abbatiarum omnium, quae ejus ditione continebantur, ei procurationem commisit. Hac ille sanctus pater auctoritate auctus, mox sibi creditas oves invìsere statuit, ne quas ex eis lupus dèvoret. Principio itaque Blandiniense adit monasterium, a beato Amando episcopo Gandàvi * fundatum. Quod tum sane comperit non solum omni religione monastica nudatum, et a quibusdam sceleratissimis clericis occupatum, sed etiam impiorum infestatione prope redactum in nihilum: tum quoque, quod omni lacrymarum fonte plangendum erat, trium sanctorum illic conditorum reliquiis spoliatum. At vero strenuus ille miles Christi, divino fretus adjutorio, nullis cessit laboribus: sed irreligiosis inde ejectis clericis, licet suam illi generis jactarent ventosam nobilitatem, et quibusdam instauratis, religiosos monachos illis subrogavit, quemadmodum jam ante duobus locis eum fecisse diximus. Sed id clerici illi aegerrime ferentes, ulciscique cupientes, maligno eos incitante daemone, studiis viri Dei invidère, ejus vitae derogare, et quoscumque possent, ab ejus visitatione et colloquio retràhere coeperunt. Cum autem cernerent nihil se ejus posse impedire conatus, sed ejus existimationem et famam magis magisque augeri, ad id usque amentiae, livore eos extimulante, adducti sunt, ut in tantum virum, proh nefas, caedem machinari non dubitarint. Sed Domino illum protegente, eorumque conatus elidente, quodam die cum factionis sacrilegae sociis in templi valvas irruperunt eo animo, quod dici sine horrore non potest, ut ad ipsam sacram aram, quamvis sacerdotali indutum veste, eum trucidarent. Quibus ille mirâ animi constantiâ obviam procedens, alacriter sese obtulit hostiam Deo, ut posset de illo quoque dici, Pèrmanet intrepidus, confidens ut leo (*Prov.* XXVIII), justus, simulque objurgans eos: « O fratres, inquit, quae tanta exagitat vestras insania mentes, ut adversum me imbellem rebelles, etiam arma corripiatis? Etsi autem nullis ego sum terrestribus munitus armis, coelestia tamen mihi non deerunt. Itaque non me terrent vestra spicula, neque haec tam insignis audacia et temeritas. Non ego recuso pro Domino Jesu haurire mortis calicem, cum ille pro me tam multa perpessus sit in corpore suo. » Haec eo dicente, scelesti illi in faciem ejus intendentes, divinum quiddam et admirabile conspicantur, ingentique concussi pavore, coram illo proni in terram corruunt, animoque consternati, et ultra modum exanimati, vix verba, quibus eum deprecentur, èdere possunt. « Ignosce, inquiunt, pater venerabilis, ignosce sceleribus nostris, nec reputes, quod tam stulte in te

* Gand, vel Gent, in Belgica.

commisimus. Miserere lugentium, da veniam dolentibus.» Tum ille clementer eos èlevans, ait ad illos: «Quandoquidem agnoscitis facinus vestrum, et poenitentiam declaratis, benignus Salvator ignoscat vobis. Ego quoque hac conditione libens ignosco, ut quemadmodum hactenus huic ecclesiae fuistis impedimento, ita deinceps non fictis animis ei prodesse curetis. Et nunc cum pace abìte.»

§ **34**. Post haec, dici non potest, quanta animi exultatione, beatorum Wandregisili, Ansberti, atque Vulfranni corpora a Bononiâ sive Boloniâ, ad sua loca reduxerit. Ejus rei tota Flandria testis est. Quarum sane reliquiarum ecclesia Broniensis expers non est. Nam inter caetera Gandàvo eo apportatum est ejusdem beati Wandregisili abbatis brachium, et alia sacra pignora. Ut autem brevitati studeamus, et ex multis pauca duntaxat commemoremus, quam strenue etiam sancti Bertini monasterio beatus Gerardus aliquandiu praefuerit, hoc loco praeterimus, uti et fructus egregios disciplinae regularis, quos inde tulit. Ne tamen prorsus omittamus, quae a Majoribus accepimus, octodecim coenobiorum fertur curam et administrationem pervigilem suscepisse. Ut eam autem monasteriorum curandorum sollicitudinem admitteret, magnus effecit fervor et studium animas Domino colligendi. Ita enim per singulorum habitacula liberius discurrebat, ut corda audientium coelestis patriae amore inflammaret. Quo sane laudabili exercitationis genere, multorum animos sibi adjunxit familiariter, eorumque sibi benevolentiam conciliavit adeo, ut ex diversis locis multa ad eum monachi adventarent, tanti viri pudicos mores et religiosos actus pro viribus imitari cupientes. Diceres, ex diversis alvearibus apes ad hanc floridam advolare arborem, ut inde haustum mel favis suis arentibus instillarent. Et ille sane benigno eos et grato animo excipiebat, abundèque monasticae regulae instituta eis depromebat, ex discipulis magistros idoneos, ex perfectis perfectissimos doctores efficiens. Ita recedebant alii moribus et religione instituti, accedebant alii itidem ab illo instituendi. Perpetuo namque ceu nardus quaedam miro fragrabat virtutum odore, et Scripturarum fontes aperiens, arentia pectorum prata irrigabat: divinique aromata verbi, cujus vitali redolebat suavitate, fratrum intrinsecus languentium animis impertiebat, ut ea ruminantes, et in viscera trajicientes, ab omnibus vitiorum morbis revalescerent, gustarentque quam suavis sit Dominus, in illo spem suam collocantibus.

§ **35**. Per idem tempus non mediocris concertatio et bellicus tumultus inter Austrasiae et Neustriae principes ortus est, qui, Deo hominum flagitia ulciscente, usque eo progrèssus est, ut passim non modo in discrimen venirent reipublicae negotia, sed etiam nulla sanctae Dei Ecclesiae reverentia praestaretur. Causam

hujus si quis nosse velit, consulat chronographos. Fiebant tum strages virorum, orbitates liberorum atque feminarum, incendia urbium, hominum captivitates, ecclesiarum vastationes.

Villarum praedas quis comparet atque rapinas?
Quisve cruorivomas possit perstringere pugnas?

§ **36**. Ea necessitate compulsus beatus Gerardus, celeriter profectus est, ut Abbatiam Broniensem a fratribus Christo illic famulantibus redimeret ea pecuniâ, quam, cogente Arnulpho comite, acceperat. Permultum enim verebatur, ne in tanta rerum tempestate destrueretur, praesertim quod, remota a finibus Merovingiae, cujus ditionis erat tum, in media Lòtharingia sita esset. Mox vero eam Faraberti, ex Abbate Prumiensi Leodiensis episcopi tutelae commendavit, quandoquidem ejus dioecesi continebatur. Quanti autem eam, licet parvam, ille fecerit, quantumque amarit, evidentissima declaravit liberalitate, donans illi Abbatiae viginti mansos, ut vocant, tellùris instauratae, quos hodieque sine ulla controversia obtinet in ejus circuitu sitos. At amicus Dei beatus Gerardus in omnibus consulere cupiens Broniensi monasterio, tametsi jam aetas gravior imminèret, non tamen detrectavit Romam proficisci, ut oratorio, quod ipse fundaverat, summi Apostolorum principis Petri imploraret patrocinium, et a Christi vicario Pontifice, de et libertate ejus monasterii litteras authenticas impetraret. Quas cum mira alacritate animi Stephanus * pontifex jussisset conscribi, viro Dei eas dictante, plumbeo sigillo munitum ei contulit privilegium, facta etiam ei potestate, ut ejus confirmandi gratiâ, Pontificis nomine juberet subscribere Episcopos omnes, per quos, revertens in patriam, transiturus esset. Eae litterae summo studio hactenus in Broniensi monasterio asservantur.

§ **37**. Cum autem ab urbe Roma proficiscens, ad montem Jovis ** prosperrime pervenisset, et cum sociis per angustia ejus montis latera iter haberet, unus ex servis clitellarii, qui porphyrìtes ferebat, necessarii cujusdam dècoris causâ a sancto viro absportari jussos, deorsum ruit in concava vallis. Quod cum molestissime ferrent itineris comites, nihil prorsus motus vir Dei, « Cur, inquit, haec res vos perturbat, fratres mei? Sit laus Deo pro cunctis beneficiis ejus. » Accitoque uno ex illis, quos marones vocant, proposita illi mercede jussit eum clitellarii sàrcinam quaerere, in qua erant porphyrìtes. Eos enim prae caeteris nolebat perditos, fortassis ideo, quod omne rarum, carum dici soleat. Quis enim hominem illum sine ulla ambiguitate extinctum non crederet? Quis vel corpus ad terram integrum pervenisse

* Stephanus VIII, ut videtur.

** Mons Jovis, mons excelsus Alpium, nunc vocatur a Sancto Bernardo de Mentonia (il *Gran S. Bernardo*), archidiacono Augustano, qui anno 962 in ipsius montis cacumine monasterium erexit.

putaret, per tot prolapsum scopulos, quibus jure discerptum videretur? At ille non solum vivus, sed etiam incolumis et illaesus repertus est cum lapidibus. Facile autem omnibus persuasum est, idcirco eum in tam immani praecipitio laedi non potuisse, quod eum ruentem preces viri Dei sustentassent. Ex eo autem lapide, ut in praesentiarum cernere licet, summa Broniensis ecclesiae ara confecta est.

Hinc redit ad propria sacer et venerabilis Abba,
Magnificans Dominum, qui dirigit acta suorum.

§ **38**. Tandem autem divini spiritus revelatione edoctus, sciens imminère diem illum, quo esset redditurus rationem villicationis suae, operae pretium existimavit revìsere coenobia fratrum, sub ejus cura degentium, ac deinceps tanto se fasce levare, locoque suo idoneum pastorem singulis coenobiis praeficere. Suscepto ergo itinere, cum appropinquasset villae Marcianae, quam Sambrae fluvius alluit, pueri ejus horam prandendi adesse cernentes, congruum sibi et equis captant diverticulum extra viam, amoenoque et herbido in loco ad cibum sumendum discumbunt. At vir Dei sub quadam residens arbore, amicae abstinentiae studebat, et quamvis a suis importunissime invitaretur, adduci tamen non potuit, ut cibo vesceretur: « sed vos, inquit, filii, cum Dei benedictione comedite: meum vero non est, hac diei hora escam attingere, praesertim cum piscis desit, quo me reficiam.» Hoc ille dicebat, ut posset impransus abire. Illis vero hunc in modum inter se sermones conferentibus, pieque contendentibus, avis quaedam, ea in arbore suos fovens pullos, non parvum piscem ad ejus pedes dejecit. Id videntes famuli ejus, cum quodam joco, at tamen reverenter ajunt ad eum: « En, pater reverende, paulo ante praetexebas non adesse piscem: vel nunc saltem noli respuere escam coelitus missam. Jam enim nulla relicta tibi est justa excusatio » Tandem victus ille ab eis, vescitur cum eis, sed reliquias cibi jubet pullis ejus avis apponi, ne fame cruciarentur.

§ **39**. Sumpto cibo cum gratiarum actione, singula filiorum coenobia invìsere pergit, paternam illis sollicitudinem repraesentans, et de monastica conversatione eos admonens, divinâque eruditione affatim instruens, multis quoque modis adhortans, ut servantes unitatem spiritus in vinculo pacis, adversus jacula maligni daemonis, semper in acie tanquam bene armati milites starent. At illi salutares ejus sermones cum multa aviditate accipientes, et corporalem praesentiam inexplebili desiderio complectentes, ab imo pectore longa trahunt suspiria, orantque lacrymabundi, ne discedat ab eis. Quibus ille sic fertur respondisse: « Non ita, fratres mei, aequum est fieri. Haereditas mea praeclara est mihi, ubi requies mea, ubi habitare constitui, quoniam

prae cunctis eam mihi elegi. » Ita demum omnibus rite compositis, et pastoribus una cum ovibus summo Pastori commendatis, beatus vir, pauper spiritu, ditioribus monasteriis, quae gubernaverat, derelictis, ad amicam Broniensis monasterii paupertatem se recepit. Ubi cum omnia mira solertia disposuisset, et fratrum pectora geminae charitatis limpidissimo fonte ubertim irrigasset, jam provectiori aetate pergravatus, in dies viribus deficere coepit. Itaque, data fratribus pace, cupiens dissolvi et esse cum Christo, exitum suum e vita, Corporis et Sanguinis Domini perceptione munivit: jubensque pulsari campanam, quae ipso volente fusa, et Episcopi benedictione sacrata erat, ubi ejus suavior insonuit tinnitus,

Concentu coeli meruit sine fine beari:
Miles et emeritus, meritorum lumine clarus,
Ad fontem vivum sitiens, plenusque dierum,
Deposito fragilis tandem velamine carnis,
Christi lucifluam Jesu transmigrat in aulam,
Praenitet Octobris quando lux tertia mensis.

VITA S. PETRONII

BONONIENSIS EPISCOPI

EX PROBATIS AUCTORIBUS ET VETUSTIS MONUMENTIS, PER CAROLUM SIGONIUM VIRUM DOCTISSIMUM EXCERPTA *. HABETUR IMPRESSA BONONIAE IN OFFICIO EJUSDEM SANCTI AB ILLUSTRISS. CARDINALI GABRIELE PALEOTO BONONIEN. EPISCOPO RESTITUTO.

Flor. med. saeculo V — Ex Oriente.

§ 1. Petronius, Bononiae episcopus, patre natus est Petronio, cive Constantinopolitano, viro clarissimo, et homine litterarum disciplinis egregie erudito. Nam cum is praefecturam praetorii gessit, quae dignitas apud Imperatorem amplissima fuit, tum librum de Episcopi ordinatione conscripsit, plenum doctrinae et christianae pietatis. Hic igitur ut graece et latine doctus erat, sic filium Petronium erudiendum, christianisque moribus imprimis, atque optimarum artium doctrinâ instituendum curavit. Itaque puer brevi in magna rerum cognitione progressus, in sancte vivendi institutis ita profecit, ut frequenti civium sermone, ejus sanctitas celebraretur. Spiritu enim Dei ductus, cum rei omnis initium ab oratione fieri oportere intelligeret, nihil àggredi

* Haec vita, Sigonii nomine edita, a Galesinio fuit conscripta, ut ipse Galesinius asseruit.

solebat, nisi primo ecclesiam ingressus, sanctioribus precibus rei agendae auxilium a Deo imploraret, ad eum unum referens cogitationes, actiones, et studia sua.

§ 2. Confirmata jam aetate, ardore quodam christianae religionis vehementius inflammatus, monachorum imprimis amore flagravit, quorum eo tempore disciplina erat in Aegypti solitudinibus quam florentissima. Quare, etsi quaecumque illi pie religioseque agerent, ab aliis ipse cognôrat: tamen cum ad instituti sui rationem non satis esse putaret ea auribus percepisse, oculis perlustranda existimavit tum loca, tum caetera omnia quae studiose audierat. Itaque in Aegyptum venit, ubi in intimam erèmum penetrans, singulorum colloquio uti non destitit, quoad plane cognovit sancta eorum vitae instituta. Inde domum reversus, illam disciplinam tam vehementer amavit, ut litterarum monimentis tradiderit monachorum vitas: quas religiose conscriptas, valdeque probatas iidem monachi amplexi sunt quasi certas quasdam regulas, in quibus maxime elucèret omnis optima monastici instituti sui ratio *.

§ 3. Omni igitur cura et cogitatione vir religiosus defixus in sanctissimis christianae fidei institutis, quo magis in dies contemplatione accenderetur, Aegypti solitudine jam peragrata, Jerosolymam peregrinari statuit, ubi peractae redemptionis nostrae impressa vestigia Christus reliquit, verus Deus et homo. Itaque cum ad eam urbem venit, totus meditationis studio exardescens Domini sepulcrum imprimis, et reliqua illius sacra rerum gestarum monimenta, ac singula loca, quae absens intima animi pietate coluerat, praesens veneratus est sancte et religiose. Cumque omnia tandem perlustrasset incredibili quodam mentis ardore, quo tamen magis ad contemplationem fixa in animo illa haererent, singulari etiam diligentiâ, eorum situm ac rationem notavit. Quamobrem merito quidem Theodosii minoris, qui tum imperabat, religiosissimi principis, gratiam et amorem sibi ita conciliavit, ut is sanctitatis opinione non minus auctoritatis apud illum obtineret, quam pater obtinuisset rerum gerendarum industriâ.

§ 4. Nam pietate ad Dei religionem attentissimi viri et prudentiâ cognita, Theodosius ejus opera uti voluit in rei gravissimae tractatione. Conabatur enim eo tempore Nestorius Constantinopolitanus episcopus, divinarum litterarum studio intemperanter abusus, sanctissimam catholicae fidei doctrinam violare perverso dogmate. Ei rei pius princeps Theodosius mature occurrendum arbitratus, universae Ecclesiae pastorem et gubernatorem, Pontificem Romanum, sibi consulendum existimavit. Itaque Petronium, virum sibi probatissimum Romam legatum misit, qui rem cum pontifice Caelestino diligenter ageret. Factum est autem Dei consilio, ut a quo tempore is a Theodosio missus Romam venit.

* Parum verosimile eruditis videtur, quod S. Petronius hujuscemodi Vitas exaraverit.

legati quoque adessent, quos, mortuo Felice Bononiae episcopo, qui intimus S. Ambrosii Mediolani episcopi sodalis extiterat, Bononienses pontificem rogatum miserant, ut in illius locum successorem sibi Episcopum substitueret.

§ 5. Paulo autem ante, quam ii legati Romam adventassent, divina voluntate a sancto Petro Apostolo in somnis Caelestinus pontifex admonitus est, ut quando Felix Bononiae episcopus e vita hac migrasset, Petronium, qui legatus a Theodosio imperatore missus, ad urbem propediem adfuturus erat, Bononiensibus episcopum praeficeret: cum neminem esse idem affirmaret, qui et Episcopatus munere religiosius perfunderetur, et Bononiensium desiderium sane justum expleret. Qua quidem re commotus Pontifex, cum jam Petronius simul et Bononienses adessent, ac sua utrique postulata exposuissent, quae per quietem acceperit, eis ostendit, atque Petronium idoneum Felicis successorem se dare pronunciavit. De re autem Nestoriana, quam ille Theodosii nomine retulerat, collaudata primum religiosi illius principis pietate, privatim ei respondit, se, ne ea pestifera haeresis latius sèrperet, oecumenicam, ut moris esset, synodum indicturum: quae synodus Ephesi prior sequenti anno celebrata est frequenti ducentorum Episcoporum conventu.

§ 6. Divinae igitur voluntatis significatione declaratus a Pontifice, Bononiae episcopus Petronius, ut is, qui cerneret episcopale onus grave esse, neque facile sustineri, nisi singulari quadam divinarum virtutum praestantiâ, id primo recusare contendit: at cognita constanti voluntate Pontificis, qui divinitus delatum ei munus plane repudiari nolebat, illius jussui obtemperavit. Itaque datis, ut Pontifex jusserat, ad Theodosium litteris de Synodo contra Nestorium Ephesi convocanda, Bononiam Româ profectus est una cum legatis Bononiensibus. Ubi vero ad urbem accessit, effusa omnium aetatum atque ordinum gratulantis civitatis multitudine exceptus, basilicam sancti Petri, quae tum extra urbem sedes Episcopi erat, ingressus, Deo, ut ab ineunte aetate instituti sui erat, religiosis precibus gratias egit. Inde ad explendas optimi pastoris partes, et commoda civitatis procuranda se contulit.

§ 7. Quo autem tempore Bononiam venit ad pastoralem ecclesiae suae sedem, cum haeresis Arianae reliquiae nondum prorsus extinctae erant, tum nefaria eorum impietate, ac barbarorum simul, qui proxime in Italiam irruperant, immani feritate ecclesiae multae eversae ac prostratae jacebant. His malis imprimis cum is, zelo domus Dei accensus, sibi occurrendum existimaret, primum doctrinâ et sanctae vitae officiis civitatem instruere, propositoque sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi exemplo, fidem catholicam, Arianâ perfidiâ violatam, restituere summopere contendit. Deinde templa Dei disturbata atque eversa refecit, et alia item nova, quo major ad Dei cultum in dies acessio fieret, summo

Bononiensium studio aedificavit. Quorum unum Bartholomaeo Apostolo, alterum Marco Evangelistae, tertium Fabiano et Sebastiano martyribus, quartum Martino, quintum Barbatiano confessoribus, sextum Agathae, septimum Luciae virginibus et martyribus consecravit.

§ 8. Quinetiam templa duo, non longo inter se intervallo disjuncta, magnis rerum divinarum significationibus dedicavit, unum Stephano protomartyri, alterum Joanni Evangelistae. In hoc, quod in monte, ex tumulo terrae de industria aggesto, construxit, religiose effinxit montem Oliveti, ubi Christus Dominus, postquam resurrexit a mortuis, stans, discipulis videntibus, ascendit in coelum. In illo, quod sancto Stephano dicatum, cum ecclesia sanctorum Petri et Pauli, a beato Ambrosio consecrata, conjunxit, diligenter expressit imaginem et montis, ubi in ara Crucis Dominus sanguinem pro generis humani salute effudit, et sepulcri, in quo idem mortuus conditus est. Quae vero inter haec duo templa planities loco submissiore intercedit, ejus situ celebrem illam, quae Josaphat vocatur, vallem repraesentavit.

§ 9. Ut autem sollicitus pastor gregis sui mentes vehementius etiam excitaret ad ardentem Dei charitatem, propositis, quas colerent, sacris imaginibus ad similitudinem eorum locorum, quae ipse jam praesens Jerosolymis veneratus erat, in ecclesia sancti Stephani haec sancte exprimenda atque effingenda curavit: Columnam, ad quam Christus Dominus flagellis est verberatus: Crucem, cui est affixus: Triclinium, in quo idem cum discipulis discubuit: Locum item, quo Petrus Apostolorum princeps, postquam se Christi discipulum esse negavit, peccati sui poenitens secessit: et cubiculum praeterea, in quo Gabriel angelus, de coelo missus, Deiparam Virginem salutavit. Quae omnia sanctissimae religionis monimenta adhuc magna Bononiensis populi pietate coluntur, angustioremque reddunt ipsam S. Stephani ecclesiam, quam ille Jerosolymae nomine appellavit, eamque ob causam vicus nunc etiam eidem ecclesiae conjunctus, Jerusalem nominatur.

§ 10. Dum autem ecclesia ipsa construitur, mirifici operis in Dei nomine edendi occasio est oblata. Nam faber quidam, non tam viribus corporis, quam ingenio fretus, obnixe columnam marmoream, operis et instrumentis adjuvantibus, erigebat: sed funibus, quibus columna tollebatur, effractis, ille repentina columnae ruinâ oppressus, interiit. Ea re auditâ, beatus Petronius accurrit, orationeque ad Deum habita, fabrum, qui mortuus jacebat, ad vitam divinitus revocavit, omnibus, qui praesentes aderant, cum rei admirabilis spectaculo obstupescentibus, tum Petronii Episcopi sanctitatem certatim inter se collaudantibus *.

* Ab aliis traditur S. Episcopum, forte tunc ibi adstantem, e mortis periculo mirabiliter eripuisse.

§ 11. Quinetiam rogatu sanctae Julianae viduae, ecclesiam sanctis Vitali et Agricolae consecravit, quam exaedificandam eo loco pecuniâ sua curârat, ubi illi martyres excruciati fuerant. Ne vero quid officii, quod a se proficisci posset, erga populum Bononiensem praetermitteret, Theodosii imperatoris, cui carissimus erat, et civium Bononiensium, quos unice in Christo diligebat, auxilio usus, urbis ambitum auxit. His igitur operibus perfectis, beatus Petronius episcopus Constantinopolim reversus, pro ea, qua multum apud Theodosium valebat, auctoritate sacras multas ex ea urbe aliisque locis reliquias transferendi facultatem impetravit. Quibus reliquiis, mox demum inde regressus, cum alia Dei templa a se constructa, tum imprimis ipsam S. Stephani ecclesiam, ac sacella ad Cruces quatuor, quas idem erexerat, collocata, religiose pieque ornavit.

§ 12. Cum ergo, quod ex litterarum sanctaeque vitae studiis jam adolescens Petronius prudenter ac pie conceperat, id Episcopus, tamquam populi sui parens et magister, exemplo vitae, pietatisque operibus, atque omni pastoralis sollicitudinis officio comprobasset, Ecclesiâ Bononiensi aliquot annos administratâ, mirifice profuit et civitatis pietati, et urbis ornamento. Demum cum in morbum incidisset, quo in dies ingravescente, obitus sui tempus instare sentiret, clericos ad se suos vocavit, eisque Ecclesiam ac fidem orthodoxam, quam gravissima potuit oratione commendavit. Paulo post cum omnia sacramenta religiose percepisset, Deum sancte precatus, Theodosio et Valentiniano imperatoribus, migravit ad coelum: qui multis etiam post obitum miraculis clarus, ut praecipua a Bononiensibus coleretur religione, promeruit. Ejus corpus in ecclesia S. Stephani sepultum est, quod multis post seculis divino consilio civitati ignotum, Innocentio secundo Pontifice (anno MCXLI) inventum est, dum sacras reliquias Henricus episcopus recenseret, quas in ea Ecclesia extare, a majoribus traditum erat. Itaque invento beati episcopi Petronii corpore, sancitum est, ut quo die illius obitus, eodem coleretur inventio, biennii indulgentiâ in octo sequentes dies concessâ. Quam ob causam canonicarum horarum officium, jaminde ab eo tempore in ejus honorem sancte institutum, illis octo diebus pie religioseque perpetuo celebrat Ecclesia Bononiensis *.

* Magnificum S. Petronio atque ejus condendo corpori Bononienses, saeculo XIV, templum excitarunt, quod Basilicae titulo decoratum est; atque solemnes in ipsius honorem supplicationes frequenter instituerunt.

BEATISS. FRANCISCI CONFESSORIS
ORDINIS MINOR. FUNDATORIS

VITA

AUCTORE S. BONAVENTURA

Migr. anno 1226 — Italus.

ALOISIUS LIPOMANUS EPISC. VERONENSIS, PIO LECTORI

Eam, quae sequitur, divi Francisci vitam beatus ille Bonaventura, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis et Episcopus Albanensis, Francisscani Instituti non solum sectator, verum et instaurator et rector, vir in divinis scripturis eruditissimus, et vitae sanctitate conspicuus, de quo praeceptor ejus Alexander de Hales, dicere solebat: *in Bonaventura Adam peccasse non videtur:* puro ac simplici stylo descripsit, tanta autem rerum copiâ et sententiarum gravitate refertam, ut totus mundus ejus lectione instrui possit, et ad amorem Dei per beati Francisci exemplum instaurari. Ego, ut verum fatear, cum Francisci vitam lego, non solum accendor, sed in ejus meditatione totus exardesco, utpote in quo tanti divini amoris claritas effulserit, ut Angelus potius, atque ex supremo ordine, qui ardor et incendium dicitur, magis quam homo dici posse videatur. Semper enim beatissimus iste cogitatione in coelo versabatur, semper felix ejus anima summo auctori purissime et intensissime inhaerebat, adeo ut prae amoris magnitudine, prae ea, quam intus gustabat, dulcedine (quod hominibus ardentissime amantibus contingere solet) alienatus a sensibus, atque extra se esse videretur. Accede et tu, benigne lector, accede ad sanctum ignem istum: certo scio, calesces plus satis. Sed jam ipsum S. Bonaventuram audi.

IN VITAM S. FRANCISCI

PROLOGUS BEATI BONAVENTURAE

§ **1**. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in Servo suo Francisco, omnibus vere humilibus et sanctae paupertatis amicis, qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem et secularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter vivere, et ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque, ut vere pauperculum et contritum, tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conversationis pulvere suscitavit egènum, verum etiam Evangelicae perfectionis professorem, ducem atque praeconem effectum, in lucem dedit

credentium, ut testimonium perhibendo de lumine, viam lucis et pacis ad corda fidelium Domino praepararet. Hic etenim *quasi stella matutina in medio nebulae*, claris vitae micans et doctrinae fulgoribus, sedentes in tenebris et umbra mortis irradiatione praefulgida direxit in lucem; et *tamquam arcus refulgens inter nebulas gloriae* (*Eccli.* L, 6, 7, 8) signum in se Dominici foederis repraesentans, pacem et salutem evangelizavit hominibus, existens et ipse Angelus verae pacis. Secundum imitatoriam quoque similitudinem Praecursoris, destinatus a Deo, ut viam parans in deserto altissimae paupertatis, tam exemplo, quam verbo, poenitentiam praedicaret; primum supernae gratiae praeventus donis, dehinc virtutis invictae adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon et angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, et ut vir hierarchicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitae decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu et virtute Eliae.

§ **2**. Ideoque alterius amici sponsi, Apostoli et Evangelistae Joannis, vaticinatione veridica, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei vivi habentis, adstruitur non immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli, *Vidi*, ait Joannes in Apocalypsi, *alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi* (*Apoc.* VII). Hunc Dei nuncium amabilem Christo, imitabilem nobis, et admirabilem mundo, Servum Dei Franciscum indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiae sanctitatis advertimus, qui inter homines vivens, imitator fuit puritatis angelicae, qui et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum et pie, non solum inducit officium quod habuit, vocandi ad fletum et planctum, calvitium et cingulum sacci, signandique *Thau* (*Ezech.* XII) super frontes virorum gementium et dolentium signo praesentiali Crucis, et habitus Cruci conformis, verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viventis, Christi videlicet Crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturae virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam spiritus Dei.

§ **3**. Ad hujus tam venerabilis Viri vitam omni imitatione dignissimam describendam, indignum et insufficientem me sentiens, id nullàtenus attentassem, nisi me fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli concors induxisset instantia, et ea, quam ad sanctum patrem habere teneor, devotio compulisset; utpote qui per ipsius invocationem et merita, in puerili aetate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus èrutus * si praeconia laudis ejus tacuero, sceleris timeo argui, ut ingratus. Est et haec penes me causa praecipua hunc assumendi laborem, ut ego, qui vitam corporis et animae a Deo mihi conservatam recognosco

* Vide Sur. Vol. VII, p. 258.

per ipsum, et virtutem ejus in meipso expertus agnovi, vitae illius virtutes, actus et verba, quasi fragmenta quaedam partim neglecta, partimque dispersa, quamquam plene non possem, utcumque colligerem, ne morientibus iis, qui cum Servo Dei convixerant, deperirent. Ut igitur vitae ipsius veritas ad posteros transmittenda, certius mihi constaret et clarius, adiens locum originis, conversationis et transitus Viri sancti, cum familiaribus ejus adhuc superviventibus collationem de iis habui diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus et conscii fuerunt, et sectatores praecipui, quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem, fides est indubitabiliter adhibenda.

§ 4. In descriptione autem eorum, quae per Servum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putavi, cum legentis devotio plus simplici sermone, quam phalerato, proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam : sed potius ordinem servare studui magis aptae juncturae, secundum quod eodem peracta tempore, diversis materiis, vel diversis patrata temporibus, eidem materiae congruere videbantur. Initium autem vitae ipsius, progressus et consummatio, quindecim distincta capitulis describuntur, inferius adnotatis...

VITAE HISTORIA

De conversatione S. Francisci in habitu seculari. *

§ 1. Vir erat in civitate Assisii, Franciscus (*a*) nomine, cujus memoria in benedictione est, pro eo quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne praeveniens, et de praesentis vitae periculis clementer eripuit, et coelestis gratiae donis affluenter implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios juvenili aetate nutritus in vanis, et post aliqualem litterarum notitiam, lucrativis mercationum deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente praesidio, nec inter lascivos juvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, speravit in pecunia et thesauris. Inerat namque juvenis Francisci praecordiis divinitus indita quaedam ad pauperes miseratio liberalis, quae secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleverat, ut jam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti

* Propositam a sancto auctore capitum divisionem indicant tituli, singuli ut in authentico textu leguntur, alio charactere inscripti; Capita vero, juxta commodiorem nostram methodum, per §§ subdivisimus.

(*a*) Hujus tanti viri progenitores fuerunt Petrus Bernardoni, dives pannorum mercator, et domina Pica, femina honestissima, ambo inter Assisiates praecipui. Jussu matris, nomen fuit ei impositum, in baptismo, Joannis, sed a patre, tunc in Italiam e Francia redeunte, in Franciscum fuit mutatum, vel ex gallico affectu, quem pater ipse habuerit, vel quia filius gallicum idioma prompte expediteque deinde didicerit.

tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. Cum autem semel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quemdam pro amore Dei petentem eleemosynam praeter morem solitum vacuum repulisset, statim ad cor reversus, cucurrit post ipsum, et eleemosynâ illi clementer impensâ, promisit Domino Deo, quod numquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret. Quod usque ad mortem indefessa pietate observans, copiosa in Deum dilectionis et gratiae incrementa promeruit. Ajebat enim post, cum jam perfecte Christum induerat, quod etiam existens in habitu seculari, vocem divini expressivam amoris, audire vix unquam sine cordis immutatione valebat. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia et tractabilitas supra humanum modum, munificentiae largitas ultra suppetentiam facultatum, quibus bonae indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quaedam videbantur esse praeludia, quod copiosior super eum foret in posterum divinae benedictionis abundantia diffundenda.

§ **2**. Quidam sane vir de Assisio, valde simplex (ut creditur eruditus a Deo) cum aliquando per civitatem eunti obviaret Francisco, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, àsserens omni fore Franciscum reverentiâ dignum, utpote qui esset in proximo magna facturus, et ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo quod tam jussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari coelestia, nec assueverat degustare divina. Et quia spirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini, et immutatio dexterae Excelsi, diùtinis languoribus ipsius corpus affligens, ut coaptaret animam ad Sancti Spiritus unctionem.

§ **3**. Cumque resumptis corporeis viribus, sibi vestimenta decentia more solito praeparasset, obvium habuit militem quemdam, generosum quidem, sed pauperem et male vestitum, cujus pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus, se exùto, vestivit; ut scilicet in uno geminum impleret pietatis officium, quo et nobilis militis verecundiam tegeret, et pauperis hominis penuriam relevaret. Nocte vero sequenti, cum se sopòri dedisset, palatium speciosum et magnum cum militaribus armis, Crucis Christi signaculo insignitis, clementia sibi divina monstravit, ut misericordiam pro summi Regis amore pauperi exhìbitam militi, praeostenderet, incomparabili compensandam esse mercede. Unde et cum quaereret, cujus essent illa omnia, sua fore, militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Evìgilans itaque mane, cum nondum haberet exercitatum animum ad divina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam invisibilium veritatem, magnae fore prosperitatis

indicium existimabat insolitam visionem. Disposuit itaque, divinae adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quemdam liberalem Comitem se conferre, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiae, ut ostensa sibi visio praetendebat. Cumque paulo post iter aggressus, ivisset usque ad proximam civitatem, audivit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem: « Francisce, quis potest melius facere tibi, dominus, an servus? dives, an pauper? » Cui cum Franciscus respondisset, quod tam dominus quam dives, facere melius potest; intulit statim: « Cur ergo relinquis pro servo Dominum, et pro paupere homine divitem Deum? » Et Franciscus: « Quid me vis, Domine, facere? » Et, Dominus ad eum: « Revertere in terram tuam; quia visio, quam vidisti, spiritualem praefigurat effectum, non humana, sed divina in te dispositione complendum. »

§ 4. Mane itaque facto, cum festinatione revertitur Assisium * versus, securus et gaudens: et jam exemplar obedientiae factus, exspectabat Domini voluntatem. Extunc a publicae negotiationis tumultu se sùbtrahens, supernam devote precabatur clementiam, ut, quid sibi foret agendum, ostendere dignaretur. Cum autem ex frequenti orationis usu flamma desiderii coelestis in eo vehementer succrèsceret, et jam pro amore supernae patriae, terrena omnia despiceret quasi nihil, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negotiator, margaritam inventam excogitabat, venditis omnibus, comparare. Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat; nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio a mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit a suiipsius victoria inchoanda.

§ 5. Quadam itaque die, dum equitaret per planitiem, quae sùbjacet civitati Assisii, leprosum quemdam habuit obvium, cujus inopinatus occursus ei non parvum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente jam conceptae propositum, et rècolens quod seipsum oporteret primum devincere, si vellet èffici Christi miles, ad deosculandum eum, equo lapsus, adcurrit. Cui cum manum, quasi aliquid accepturus, leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportavit. Statim autem equum ascendens, et se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum illum minime vidit. Admiratione itaque repletus et gaudio, laudes coepit Domino decantare devote; proponens ex hoc semper ad majora conscendere. Solitaria proinde loca quaerebat, amica moeroribus, in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intènderet, post longam precum instantiam a Domino meruit exaudiri. Dum enim una dierum sic sequestratus oraret, et prae nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum, apparuit ei Christus Jesus veluti Cruci confixus. Ad cujus

* Umbriae exigua urbs, Episcopali sede ornata, ob S. Francisci ac S. Clarae Virginis ortum, inter omnes alias Italiae urbes, longe praestantissima.

conspectum liquefacta est anima ejus, et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, ut ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset a lacrymis et gemitibus exterius contineri: sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud Evangelicum sibi dici: *Si vis venire post me, abnega temetipsum, et tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* xvi, 24). Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, et affectum intimae pietatis. Nam cum prius leprosorum, non solum consortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret, jam propter Christum Crucifixum, qui juxta verbum propheticum, contemptibilis ut leprosus apparuit, ut semetipsum plane contemneret, humilitatis et humanitatis obsequia leprosis benefica pietate praestabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, et cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur et ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verumetiam seipsum cupiebat impendere: aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens ad largiendum eis, cum prae manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat et pie, praecipue in ornamentis altaris, quo et cultus divini particeps fieret, et cultorum inopiae supplementa praeberet.

§ 6. Cum autem religiosa devotione tunc temporis limina visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores ecclesiae, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egenti, proprias largitus est vestes: et semicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus jucunditate transegit, ut et secularem gloriam sperneret, et ad perfectionem Evangelicam gradatim conscendendo perveniret. Mortificationi carnis invigilabat attentius, ut Christi Crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem haec omnia vir Dei Franciscus, nondum habitu vel convictu sequestratus a mundo.

De perfecta conversione ejus ad Deum,
et de reparatione trium ecclesiarum.

§ 7. Quoniam autem servus Altissimi doctorem non habebat aliquem in hujusmodi, nisi Christum, addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiae visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditandum in agro, deambularet juxta ecclesiam sancti Damiani, quae minabatur prae nimia vetustate ruinam, et in eam, instigante se spiritu, causâ orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in

Dominicam Crucem, vocem de ipsa Cruce dilapsam ad eum, corporeis audivit auribus ter dicentem : « Francisce, vade, et rèpara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur. » Tremefactus Franciscus, cum esset in ecclesia solus, stupet ad tam mirandae vocis auditum: cordeque percipiens divini virtutem eloquii, mentis alienatur excessu. In se tandem reversus, ad obediendum se parat, et totum se recòlligit ad perficiendum mandatum de materiali ecclesia reparanda licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit, sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, et ipse postmodum fratribus revelavit. Surrexit proinde, signo Crucis se muniens, et assumptis pannis venalibus, ad civitatem, quae Fulgineum * dicitur, accessit: ibique venditis, quae portaverat, equum cui tunc insèderat, felix mercator, assumpto pretio, dereliquit. Rediensque Assisium, ecclesiam, de cujus reparatione mandatum acceperat, reverènter intravit, et invento illic sacerdote pauperculo, ei reverentiam decentem exhibuit, et ad reparationem ecclesiae et pauperum usum. pecuniam obtulit, et ut secum se morari pateretur ad tempus. humiliter requisivit. Acquievit sacerdos de mora ipsius, sed timore parentum pecuniam recusavit. Quam verus pecuniarum contemptor in quamdam fenestram projiciens, abjectam velut pulverem vilipendit.

§ 8. Moram autem faciente Servo Dei cum sacerdote praedicto, cum hoc intellexisset pater ipsius, perturbatus animo, cucurrit ad locum. At ipse, quia novus Christi erat athleta, cum audiret persequentium minas, et eorum praesentiret adventum, dare locum irae volens, in quadam occulta fovea se abscondit: in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter, lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam, et pia, quae inspiraverat, vota benigno favore compleret. Igitur excessiva quadam completus laetitiâ, coepit de pusillanimitatis ignavia semetipsum arguere: relictaque foveâ, et abjecto pavore, civitatem Assisii versus iter aggressus est. Quem cum cives cernerent facie squalidum, et mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impetebant, et tamquam insano et dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini nulla fractus aut mutatus injurià, ut surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem hujusmodi pater audisset, statim accurrens non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum, omni miseratione subtracta, pertractum, domi primo verbis, deinde verberibus et vinculis angit. Ipse autem ad exequendum Domino, quod coeperat, promptior et validior reddebatur, rècolens illud Evangelicum verbum : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

* Ital. *Foligno.*

§ **9**. Post modicum vero tempus, patre a patria discedente, mater ejus factum mariti non approbans, et inflexibilem filii constantiam emolliri posse non sperans, a vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens, ad locum, in quo prius fuerat, est reversus. Rediens autem pater, et eum non inveniens domi, conviciis illatis uxori, fremens cucurrit ad locum, ut si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret. Franciscus vero confortatus a Deo; obvium ultro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula et verbera ejus, insuper et contestans, se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Videns itaque pater, quod eum revocare non posset, ad extorquendam pecuniam se convertit. Qua tandem inventa in fenestrella quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, avaritiae siti utcumque per haustum pecuniae temperata.

§ **10**. Tentavit deinde pater carnis, filium gratiae pecuniâ jam nudatum, ducere coram Episcopo civitatis, ut in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, et omnia redderet quae habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit verae paupertatis amator. Perveniensque coram Episcopo, nec moras pàtitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba exspectat, nec facit: sed continuo depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inventus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando fervore, spiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: « Usque nunc vocavi te patrem in terris, amodo autem secure dicere possum: *Pater noster, qui es in coelis*, apud quem omnem thesaurum reposui, et omnem spei fiduciam collocavi. » Hoc cernens Episcopus, et admirans tam excedentem in viro Dei fervorem, protinus exsurrexit, et inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius et bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, praecipiens suis, ut aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda. Oblatus est autem ei mantellus pauper et vilis cujusdam agricolae servientis Episcopo. Quem ipse gratanter suscipiens, cum caemento quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis et pauperis seminudi. Sic igitur servus Regis altissimi, nudus relictus est, ut nudum sequeretur Crucifixum Dominum, quem amabat: sic utique Cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio salvus exiret.

§ **11**. Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupidinum, civitate relicta, securus et liber secretum solitudinis petiit, ut solus et silens, supernae audiret allocutionis arcanum. Dumque per silvam quamdam iter faciens, laudes Domino linguâ Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum

BEATISS. FRANCISCI CONFESSORIS

ORDINIS MINOR. FUNDATORIS

VITA

AUCTORE S. BONAVENTURA

Migr. anno 1226 — Italus.

ALOISIUS LIPOMANUS EPISC. VERONENSIS, PIO LECTORI

Eam, quae sequitur, divi Francisci vitam beatus ille Bonaventura, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis et Episcopus Albanensis, Franciscani Instituti non solum sectator, verum et instaurator et rector, vir in divinis scripturis eruditissimus, et vitae sanctitate conspicuus, de quo praeceptor ejus Alexander de Hales, dicere solebat: *in Bonaventura Adam peccasse non videtur:* puro ac simplici stylo descripsit, tanta autem rerum copiâ et sententiarum gravitate refertam, ut totus mundus ejus lectione instrui possit, et ad amorem Dei per beati Francisci exemplum instaurari. Ego, ut verum fatear, cum Francisci vitam lego, non solum accendor, sed in ejus meditatione totus exardesco, utpote in quo tanta divini amoris claritas effulserit, ut Angelus potius, atque ex supremo ordine, qui ardor et incendium dicitur, magis quam homo dici posse videatur. Semper enim beatissimus iste cogitatione in coelo versabatur, semper felix ejus anima summo auctori purissime et intensissime inhaerebat, adeo ut prae amoris magnitudine, prae ea, quam intus gustabat, dulcedine (quod hominibus ardentissime amantibus contingere solet) alienatus a sensibus, atque extra se esse videretur. Accede et tu, benigne lector, accede ad sanctum ignem istum: certo scio, calesces plus satis. Sed jam ipsum S. Bonaventuram audi.

IN VITAM S. FRANCISCI

PROLOGUS BEATI BONAVENTURAE

§ 1. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in Servo suo Francisco, omnibus vere humilibus et sanctae paupertatis amicis, qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem et secularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter vivere, et ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque, ut vere pauperculum et contritum, tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conversationis pulvere suscitavit egènum, verum etiam Evangelicae perfectionis professorem, ducem atque praeconem effectum, in lucem dedit

credentium, ut testimonium perhibendo de lumine, viam lucis et pacis ad corda fidelium Domino praepararet. Hic etenim *quasi stella matutina in medio nebulae*, claris vitae micans et doctrinae fulgoribus, sedentes in tenebris et umbra mortis irradiatione praefulgida direxit in lucem; et *tamquam arcus refulgens inter nebulas gloriae* (*Eccli.* L, 6, 7, 8) signum in se Dominici foederis repraesentans, pacem et salutem evangelizavit hominibus, existens et ipse Angelus verae pacis. Secundum imitatoriam quoque similitudinem Praecursoris, destinatus a Deo, ut viam parans in deserto altissimae paupertatis, tam exemplo, quam verbo, poenitentiam praedicaret; primum supernae gratiae praeventus donis, dehinc virtutis invictae adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon et angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, et ut vir hierarchicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitae decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu et virtute Eliae.

§ **2**. Ideoque alterius amici sponsi, Apostoli et Evangelistae Joannis, vaticinatione veridica, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei vivi habentis, adstruitur non immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli, *Vidi*, ait Joannes in Apocalypsi, *alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi* (*Apoc.* VII). Hunc Dei nuncium amabilem Christo, imitabilem nobis, et admirabilem mundo, Servum Dei Franciscum indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiae sanctitatis advertimus, qui inter homines vivens, imitator fuit puritatis angelicae, qui et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum et pie, non solum inducit officium quod habuit, vocandi ad fletum et planctum, calvitium et cingulum sacci, signandique *Thau* (*Ezech.* XII) super frontes virorum gementium et dolentium signo praesentiali Crucis, et habitus Cruci conformis, verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viventis, Christi videlicet Crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturae virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam spiritus Dei.

§ **3**. Ad hujus tam venerabilis Viri vitam omni imitatione dignissimam describendam, indignum et insufficientem me sentiens, id nullàtenus attentassem, nisi me fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli concors induxisset instantia, et ea, quam ad sanctum patrem habere teneor, devotio compulisset; utpote qui per ipsius invocationem et merita, in puerili aetate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus èrutus * si praeconia laudis ejus tacuero, sceleris timeo argui, ut ingratus. Est et haec penes me causa praecipua hunc assumendi laborem, ut ego, qui vitam corporis et animae a Deo mihi conservatam recognosco

* Vide Sur. Vol. VII, p. 258.

per ipsum, et virtutem ejus in meipso expertus agnovi, vitae illius virtutes, actus et verba, quasi fragmenta quaedam partim neglecta, partimque dispersa, quamquam plene non possem, utcumque colligerem, ne morientibus iis, qui cum Servo Dei convixerant, deperirent. Ut igitur vitae ipsius veritas ad posteros transmittenda, certius mihi constaret et clarius, adiens locum originis, conversationis et transitus Viri sancti, cum familiaribus ejus adhuc superviventibus collationem de iis habui diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus et conscii fuerunt, et sectatores praecipui, quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem, fides est indubitabiliter adhibenda.

§ 4. In descriptione autem eorum, quae per Servum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putavi, cum legentis devotio plus simplici sermone, quam phalerato, proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam: sed potius ordinem servare studui magis aptae juncturae, secundum quod eodem peracta tempore, diversis materiis, vel diversis patrata temporibus, eidem materiae congruere videbantur. Initium autem vitae ipsius, progressus et consummatio, quindecim distincta capitulis describuntur, inferius adnotatis...

VITAE HISTORIA

De conversatione S. Francisci in habitu seculari. *

§ 1. Vir erat in civitate Assisii, Franciscus (*a*) nomine, cujus memoria in benedictione est, pro eo quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne praeveniens, et de praesentis vitae periculis clementer eripuit, et coelestis gratiae donis affluenter implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios juvenili aetate nutritus in vanis, et post aliqualem litterarum notitiam, lucrativis mercationum deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente praesidio, nec inter lascivos juvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, speravit in pecunia et thesauris. Inerat namque juvenis Francisci praecordiis divinitus indita quaedam ad pauperes miseratio liberalis, quae secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleverat, ut jam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti

* Propositam a sancto auctore capitum divisionem indicant tituli, singuli ut in authentico textu leguntur, alio charactere inscripti; Capita vero, juxta commodiorem nostram methodum, per §§ subdivisimus.

(*a*) Hujus tanti viri progenitores fuerunt Petrus Bernardoni, dives pannorum mercator, et domina Pica, femina honestissima, ambo inter Assisiates praecipui. Jussu matris, nomen fuit ei impositum, in baptismo, Joannis, sed a patre, tunc in Italiam e Francia redeunte, in Franciscum fuit mutatum, vel ex gallico affectu, quem pater ipse habuerit, vel quia filius gallicum idioma prompte expediteque deinde didicerit.

tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. Cum autem semel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quemdam pro amore Dei petentem eleemosynam praeter morem solitum vacuum repulisset, statim ad cor reversus, cucurrit post ipsum, et eleemosynâ illi clementer impensâ, promisit Domino Deo, quod numquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret. Quod usque ad mortem indefessa pietate observans, copiosa in Deum dilectionis et gratiae incrementa promeruit. Ajebat enim post, cum jam perfecte Christum induerat, quod etiam existens in habitu seculari, vocem divini expressivam amoris, audire vix unquam sine cordis immutatione valebat. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia et tractabilitas supra humanum modum, munificentiae largitas ultra suppetentiam facultatum, quibus bonae indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quaedam videbantur esse praeludia, quod copiosior super eum foret in posterum divinae benedictionis abundantia diffundenda.

§ 2. Quidam sane vir de Assisio, valde simplex (ut creditur eruditus a Deo) cum aliquando per civitatem eunti obviaret Francisco, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, àsserens omni fore Franciscum reverentiâ dignum, utpote qui esset in proximo magna facturus, et ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo quod tam jussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari coelestia, nec assueverat degustare divina. Et quia spirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini, et immutatio dexterae Excelsi, diùtinis languoribus ipsius corpus affligens, ut coaptaret animam ad Sancti Spiritus unctionem.

§ 3. Cumque resumptis corporeis viribus, sibi vestimenta decentia more solito praeparasset, obvium habuit militem quemdam, generosum quidem, sed pauperem et male vestitum, cujus pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus, se exùto, vestivit; ut scilicet in uno geminum impleret pietatis officium, quo et nobilis militis verecundiam tegeret, et pauperis hominis penuriam relevaret. Nocte vero sequenti, cum se sopòri dedisset, palatium speciosum et magnum cum militaribus armis, Crucis Christi signaculo insignitis, clementia sibi divina monstravit, ut misericordiam pro summi Regis amore pauperi exhìbitam militi, praeostenderet, incomparabili compensandam esse mercede. Unde et cum quaereret, cujus essent illa omnia, sua fore, militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Evìgilans itaque mane, cum nondum haberet exercitatum animum ad divina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam invisibilium veritatem, magnae fore prosperitatis

indicium existimabat insolitam visionem. Disposuit itaque, divinae adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quemdam liberalem Comitem se conferre, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiae, ut ostensa sibi visio praetendebat. Cumque paulo post iter aggressus, ivisset usque ad proximam civitatem, audivit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem: « Francisce, quis potest melius facere tibi, dominus, an servus? dives, an pauper? » Cui cum Franciscus respondisset, quod tam dominus quam dives, facere melius potest; intulit statim : « Cur ergo relinquis pro servo Dominum, et pro paupere homine divitem Deum? » Et Franciscus : « Quid me vis, Domine, facere? » Et, Dominus ad eum: « Revertere in terram tuam; quia visio, quam vidisti, spiritualem praefigurat effectum, non humana, sed divina in te dispositione complendum. »

§ 4. Mane itaque facto, cum festinatione revertitur Assisium * versus, securus et gaudens: et jam exemplar obedientiae factus, exspectabat Domini voluntatem. Extunc a publicae negotiationis tumultu se sùbtrahens, supernam devote precabatur clementiam, ut, quid sibi foret agendum, ostendere dignaretur. Cum autem ex frequenti orationis usu flamma desiderii coelestis in eo vehementer succrèsceret, et jam pro amore supernae patriae, terrena omnia despiceret quasi nihil, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negotiator, margaritam inventam excogitabat, venditis omnibus, comparare. Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat; nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio a mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit a suiipsius victoria inchoanda.

§ 5. Quadam itaque die, dum equitaret per planitiem, quae sùbjacet civitati Assisii, leprosum quemdam habuit obvium, cujus inopinatus occursus ei non parvum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente jam conceptae propositum, et rècolens quod seipsum oporteret primum devincere, si vellet èffici Christi miles, ad deosculandum eum, equo lapsus, adcurrit. Cui cum manum, quasi aliquid accepturus, leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportavit. Statim autem equum ascendens, et se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum illum minime vidit. Admiratione itaque repletus et gaudio, laudes coepit Domino decantare devote; proponens ex hoc semper ad majora conscendere. Solitaria proinde loca quaerebat, amica moeroribus, in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intènderet, post longam precum instantiam a Domino meruit exaudiri. Dum enim una dierum sic sequestratus oraret, et prae nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum, apparuit ei Christus Jesus veluti Cruci confixus. Ad cujus

* Umbriae exigua urbs, Episcopali sede ornata, ob S. Francisci ac S. Clarae Virginis ortum, inter omnes alias Italiae urbes, longe praestantissima.

conspectum liquefacta est anima ejus, et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, ut ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset a lacrymis et gemitibus exterius contineri: sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud Evangelicum sibi dici: *Si vis venire post me, abnega temetipsum, et tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* xvi, 24). Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, et affectum intimae pietatis. Nam cum prius leprosorum, non solum consortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret, jam propter Christum Crucifixum, qui juxta verbum propheticum, contemptibilis ut leprosus apparuit, ut semetipsum plane contemneret, humilitatis et humanitatis obsequia leprosis benefica pietate praestabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, et cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur et ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verumetiam seipsum cupiebat impendere: aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens ad largiendum eis, cum prae manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat et pie, praecipue in ornamentis altaris, quo et cultus divini particeps fieret, et cultorum inopiae supplementa praeberet.

§ 6. Cum autem religiosa devotione tunc temporis limina visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores ecclesiae, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egenti, proprias largitus est vestes: et semicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus jucunditate transegit, ut et secularem gloriam sperneret, et ad perfectionem Evangelicam gradatim conscendendo perveniret. Mortificationi carnis invigilabat attentius, ut Christi Crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem haec omnia vir Dei Franciscus, nondum habitu vel convictu sequestratus a mundo.

De perfecta conversione ejus ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum.

§ 7. Quoniam autem servus Altissimi doctorem non habebat aliquem in hujusmodi, nisi Christum, addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiae visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditandum in agro, deambularet juxta ecclesiam sancti Damiani, quae minabatur prae nimia vetustate ruinam, et in eam, instigante se spiritu, causâ orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in

Dominicam Crucem, vocem de ipsa Cruce dilapsam ad eum, corporeis audivit auribus ter dicentem: « Francisce, vade, et rèpara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur. » Tremefactus Franciscus, cum esset in ecclesia solus, stupet ad tam mirandae vocis auditum: cordeque percipiens divini virtutem eloquii, mentis alienatur excessu. In se tandem reversus, ad obediendum se parat, et totum se recòlligit ad perficiendum mandatum de materiali ecclesia reparanda licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit, sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, et ipse postmodum fratribus revelavit. Surrexit proinde, signo Crucis se muniens, et assumptis pannis venalibus, ad civitatem, quae Fulgineum * dicitur, accessit: ibique venditis, quae portaverat, equum cui tunc insèderat, felix mercator, assumpto pretio, dereliquit. Rediensque Assisium, ecclesiam, de cujus reparatione mandatum acceperat, reverenter intravit, et invento illic sacerdote pauperculo, ei reverentiam decentem exhibuit, et ad reparationem ecclesiae et pauperum usum, pecuniam obtulit, et ut secum se morari pateretur ad tempus, humiliter requisivit. Acquievit sacerdos de mora ipsius, sed timore parentum pecuniam recusavit. Quam verus pecuniarum contemptor in quamdam fenestram projiciens, abjectam velut pulverem vilipendit.

§ 8. Moram autem faciente Servo Dei cum sacerdote praedicto, cum hoc intellexisset pater ipsius, perturbatus animo, cucurrit ad locum. At ipse, quia novus Christi erat athleta, cum audiret persequentium minas, et eorum praesentiret adventum, dare locum irae volens, in quadam occulta fovea se abscondit; in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter, lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam, et pia, quae inspiraverat, vota benigno favore compleret. Igitur excessiva quadam completus laetitiâ, coepit de pusillanimitatis ignavia semetipsum arguere: relictaque foveâ, et abjecto pavore, civitatem Assisii versus iter aggressus est. Quem cum cives cernerent facie squalidum, et mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impetebant, et tamquam insano et dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini nulla fractus aut mutatus injurià, ut surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem hujusmodi pater audisset, statim accurrens non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum, omni miseratione subtracta, pertractum, domi primo verbis, deinde verberibus et vinculis angit. Ipse autem ad exequendum Domino, quod coeperat, promptior et validior reddebatur, rècolens illud Evangelicum verbum: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

* Ital. *Foligno.*

§ **9**. Post modicum vero tempus, patre a patria discedente, mater ejus factum mariti non approbans, et inflexibilem filii constantiam emolliri posse non sperans, a vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens, ad locum, in quo prius fuerat, est reversus. Rediens autem pater, et eum non inveniens domi, conviciis illatis uxori, fremens cucurrit ad locum, ut si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret. Franciscus vero confortatus a Deo; obvium ultro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula et verbera ejus, insuper et contestans, se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Videns itaque pater, quod eum revocare non posset, ad extorquendam pecuniam se convertit. Qua tandem inventa in fenestrella quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, avaritiae siti utcumque per haustum pecuniae temperata.

§ **10**. Tentavit deinde pater carnis, filium gratiae pecuniâ jam nudatum, ducere coram Episcopo civitatis, ut in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, et omnia redderet quae habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit verae paupertatis amator. Perveniensque coram Episcopo, nec moras pàtitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba exspectat, nec facit: sed continuo depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inventus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando fervore, spiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: « Usque nunc vocavi te patrem in terris, amodo autem secure dicere possum: *Pater noster, qui es in coelis*, apud quem omnem thesaurum reposui, et omnem spei fiduciam collocavi. » Hoc cernens Episcopus, et admirans tam excedentem in viro Dei fervorem, protinus exsurrexit, et inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius et bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, praecipiens suis, ut aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda. Oblatus est autem ei mantellus pauper et vilis cujusdam agricolae servientis Episcopo. Quem ipse gratanter suscipiens, cum caemento quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis et pauperis seminudi. Sic igitur servus Regis altissimi, nudus relictus est, ut nudum sequeretur Crucifixum Dominum, quem amabat: sic utique Cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio salvus exiret.

§ **11**. Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupidinum, civitate relicta, securus et liber secretum solitudinis petiit, ut solus et silens, supernae audiret allocutionis arcanum. Dumque per silvam quamdam iter faciens, laudes Domino linguâ Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum

jubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo, quis esset, interrogantibus, vir Dei confidentiâ plenus, prophetica voce respondit: Praeco sum magni Regis. At illi percutientes eum, in defossum locum plenum nivibus, projecerunt, dicentes: Jace rustice praeco Dei. Ipse vero, recedentibus illis, exilivit de fovea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori coepit voce per nèmora laudes Creatori omnium personare. Et veniens ad quoddam vicinum coenobium, eleemosynam petiit, ut mendicus, et recepit ut incognitus et despectus. Inde vero progrediens, devenit Eugubium, ubi a quodam amico pristino agnitus et susceptus, paupere tuniculâ, ut Christi pauperculus, est contectus. Exinde totius humilitatis amator, se transtulit ad leprosos, eratque cum eis, diligentissime serviens omnibus propter Deum. Lavabat ipsorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, et saniem abstergebat. Osculabatur etiam ex miranda devotione ulcerosas plagas ipsorum, Evangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est a Domino consecutus virtutem, ut in spiritualibus et corporalibus morbis mirabiliter expurgandis, mirabilem efficaciam obtineret.

§ **12**. Referam unum de multis, quod accidit, viri Dei famâ postmodum latius clarescente. Cum enim cujusdam de comitatu Spoletano, os pariter et maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet, nec subveniri posset eidem aliquo medicinae remedio: contigit ut propter ipsorum sanctorum exposcenda merita, Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, servo Dei occurreret. Cumque prae devotione vellet ipsius osculari vestigia, vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculum oris dedit. Dum autem leprosorum servus Franciscus, mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo, aeger ille sanitatem recuperavit optatam. Nescio quod horum magis sit merito admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis praeclaritas in miraculo tam stupendo.

§ **13**. Fundatus jam Christi humilitate Franciscus, ad memoriam reducit obedientiam sibi e Cruce injunctam de sancti Damiani ecclesia reparanda, et tamquam verus obediens Assisium rediit, ut saltem mendicando, voci divinae parèret. Depositaque omni verecundia, propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus, attritum jejuniis, oneribus lapidum supponendo. Praedicta igitur ecclesiâ, juvante se Domino, et devotione civium assistente, refecta, ne post laborem corpus torpèret ignaviâ, transtulit se ad reparandam ecclesiam quamdam beati Petri, longius a civitate distantem, ob devotionem specialem, quam ad Apostolorum principem sincerae fidei puritate gerebat. Hac tandem ecclesiâ consummata pervènit ad locum, qui Portiuncula dicitur, in quo ecclesia

beatissimae Virginis genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat, sed deserta tunc a nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam conspiceret, ob devotionem ferventem. quam habebat ad Dominam mundi, coepit illic assidue pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem, juxta nomen ipsius ecclesiae, quo ab antiquo, sancta Maria de Angelis, vocabatur, Angelicarum ibi visitationum frequentiam, pedem fixit ibidem propter reverentiam Angelorum, amoremque praecipuum matris Christi. Hunc locum vir sanctus amavit prae caeteris mundi locis. Hic etenim humiliter coepit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit, hunc in morte, fratribus, tamquam Virgini carissimum, commendavit.

§ **14**. De hoc frater quidam Deo devotus ante conversionem suam, visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines caecitate percussos, facie in coelum directa, et genibus flexis, in hujus ecclesiae stare circuitu, qui omnes protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen. Et ecce ingens de coelo splendor advenit, se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit, et salutem desideratam concessit. Hic est locus, in quo fratrum Minorum ordo a sancto Francisco per divinae revelationis instinctum inchoatus est. Divinae namque providentiae nutu, qua Christi servus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit ecclesias, antequam Ordinem inchoans, Evangelium praedicaret: ut non solum a sensibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad majora, ordinato progressu conscenderet: verumetiam ut quid esset facturus in posterum, sensibili foris opere mysterialiter praesignaret. Nam instar reparatae triplicis fabricae ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam, Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia salvandorum: sicut et nunc cernimus esse completum.

De institutione Religionis, et approbatione Regulae.

§ **15**. In ecclesia igitur Virginis matris Dei moram faciente servo ipsius Francisco, et apud eam, quae concepit Verbum plenum gratiae et veritatis, continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipsius, meritis Matris Misericordiae concepit ac peperit spiritum Evangelicae veritatis. Dum enim die quodam Missam de Apostolis devotus audiret, perlectum est Evangelium illud (*Matth.* x) in quo Christus discipulis ad praedicandum mittendis, formam tribuit Evangelicam in vivendo, ne videlicet possideant aurum, vel argentum: nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod audiens et intelligens, ac memoriae commendans Apostolicae paupertatis amicus, indicibili mox perfusus laetitia: Hoc est, inquit, quod cupio, hoc quod totis praecordiis concupisco.

Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram et pecuniam execratur, unàque contentus tuniculâ, rejecta corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, et Apostolicae rectitudinis regulae per omnia se coaptet. Coepit ex hoc vir Dei divino instinctu Evangelicae perfectionis aemulator existere, et ad poenitentiam caeteros invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena, medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent. In omni praedicatione sua pacem annuncians, dicendo: Dominus det vobis pacem, populum in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem, Domino revelante, didicerat, sicut ipse postmodum testabatur. Unde factum est, ut juxta sermonem propheticum, et ipse prophetarum spiritu afflatus, annunciaret pacem, praedicaret salutem, ac salutaribus monitis foederaret plurimos verae paci, qui discordes a Christo prius, extiterant a salute longinqui.

§ **16**. Innotescente itaque apud multos viri Dei, tam doctrinae simplicis veritate, quam vitae, coeperunt ipsius exemplo viri quidam ad poenitentiam animari, et eidem, rejectis omnibus, habitu vitàque conjungi. Quorum primus extitit vir venerabilis Bernardus, qui vocationis divinae particeps factus, patris beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quam privilegio sanctitatis. Hic enim servi Christi paupertate comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem qualiter id perficeret, consilium requisivit. Quo audito, Dei famulus pro propriae prolis conceptu Sancti Spiritus consolatione repletus: A Deo est, inquit, hoc consilium requirendum. Intraverunt proinde ecclesiam sancti Nicolai, mane jam facto: et oratione praemissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Evangeliorum librum aperuit, trino exposcens a Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus*. In secunda: *Nihil tuleritis in via, etc*. In tertia vero: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Haec est, ait vir sanctus, vita et regula nostra, omniumque, qui nostrae voluerint societati conjungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, et perfice quae audisti. Non multo post vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci senarius numerus completus est: inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Aegidius, vir utique Deo plenus, et celebri memoriâ dignus. Hic etenim postmodum virtutum sublimium exercitatione praeclarus, sicut famulus Domini de seipso praedixit, quamquam esset idiota et simplex, ad excelsae contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum sursum actionibus incessanter intentus, adeo crebris in Deum

rapiebatur excessibus: quemadmodum et ego ipse oculata fide conspexi: ut magis censeretur inter homines vitam Angelicam agere, quam humanam.

§ 17. Illo quoque tempore cuidam sacerdoti civitatis Assisii, nomine Silvestro, honestae conversationis viro, quaedam a Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cum enim modum et viam Francisci, fratrumque suorum humano spiritu abhorrèret, ne periclitaretur pro temeritate judicii, respectu fuit supernae gratiae visitatus. Videbat namque in somnis totam Assisii civitatem a dracone magno circùmdati, prae cujus magnitudine nimia, tota regio videbatur exterminio subjacère. Contuebatur post hoc Crucem quandam auream, ex ore procedentem Francisci, cujus summitas caelos tangebat, cujusque brachia protensa in latum, usque ad mundi fines videbantur extendi. Ad cujus etiam aspectum praefulgidum, draco ille teter et horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, divinum aestimans esse oraculum, viro Dei et fratribus suis per ordinem enarravit, ac non multo post tempore mundum relinquens, vestigiis Christi sic perfecte adhaesit, quod vita ipsius in ordine authenticam reddit eam, quam in seculo habuerat, visionem. Ex hujus visionis auditu vir Dei non in gloria est elatus humana, sed bonitatem Dei in suis beneficiis recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam versutiam, et Crucis Christi gloriam praedicandam.

§ 18. Quadam autem die dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret, sancti Spiritus in eum superveniente laetitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quae circa se et filios suos futura erant, luculenter adspexit. Post hoc reversus ad fratres: « Confortamini, ait carissimi, et gaudete in Domino: nec quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas: quoniam sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere, suaeque benedictionis gratiâ multipliciter dilatabit. » Eodem quoque tempore, quodam alio bono viro religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei sòboles benedicta pervenit. Tunc pius pater omnes ad se filios convocavit, et plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriae voluntatis, corporisque castigatione pronuncians, propositum suum de mittendo illos in quatuor partes orbis aperuit. Jam enim sterilis et paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem, et desiderabat universitatem fidelium ad poenitentiae lamenta vocatam, Christo Domino parturire. « Ite, inquit dulcis pater ad filios, annunciantes hominibus pacem, praedicate poenitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes,

in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, et in beneficiis grati, quia pro his omnibus regnum vobis praeparatur aeternum. » At illi coram servo Dei humiliter se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiae sanctae mandatum. Ipse vero dicebat unicuique singulatim : *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* (*Psal.* 54). Hoc verbum dicere solitus erat, quotiescumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc et ipse sciens se datum aliis in exemplum, ut prius faceret, quam doceret, cum uno sociorum versus unam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum Crucis, tribus aliis mundi partibus deputatis. Modico autem elapso post tempore, benignus pater carae prolis exoptans praesentiam, cum in unum eos per se convocare non posset, per eum orabat hoc fieri, qui dispersiones congregat Israëlis. Sicque factum est, ut absque humana vocatione omnes exinsperato post modicum temporis, juxta ejus desiderium divina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter convenirent. Illis quoque diebus, quatuor sibi adhaerentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreverunt.

§ **19**. Cernens autem famulus Christi paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi et fratribus suis simplicibus verbis formulam vitae, in qua sancti Evangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quaedam alia inseruit, quae ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur. Desiderans autem per summum Pontificem approbari quae scripserat, disposuit cum illo simplicium coetu, Apostolicae Sedis adire praesentiam, de sola confisus directione divina. Cujus desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos, simplicitatis suae consideratione perterritos, ostensa viro Dei visione hujusmodi, confortavit. Videbatur siquidem ei, quod per quandam viam incederet, juxta quam stabat arbor celsitudinis magnae. Ad quam cum appropinquasset, et sub ea stans, ipsius altitudinem miraretur, subito tantum divina virtute levabatur in alto, ut cacùmen contingeret arboris, ejusque summa facillime curvaret ad ima. Hujus visionis praesagium vir Deo plenus intelligens referri ad condescensionem Apostolicae dignitatis, exhilaratus est spiritu: fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis aggressus est. Cum autem ad Romanam curiam pervenisset, et adduceretur ante conspectum summi Pontificis : essetque Christi Vicarius in palatio Lateranensi, in loco qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus, Christi famulum tamquam ignotum, repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte hujusmodi revelatio facta est a Deo ipsi summo Pontifici. Videbat namque inter pedes suos palmam paulatim succrescere, et in arborem pulcherrimam elevari. Et eo mirante, quid haec visio vellet ostendere, divina lux impressit menti ipsius Christi Vicarii,

quod haec palma illum pauperem, quem in praecedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandavit per suos famulos per Urbem dictum pauperem quaeri. Quem inventum juxta Lateranum in hospitali sancti Antonii, ante conspectum suum celeriter jussit adduci. Cumque introductus esset ante conspectum summi Pontificis, exposuit suum propositum, petens humiliter et instanter, supradictam sibi vivendi regulam approbari. Videns autem Christi Vicarius Dominus Innocentius III, vir utique sapientiâ clarus, admirandam in viro Dei simplicis animi puritatem, propositi constantiam, ignitumque voluntatis sanctae fervorem, Christi Pauperem mentis amore complectens, inclinatus est animo, ut pium supplicanti praeberet assensum. Distulit tamen perficere, quod Christi postulabat Pauperculus, pro eo quod aliquibus de Cardinalibus novum aliquid, et supra vires humanas arduum videretur.

§ **20**. Aderat autem inter Cardinales vir venerandus Dominus Joannes de Sancto Paulo, Episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, et adjutor pauperum Christi: qui divino spiritu inflammatus, summo Pontifici dixit, et fratribus suis: « Si petitionem Pauperis hujus tamquam nimis arduam novamque refellimus, cum petat confirmari sibi formam evangelicae vitae, cavendum est nobis, ne in Christi Evangelium offendamus. Nam si quis intra evangelicae perfectionis observantiam et votum ipsius dicat contineri aliquid novum, aut irrationabile, vel impossibile ad observandum, contra Christum, Evangelii auctorem, blasphemare convincitur. » Quibus propositis, successor Apostoli Petri conversus ad Pauperem Christi, dixit: « Ora, fili, ad Christum, ut suam nobis per te voluntatem ostendat; qua certius cognita, tuis piis desideriis securius annuamus. » Omnipotentis autem Dei Famulus, totum se conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit, et quod exterius ipse proferret, et quid interius Papa sentiret. Nam cum parabolam de divite Rege, cum muliere formosa et paupere contrahente gratanter, et de prole suscepta, praeferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut a Deo acceperat, retulisset: ex illius interpretatione subjunxit: « Non est formidandum, quod fame pereant aeterni Regis filii et haeredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus Sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex coelorum imitatoribus suis regnum promittit aeternum, quanto magis illa subministrabit, quae communiter largitur bonis et malis? » Hanc ergo parabolam, et intellectum ipsius, Christi Vicarius cum diligenter audisset, miratus est valde, et indubitanter Christum locutum in homine recognovit. Sed et visionem, quam tunc temporis e coelo perceperat, in hoc Viro fore complendam Spiritu divino suggerente, firmavit. Videbat namque in somnis (ut

retulit) Lateranensem basilicam fore proximam jam ruinae, quam quidam homo pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. « Vere, inquit, hic est ille, qui opere et doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam. » Inde praecipua devotione repletus, petitioni ejus se per omnia inclinavit ac Christi Famulum spiritali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit, et adhuc concedere plura promisit. Approbavit regulam, dedit de poenitentia praedicanda mandatum, et laicis fratribus omnibus, qui Servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri *, ut verbum Dei libere praedicarent.

De profectu Ordinis sub manu ipsius,
et confirmatione Regulae prius approbatae.

§ **21**. Fretus exinde Franciscus superna gratiâ, et auctoritate Papali, cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Evangelium Christi faceret, et doceret. Dum autem in via conferret cum sociis, qualiter regulam, quam susceperant, sincere servarent; qualiter in omni sanctitate et justitia coram Deo incederent; qualiter in seipsis proficerent, et essent aliis in exemplum, diutius collatione protracta, hora pertransiit. Et cum jam lassati essent ex diuturnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sane cum omnis via deesset, quâ possent sibi de victu necessario providere, statim affuit providentia Dei. Nam subito apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit, subitoque disparuit, incognitus, unde venerit, aut quo iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes fratres, supernum sibi in comitatu Viri Dei adesse praesidium, magis dono liberalitatis divinae, quam cibo carnis propriae, sunt refecti. Insuper divina consolatione repleti, statuerunt firmiter, et irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediae aut tribulationis impulsu, a sanctae paupertatis resilire promisso. Exinde in vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes, tractare coeperunt, utrum inter homines conversari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi Servus Franciscus non de sua vel suorum confidens industria, per orationis instantiam divinae super hoc voluntatis beneplacitum requisivit. Supernae igitur revelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus, quam sibi soli, vivere praeelegit, illius provocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus est. Recollegit itaque se Vir Dei cum caeteris sociis in quodam tugurio derelicto juxta civitatem Assisii, in quo secundum sanctae paupertatis formam in labore multo et inopia

* Scilicet clericalem capitis tonsuram, quae, ut asserunt *Tres Socii* in *Append. ad Vitam S. Francisci C.,* ipsi S. Francisco facta fuit.

victitabant, magis lacrymarum, quam deliciarum panibus rèfici satagentes. Vacabant enim ibidem divinis precibus incessanter, mentaliter potius quam vocaliter, studio intendentes orationis devotae, pro eo quod nondum Ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas Canonicas decantare; loco tamen illorum, librum Crucis Christi continuatis aspectibus, diebus ac noctibus, revolvebant, exemplo Patris et eloquio eruditi, qui jugiter faciebat eis de Cruce Christi sermonem. Rogantibus autem fratribus, ut eos doceret orare, dixit: « Cum orabitis, dicite: Pater noster: et: Adoramus te Christe ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam sanctam redemisti mundum. » Docuit insuper eos, Dominum laudare in omnibus et ex omnibus creaturis; honorare praecipua reverentia sacerdotes; fidei quoque veritatem, secundum quod sancta Romana tenet et docet Ecclesia, et firmiter credere, et simpliciter confiteri. Servabant illi Patris sancti documenta per omnia, et ad omnes ecclesias et cruces, quas e longinquo videre poterant, juxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant.

§ 22. Contrahentibus autem fratribus moram in loco praefato, Vir sanctus die quadam sabbati civitatem Assisii intravit, praedicaturus mane diei Dominicae, ut moris erat, in ecclesia cathedrali. Cumque in quodam tugurio, sito in horto Canonicorum, Vir Deo devotus in oratione Dei more solito pernoctaret absentatus a filiis, ecce fere media noctis horâ, quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando, currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit, super quem globus lucidus residebat, qui solis habens aspectum, noctem clarère fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes: et non minus senserunt cordis claritatem, quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis, alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum Patrem absentem corpore, praesentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus, et ardoribus inflammatum supernaturali virtute, in curru splendente, simul et igneo, sibi demonstrari a Domino, ut tamquam veri Israëlitae post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat a Deo currus et auriga. Credendum sane, quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, ut viderent magnalia Dei, qui oculos quondam aperuerat pueri, ad videndum montem plenum equorum et igneorum curruum in circuitu Elisei. Regressus autem Vir sanctus ad fratres, coepit conscientiarum ipsorum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili, et de profectu Ordinis multa futura praedicere. Cumque patefaceret

plurima, quae sensum transcendebant humanum, vere cognoverunt fratres, super servum suum Franciscum Spiritum Domini in tanta plenitudine quievisse, quod post ipsius doctrinam et vitam, erat eis proficisci tutissimum.

§ 23. Post haec pusilli gregis pastor Franciscus, ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrum numerum, superna gratia praeeunte, deduxit, ut ubi meritis Matris Domini Minorum sumpserat ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus evangelicus praeco, civitates circuibat et castra, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute spiritus annuncians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius seculi; quippe qui mente ac facie in coelum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Coepit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, et productis ex se floribus suavitatis, honoris et honestatis uberes fructus afferre. Nam praedicationis ipsius fervore succensi quam plurimi, secundum formam a Dei viro acceptam, novis se poenitentiae legibus vinciebant: quorum vivendi modum, idem Christi Famulus Ordinem Fratrum de poenitentia, nominari decrevit. Nimirum sicut in coelum tendentibus, poenitentiae viam omnibus constat esse communem: sic et hic status, clericos et laicos, virgines et conjugatos in utroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Convertebantur etiam virgines ad perpetuum caelibatum: inter quas virgo Deo carissima Clara, ipsarum plantula prima, tamquam flos vernans et candidus, odorem dedit, et tamquam stella praefulgida radiavit. Haec nunc glorificata in coelis, ab Ecclesia digne veneratur in terris, quae filia fuit in Christo sancti patris Francisci pauperculi, et mater pauperum dominarum *.

§ 24. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur. Qui quotidianis succrescentes profectibus, usque ad fines orbis terrae celeriter pervenerunt. Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, et ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere: securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla curâ distracti, tanquam qui absque mentis turbatione vivebant, et sine sollicitudine diem crastinum, et serotinum hospitium exspectabant. Multa quidem eis in diversis partibus orbis inferebantur convicia, tanquam personis despicabilibus et ignotis: verum amor Evangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat, ut quaererent potius ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quam

* *Pauperum dominarum*, seu, ut deinde passim, a nomine S. Clarae nuncupatae fuere, *Clarissarum* Ordinis institutio, Fratrum Minorum Ordinem praecessit. S. Clarae Vitam lege in Surio, XII augusti.

ubi, cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari favore. Ipsa quoque rerum penuria, superabundans eis videbatur ubertas, dum juxta consilium sapientis, pro magno ipsis minimum complacebat.

§ **25**. Sane cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus pervenissent, contigit ut quidam Saracenus pietate commotus, pecuniam eis offerret pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere, admiratus est homo, cernens quod inopes essent. Intellecto tandem, quod pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant, tanta est eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu facultatum sibi aliquid superesset. O inaestimabilis pretiositas paupertatis, cujus miranda virtute mens feritatis barbaricae in tantam miserationis est immutata dulcedinem. Horrendum est proinde ac nefarium scelus, ut hanc margaritam nobilem vir christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Saracenus.

§ **26**. Eo tempore religiosus quidam de Ordine Cruciferorum *, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Assisium languore tam gravi, tamque prolixo laborans, ut jam morti foret adjudicatus a medicis, Viro Dei supplex factus, per nuncium postulabat instanter, ut pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus Pater benigne assentiens, oratione praemissa, panis micas accepit, et cum oleo accepto de lampade, quae coram Virginis ardebat altari, commiscens, quasi quoddam electuarium per manus fratrum infirmanti transmisit, dicens: Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico, qua ipsum Christi virtus non solum plenae sanitati restituet, verumetiam robustum bellatorem effectum, aciei nostrae perseveranter adjunget. Statim autem ut antidotum illud, Sancti Spiritus adinventione confectum, aeger homo gustavit, sanus exsurgens, tantum mentis et corporis a Deo vigorem obtinuit, ut paulo post Viri sancti Religionem ingressus, et unica tantum operiretur tuniculâ, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, et crudis dumtaxat cibariis, herbis, vel leguminibus, fructibusque contentus, per plura temporum lustra nec panem gustaret, nec vinum, fortis tamen et incolumis persevèrans.

§ **27**. Crescentibus quoque virtutum meritis in parvulis Christi, odor opinionis bonae circumquaque diffusus, ad praesentiam sancti Patris videndam, plurimos e diversis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam secularium cantionum curiosus inventor, qui ab Imperatore fuerat coronatus, et inde Rex versuum dictus, virum Dei contemptorem mundialium adire proposuit. Cumque ad castrum Sancti Severini eum praedicantem reperisset in monasterio quodam, facta manu Domini super se, vidit eumdem Crucis Christi praedicatorem Franciscum, duobus

* Extinctus est in Italia Cruciferorum Ordo ab Alexandro Papa VII, anno 1656.

transversis ensibus, valde fulgentibus, in modum crucis signatum, quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Non noverat facie Servum Christi: sed tanto monstratum miraculo, mox agnovit. Subito stupefactus ad visum, incipit meliora proponere. Tandemque verborum ipsius compunctus virtute, tamquam si esset gladio spiritus ex ore procedente transfixus, secularibus pompis omnino contemptis, beato Patri professione cohaesit. Propter quod videns ipsum Vir sanctus ab inquietudine seculi ad Christi pacem perfecte conversum, fratrem Pacificum appellavit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret minister in Francia (siquidem primus ibidem ministerii gessit officium), meruit iterato magnum Thau in fronte Francisci videre: quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu. Hoc quippe signum Vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, et in eis, quas dirigebat, litterulis manu propria subscribebat, tamquam si omne ipsius studium foret signare *Thau*, juxta dictum propheticum, super frontes virorum gementium et dolentium (*Ezech.* IX, 4), ad Christum Jesum veraciter conversorum.

§ **28**. Processu quoque temporis multiplicatis jam fratribus, coepit eos Pastor sollicitus in loco Sanctae Mariae de Portiuncula, ad generale Capitulum convocare; ut in funiculo distributionis divinae, in terra paupertatis eorum unicuique tribueret obedientiae portionem. Ubi, licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando, divina tamen opitulante clementiâ, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corpora, et spiritualis jucunditas affluebat. Capitulis vero Provincialibus, quia corporalem praesentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis et efficaciam benedictionis, spiritu praesens erat, quamvis aliquando, mira Dei faciente virtute, visibiliter appareret. Dum enim egregius praedicator, qui et nunc Christi praeclarus confessor Antonius *, de titulo Crucis, Jesus Nazarenus Rex Judaeorum, in Arelatensi Capitulo fratribus praedicaret, quidam frater probatae virtutis, Monaldus nomine, ad ostium Capituli divina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aëre sublevatum, extensis velut in cruce manibus benedicentem fratres. Tanta vero et tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, ut de vera sancti Patris praesentia, certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet: licet postmodum id non solum per evidentia signa, verum etiam per ejusdem sancti Patris verba, exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sane, quod omnipotentis Dei virtus, quae Ambrosium, pium et sacrum Antistitem,

* S. Antonius a Padua dictus; XIII jun.

tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, ut pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam servum suum Franciscum praedicationi praesentavit veracis sui praeconis Antonii, ut approbaret veritatis eloquia, praecipue Crucis Christi, cujus erat bajulus et minister.

§ **29**. Cum autem dilatato jam Ordine, vivendi formam per dominum Innocentium approbatam, disponeret per successorem ipsius Honorium *, in perpetuum facere roborari, hujusmodi fuit a Deo revelatione commònitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait: « Francisce, unam de micis omnibus hostiam facito, et manducare volentibus tribue. » Quo id agente, quicumque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox leprâ infecti, notabiles apparebant. Recitat mane Vir sanctus haec omnia sociis, dolens se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die, cum vigil in oratione persisteret, hujusmodi vocem de coelo delapsam audivit: « Francisce, micae praeteritae noctis, verba evangelica sunt: hostia, regula: lepra, iniquitas. » Volens igitur confirmandam regulam, ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam, ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visiò monstrata, redigere, in montem quemdam cum duobus sociis, Spiritu sancto ducente, conscendit, ubi pane tantum contentus et aquâ, jejùnans conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam cum de monte descendens servandam suo Vicario commisisset, et ille, paucis elapsis diebus, assereret per incuriam perditam, iterato sanctus Vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, et per supradictum dominum papam Honorium, octavo pontificatus illius anno, sicut optaverat, obtinuit confirmari. Ad cujus observantiam fratres ferventer inducens, dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodùm evolùtis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu digito Dei vivi, tamquam bulla summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnìmodam regulae et commendationem Auctoris; sicut post suarum enarrationem virtutum, suo loco inferius describetur.

De austeritate vitae:
et quomodo creaturae praebebant ei solatium.

§ **30**. Cum igitur cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo ad crucem Christi bajulandam, ferventi spiritu plurimos animari,

* Honorius III, qui Innocentio III successit anno 1216.

animabatur et ipse, tamquam bonus dux exercitus Christi, ad palmam victoriae per culmen invictae pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* v, 24): ut Crucis armaturam suo ferret in corpore, tanta disciplinae rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturae. Difficile namque fore dicebat, necessitati corporis satisfacere, et pronitati sensuum non parère. Propter quod cocta cibaria, sanitatis tempore, vix admittebat, et raro: admissa vero, aut conficiebat cinere aut condimenti saporem admixtione aquae ut plurimum reddebat insipidum. De potu vini quid dicam, cum et de aqua frigida, dum sitis aestuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinveniebat abstinentiae potioris, et quotidie exercitatione crescebat: licetque jam perfectionis culmen attingeret, tamquam incipiens semper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius, propter verbum Evangelii (*Luc.* x, 8), conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum: cum tamen ad interiora regressus, districte servaret rigidam abstinentiae parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subjectum Evangelio Christi, per omnia reddens, non solum abstinendo, verumetiam manducando praebebat aedificationis exemplum. Nuda humus, ut frequentius, lectus erat lassato corpusculo; et saepius, sedens, ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat: unica paupere contectus tuniculâ, in nuditate Domino serviebat et frìgore.

§ **31**. Interrogatus aliquando, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitate tueri in spiritus fervore respondit: « Si supernae patriae flammâ per desiderium contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus. » Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat; asserens propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, cordulis eam contexebat interius; quia non in casulis pauperum, sed in palatiis principum, juxta veritatis verbum, vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem. Experientiâ enim certa didicerat, daemones asperitate terreri; deliciosis autem et mollibus vestibus ad tentandum fortius animari. Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum, praeter solitum morem cervìcal de pluma positum haberet ad caput, daemon in illud ingressus, ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum, multimode a sanctae orationis studio perturbavit, donec, vocato socio, pulvinar cum daemonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit et usum: quousque ad vocem sancti Patris, hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus.

§ 32. Rigidus in disciplina, super custodiam suam stabat; curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda. Quapropter circa conversionis suae primordia, tempore hiemali, in foveam glacie plenam seipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subigeret, et candidum vestimentum pudoris, a voluptatis incendio praeservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat, magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente. Cum autem apud erèmum de Sarthiano *, nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus tertio, dicens: Francisce, Francisce, Francisce. Cui cum, quid quaereret, respondisset, fallaciter ille subjunxit: « Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus: sed quicumque semetipsum poenitentiâ dura necaverit, misericordiam non inveniet in aeternum. » Statim Vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quomodo nisus fuerit eum ad tepida revocare. Nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc ad insufflationem illius, cujus halitus prunas ardère facit, gravis ipsum carnis tentatio apprehendit. Quam ut praesensit castitatis Amator, deposita veste, chordâ coepit se verberare fortissime: « Eja, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deservit, sanctitatis signaculum praefert: furari eam libidinoso non licet. Si quo vis pergere, perge. » Insuper ei mirando fervore spiritus animatus, aperta cellâ, foras exivit in hortum, et in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum, septem ex ea plenis manibus coepit compingere massas: quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: « Ecce, inquit, haec major uxor tua est: quatuor istae, duo filii, et duae filiae, reliquae duae servus et ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, uni Domino sollicite servi. » Illico tentator victus abscessit, et Vir sanctus cum victoria in cellam rediit: quia dum bene poenaliter arsit foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, haec omnia, luna clarius incedente, prospexit. Comperto Vir Dei, quod haec ille nocte vidisset, reserans ei tentationis processum, praecepit ut, quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret.

§ 33. Non solum autem mortificari debere docebat vitia carnis, et ejus incentiva frenari, verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantiâ custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, qui multis sunt occasio ruinae, sollicitius evitari jubebat, asserens per hujusmodi debilem frangi, et fortem saepe spiritum infirmari. Harum contagionem

* Etruriae oppidum, non procul ab urbe Clusio (Chiusi).

evàdere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam, in igne ambulare, et non comburere plantas (*Prov.* VI, 21). Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, nè hujusmodi vanitatem viderent, quod (sicut aliquando socio dixit) quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quae possunt aut edòmitae carnis resuscitare igniculum, aut pudicae mentis maculare nitorem. Asserebat etiam, frivolum esse mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod et saluti èxpedit, et congruit honestati. Quae sunt, inquit, Religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam, vel melioris vitae consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem. Otium autem, omnium malarum cogitationum sentinam, docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans, rebellem carnem et pigram, disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tamquam laboriosis supponendum oneribus, crebris caedendum flagellis, et vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat otiosum et vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat, eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: «Volo fratres meos labore exercitari, ne otio dediti, per illicita còrde aut linguâ vagentur.» Evangelicum siquidem volebat a fratribus observari silentium, ut videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent sollicitè, tamquam reddituri in die judicii de hujusmodi rationem. Sed et si quem invenisset fratrem verbis assuetum inanibus, acriter arguebat, taciturnitatem modestam, et puri cordis affirmans custodiam, et non modicam esse virtutem, pro eo, quod mors et vita fore dicuntur in manibus linguae, non tam ratione gustus, quam ratione loquelae.

§ 84. Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret, non tamen ei placebat districtionis severitas, quae pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cum enim quadam nocte unus ex fratribus prae nimietate abstinentiae admodum fame cruciatus, nullam posset habere quietem, intelligeretque pius pastor ovi suae imminere periculum, vocavit fratrem, apposuit panem*, et ut rubòrem illi tolleret, coepit ipse prior comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Deposuit frater verecundiam, sumpsit cibum, gavisus quamplurimum, quod per circumspectam condescensionem Pastoris, et corporis evasisset dispendium, et non modicum accepisset aedificationis exemplum. Mane facto, fratribus convocatis in unum, Vir Dei referens quod acciderat nocte, provida commonitione

subjunxit: « Sit vobis, fratres, non cibus, sed charitas in exemplum.» Docuit insuper eos discretionem sequi, ut aurigam virtutum, non eam quam caro suadet, sed quam edocuit Christus, cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar. Et quoniam Agnum sine macula, Christum Crucifixum non est possibile homini, carnis infirmitate circùmdato, sic perfecte sectari, quin aliquas còntrahat sordes, ideo documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitae vigilanter intendunt, quotidianis debere se lacrymarum emundare fluentis. Licet enim jam esset adeptus cordis et corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lacrymarum imbribus jugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando jacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente sibi medico, quod abstineret a lacrymis, si corporei visus caecitatem vellet effugere, vir sanctus respondit: « Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis aeternae repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit.» Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat, repressa devotione spiritus, impedire.

§ **35**. Cum autem semel daretur consilium a medicis, et instanter suaderetur a fratribus, ut pateretur sibi per remedium subvenire cocturae *, humiliter Vir Dei assensit, quia salutiferum hoc, simul et asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgicus, instrumentum ferreum igni summittens ad faciendam cocturam. At Christi Servus, corpus jam horrore concussum confortans, sicut amicum, coepit ignem alloqui, dicens: « Mi, frater ignis, prae ceteris rebus aemulandi decòris, virtuosum, pulcrum et utilem te creavit Altissimus: esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere.» Oratione finita, contra igne candescens ferreum instrumentum signum Crucis edidit, ac deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne, et ab aure usque ad supercilium coctura protracta. Quantum irrogaverit ignis ille dolorem, Vir ipse sanctus expressit: «Laudate, inquit ad fratres, Altissimum: quia vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis ullum dolorem. » Et conversus ad medicum: « Si non est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum. » Expertus medicus in invalida carne virtutem spiritus tam potentem, miratus est, et divinum hoc miraculum extulit, dicens: « Dico vobis, fratres, vidi mirabilia hodie.» Quia enim ad tantam devenerat puritatem, ut caro spiritui, et spiritus Deo, harmonia mirabili concordarent, divina ordinatione fiebat, ut creatura Creatori suo

* Scilicet cauterii.

deserviens, voluntati et imperio ejus mirabiliter subjacèret. Alio etiam tempore apud erèmum sancti Urbani *, Servo Dei aegritudine gravissima laborante, cum ipse naturae defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse, jussit aquam afferri, et allatam signo Crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura, et quod deserti loci paupertas non potuit, Viri sancti puritas impetravit. Ad cujus gustum tanta protinus facilitate convaluit, ut saporis novitas, et innovatio sanitatis, gustabile ac gustantem supernaliter innovantes, perfectam in ipso exspoliationem veteris hominis, et induitionem novi, duplici attestatione firmarent.

§ **36**. Non solum creatura Servo Dei serviebat ad nutum, sed et Creatoris ubique providentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam ex multarum infirmitatum concursu, aggravato corpore, ad jucunditatem spiritus excitandam, alicujus audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset, nec id honestatis decentiâ per ministerium fieri pateretur humanum, affuit Angelorum obsequium ad Viri sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam, vigilante ipso, et meditante de Domino, repente insonuit cithara quaedam harmòniae mirabilis et suavissimae melòdiae. Non videbatur aliquis, sed transitum et reditum citharoedi, ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcìsono carmine suavitate perfrùitus, ut aliud se putaret seculum commutasse. Hoc et fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessius et crebris consolationibus a Domino visitari, ut nec ipsas omnino occultare valeret. Alio quoque tempore, Viro Dei, praedicationis causâ, inter Lombardiam et Marchiam Tervisinam iter agente cum fratre socio juxta Padum, tenebrosa noctis supervènit obscuritas. Cumque via esset exposita periculis magnis et multis, propter tenebras, fluvium et paludes, dixit socius ad Virum sanctum: « Ora, pater, ut de instantibus periculis liberemur. » Cui Vir Dei cum fiducia multa respondit: « Potens est Deus, si placet suae dulcedini, tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis.» Vix sermonem compleverat, et ecce tanta lux illico coepit circa eos superna radiare virtute, ut nocte aliis existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verum etiam plurima circumquaque. Cujus lucis ducatu corporaliter directi, et spiritualiter confortati, usque ad locum hospitii per non modicum viae spatium cum divinis hymnis et laudibus incolumes pervenerunt. Perpende quantae fuerit Vir iste munditiae, quantaeque virtutis, ad cujus nutum, suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commùtat, Angelica praebet melòdia solatium, et lux divina ducatum: ut sic sanctificatis Viri sancti sensibus, omnis probetur mundi machina deservire.

* In agro Narnensi (Narni).

De humilitate et obedientia:
et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum.

§ **37**. Omnium virtutum custos et decor humilitas, copiosa Virum Dei ubertate repleverat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator, cum in veritate speculum esset et splendor omnimodae sanctitatis. Super hanc studuit aedificare seipsum, ut sapiens architectus, fundamentum praejaciens, quod a Christo didicerat. Dicebat, propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse, ut tam exemplo, quam verbo, Dominus et Magister humilitatem doceret. Propter quod studebat, tamquam Christi discipulus, in oculis suis et aliorum vilescere; a summo dictum esse Magistro commemorans: *Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum* (*Lucae* XVI, 15). Sed et verbum hoc dicere solitus erat: « Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, et non plus. » Stultum proinde judicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis, et de laudibus tristabatur. Malebat quidem de se vituperium audire, quam laudem, sciens quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. Et ideo saepe, cum populi merita in eo sanctitatis extollerent, praecipiebat alicui fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia, suis auribus inculcando proferret. Cumque frater ille, licet invitus, eum rusticum, et mercenarium imperitum et inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quam facie, respondebat: « Benedicat tibi Dominus, fili carissime, quia tu verissima loqueris, et talia filium Petri Bernardonis decet audire.» Ut autem se caeteris despicabilem redderet, non parcebat rubòri, quin in praedicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus.

§ **38**. Accidit semel, ut infirmitate gravatus rigorem abstinentiae pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis utcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriae carnis animatus opprobrium: « Non est, inquit, conveniens, ut populus abstinentem me credat, et ego e contrario carnaliter reficiar in occulto.» Surrexit propterea sanctae humilitatis spiritu inflammatus, et in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, majorem introivit ecclesiam: funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi praecepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. Super quem conscendens, licet quartanarius esset et debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi praedicavit. Audientibusque cunctis, asseruit se, non tamquam spiritualem honorandum fore, quinimmo tamquam carnalem et glutonem ab omnibus contemnendum. Igitur, qui convenerant,

tam ingenti viso spectaculo admirati sunt; et quia ipsius austeritatem jam noverant, devotione compuncti, humilitatem hujusmodi magis admirabilem, quam imitabilem, proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuisse, instar prophetalis vaticinii, quam exemplum, tamen vere documentum extitit humilitatis perfectae, quo Christi sectator instruitur transitoriae laudis praeconium debere contemnere, tumentis quoque jactantiae comprimere fastum, et fraudulentae simulationis mendacium confutare. Multa quidem in hunc modum saepius faciebat, ut exterius tamquam vas perditum fieret, et sanctificationis spiritum interius possideret.

§ **39**. Studebat bona Domini sui arcano pectoris còndere, nolens patere gloriae, quod posset occasio esse ruinae. Nam saepe cum beatificaretur a pluribus, verbum hujusmodi proferebat: « Filios et filias adhuc habere possem: nolite laudare ut securum. Nemo laudandus, cujus incertus est exitus.» Ista quidem, laudantibus: ad se autem, sic: « Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce. » Dicebat fratribus saepe: « De omni eo quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator, ait; jejunare potest, orare, plangere carnemque propriam macerare: hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes ipsi, quicquid donat, adscribimus.» Ut autem pluribus modis negotiator hic Evangelicus lucraretur, at totum praesens tempus conflaret in meritum, non tam praeesse voluit, quam subesse: nec tam praecipere, quam parère. Idcirco generali cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjacèret. Tam enim uberem asserebat sanctae obedientiae fructum, ut eis qui jugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transiret. Unde et fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat, et servare. Dixit aliquando sociis: « Inter alia, quae dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horae obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri: Subditus, inquit, praelatum suum non hominem considerare debet. sed illum, pro cujus est amore subjectus. Quanto enim contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis placet. »

§ **40**. Cum vero vice quadam quaereretur ab eo quis esset verus obediens judicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. « Tolle, inquit, corpus exanime, et ubi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedram. non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moveatur, non dijudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat;

evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat se indignum. » Dixit aliquando socio suo: « Non mihi videor frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce praelatus existens fratrum, vado ad capitulum, praedico et commoveo fratres: et in fine dicitur contra me: Non convenis nobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota, et simplex. Tandem ejicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eàdem mentis laetitiâ, et eodem sanctitatis proposito haec verba audiero, frater Minor nequaquam sum. » Et addebat: « In praelatione casus, in laude praecipitium, in humilitate subditi, animae lucrum est. Cur ergo periculis plus quam lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum? Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus fratres suos voluit vocari Minores, et praelatos sui Ordinis, dici Ministros: ut et verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli ejus, quod ad discendam humilitatem, ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Jesus Christus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* (*Matth*. xx, 26, 27). Cum autem requireret ab eo Dominus Ostiensis, Ordinis Minorum protector et promotor praecipuus, qui postmodum, juxta quod idem Vir sanctus praedixerat, ad summum Pontificatus sublimatus honorem, Gregorius IX est dictus, utrum sibi placeret, quod fratres sui promoverentur ad ecclesiasticas dignitates, respondit: « Domine, *Minores*, ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non praesumant. Si vultis, ait, ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, et conservate in statu vocationis eorum, et ad praelationes ecclesiasticas nullàtenus ascendere permittatis. »

§ **11**. Et quoniam humilitatem tam in se, quam in subditis, cunctis praeferebat honoribus, amator hominum Deus altioribus ipsum dignum judicabat fastigiis, secundum quod uni fratri, viro virtutis et devotionis praecipuae, visio coelitus ostensa monstravit. Cum enim esset in comitatu Viri Dei, et una cum ipso in quadam ecclesiâ deserta ferventi oraret affectu, in exstasi factus, vidit inter multas in coelo sedes unam prae caeteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus, et omni gloria refulgentem. Miratus intra se praecelsi refulgentiam throni, anxia coepit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audivit inter haec vocem dicentem sibi: « Sedes ista unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco. » Reversus demum frater ad se ab orationis excessu, Virum beatum exterius prodeuntem solito fuit more sequutus. Cumque incedentes per viam de Deo invicem loquerentur, frater ille, visionis suae non immemor, solerter ab eo quaesivit, quid de seipso sentiret. Ad quem

humiliter Christi servus: «Videor, ait, mihi maximus peccatorum.» Cui cum frater diceret ex adverso, quod hoc non posset sana conscientiâ dicere nec sentire, subjunxit: « Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordiâ prosecutus, arbitror sane, quod multo quam ego, Deo gratior esset. » Confirmatus fuit frater, ex tam admirabilis humilitatis auditu, de veritate visionis ostensae, Evangelio sacro testante cognoscens, quae ad excellentiam gloriae, de qua superbus ejicitur, vere humilis exaltetur. Alio quoque tempore, cum in deserta quadam oraret ecclesia, in provincia Massae, apud montem Casalem *, intellexit per spiritum sacras ibidem remansisse reliquias, quas cum longo jam tempore defraudatas honorificentiâ debita, non sine moerore conspiceret, praecepit fratribus, ut eas cum reverentia deferrent ad locum. Sed cum, poscente causa, discessisset ab eis, mandati patris immemores filii, obedientiae meritum neglexerunt. Die vero quàdam, cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcherrima et redolentia nimis non sine admiratione reperiunt, intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reversus paulo post Vir Deo devotus, diligenter coepit exquirere, si quod de reliquiis mandaverat, esse impletum. Verum neglectae obedientiae culpam fratres confitentes humiliter, cum poena veniam meruerunt. Et ait Vir sanctus: « Benedictus Deus meus, qui per seipsum implevit, quod vos facere debuistis. » Considera diligenter divinae providentiae curam circa pulverem sanctorum, et humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cujus jussis non paruit homo, votis obedivit Deus.

§ **12**. Quodam tempore deveniens Imolam **, civitatis Episcopum adiit, humiliterque poposcit, ut cum ipsius beneplacito possit populum ad praedicationem vocare. Cui Episcopus dure respondens, « Sufficit, inquit, frater, quod ego praedicem populo meo. » Inclinavit caput verus humilis, et foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo cum Episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde, quam voce respondit: « Domine, si pater filium uno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. » Humilitate victus Episcopus alacri vultu eum amplexus est, dicens: « Tu, et omnes fratres tui de caetero in Episcopatu meo, generali mea licentiâ, praedicetis: » quia illud humilitas sancta promeruit.

§ **13**. Còntigit, ipsum aliquando Aretium devenire, cum tota civitas intestino bello quassata, propinquum sui minabatur excidium. Hospitatus vero in suburbio, vidit supra civitatem exultantes daemones, ac perturbatos cives ad caedem mutuam succendentes. Ut autem seditiosas illas effugaret aëreas potestates,

* Supra Burgum Sancti Sepulcri. ** Olim Forum Cornelii.

fratrem Silvestrum, columbinae simplicitatis virum, quasi praeconem praemisit, dicens: « Vade ante portam civitatis, et ex parte Dei omnipotentis daemonibus in virtute obedientiae praecipe, ut exeant festinanter. » Accelerat verus obediens Patris jussa perficere, et praeoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam civitatis coepit clamare valenter: « Ex parte omnipotentis Dei, et jussu Servi ejus Francisci, procul hinc discedite, daemones universi. » Redit ad pacem continuo civitas et civilitatis in se jura cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsa quippe daemonum furibunda superbia, quae civitatem illam velut obsidione vallaverat, superveniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, urbemque salvavit. Humilis enim obedientiae ardua promerente virtute, super spiritus illos rebelles atque protervos tam potestativum fuerat assequutus imperium, ut et ipsorum feroces protervias premeret, et importunas violentias propulsaret. Fugiunt quidem superbi daemones excelsas virtutes humilium, nisi cum interdum ad humilitatis custodiam divina eos clementia colaphizari permittit: sicut et Paulus Apostolus de seipso scribit (II. *Cor.* XII, 7), et Franciscus experimento probavit. Rogatus enim a domino Leone Cardinali Sanctae Crucis, ut secum aliquantulum moraretur in Urbe, acquievit humiliter ob ipsius reverentiam et amorem. Prima igitur nocte cum post orationem vellet quiescere, supervenerunt daemones, in Christi militem atrociter insurgentes. Quem cum diu verberassent ac dure, ad ultimum quasi seminecem reliquerunt. Discedentibus illis, socius vocatus. Cui cum Vir Dei, rei narrasset eventum subjungens ait: « Credo, frater, quod daemones qui nihil possunt, nisi quantum providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem praefert mansio mea in curia magnatorum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, et deliciis abundare. Ideo melius judico, eum qui ponitur in exemplum, fugere curias, et humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam, fortes efficiat similia sustinendo. » Veniunt ergo mane, et humili excusatione proposita, valefaciunt Cardinali. Abhorrebat nempe Vir sanctus superbiam, omnium malorum originem, et inobedientiam, ipsius pessimam prolem; sed non minus humilitatem poenitentiae acceptabat.

§ **11**. Accidit semel, ut eidem praesentaretur quidam frater, qui contra legem obedientiae aliquid fecerat, disciplinâ justitiae corrigendus. Videns autem Vir Dei fratrem illum per signa evidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniae, incentivum esset aliis delinquendi, jussit ablatum fratri caputium, in medio

flammarum projici, ut omnes adverterent, quanta qualique vindictâ, offensa sit inobedientiae percellenda. Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis, praecepit ipsum flammis detrahi, reddique fratri humiliter poenitenti. Mirabile dictu. Extrahitur caputium de medio flammarum, nullum habens adustionis vestigium: sicque factum est, ut hoc uno Deus miraculo et sancti Viri virtutem, et humilitatem poenitentiae commendaret. Digne itaque sectanda est Francisci humilitas, quae tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, ut Deum inclinaret ad votum, et hominis immutaret affectum, daemonum protervitatem suo jussu propelleret, et flammarum voracitatem solo nutu refrenaret. Revera haec est, quae possessores suos exaltans, dum omnibus reverentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

De amore paupertatis, et mira suppletione defectuum.

§ **45**. Inter caetera charismatum dona, quae a largo Datore Franciscus obtinuit, praerogativa quadam speciali promeruit, in divitias simplicitatis excrescere per altissimae paupertatis amorem. Hanc Filio Dei Vir sanctus familiarem attendens, et jam quasi toto orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verumetiam quae habere potuit, universa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis; nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste hujus Evangelicae margaritae. In hoc praecipue solus offendebatur aspectus, si quicquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Revera ipse a principio religionis usque ad mortem, tunicâ, chordulâ, et femoralibus dives, iis contentus fuit. Christi Jesu paupertatem et Matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem: inde hanc virtutem asserens esse reginam, quia in Rege regum, et in Regina matre ipsius tam praestanter effulsit. Nam et fratribus in conclavi quaerentibus, quae virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: « Paupertatem noveritis fratres, spiritualem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Haec enim est evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia; et quae vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad hujus, inquit, culmen qui cupit attingere, non solum mundanae prudentiae, verumetiam litterarum peritiae renunciare quodammodo debet, ut tali expropriatus possessione introëat in potentias Domini, et nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim seculo perfecte renunciat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat. »

§ **46**. Saepe vero de paupertate sermonem faciens, ingerebat

fratribus evangelicum illud: « Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet » (*Luc.* IX et *Matth.* VIII). Propter quod docebat fratres, ut pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas non habitarent ut proprias, sed sicut peregrini et advenae alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat, sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacifice pertransire. Mandabat, dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoveri, si quid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset Evangelicae paupertati *. Hanc sui dicebat Ordinis fundamentum, cui substrato primarie sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur. Docebat proinde. sicut revelatione didicerat, sacrae Religionis ingressum ab illo fore inchoandum Evangelico verbo: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX, 21). Ideoque non nisi expropriatos, et nihil penitus retinentes admittebat ad Ordinem, tum propter verbum sancti Evangelii, tum etiam, ne forent in scandalum loculi reservati. Unde in Marchia Anconitana cuidam petenti ad Ordinem recipi, verus pauperum Patriarcha respondit: « Si vis Christi pauperibus jungi, pauperibus tua distribue. » Quo audito, perrexit homo, et ductus amore carnali, sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verum cum hoc, illo referente, Vir sanctus audisset, dura eum increpatione feriens, dixit: « Vade viam tuam, frater musca, quoniam nondum existi de domo et cognatione tua. Consanguineis tuis tua dedisti, et defraudasti pauperes: dignus non es pauperibus sociari. Incepisti a carne; ruinosum fundamentum spirituali fabricae collocasti. » Rediit animalis homo ad suos, et repetiit sua, quae pauperibus relinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit.

§ 17. Alio quoque tempore cum in loco Sanctae Mariae de Portiuncula, tanta esset inopia, quod non posset hospitibus fratribus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri, adiit Virum Dei vicarius suus, allegans penuriam fratrum, et petens ut intrantium novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore opportuno. Ad quem Vir sanctus, superni consilii non ignarus, « Absit, inquit, a nobis, frater carissime, ut pro quovis homine impie agamus in Regulam. Malo te altare Virginis gloriosae nudare, cum necessitas id requirit; quam contra paupertatis votum, et observantiam Evangelii, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo, sancti Evangelii perfecte servato consilio, suum altare dètegi, quam, altari suo ornato, Filii sui

* Quam magnopere hoc S. Francisco cordi fuerit, patet ex ipsius testamento, in quo statuit: *Caveant sibi fratres, ut ecclesias et habitacula, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper sibi hospitantes, sicut advenae et peregrini.*

promissum consilium praetermitti.» Transiens autem quodam tempore Vir Dei cum suo socio per Apuliam juxta Barrum * invenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam usitato vocabulo, Fundam appellant. Monetur a socio Pauper Christi, et instanter inducitur, ut bursa tollatur e terra, et pecunia pauperibus erogetur. Renuit Homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inventa: et fratrem non suadere rem meriti, sed peccati, aliena scilicet surripere ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere coeptum. Sed nondum quiescit frater, vacua pietate delusus, Virum Dei molestans, quasi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem Vir mitis redire ad locum; non ut fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reversus est ergo ad Fundam cum fratre et juvene quodam, qui erat in via. Oratione praemissa, jubet socio illam levare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum jam praesentiens monstrum; propter obedientiae tamen sanctae mandatum, dubietatem àbigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exsiliens, simulque cum ipsa subito evanescens, diabolicam deceptionem fratri monstravit. Hostilis itaque versutiae deprehensa fallaciâ, dixit Vir sanctus ad socium: « Pecunia servis Dei, o frater, nihil aliud est, quam diabolus et còluber venenosus. »

§ **18**. Accidit post haec quoddam mirabile Viro sancto, dum se ad civitatem Senensem, causa exigente, transferret. Tres quidem mulieres pauperculae, staturâ, aetate ac facie per omnia similes, in quadam ei magna planitie inter Campilium et Sanctum Quiricum occurrerunt, novum salutationis munusculum ei offerentes: « Bene veniat, inquiunt, domina paupertas. » Quo audito, verus paupertatis Amator indicibili repletus est gaudio, utpote qui nihil in se salutandum ab hominibus tam libenter haberet, quam quod illae decreverant. Subito disparentibus illis, considerantes fratres socii tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis, occursus et disparentiae novitatem, mysticum aliquid designari circa Virum sanctum, non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperculas, sic uniformi facie occurrentes, sic salutantes insolite, sic subito disparentes, Evangelicae perfectionis formositas, quantum ad castitatem scilicet, obedientiam et paupertatem, satis convenienter ostenditur in Viro Dei pari forma perfecte fulsisse; licet gloriari praeelegerit in privilegio paupertatis, quam modo matrem, modo sponsam, modo dominam nominare solebat. In hac caeteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens,

* *Bari*, civitas archiepiscopalis, et S. Nicolai a Myra Episcopi corpore, quod ibi religiose conservatur, percelebris.

excitabat ad simile, tamquam si aemula paupertate concertans, vinci se timeret in illo. Accidit enim, ut pauperculum quemdam obvium haberet in via. Cujus cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium: « Magnam verecundiam intulit nobis, hujus inopia: quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, et ecce magis relùcet in isto. »

§ **49**. Propter sanctae paupertatis amorem, omnipotentis Dei Famulus eleemosynis ostiàtim quaesitis utebatur multo libentius, quam oblatis. Si quando enim invitatus a magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopiâ discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, invitatus a Domino Ostiensi, qui pauperem Christi praecipuo complexabatur affectu, conquerenti Episcopo, quod suo derogasset honori, utpote qui in ejus comesturus domo, pro eleemosynis ivisset, Servus Dei respondit: « Magnum, mi Domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi: siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quae voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Jesus egenus factus assumpsit, ut sua nos ditaret inopiâ, ac vere pauperes spiritu, regni coelorum Reges institueret et haeredes, nolo relinquere pro feudo divitiarum falsarum, nobis ad horam concesso. »

§ **50**. Nonnunquam fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis utebatur hujusmodi: « Ite, inquit, quoniam hac novissima hora fratres Minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a Judice commendentur, illud audientes suavissimum verbum: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (*Matth*. xxv, 40). » Jucundum proinde dicebat, sub fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione justorum Evangelicae veritatis magister ore suo tam signanter expressit. In festis quoque praecipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare solitus erat, dicens, in sanctis pauperibus propheticum illud impleri: *Panem Angelorum manducavit homo* (*Psal*. 77). Illum sane panem Angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, et beatis suggerentibus Angelis, pro ipsius charitate largitum, sancta paupertas colligit ostiatim. Unde cum semel die sancto Paschae moram faceret in eremitorio quodam, adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset, memor illius, qui discipulis euntibus in Emmaus ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis fratribus eleemosynam petiit, ut peregrinus et pauper. Quam cum accepisset humiliter, sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum tamquam peregrini et àdvenae, verique Hebraei, Pascha Domini, hoc est, transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Et quoniam in petendis eleemosynis

non quaestus agebatur cupidine, sed spiritus libertate, pater pauperum, Deus, specialem de ipso curam gerere videbatur. Accidit enim, ut infirmitate gravatus Domini Servus in loco Noceriae, reduceretur Assisium per solemnes nuncios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quamdam devenerunt pauperculam, nomine Sathianum, ubi cum fames et hora cibum expeterent, euntes et nihil invenientes venale, vacui redierunt. Ad quos Vir sanctus: « Ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris, quam in Domino confiditis. » Muscas nempe denarios vocavit: « Sed revertimini, ait, per domos quas circuistis, et amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsa id aestimatione verecundum putetis aut vile, quoniam universa in eleemosynam post peccatum dignis et indignis eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit. » Deponunt erubescentiam milites, et eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore, quam denariis, emunt. Siquidem divino nutu corde compuncti pauperes incolae, non solum sua, sed et seipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, ut inopiam, quam pecuniâ relevare non poterat, Francisci pauperies suppleret.

§ **51**. Tempore quo infirmus jacebat in eremitorio prope Reate *, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi Pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus, ne ipsum sine praesenti remuneratione dimitteret pium ejus obsequium hoc novo beneficio vice pauperis compensavit. Hujus enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de novo construxerat, parietum patula scissione a summo usque deorsum, adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur per humanae artis industriam possibile, ipsius casui obviare. Ipse vero de sancti Viri meritis plene confidens, cum magnae fidei devotione petivit a sociis ejus aliquid sibi concedi, quod idem Vir Dei manibus contrectasset. Cum igitur modicum de capillis ipsius multa precum obtentum instantiâ, posuisset de sero ** intra muri scissuram, mane consurgens, tanta invenit aperturam illam soliditate conclusam, ut nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissurae prioris vestigium aliquod invenire. Factumque est, ut qui ruinoso corpusculo Servi Dei sedule ministrarat, ruiturae domus propriae periculo praecaveret. Alio quoque tempore Vir Dei ad quamdam eremum transferre se volens, ut ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cujusdam viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus aestivis Famulum Christi sequendo, vir ille montana conscenderet, asperioris et longioris viae itinere fatigatus, nimioque sitis ardore deficiens, instanter coepit clamare post

* *Rieti*, antiquissima Sabinorum urbs, episcopali sede exornata.
** Idest, *vesperi*.

sanctum : « En morior, inquit, siti, nisi poculi alicujus beneficio refociller. » Absque mora Vir Dei prosilivit de asino, et, fixis in terra genibus. palmas tetendit in coelum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita : « Festina, inquit viro, ad petram, et illic aquam vivam invenies, quam tibi hac ora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit.» Stupenda Dei dignatio, quae servis suis tam facile se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de petra orantis virtute, et poculum hausit de saxo durissimo. Aquae decursus ibidem ante non fuit, nec, ut est diligenter quaesitum, deinceps potuit inveniri.

§ **52**. Qualiter autem per merita sui Pauperis Christus multiplicaverit cibos in mari, cum suo sit loco inferius adnotandum, hoc tantum commemorasse sufficiat, quod de eleemosyna modica sibi collata, nautas a famis et mortis periculo per dies plurimos liberavit : ut ex hoc liquido possit adverti, quod omnipotentis Dei Famulus, sicut in eductione aquae de petra, conformis extitit Moysi ; sic in multiplicatione victualium, Eliseo. Procul igitur a pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Francisci adeo copiosae sufficientiae fuit, ut subvenientiam cibi defectus tam mira virtute suppleret, quod nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cum pecuniae, et artis, et naturae facultas defecerat ; multo magis illa merebitur, quae usitato divinae providentiae ordine communiter conceduntur. Si, inquam, petrae siccitas ad Pauperis vocem abundans poculum sitienti propinavit pauperculo, nil jam inter omnia suum denegabit obsequium his, qui pro Auctore omnium omnia reliquerunt.

De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia, videbantur erga ipsum affici.

§ **53**. Pietas vera, quae secundum Apostolum ad omnia valet, adeo cor Francisci repleverat ac penetraverat, ut totum videretur Servum Dei in suum dominium vendicasse. Haec est, quae ipsum per devotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum, per condescensionem inclinabat ad proximum, et per universalem conciliationem ad singula, refigurabat ad innocentiae statum. Cumque per hanc pie moveretur ad omnia, specialiter tamen animas, Christi Jesu sanguine pretioso redemptas, cum cèrneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas tamquam mater in Christo quotidie parturiret. Et haec penes ipsum causa praecipua venerandi verbi Dei ministros, quod semen fratri suo defuncto, Christo videlicet pro peccatoribus Crucifixo, per ipsorum conversionem et pia sollicitudine sùscitent, et sollicita pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium Patri misericordiarum, omni sacrificio, firmabat, acceptius, maxime si studio fuerit perfectae charitatis impensum, ut ad id laboretur magis exemplo, quam

verbo; magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendum proinde dicebat praedicatorem, tamquam vera pietate privatum, sive qui in praedicatione non animarum quaerit salutem, sed propriam laudem; sive qui pravitatae destruit vitae, quod aedificat veritate doctrinae. Praeferendum huic dicebat fratrem simplicem et elinguem, qui bono exemplo alios pròvocat ad bonum. Illud quoque verbum, *Donec sterilis peperit plurimos* (I. *Reg*. II) taliter exponebat: « Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio plurimos: quia, quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suae gloriae tunc judex adscribet. Quae multos habet filios, infirmabitur: quia praedicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nil proprii habere in eis. »

§ **54**. Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, et fervida aemulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus, et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum, per orbem distantium, odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam, qui religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam. « A te, Domine, inquit, sanctissime, et a tota coelesti curia, et a me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt, quod per sanctos fratres Ordinis hujus aedificasti, et aedificare non cessas. » Tanta frequenter afficiebatur moestitiâ super scandala pusillorum, ut deficere se putaret, nisi divinae fuisset clementiae consolatione suffultus. Cum autem semel malis turbatus exemplis, anxio spiritu misericordem patrem precaretur pro filiis, responsum hujusmodi reportavit a Domino: « Cur tu, pauper homuncio, conturbaris? An ego te super religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hoc te constitui, ut quae in te fecero, non humanae industriae, sed supernae gratiae adscribantur. Ego vocavi, servabo, et pascam, et aliis excidentibus, alios subrogabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci. Et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula haec concussa religio, salva semper meo munere permanebit. »

§ **55**. Detractionis quoque vitium, inimicum fonti pietatis et gratiae, tamquam serpentinum abhorrebat morsum, et atrocissimam pestem, et piissimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguae necat. Audiens semel fratrem quemdam denigrare famam alterius, conversus ad vicarium suum, dixit: « Surge, surge, discute diligenter: et si accusatum fratrem, innocentem repereris,

accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam vero eum, qui fratrem suum famae gloriâ spoliaret, judicabat habitu spoliandum ; nec ad Dominum oculos posse levare, nisi prius quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tanto major est, ajebat, detractorum impietas, quam latronum ; quanto lex Christi, quae in observantia pietatis impletur, magis animarum, quam corporum, nos adstringit optare salutem. Afflictis quoque qualicumque corporali molestiâ, mira compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriae, si quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes et infirmos : et quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Contigit semel ut pauperi cuidam eleemosynam importune petenti, unus e fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius Amator, fratri praecepit, ut ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet et veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter Pater adjecit : « Dum pauperem vides, o frater, speculum tibi proponitur Domini, et pauperis Matris ejus. In infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera. » Cumque in pauperibus cunctis et ipse Christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitae sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat, verumetiam ac si illorum propria essent, judicabat esse reddenda.

§ **56**. Accidit semel, ut eidem redeunti de Senis pauper quidam occurreret, cum occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cujus miseriâ oculo clementi conspecta, « Oportet, inquit ad socium, ut reddamus mantelum pauperculo isti. Nam ipsius est : mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem invenire contingeret. » Socius autem pii patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne provideret alii, se neglecto. At ille : « Pro furto, ait, mihi reputo a magno eleemosynario imputandum, si hoc, quod fero, non dedero magis egenti. » Propterea de omnibus, quae sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam, solitus erat a dantibus licentiam petere, ut licite posset, si magis egenus occurreret, erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantelis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia haec dum posset, ut pietatis impleret officium, largiretur. Pluries cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat. Consideratione quoque primae originis omnium, abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet parvas, fratris vel sororis appellabat nominibus, pro eo quod sciebat eas unum secum habere principium. Illas tamen viscerosius amplexabatur et dulcius, quae Christi mansuetudinem piam similitudine naturali

praetendunt, et Scripturae significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor Agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice Servo Dei apud monasterium sancti Verecundi de Episcopatu Eugubii, ovicula quaedam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quae vitae innocenti non parcens, rapaci eum morsu necavit. Hoc audito, pius Pater mira compassione commotus, et agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens: « Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repraesentans! maledicta sit impia, quae te interfecit, nullusque de ea còmedat homo, vel bestia. » Mirabile dictu. Statim infirmari coepit porca malefica, et tribus diebus corpoream poenam exsolvens ultricem tandem pertulit necem. Projecta autem in vallum monasterii, ibique longo tempore jacens, in modum tabulae desiccata, nulli fuit esca famelico. Advertat igitur humana impietas, quali poenâ sit ferienda finaliter, si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis. Perpendat et fidelis devotio, quam in Servo Dei pietas fuerit admirandae virtutis et copiosae dulcedinis, ut ei applauderet suo modo etiam natura brutorum. Iter enim faciens juxta civitatem Senensem, invenit in pascuis magnum ovium gregem. Quas cum benigne (ut erat solitus) salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum: levantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum ut et pastores mirarentur et fratres, cernentes circa ipsum tam ovium agnos, quam ipsos arietes, sic mirabiliter exultantes.

§ **57**. Alio quoque tempore apud Graecium vivus Viro Dei oblatus fuit lepusculus; qui liber in terra positus, cum posset, quo vellet, effugere, vocante se Patre benigno, in sinum illius propero cursu saltavit. Quem ipse pio cordis affectu circumfovens, videbatur eidem còmpati quasi mater, dulcique allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus ut abscederet, semper in sinum patris rediret, tamquam si sensu quodam occulto cordis ipsius perciperet pietatem; tandem jussu Patris a fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modo quoque consimili in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus, et viro Dei oblatus, cum caeteros fugeret, manibus ejus et sinu, se domestica securitate commisit. Per lacum Reatinum eidem ad erèmum de Graecio properanti, piscator unam ex devotione fluvialem, obtulit avem. Quam cum libenter susceptam apertis invitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire, erectis in coelum oculis, diu in oratione permansit: et quasi aliunde post longam horam ad se reversus, dulciter iterato mandavit aviculae, ut Dominum laudatura recederet. Suscepta itaque cum benedictione licentiâ,

gestu corporis quoddam praetendens gaudium, avolavit. In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus et vivus, quem more solito fraterno nomine vocans in aquam reposuit juxta navem. Piscis vero coram Viro Dei ludebat in aqua, et quasi amore illius allectus, nullatenus recessit a navi, nisi prius ab eodem cum benedictione licentia sibi data. Alio quoque tempore ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, invenit maximam avium multitudinem residentium et cantantium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium: « Sorores aves laudant Creatorem suum: nos itaque, in medium ipsarum euntes, laudes et Horas canonicas Domino decantemus. » Cumque in medium ipsarum intrassent, non sunt aves motae de loco. Et quia propter garritum ipsarum in dicendis Horis se mutuo audire non poterant, conversus Vir sanctus, dixit ad aves: « Sorores aves, a cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus. » At illae continuo tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes, quamdiu, dictis Horis spatiose, et laudibus persolutis, a Sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis Viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt.

§ **58**. Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Graecii, loci illius indigenae malis multiplicibus vexabantur. Nam et luporum rapacium multitudo, non solum bruta, sed et homines consumebat, et grando annuâ tempestate blada et vineas devastabat. Dum igitur sic afflictis praeco sacri Evangelii praedicaret, dixit ad eos: « Ad honorem et laudem Dei omnipotentis fidejubeo vobis, quod pestilentia haec omnis abscèdet, et respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes, misereamini vestri, ut, vestra confessione praemissa, dignos faciatis poenitentiae fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quod, si, beneficiis ingrati, ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur poena, et majori in vos ira desaeviet. » Ab illa utique hora, poenitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades, periere pericula; nec molestiae quicquam lupi intulere, vel grandines. Immo quod majus est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Cessavit grando, servaverunt et lupi pactionem Servi Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conversos attentaverunt amplius desaevire, quamdiu juxta condictum, contra piissimas Dei leges impie non egèrunt. Pie igitur sentiendum est de pietate Viri beati, quae tam mirae dulcedinis et virtutis fuit, ut domaret ferocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret, et brutorum naturam, homini jam lapso rebellem, ad sui obedientiam inclinaret. Vere haec est, quae cunctas sibi creaturas confederans, valet ad omnia, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae (I. *Tim.* iv, 8).

De fervore charitatis, et desiderio martyrii.

§ **59**. Charitatem ferventem, qua Sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque, quasi quidam carbo ignitus, divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinseca chorda cordis interior tangeretur. Talem pro eleemosynis censum offerre, nobilem prodigalitatem dicebat, et eos, qui minus ipsum, quam denarios reputarent, esse stultissimos, pro eo quod solius divini amoris impretiabile pretium, ad regnum coelorum sufficiat comparandum, et ejus, qui nos multum amavit, multum sit amor amandus. Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, et per jucunditatis specula in vivificam consurgebat rationem et causam. Contuebatur in pulcris Pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia, prosequebatur ubique Dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Inauditae namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tamquam in rivulis degustabat, et quasi coelestem concentum perciperet in consonantia virtutum et actuum eis datorum a Deo, ipsas ad laudem Domini more prophetae David dulciter hortabatur. Christus Jesus Crucifixus intra suae mentis ubera, ut myrrhae fasciculus, jugiter morabatur, in quem optabat per excessivi amoris incendium totaliter transformari. Praerogativâ quoque peculiaris devotionis ad ipsum, ab Epiphaniae festo usque ad continuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinans, cellâque reclusus, quantâ poterat arctitudine cibi et potus, jejuniis, et orationibus, et laudibus Dei sine intermissione vacabat. Tam fervido quidem in Christum ferebatur affectu! Sed et Dilectus illi tam familiarem rependebat affectum, ut videretur ipsi famulo Dei, quasi jugem prae oculis ipsius Salvatoris sentire praesentiam, sicut aliquando sociis familiariter revelavit.

§ **60**. Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem, et dignantissimam charitatem. Saepe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. Matrem Domini nostri Jesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum majestatis, fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum praecipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit, et ad honorem ipsius a festo Apostolorum Petri et Pauli, usque ad festum Assumptionis,

devotissime jejunabat. Angelicis spiritibus, ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, et electorum animas inflammandas, inseparabilis erat amoris vinculo copulatus, et ob devotionem ipsorum, ab Assumptione Virginis gloriosae quadraginta diebus jejunans, orationi jugiter insistebat. Beato autem Michaëli Archangelo, eo quod animarum repraesentandarum haberet officium, spirituali erat amore devotior, propter fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum. Ex recordatione Sanctorum omnium, tamquam lapidum ignitorum, in Deificum recalescebat incendium; Apostolos omnes, et praecipue Petrum et Paulum, propter fervidam charitatem, quam habuerunt ad Christum, summa devotione complexans, ob quorum reverentiam et amorem, Quadragesimae specialis jejunium Domino dedicabat.

§ **61**. Non habebat aliud Christi Pauper, nisi duo minuta, corpus scilicet et animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed hoc per amorem Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore per rigorem jejunii corpus, et per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, et in templo interius còncremans thymiàma. Sic autem eum charitatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa benignitas, ad naturae consortes et gratiae dilataret. Quem enim creaturis caeteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis imagine, et sanguine redemptis Auctoris, germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas fovèret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil praeferendum esse dicebat, eo maxime probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in Cruce pendère. Hinc sibi in oratione luctamen, in praedicatione discursus, et in exemplis dandis excessus. Unde quoties austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens ejus caro, quae jam se sponte subdebat spiritui, nullo propter offensas egèret flagello, tamen exempli causâ renovabat illi poenas et onera, custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim: « Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem in meipso non habeam, et proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil. »

§ **62**. Ferventi quoque charitatis incendio gloriosum sanctorum martyrum aemulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea et ipse, illa perfecta charitate succensus, quae foras mittit timorem, per martyrii flammam, hostiam Domino se offerre viventem, ut et vicem Christo pro nobis morienti rependeret, et ad divinum amorem caeteros provocaret. Sexto namque conversionis suae anno, desiderio martyrii flagrans, ad praedicandam fidem Christianam et poenitentiam Saracenis, et aliis infidelibus, ad partes Syriae transfretare disposuit. Cumque navem quamdam,

ut illuc tenderet. conscendisset, ventis contrariis flantibus, compulsus est in Sclavoniae partibus applicare. Cum igitur moram aliquandiu contraxisset ibidem, nec invenire posset navem tunc temporis transfretantem, fraudatum a suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, ut amore Dei eum secum ducerent, exoravit. Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, Vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus, navem cum socio latenter conscendit. Affuit quidam a Deo, ut creditur, pro Paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quemdam timentem Deum, de navi ad se vocatum, sic allocutus est: « Haec pro pauperibus fratribus in navi latitantibus conserva fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. » Sicque factum est, ut nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, et sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset. Quae cum esset modica, tantum divina virtute suscepit augmentum, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram, usque ad portum Anconae omnium necessitatibus plenarie subveniret. Videntes itaque nautae per Servum Dei multa se mortis evasisse discrimina, tamquam qui maris horrenda pericula senserant, et miranda opera Domini viderant in profundo, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis et servis mirabilem et amabilem se ostendit.

§ **83**. Cum autem, relicto mari, terram perambulare coepisset, jactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos. Verum quia martyrii fructus adeo cor ejus allexerat, ut pretiosam pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium * iter arripuit, ut Miramolino ** et genti ejus, Christi Evangelium praedicaret, si quo modo ad concupìtam palmam valèret attingere. Tanto namque desiderio ferebatur, ut quamvis esset imbecillis corpore, peregrinationis suae praecurreret comitem, et ad exsequendum propositum festinus, et tamquam spiritu ebrius advolaret. Sed cum jam usque in Hispaniam perrexisset, divina dispositione, quae ipsum reservabat ad alia, gravissima ei supervènit infirmitas, qua praepedìtus, quod cupiebat, adimplere nequivit. Sentiens igitur Vir Dei, quod necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamvis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum oves, suae sollicitudini commendatas. Verum charitatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis, effusione sui sanguinis, dilatanda, versus infideles proficisci tentavit. Tertiodecimo namque conversionis suae anno

* In Africa septentrionali.

** Vox ab Hispanis corrupta ex arabica *Emir-al-Moslemin*, quae Mussulmanorum vel *credentium* principem significat. Titulus est nobilissimus, quo generaliter Mussulmani utuntur, tum qui reipublicae tum qui rebus sacris praesunt. Vide Mariana, *De rebus Hispaniae*, lib. vi.

ad partes Syriae pergens, multis se periculis constanter exposuit, ut Sulthani Babyloniae posset adire praesentiam. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc bellum * tam implacabile erat, exercituum castris hincinde in campo cominus exadverso locatis, ut via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat siquidem a Sulthano edictum crudele, ut quicumque caput alicujus Christiani afferret, Byzantium ** aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus, sperans in proximo suum adipisci posse propositum, diffinivit iter arripere, mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus. Oratione namque praemissa, confortatus a Domino, confidenter illud propheticum decantabat: *Nam etsi ambulavero, in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Assumpto igitur socio fratre, Illuminato nomine, viro utique luminis et virtutis, cum iter cepisset, obvias habuit oviculas duas, quibus visis exhilaratus Vir sanctus, dixit ad socium: « Confide, frater, in Domino, nam in nobis Evangelicum illud impletur: *Ecce ego mitto vos in medio luporum*.» Cum autem processissent ulterius, occurrerunt ei satellites Saraceni, qui tamquam lupi celerius accurrentes ad oves, servos Dei feraliter comprehensos, crudeliter et contemptibiliter pertractarunt, afficientes conviciis, affligentes verberibus, et vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter et attritos, ad Sulthanum, divina disponente providentia, juxta Viri Dei desiderium, perduxerunt. Cum igitur princeps ille perquireret a quibus, et ad quid, et qualiter missi essent, intrepido corde respondit Christi Servus Franciscus: Non ab homine, sed a Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei et populo suo viam salutis ostenderet, et annunciaret Evangelium veritatis.

§ **84**. Tanta vero mentis constantiâ, tanta virtute animi, tantoque fervore spiritus praedicto Sulthano praedicavit Deum trinum et unum, et Salvatorem omnium Jesum Christum, ut Evangelicum illud in ipso claresceret veraciter esse completum: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri* (*Luc*. XXI, 15). Nam et Sulthanus admirandum in Viro Dei fervorem spiritus conspiciens et virtutem, libenter ipsum audiebat, et ad moram contrahendam cum eo, instantius invitabat. Christi vero Servus, superno illustratus oraculo: « Si vis, inquit, converti tu cum populo tuo ad Christum, ob illius amorem libenter vobiscum commorabor. Quod si haesitas, propter fidem Christi, legem Mahometi dimittere, jube ignem accendi permaximum, et ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quae fides certior et sanctior non immerito tenenda sit. » Ad quem Sulthanus: « Non credo,

* Agitur hic de quinto Cruce-signatorum, ut vocatur, bello (an. 1219-1221), quod in Aegypto gestum fuit, cum gravi, nefandaque ipsorum ruina.

** Nummus seu moneta quaedam Imperatorum Constantinopolitarum.

quod aliquis de sacerdotibus meis, se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti.» Viderat enim statim quemdam de presbyteris suis, virum authenticum et longaevum, hoc audito verbo, de suis conspectibus aufugisse. Ad quem Vir sanctus: «Si mihi velis promittere pro te et populo tuo, quod ad Christi cultum, si igne illaesus exièro, veniatis, ignem solus introibo; et si combustus fuero, imputetur peccatis meis; si autem divina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem et sapientiam, verum Deum, et Dominum, Salvatorem omnium agnoscatis.» Sulthanus autem optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quae vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia, quasi lutum. Sulthanus autem videns Virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga ipsum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem Christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogavit tamen devote Famulum Christi, ut praedicta susciperet, pro salute ipsius, Christianis pauperibus vel ecclesiis eroganda. Ipse vero, quia pondus fugiebat pecuniae, et in animo Sulthani verae pietatis non videbat radicem, nullàtenus acquievit. Videns etiam se non proficere in conversione gentis illius, nec suum àssequi posse propositum, ad partes fidelium, divina revelatione praemonitus, remeavit. Sic itaque Dei ordinante clementia, et sancti Viri promerente virtute, misericorditer et mirabiliter factum est, quod Christi Amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, et tamen nullatenus inveniret: ut et merito non careret optati martyrii, et insigniendus servaretur in posterum privilegio singulari. Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius aestuaret in corde, ut post potentius evaporaret in carne. O vere beatum Virum, cujus caro etsi tyrannico ferro non caeditur, occisi tamen agni similitudine non privatur! O, inquam, vere ac plene beatum, cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit!

De studio et virtute Orationis.

§ **65**. Sentiens Christi Servus Franciscus, corpore se peregrinum a Domino, cum jam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione Dilecti, sine intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere praesentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium dum supernarum circuitu mansionum, Angelorum concivis jam factus, ferventi desiderio quaerebat Dilectum, a quo solus eum carnis paries disjungebat. Erat et operanti praesidium, dum in omnibus, quae agebat, de sua diffidens industria, et de superna

pietate confidens, per ipsius instantiam, totum in Domino cogitatum jactabat. Orationis gratiam Viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens sine ipsa in Dei prosperari servitio, modis, quibus poterat, fratres suos ad ejus studium excitabat. Nam ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans, orationi adeo erat intentus, ut illi videretur, non solum quicquid erat in eo cordis et corporis, verum etiam operis et temporis, dedicasse. Solitus erat nullam visitationem Spiritus cum negligentia praeterire. Siquidem cum offerebatur, sequebatur eam: et quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem intentus itineri, divini Spiritus aliquos sentiret afflatus, sociis praecedentibus, gradum figebat, novamque inspirationem ad fruitionem convertens, gratiam non recipiebat in vacuum.

§ **66**. Suspendebatur multoties tanto contemplationis excessu, ut supra semetipsum raptus, et ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius, ignoraret. Transiens namque semel per Burgum Sancti Sepulcri, castrum utique populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas, in eum prae devotione ruentes. Tractus autem et detentus ab eis, compressus quoque, ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, et velut exanime corpus, de iis quae fiebant circa ipsum, nihil penitus advertebat. Unde cum jamdiu, trànsito castro, turbisque relictis, pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliunde rediens, coelestium contemplator, sollicite requisivit, quando propinquarent ad Burgum. Mens quidèm ipsius coelestibus fixa splendoribus, varietates non senserat locorum, nec temporum, nec occurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum ejus experientia multiplex comprobavit. Et quia in oratione perceperat, Sancti Spiritus desideratam praesentiam tanto familiarius se offerre praecantibus, quanto plus ìnvenit elongatos a strepitu mundanorum, ideo loca solitaria quaerens, ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat; ubi daemonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus coelestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, et ferventior reddebatur in opere, fidenter dicens ad Christum: *Sub umbra alarum tuarum pròtege me a facie impiorum, qui me afflixerunt* (*Psal.* 16). Ad daemones autem: « Facite quicquid in me valetis, maligni spiritus et fallaces. Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat; et ego ad perferendum omnia, quae illa infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus assisto. » Quam mentis constantiam superbi daemones non ferentes, abscedebant confusi.

§ **67**. Vir autem Dei, solitarius rèmanens et pacatus, nèmora

replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, et quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat Judici, ibi supplicabat Patri, ibi colloquebatur Amico. Ibi quoque a fratribus, ipsum pie observantibus, aliquoties auditus est, clamosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam Dominicam passionem. Ibi visus est nocte orans, manibus ad modum Crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi et occulta divinae Sapientiae pandebantur; quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat charitas, et proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim: « Levi mercede rem impretiabilem contingit amitti, et illum qui dedit, ad non dandum iterum facile provocari. » Quando a privatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summopere studebat conformare se caeteris, ne forte quod foris ostenderet, aura favoris intus a mercede evacuaret. Cum in publico subito afficeretur visitatus a Domino, semper aliquid objiciebat astantibus, ne Sponsi familiares attactus forinsecus vulgarentur. Exsecrationes, gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus, orans inter fratres, devitabat omnino, sive quia diligebat secretum, sive quia ad interiora reintrans, totus ferebatur in Deum. Saepe talia familiaribus dixit: « Quando servus Dei orans, visitatur divinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori et indigno de coelo misisti, Domine, et ego illam tuae committo custodiae; quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus. »

§ **68**. Orante autem Viro Dei in loco de Portiuncula, contigit, Assisinatem Episcopum venire ad eum, ut erat solitus, visitandum. Qui mox ut locum fuit ingressus, ad cellam, in qua Christi servus orabat, plus debito fidenter accessit; pulsatoque ostiolo, intraturum se ingerens, dum caput immisit, sanctumque orantem conspexit, repentino timore concussus, obrigescentibus membris, etiam loquelam amisit. Subitoque voluntate divina per vim foras propulsus, retrogrado pede procul abductus est. Stupefactus Episcopus, ad fratres festinavit, ut potuit, Deoque sibi restituente linguam, primo verbo confessus est culpam. Contigit tempore quodam, Abbatem monasterii sancti Justini de Episcopatu Perusii, obviare Famulo Christi. Quo viso, Abbas devotus celeriter de equo descendit, ut et Viro Dei reverentiam faceret, et de salute animae aliqua cum ipso conferret. Tandem habita collatione suavi, Abbas abscèdens orari pro se humiliter petiit. Cui Vir, Deo carus, respondit: Orabo libenter. Parum itaque discedente

Abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium: « Exspecta, frater, modicum, quia debitum volo solvere, quod promisi. » Orante autem illo, subito Abbas insolitum calorem et dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu, quod, in excessu mentis effectus, totus a seipso in Deum defecit. Parva morula substitit, et in se reversus, virtutem orationis sancti Francisci cognovit. Majori proinde circa Ordinem semper amore flagravit, multisque factum pro miraculo retulit.

§ **69**. Solitus erat Vir sanctus Horas Canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote. Nam licet oculorum, stomachi, splenis et hèpatis aegritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhaerere, dum psalleret, sed Horas semper erectus, et sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa * persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, hujusmodi consuetudinem reverentem, et sacram, propter pluviarum inundantiam non amittens. Dicebat enim: « Si quiete còmedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca, cum quanta pace et tranquillitate accipere debet anima cibum vitae? » Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas hujusmodi pateretur. Fecerat in Quadragesima quadam vasculum unum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens, paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit. Psalmos cum tanta mentis attentione dicebat, quasi Deum praesentem haberet; et cum nomen Domini in eis occurreret, prae suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini nomen non solum cogitatum, verum etiam prolatum et scriptum, reverentiâ volens honorare praecipua, fratribus persuasit aliquando, ut omnes schedulas scriptas ubicumque repertas colligerent, mundoque loco reponerent, ne forte sacrum illud nomen contingeret conculcari. Nomen autem Jesu cum exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonìacus sonus ipsius immutasset auditum.

§ **70**. Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam nativitatis pueri Jesu ad devotionem excitandam, apud castrum Graecii disponeret agere cum quanto majori solemnitate valeret. Ne vero hoc levitati posset adscribi, a summo Pontifice petìta et obtenta licentiâ, fecit praeparari praesepium, apportari foenum, bovem et asinum ad locum adduci. Advocantur fratres,

* Idest, sine interruptione.

adveniunt populi, personat silva voces, et venerabilis illa nox, luminibus copiosis et claris, laudibusque sonoris et consonis, et splendens efficitur, et solemnis. Stabat Vir Dei coram praesepio pietate repletus, respersus lacrymis, et gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super praesepe, Levita Christi Francisco sacrum Evangelium decantante. Praedicat deinde populo circumstanti de nativitate Regis pauperis, quem cum nominare vellet, *puerum de Bethleem* prae amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus et verax, qui propter Christi amorem, seculari relicta militiâ, Viro Dei magna fuit familiaritate conjunctus, Dominus Joannes de Graecio, se vidisse asseruit puerulum quemdam valde formosum in illo praesepio dormientem, quem beatus pater Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur a somno. Hanc siquidem devoti militis visionem non solum videntis sanctitas credibilem facit, sed et designata veritas comprobat, et miracula subsecuta confirmant *. Nam exemplum Francisci consideratum a mundo, excitativum est cordium in fide Christi torpentium; et foenum praesepii reservatum a populo, mirabiliter sanativum fuit brutorum languentium, et aliarum repulsivum pestium diversarum, glorificante Deo per omnia Servum suum, sanctaeque orationis efficaciam evidentibus miraculorum prodigiis demonstrante.

De intelligentia Scripturarum et spiritu prophetiae.

§ 71. Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum, Virum Dei perduxerat, ut quamvis non habuerit sacrarum Litterarum peritiam per doctrinam, aeternae tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita; et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in Libris sacris, et, quod animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriae: quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuae devotionis ruminabat affectu. Quaerentibus aliquando fratribus, utrum sibi placeret, quod litterati jam recepti ad Ordinem, intenderent studio sacrae Scripturae, respondit: « Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur, quam legisse, orationis studium non omittant: nec tantum studeant, ut sciant, qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos Evangelicos esse, sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto conjunxit. »

* Hoc in loco, ad rei gestae memoriam confirmandam, ecclesia fuit aedificata.

Interrogatus Senis a quodam religioso viro, Theologiae sacrae doctore, de quibusdam quaestionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinae divinae sapientiae patefaciebat arcana, ut vehementer stuperet vir ille peritus, et cum admiratione referret: « Vere Theologia sancti Patris istius, puritate ac contemplatione, tamquam alis in altum subvecta, est aquila volans; nostra vero scientia, ventre graditur super terram. » Licet enim esset imperitus sermone, scientiâ tamen plenus enodabat dubia quaestionum, et abscondita producebat in lucem. Nec absonum, si Vir sanctus Scripturarum a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam, veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, et per Sancti Spiritus Unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.

§ 72. Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiae, ut et praevideret futura, et cordium contueretur occulta, absentia quoque velut praesentia cerneret, et se praesentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque, quo Damiàtam Christianorum obsidebat exercitus, aderat Vir Dei non armis, sed fide munitus. Cum igitur die belli Christiani pararentur ad pugnam, hoc audito, Christi Servus vehementer ingemuit, dixitque socio suo: « Si belli fuerit attentatus ingressus, ostendit mihi Dominus non prospere cedere Christianis. Verum si hoc dixero, fatuus reputabor; si tacuero, conscientiam non evadam. Quid igitur tibi videtur? » Respondit socius ejus, dicens: « Frater, pro minimo tibi sit ut ab hominibus judiceris, quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam, et Deum magis time, quam homines. » Quo audito, exsiliens Christi praeco, salutaribus monitis Christianos aggreditur, prohibet bellum, denunciat casum. Fit veritas in fabulam: induraverunt cor suum, et noluerunt reverti. Itur, committitur et bellatur, totaque in fugam revertitur militia Christiana, finem belli opprobrium règerens, non triumphum. Tanta vero strage Christianorum imminutus est numerus, ut circa sex millia fuerint inter mortuos et captivos *. In quo evidenter innotuit, quod spernenda non erat sapientia Pauperis, *cum anima viri justi annunciet aliquando vera, quam septem circumspectores, sedentes in excelso ad speculandum* (*Ecclesiast.* XXXVII, 18). Alio quoque tempore, cum post reversionem ipsius de ultra mare, Celanum praedicaturus accederet, miles quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exultavit in ingressu. Ante vero, quam cibum sumerent, juxta solitum morem, Vir mente devotus offerens Deo preces et laudes, oculis stabat elevatis in coelum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter advocatum in partem, sic

* Haec est strages, quam Cruce-signati in quinta eorum expeditione, de qua jam diximus, passi sunt apud Damiatam, in Aegypto, die 29 augusti 1219.

allocutus est: « Ecce, frater hospes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi. Meis nunc cito monitis acquiesce, quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, verae poenitentiae dolore contritus, nec in te remaneat quicquam, quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione suos pauperes suscepisti. » Acquievit continuo vir ille sermonibus Sancti, socioque ipsius universa peccata in confessione dètegens, disposuit domum suam, et ad mortem suscipiendam se, quantum valuit, praeparavit. Intraverunt tandem mensam, et incipientibus aliis manducare, hospes subito spiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus. Sicque factum est, hospitalitatis gratiâ promerente, ut juxta verbum veritatis, prophetam recipiens, mercedem prophetae acciperet, dum per sancti Viri praenunciationem propheticam miles ille devotus sibi contra mortis subitationem providit, quatenus armis poenitentiae praemunitus, perpetuam damnationem evaderet, et in aeterna tabernacula introiret.

§ **73.** Frater quidam, Deo devotus et famulo Christi, frequenti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratiâ dignum, quem Vir sanctus familiari complecteretur affectu: quem vero tamquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum a Deo. Cum igitur cogitationis hujus crebrius vexatus impulsu, Viri Dei familiaritatem vehementer optaret; nec tamen cordis sui secretum revelaret alicui, advocans eum ad se dulciter Pater pius, sic allocutus est: « Nulla te turbet cogitatio, fili, quoniam te carissimum habens inter praecipue mihi caros, libenter tibi munus meae familiaritatis et dilectionis impendo. » Miratus exinde frater, factusque devotior ex devoto, non solum in amorem crevit Hominis sancti, verumetiam per Spiritus Sancti gratiae munus donis est majoribus cumulatus. Cum autem in monte maneret Alvernae cellâ reclusus, unus e sociis, magno desiderio, cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum, manu ipsius breviter annotatum. Gravem enim, qua vexabatur, tentationem, non carnis, sed spiritus, ex hoc credebat evadere, vel certe levius ferre. Tali desiderio languens, anxiabatur interius, quia verecundiâ victus, reverendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, spiritus revelavit. Portari namque sibi jussit a fratre praedicto atramentum et chartam, laudesque Domini juxta fratris desiderium propria manu scripsit, et ultimo benedictionem ipsius, dicens: « Accipe tibi chartulam istam, et usque ad diem mortis tuae custodias diligenter. » Accepit frater donum illud optatum; et statim omnis illa tentatio effugatur. Servatur littera, et cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit. Frater quidam erat, quantum a foris videbatur, sanctitate praeclarus, conversatione insignis,

tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem, sanctum Patrem venire ad locum, videre fratrem, et de ipso cum aliis fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus et magnificantibus illum, respondit Vir Dei: « Sinite, fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est, et deceptio fraudulenta. » Dure acceperunt hoc fratres, tamquam impossibile judicantes, quod tot perfectionis indiciis, fraudis se commenta fuscarent. Verum non post multos dies eo Religionem egresso, evidenter apparuit, quanta luculentiâ interioris contuitus, Vir Dei cordis ejus secreta perspexit. Multorum quoque per hunc modum, qui stare videbantur, ruinam, sed et plurium perversorum conversionem ad Christum, immobili veritate praenuncians, appropinquasse videbatur ad aeternae lucis speculum contemplandum, cujus fulgore mirabili, absentia corporaliter, tamquam si essent praesentia, mentis ejus cernebat obtutus.

§ 71. Quodam namque tempore vicarius suus tenebat Capitulum; ipse vero, in cella orans, sequester erat et medius inter fratres et Deum. Cum igitur unus ex ipsis, defensionis quodam contectus palliolo, non se subderet disciplinae; videns hoc Vir sanctus in spiritu, vocavit quemdam de fratribus, et dixit ad eum: « Vidi, frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem adstrictum, qui tali sessore subactus, obedientiae freno spreto, instinctus ejus sequebatur habènas. Et cum rogarem Deum pro fratre, subito daemon confusus abscessit. Vade igitur, et dic fratri, ut obedientiae sanctae jugo collum sine mora submittat. » Monitus per internuncium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes vicarii humiliter se projecit. Alio quoque tempore contigit duos fratres ad eremitorium Graecii de remotis venire, ut Virum Dei cèrnerent, et benedictionem, multo desideratam jam tempore, reportarent. Venientes autem et non invenientes, quia de publico jam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cum de ipsorum adventu vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset, praeter solitum morem egressus e cella, clamavit post eos, et juxta quod optaverant, signo Crucis facto, in Christi nomine benedixit. Duo fratres venerunt aliquando de Terra Laboris *, quorum antiquior nonnulla intulit scandala juniori. Cum autem pervenissent ad Patrem, quaesivit ille a juniori, qualiter erga ipsum se frater socius habuisset in via. Quo respondente: « Utique satis bene, » subjunxit: « Cave, frater, ne sub humilitatis specie, mentiaris: scio enim, scio: sed exspecta modicum, et videbis. » Miratus est perplurimum frater, quomodo

* **Campania, italice vero *Terra di Lavoro*, Neapolim versus, in Tyrrheni maris ora.**

tam absentia per spiritum cognovisset. Igitur non post multos dies, contempta Religione, foras egreditur, qui scandalum fecerat fratri, et a Patre non petierat veniam, nec correctionis debitam receperat disciplinam. Simulque duo in una illius claruere ruina, aequitas scilicet divinae justitiae, et perspicacitas spiritus prophetiae. Qualiter autem absentibus se praesentem exhibuit, divina faciente virtute, evidenter ex superioribus innotescit, si revocetur ad mentem, qualiter absens in curro igneo transfiguratus apparuit, et quomodo se Arelatensi Capitulo in Crucis effigie praesentavit. Quod factum esse divina dispositione credendum est, ut ex praesentiae corporalis apparitione mirabili patenter claresceret, quam praesens et pervius spiritus ejus luci sapientiae foret aeternae, quae omnibus mobilibus mobilior est, et ubique attingens propter sui munditiam, per nationes in animas sanctas se transfert, et Dei amicos et Prophetas constituit. Simplicibus et parvulis sua solet pàndere mysteria Doctor excelsus, sicut prius apparuit in David prophetarum eximio, et post in Apostolorum principe, Petro, et tandem in pauperculo Christi, Francisco. Hi enim cum essent litterarum imperitiâ simplices, facti sunt Sancti Spiritus eruditione illustres. Is quidem pastor ut gregem pasceret Synagogae de Aegypto eductum; iste piscator, ut sagènam repleret Ecclesiae multiformitate credentium; hic autem negotiator, ut margaritam èmeret Evangelicae vitae, venditis et dispersis omnibus propter Christum.

De efficacia praedicandi et gratia sanitatum.

§ **75**. Fidelis revera famulus et minister Christi, Franciscus, ut cuncta fideliter et perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quae, sacro dictante spiritu, Deo suo magis placere cognoverat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cujusdam agoniam incidere, quam multis diebus ab oratione rediens, terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat: « Quid, *inquit*, fratres, consulitis, quid laudatis? an quod orationi vacem, an quod praedicando discurram? Siquidem ego parvulus, simplex, et imperitus sermone, majorem orandi accepi gratiam, quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, et cumulatio gratiarum; in praedicatione distributio quaedam donorum caelitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, et unitio ad unum verum et summum Bonum cum vigoratione virtutis; in praedicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa, et relaxatio disciplinae. Tandem in oratione Deum alloquimur, et audimus, et quasi Angelicam vitam agentes, inter Angelos conversamur; in praedicatione multa oportet condescensione uti ad homines, et humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere, et audire. Sed unum

est in contrarium, quod videtur praeponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet Unigenitus Dei filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis et pretio redimeret, et emundaret lavacro, et poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum quae videmus in ipso, tamquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum, quod intermissa quiete foras egrediar ad laborem. » Cumque per multos dies verba hujusmodi ruminaret cum fratribus, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum sibi foret ut Christo vere acceptius, eligendum. Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiae, hanc per seipsum quaestionem dissolvere non valebat ad liquidum, Deo melius providente, ut praedicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, et Servi Christi humilitas servaretur. Non erubescebat a minoribus parva quaerere verus Minor, qui magna didicerat a Magistro supremo. Studio namque praecipuo solitus erat exquirere, quali via qualique modo Deo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deservire. Haec summa ejus philosophia, hoc summum ejus desiderium extitit, quoad vixit, ut quaereret a sapientibus et simplicibus, perfectis et imperfectis, parvulis et grandaevis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius pervenire valeret.

§ **76**. Assumens itaque duos ex fratribus, misit ad fratrem Silvestrum, qui Crucem egredientem viderat de ore ipsius, et tunc in monte supra Assisium jugiter orationi vacabat, ut divinum super dubitatione hujusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum demandavit sacrae virgini Clarae, ut per aliquam puriorem et simpliciorem de virginibus, sub ipsius disciplina degentibus, et ipsa cum sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis revelante Spiritu, venerabilis sacerdos, et virgo Deo dicata, beneplaciti scilicet esse divini, quod Christi praeco ad praedicandum exiret. Revertentibus itaque fratribus, et Dei, juxta quod acceperant, indicantibus voluntatem, exsurgens continuo succinxit se, nullàque prorsus contracta morâ, iter aggressus est. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si, facta manu Dei super eum, novam induisset e coelo virtutem.

§ **77**. Cum igitur appropinquaret Bevanio *, ad quemdam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat. Quas cum Sanctus Dei vidisset, alacriter currit ad locum, et eas velut rationis participes salutavit. Omnibus vero exspectantibus et convertentibus se ad eum, ita ut quae in arbustis

* **Italice Bevagna, in Umbria.**

erant, inclinatis capitibus cum appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent, usque ad eas accessit, et omnes, ut verbum Domini audirent, sollicite admonuit, dicens: « Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aëris, et sine vestra sollicitudine vos gubernat. » Cum autem eis haec et his similia loqueretur, aviculae modo mirabili gestientes, coeperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, et in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus fervore mirando per medium ipsarum transiens, tunica contingebat easdem, nec tamen de loco aliqua mota est, donec signo Crucis facto, et licentiâ data, cum benedictione Viri Dei, omnes simul avolarunt. Haec omnia contuebantur socii, exspectantes in via. Ad quos reversus Vir simplex et purus, pro eo quod non hactenus avibus praedicaverat, coepit se de negligentia inculpare. Exinde praedicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam, nomine Alvianum, ubi, congregato populo, et indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magnisque garritibus perstrepentes, audiri vix poterat. Quas Vir Dei omnibus audientibus allocutus est, dicens: « Sorores meae hirundines, jam tempus est ut loquar et ego, quia vos usque modo satis dixistis. Audite verbum Dei tenentes silentium, donec sermo Dei compleatur. » At illae tamquam intellectus capaces, subito tacuerunt, nec fuerunt motae de loco, donec fuit omnis praedicatio consummata. Omnes igitur, qui viderunt, stupore repleti glorificaverunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa, multos ad Sancti reverentiam, et fidei devotionem accendit.

§ 78. In civitate namque Parisiensi scholaris quidam indolis bonae, cum sociis aliis studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cujusdam infestaretur hirundinis, dicere coepit ad socios: Haec hirundo una de illis est, quae virum Dei Franciscum praedicantem aliquando, donec silentium eis imponeret, molestabant. Et conversus ad hirundinem, fiducialiter ait: « In nomine Servi Dei, Francisci, praecipio tibi, ut ad me veniens, continuo conticescas. » At illa, Francisci audito nomine, quasi Viri Dei disciplinis edocta, et statim conticuit, et ipsius manibus tamquam tutae custodiae se commisit. Stupefactus scholaris, statim eam libertati restituit, et ejus garritum amplius non audivit. Alio quoque tempore cum Famulus Dei Cajetae * praedicaret in litore maris, turbis prae devotione ruentibus, ut eum contingerent, horrens Christi Servus tantum populorum applausum, in unam haerentem litori naviculam prosilivit solus. Illa vero tamquam si rationis particeps, motore moveretur intrinseco; sine aliquo rèmige, cernentibus et mirantibus cunctis, se longius a terra

* Indigenis Gaeta, episcopalis urbs, in Terra Laboris, in ora Tyrrheni maris, amplo portu instructa.

protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu Vir sanctus turbis exspectantibus in litore praedicavit. Cumque, audito sermone, et viso miraculo, ac benedictione accepta, multitudo recèderet, ne ipsum amplius molestaret, navicula proprio ductu ad terram reversa est. Quis igitur tam obstinatae mentis esset et impiae, ut praedicationem Francisci contemneret, cujus miranda fiebat virtute, ut non solum carentia ratione, disciplinam susciperent, verumetiam inanimata corpora tamquam animata, praedicanti servirent?

§ **79**. Aderat equidem servo suo Francisco ad quaecumque pergeret, is qui eum unxerat et miserat Spiritus Domini, et ipse Dei virtus et sapientia Christus, ut sanae doctrinae verbis afflueret, et magnae potentiae miraculis coruscaret. Erat enim verbum ejus, velut ignis ardens, pènetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanae inventionis ornatum praetenderet, sed divinae revelationis afflatum redolèret. Nam cum semel praedicaturus coram Papa et Cardinalibus, ad suggestionem Domini Ostiensis, sermonem quemdam studiose compositum commendasset memoriae, stetissetque in medio, ut aedificationis verba proponeret, sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Verum cum hoc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus Sancti gratiam invocandam, tam efficacibus subito coepit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed Spiritus Domini, loquebatur. Et quoniam primo sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone reprehensorem non timens, veritatem fidentissime praedicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere, nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eàdem mentis constantiâ magnis loquebatur et parvis, eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur et multis. Omnis aetas, omnisque sexus properabat, Virum novum, mundo caelitus datum, et cernere, et audire. Ipse vero per diversas regiones progrediens, evangelizabat ardenter, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. In virtute namque nominis ejus, veritatis praeco Franciscus ejiciebat daemonia, sanabat infirmos, et quod majus est, sui sermonis efficaciâ obstinatorum mentes ad poenitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat, et cordibus, sicut aliqua comprobant operum ejus, exempli gratiâ inferius adnotanda. In civitate Tuscanella a milite quodam hospitio devote susceptus, filium ejus unicum, a nativitate contractum, ad multam ipsius instantiam, manu allevans, sic subito incolumem reddidit, ut videntibus cunctis, protinus consolidarentur omnia corporis membra, et puer sanus, et fortis effectus, confestim exsurgeret, ambulans, et exsiliens, et laudans Deum. In civitate

Narniensi, cum paralyticum quemdam, membrorum omnium destitutum officio, signo Crucis a capite usque ad pedes ad instantiam signasset Episcopi, perfecte restituit sanitati. In Episcopatu Reatino puer quidam sic turgidus a quatuor annis, ut nullo modo propria crura cernere posset, a matre cum lacrymis praesentatus eidem, statim, ut Vir sanctus tetigit eum manibus sacris, incolumis est effectus. Apud civitatem Ortensem puer unus ita conglomeratus, ut caput pedibus portaret applicitum, et haberet ossa nonnulla confracta, signo Crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem suscepto, subito extensus extitit, et illico liberatus. Mulier quaedam civitatis Eugubii, ambas contractas et aridas habens manus, adeo ut nihil per illas operari valeret, signo Crucis ab eodem in nomine Domini sibi facto, tam perfectam obtinuit sospitatem, quod statim rediens domum, cibos in ministerium ejus et pauperum, quasi altera socrus Simonis, propriis manibus praepararet. Cum his et aliis multis miraculorum prodigiis Praeco Christi praedicans coruscaret, attendebatur his, quae dicebantur ab eo, ac si Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso praerogativa virtutum, prophetiae spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de praedicando coelitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio ejus a Spiritu Sancto praeter humanam doctrinam, praedicandi auctoritas a summo Pontifice non sine revelatione concessa; insuper et Regula, in qua forma praedicandi exprimitur, ab eodem Christi Vicario confirmata: summi quoque Regis signacula per modum sigilli corpori ejus impressa tamquam testimonia decem, toti seculo indubitanter affirmant, Christi praeconem Franciscum, et venerandum officio, et doctrinâ authenticum et admirabilem sanctitate, ac per hoc, tamquam vere Dei nuncium, Christi Evangelium praedicasse.

De Stigmatibus sacris.

§ **80**. Mos erat angelico viro Francisco, nunquam otiari a bono: quin potius instar supernorum spirituum in scala Jacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximos. Nam tempus sibi concessum ad meritum, dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosis impènderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Unde cum secundum exigentiam locorum et temporum, alienae condescendisset procurandae saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locumque quietis: quo liberius Deo vacans, extergeret, si quid pulveris sibi in conversatione hominum adhaesisset. Biennio itaque, antequam spiritum redderet coelo, divina providentiâ duce, post labores multìmodos perductus est in locum excelsum seorsum, qui dicitur mons Alvernae. Cum

igitur juxta solitum morem, Quadragesimam ibidem ad honorem sancti Archangeli Michaëlis jejunare * coepisset, supernae contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac coelestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum coepit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non ut curiosus Majestatis perscrutator opprimendus a gloria; sed tamquam servus fidelis et prudens, investigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimode summo peroptabat ardore.

§ **81**. Immissum est igitur menti ejus per divinum oraculum, quod in apertione libri Evangelici revelaretur ei a Christo, quod Deo in ipso, et de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione praemissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum, in sanctae Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum et sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit Vir Deo plenus, quod, sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitae, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Et licet propter multam austeritatem vitae praeteritae, Crucisque Dominicae bajulationem continuam, imbecillis jam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrii sustinentiam vigorosius animatus. Excreverat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum, ut aquae multae charitatem ejus tam validam extinguere non valerent. Cum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum Exaltationis sanctae Crucis, dum oraret in làtere montis, vidit Seraph unum, sex alas habentem tam ignitas, quam splendidas, de coelorum sublimitate descendere. Cumque volatu celerrimo pervenisset ad aëris locum, Viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis Crucifixi, in modum crucis manus et pedes extensos habentis, et Cruci affixos. Duae alae super caput ipsius elevabantur, duae ad volandum extendebantur, duae vero totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque moerore gaudium cor ejus incurrit. Laetabatur quidem in gratioso adspectu, quo a Christo sub specie Seraph cernebat se conspici: sed Crucis affixio, compassivi doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quamplurimum in tam inscrutabilis visionis adspectu, sciens quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conveniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat praesentata conspectibus, ut Amicus Christi

* Incipiebat hoc jejunium a festo Assumptionis B. Virginis Mariae, protrahebatur autem usque ad festum Dedicationis S. Michaëlis Archangeli.

praenosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi Crucifixi similitudinem transformandum.

§ 82. Dispàrens igitur visio, mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem; sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere coeperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri Crucifixi conspexerat. Manus enim et pedes in ipso medio clavis confixae videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum, et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra, ipsa verò acumina oblonga, retorta et quasi repercussa, quae de ipsa carne surgentia, carnem relinquam excedebant. Dextrum quoque latus quasi lanceâ transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod saepe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat. Cernens autem Christi Servus, quod stigmata, carni tam luculenter impressa, socios familiares latère non possent, timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno positus fuit dubitationis agone, utrum videlicet, quod viderat, diceret, vel taceret. Vocavit proinde aliquos ex fratribus, et generalibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit, et consilium requisivit. Quidam vero ex fratribus gratiâ Illuminatus et nomine, intelligens quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad Virum sanctum: « Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios scias tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea jure videtur, ne si, quod pluribus profuturum accepisti, celaveris pro talento abscondito reprehensibilis judiceris. » Ad cujus verbum motus Vir sanctus, licet alias dicere solitus esset: *Secretum meum mihi:* tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis praefatae, addens quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quae nunquam dum viveret, alicui hominum aperiret. Credendum sane tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph, in Cruce mirabiliter apparentis, eloquia, quod forte non liceret hominibus ea loqui. Postquam igitur verus Christi amor in eamdem imaginem transformavit Amantem quadraginta dierum numero, juxta quod decreverat, in solitudine consummato, superveniente quoque solemnitate Archangeli Michaëlis, descendit angelicus Vir Franciscus de monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. Et quoniam sacramentum Regis abscondere bonum est, ideo secreti regalis vir conscius, signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum quia Dei est, ad gloriam suam magna revelare quae facit: Dominus ipse, qui signacula illa secrete impresserat, miracula quaedam aperte per ipsa monstravit,

ut illorum occulta et mira vis stigmatum, manifesta patèret claritate signorum.

§ **83**. In provincia namque Reatina pestis invaluerat valde gravis, quae oves et boves omnes sic consumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam, timens Deum, nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium fratrum festinanter accederet, et loturam manuum ac pedum Famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam, super animalia cuncta respergeret. Mane itaque surgens, venit ad locum: loturâque hujusmodi per socios sancti viri latenter obtentâ, oves et boves languentes ex ea respersit. Mirabile dictu! Statim ut aspersio animalia languida et in terra jacentia, quantumcumque paululum attingebat, prìstino recuperato vigore, surgebant continuo, et tamquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicque factum est, ut per virtutem mirandam aquae illius, quae sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus a gregibus fugaretur.

§ **84**. Circa praefatum montem Alvernae, antequam Vir sanctus ibi contraheret moram, nube ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas fructus terrae consuetudinarie devastabat. Sed post illam apparitionem felicem, non sine incolarum admiratione, grando cessavit, ut coelestis illius visionis excellentiam, et stigmatum ibidem impressorum virtutem, serenati praeter morem ipsa coeli facies declararet. Còntigit quoque eum tempore hiemali propter debilitatem corporis et asperitatem viarum, hominis unius pauperis subvectum asello, sub rupis cujusdam prominentis pernoctare crepidine, ut nivis et noctis supervenientium quoquomodo declinaret incommoda, quibus praepeditus, ad hospitii locum non valuerat pervenire. Cum autem Vir sanctus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus hinc inde seipsum jactare sensisset, tamquam qui tenui operimento contectus, quiescere prae frigoris acerbitate nequibat, divini amoris fervore succensus, manu illum protensa palpavit. Mirabile certe! Repente ad illius sacrae manus contactum, quae Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intus et extra calor advènit, ac si quaedam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo processisset. Nam illico et mente et corpore confortatus, suavius inter saxa, et nives usque mane dormivit, quam unquam in proprio lecto pausaverat, sicut ipse postmodum asserebat. Certis itaque constat indiciis, sacra illa signacula illius impressa fuisse virtute, qui operatione Seraphica purgat, illuminat, et inflammat, cum ipsa forinsecus expurgando a peste, salutem, serenitatem, et calorem corporibus efficacia mira conferrent, sicut et post mortem evidentioribus est demonstratum prodigiis, suo loco posterius adnotandis.

§ **85**. Ipse vero, licet thesaurum inventum in agro, multa

diligentiâ studeret abscondere, latère tamen non potuit, quid aliqui stigmata manuum viderent et pedum, quamquam manus quasi semper portaret contectas, et pedibus extunc incederet calceatus. Viderunt enim, dum viveret, fratres plurimi, qui licet essent, propter sanctitatem praecipuam, viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, sic esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, juramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum Viro sancto habebant, aliqui Cardinales; laudes sacrorum stigmatum prosis et hymnis, et antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inserentes, qui tam verbo quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander* cum populo praedicaret, coram multis fratribus et meipso affirmavit, se, dum Sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plusquam quinquaginta fratres, virgoque Deo devotissima Clara cum caeteris sororibus suis, et seculares innumeri, ex quibus, quemadmodum suo loco dicetur, quamplurimi et osculati sunt ex devotionis affectu, et contrectaverunt manibus ad testimonii firmitatem. Vulnus autem lateris tam sollicite occultavit, ut illud nemo posset nisi furtim contuèri, dum viveret. Unus etenim frater, qui ei sedulo ministrare solitus erat, quum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxisset, attente respiciens vidit plagam: cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu, quam tactu, vulneris quantitatem agnovit. Cum simili cautela vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat vicarius ejus. Frater vero socius mirandae simplicitatis, dum infirmitatis causâ languentes scapulas contrectaret, manu per caputium missa, et casualiter vulneri sacro illapsa, magnum ei dolorem inflixit. Proinde portabat extunc femoralia ita facta, ut usque ad axillas pertingerent, ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque, qui illa lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant eam sanguine rubricatam, indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt; quod postmodum in morte, revelata facie, et ipsi cum aliis plurimis contemplati simul et venerati sunt.

§ **86**. Eja nunc, strenuissime Miles Christi, ipsius fer arma invictissimi Ducis, quibus munitus et insignitus, omnes adversarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi, ad cujus intuitum, omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer nihilominus sigillum summi Pontificis Christi, quo verba et facta tua, tamquam irreprehensibilia et authentica, merito ab omnibus acceptentur. Jam enim propter stigmata Domini Jesu, quae in corpore tuo portas, nemo debet tibi esse molestus: quin potius quilibet Christi servus omni esse tenetur affectione devotus. Jam

* **Alexander IV. Sacra Francisci Stigmata non solum ab Alexandro IV confirmata sunt, verum etiam, litteris editis, a Gregorius IX, ipsius antecessore.**

per haec signa certissima, non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam, sed quamplurimis ad superabundantiam comprobata, testimonia Dei in te et per te credibilia facta nimis, omne tollunt infidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt, et ignem charitatis accendunt. Jam vere impleta est prima visio, quam vidisti, videlicet quod dux in militia Christi futurus, armis deberes coelestibus, signoque Crucis insignibus, decorari. Jam in principio tuae conversionis Crucifixi visio compassivi doloris gladio mentaliter te transfigens: sed et auditus vocis de Cruce, tamquam de throno Christi sublimi, et secreto propitiatorio procedentis, juxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera indubitanter fuisse creduntur. Jam in tuae conversionis progressu et crucem, quam vidit frater Silvester ex ore tuo mirabiliter procedentem, et gladios in Crucis modum tua viscera transfigentes, quos sacer vidit Pacificus, teque secundum Crucis figuram in aëre sublevatum, cum de Crucis titulo sanctus praedicabat Antonius, juxta quod prospexit angelicus vir Monaldus, non phantastica visione, sed revelatione fuisse coelica conspecta, vere creditur et firmatur. Jam denique circa finem, quod simul tibi ostenditur et sublimis similitudo Seraph, et humilis effigies Crucifixi, interius te incendens, et exterius te consignans, tamquam alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, qui signum in te habeas Dei vivi, et praedictis dat firmitatem fidei, et ab eis accipit testimonium veritatis. Ecce jam septem apparitionibus Crucis Christi, in te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis et monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requiescis, pervenisti. Christi namque Crux in tuae conversionis primordio tam proposita, quam assumpta, et dehinc in conversationis progressu per vitam probatissimam bajulata in teipso continue, et in exemplum aliis demonstrata, tanta certitudinis claritate ostendit, Evangelicae perfectionis apicem te finaliter conclusisse: ut demonstrationem hanc Christianae sapientiae, in tuae carnis pulvere exaratam, nullus vere devotus abjiciat, nullus vere fidelis impùgnet, nullus vere humilis parvipendant, cum sit vere divinitus expressa, et omni acceptione condigna.

De patientia ipsius, et transitu mortis.

§ **87**. Christo jam igitur Cruci confixus Franciscus, tam carne quam spiritu, non solum Seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos, ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castra circumvehi, ut ad Crucem Christi ferendam caeteros animaret. Fratribus quoque dicebat: « Incipiamus, fratres, servire Domino

Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. » Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut a principio ministraret, corpusque jam prae labore collapsum, revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat, Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, novo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiae promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed praecurrere niteretur.

§ **88**. Ut autem Viro Dei cumulus meritorum accresceret, quae omnia vere in patientia consummantur, coepit infirmitatibus multimodis laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias et diuturnas ac continuas aegritudines deductus est, ut consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohaerèret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non poenarum censebat nomine, sed sororum. Cum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis, quidam frater simplex dixit ad eum: « Frater, ora Dominum, ut mitius tecum agat: manum enim suam plus debito super te gravare videtur. » Quo audito, Vir sanctus cum ejulatu exclamans, ait: « Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina judicia reprehensibilia judicare. » Et licet totus esset attritus gravis prolixitate languoris, projiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit; et deosculans humum: « Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas, cum tuae sanctae voluntatis adimpletio, sit mihi consolatio superplena. » Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterum Job viderent; cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul et vigor mentis. Ipse autem obitum suum longe ante praescivit: dieque transitus imminente, dixit fratribus, sui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum sibi fuerat revelatum a Christo.

§ **89**. Cum itaque per biennium ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet a sua conversione vicesimo, multis fuisset angustiantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadratus, tamquam lapis in supernae Jerusalem aedificio collocandus, et tamquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus, ad sanctam Mariam de Portiuncula, se portari poposcit *, quatenus ubi acceperat spiritum gratiae, ibi redderet spiritum vitae. Quo cum fuisset perductus,

* Ex palatio episcopali Assisiensi, ubi tunc temporis delatus fuerat.

ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quae omnem languorem conclusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritus fervore prostravit, quatenus horâ illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Dècubans sic in terra, saccina veste deposita, faciem solito more levavit in coelum; et intendens illi gloriae totus, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit. Et ait ad fratres: « Ego, quod meum est, feci: quod vestrum est, Christus edoceat. » Illacrymantibus autem sociis Sancti, qui miro fuerant compassionis telo percussi, unus ex eis, quem Vir Dei Guardianum suum esse dicebat, votum ipsius, divina inspiratione, cognoscens, festinus surrexit, et acceptam cum chordula et femoralibus tunicam, Pauperculo Christi obtulit, dicens: « Haec tibi tamquam pauperi commodo, et tu illa suscipias obedientiae sanctae mandato. » Gaudet ex hoc Vir sanctus, et jubilat prae laetitia cordis, quoniam fidem tenuisse Dominae paupertati usque in finem se vidit: palmasque levans ad coelum, Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum. Fecerat enim haec omnia paupertatis zelo, ut nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo Crucifixo esse conformis, qui pauper et dolens et nudus in Cruce pependit. Propter quod et in principio conversionis suae nudus remansit coram Antistite, et in consummatione vitae, nudus voluit de mundo exire; fratribusque sibi assistentibus, in obedientia charitatis injunxit, ut cum viderent eum jam esse defunctum per tam longum spatium, nudum super humum jacère permitterent, quo unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset. O vere Christianissimum Virum! qui et vivens Christo viventi, et moriens morienti, et mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, et expressa promeruit similitudine decorari.

§ **90**. Horâ denique sui transitus propinquante, fecit fratres omnes existentes in loco, ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. De patientia et paupertate, et sanctae Romanae Ecclesiae fide servandis sermonem protraxit, caeteris institutis sanctum Evangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus fratribus, extendit super eos manus in modum Crucis brachiis cancellatis, pro eo quod hoc signum semper amabat, et omnibus fratribus tam praesentibus, quam absentibus, in Crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper et adjecit: « Valete, filii omnes, in timore Domini, et permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his quae coeperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiae vos omnes commendo. » Suavi hujusmodi admonitione completa, jussit Deo Vir carissimus Evangeliorum sibi codicem apportari, et

Evangelium secundum Joannem, quod incipit ab eo loco, *Ante diem festum Paschae,* sibi legi poposcit. Ipse vero, prout potuit, in hujus Psalmi vocem erùpit: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum;* et ad finem usque complevit: *Me,* inquit, *exspectant justi, donec retribuas mihi.* Tandem cunctis in eum completis mysteriis, animâ illa sanctissima carne soluta, et in abyssum divinae claritatis absorpta, beatus Vir obdormivit in Domino *.

§ **91**. Unus autem ex fratribus et discipulis ejus, vidit animam illam beatam sub specie stellae praefulgidae a candida subvectam nubeculâ, super aquas multas in coelum recto tramite sursum ferri, tamquam sublimis sanctitatis candore praenitidam, et coelestis sapientiae simul et gratiae ubertate repletam, quibus Vir sanctus promeruit locum introire lucis et pacis, ubi cum Christo sine fine quiescit. Minister quoque fratrum in Terra Laboris tunc erat frater Augustinus, vir utique sanctus et justus, qui in hora ultima positus, cum jam diu perdidisset loquelam, audientibus qui adstabant, subito clamavit et dixit: « Exspecta me, Pater, exspecta: ecce jam venio tecum. » Quaerentibus fratribus et admirantibus multum, cui sic loqueretur, audacter respondit: « Nonne videtis Patrem nostrum Franciscum, qui vadit ad coelum? » Et statim sancta ipsius anima migrans a carne, Patrem est secuta sanctissimum. Episcopus Assisinas ad oratorium sancti Michaëlis in monte Gargàno tunc temporis peregrinationis causâ perrexerat, cui beatus Franciscus apparens nocte transitûs sui, dixit: « Ecce relinquo mundum, et vado ad coelum. » Mane igitur surgens Episcopus, sociis narravit quae vidit, et Assisium rediens, cum sollicite perquisisset, certitudinaliter comperit, quod ea horâ, qua sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migravit. Alaudae, aves lucis amicae, et crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti Viri, cum jam esset noctis secuturae crepusculum, venerunt in multitudine magna super tectum domus, et diu cum insolita quadam jubilatione rotantes, gloriae sancti, qui eas ad divinas laudes invitare solitus erat, tam jucundum, quam èvidens testimonium perhibebant.

De Canonizatione et translatione ipsius.

§ **92**. Franciscus igitur, Servus et Amicus Altissimi, Ordinis Minorum fratrum institutor et dux, paupertatis professor, patientiae forma, veritatis praeco, sanctitatis speculum, et totius Evangelicae perfectionis exemplar, superna praeventus gratiâ, ordinato progressu ab infimis pervènit ad summa. Hunc Virum

* Obiit beatiss. Patriarcha die quarta octobris anni 1226, vesperi, post occasum solis, aetatis suae annum agens circiter quintum supra quadragesimum, annis viginti expletis, ex quo ad Deum se perfectissime adhaeserat.

mirabilem, utpote paupertate praedivitem, humilitate sublimem, mortificatione vividum, simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante a seculo, spiritus ille sacer domum aeternitatis ingrediens, fontisque vitae haustu plenario gloriosus effectus, expressa quaedam in corpore futurae gloriae signa reliquit, ut caro illa sanctissima, quae crucifixa cum vitiis, in novam jam creaturam transierat, et passionis Christi effigiem privilegii singularitate praeferret, et novitate miraculi resurrectionis speciem praemonstraret. Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi ex ejus carne virtute divina mirifice fabrefacti, sicque carni eidem innati, quod dum a parte qualibet premerentur, protinus quasi nervi continui et duri ad partem oppositam resultabant. Inventa quoque fuit patentius, in ipsius corpore, non inflicta humanitus, neque facta plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanae in ipso Redemptore nostro protulit sacramentum. Erat autem similitudo clavorum nigra quasi ferrum; vulnus autem lateris rubeum, et ad orbicularitatem quamdam carnis concisione reductum, rosa quaedam pulcherrima videbatur. Caro vero ipsius reliqua, quae prius tam ex infirmitate, quam ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio renitescens, illius secundae stolae pulcritudinem praetendebat. Membra ipsius adeo mollia et tractabilia se praebebant palpantibus, ut conversa viderentur in teneritudinem puerilis aetatis, et quibusdam cernerentur evidentibus signis innocentiae decorata. Cum igitur in candidissima carne clavi nigrescerent, plaga vero lateralis, ut vernans roseus flos, rubèret, mirandum non est, si tam formosa et miraculosa varietas, jucunditatem et admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii pro subtractione amabilis Patris, sed et non modica perfundebantur laetitiâ, dum deosculabantur in eo signacula summi Regis. Miraculi novitas planctum vertebat in jubilum, et intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum, tamque insigne spectaculum, contuentibus omnibus et firmamentum fidei, et incitamentum amoris, audientibus vero admirationis materia, et excitatio desiderii ad videndum. Audito siquidem transitu patris, et famâ diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, ut id cerneret oculis, quod a ratione dubium omne repelleret, et affectioni gaudium cumularet.

§ **93**. Admissi sunt igitur Assisinates cives quamplurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis, et labiis osculanda. Unus autem ex eis miles, litteratus quidem et prudens, Hieronymus nomine, vir utique famosus et celeber, cum de hujusmodi sacris signis dubitasset, essetque incredulus, quasi Thomas, ferventius et audacius coram fratribus et aliis civibus movebat clavos,

Sanctique manus, pedes et latus manibus propriis contrectabat, ut dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui et omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret. Propter quod et ipse inter alios hujus veritatis tam certitudinaliter agnitae, testis constans postmodum effectus est, et tactis sacrosanctis, juramento firmavit. Fratres autem et filii, qui vocati fuerant ad transitum patris, cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua almus Christi confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non defunctorum exequiae, sed Angelorum excubiae viderentur. Mane autem facto, turbae quae convenerant, acceptis arborum ramis, et cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes vero per ecclesiam sancti Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in coelis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus margaritis coelestibus insignitum, videndum et osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Pervenientes denique ad civitatem cum jubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, in ecclesia sancti Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco Puerulus litteras didicit, ibique postmodum praedicavit, postremo ibidem locum primum quietis accepit. Transiit autem venerabilis Pater ex hujus mundi naufragio, anno Dominicae incarnationis millesimo ducentesimo vigesimosexto, quarto Nonas Octobris, die sabbati in sero, sepultus in die Dominico.

§ **91**. Coepit autem Vir beatus continuo, divinae faciei superirradiante respectu, magnis et multis coruscare miraculis, ut sublimitas sanctitatis ejus, quae, ipso vivente in carne, ad morum directionem per exempla perfectae justitiae innotuerat mundo, illo jam regnante cum Christo, ad omnem fidei firmitatem per miracula divinae potentiae comprobaretur e coelo. Cumque in diversis orbis partibus gloriosa ejus miracula, largaque per ipsum impetrata beneficia, plurimos ad Christi devotionem accenderent, et ad ipsius Sancti reverentiam incitarent, acclamantibus tam linguis sermonum quam operum ad aures summi Pontificis domini Gregorii IX, quae per Servum suum, Franciscum, Deus operabatur, magnalia pervenerunt. Sane cum idem pastor Ecclesiae, non solum ex miraculis auditis post mortem, verum etiam experimentis in vita ipsius, oculis visis, et manibus contrectatis, sanctitatem ejus mirabilem plena fide certificatus agnosceret, ac per hoc in coelis glorificatum a Domino nullatenus dubitaret, ut Christo, cujus erat Vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tamquam omni veneratione dignissimum, pia consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione Viri sanctissimi, inventa miracula et conscripta, et testibus idoneis approbata, examinari

facit per illos, qui minus inter Cardinales favorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis, et ab omnibus approbatis, de fratrum suorum et omnium praelatorum, qui tunc erant in curia, concordi consilio et assensu canonizandum decrevit, veniensque personaliter ad civitatem Assisii, anno Dominicae incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octavo, decimoseptimo Calendas Augusti, die Dominico, cum maximis, quae longum foret enarrare, solemniis, beatum Patrem catalogo Sanctorum adscripsit.

95. Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesimo, convenientibus fratribus ad capitulum generale Assisii celebratum, ad basilicam, in honore ipsius constructam corpus illud Domino dedicatum, octavo Calendas Junii translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus, bullâ Regis altissimi consignatus, miracula plurima ille, cujus effigiem praeferebat, operari dignatus est, ut per odorem ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Christum. Erat revera condignum, ut quem Deus in vita sibi placentem et dilectum effectum, in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat, ut Enoch; et ad coelum in curru igneo per charitatis zelum rapuerat, ut Eliam, ejus jam vernantis inter flores illos coelicos plantationis aeternae, ossa illa felicia de loco suo pullulatione mirifica redolerent. Porro sicut Vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic a die transitus sui usque in praesens per diversas mundi partes praeclaris miraculorum prodigiis, divina se potentia glorificante, coruscat. Nam caecis et surdis, mutis et claudis, hydropicis et paralyticis, daemoniacis et leprosis, naufragis et captivis, ipsius meritis remedia conferuntur, omnibusque morbis, necessitatibus et periculis subvenitur. Sed et multis mortuis mirifice suscitatis, innotescit fidelibus mirificans Sanctum suum magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum, Amen *.

* **Postridie mortis suae, e suburbano S. Mariae de Portiuncula conventu, ubi spiritum exhalaverat, beatiss. Patriarcha, Assisium delatum fuit, ibique, in ecclesia S. Georgii tumulatur, quum Portiunculae sacellum nimis augustum esset, nec sacris exuviis custodiendis satis tutum videretur. Anno vero 1228, idest biennio post ejus obitum, Gregorius IX, Summus Pontifex, qui ipsius amicissimus extiterat, Perusii canonizationem ei decernebat, quam, eodem anno, Assisii exequebatur. Tunc novum templum, ad S. Francisci cadaver recondendum, in quadam rupe, prope Assisium, quae, utpote scelleratorum suppliciis deputata, *collis Inferni* vocabatur, sed, postmodum, *collis Paradisi* dicta fuit, e fundamentis excitatur. Splendidum sane, magnificum, penitusque mirabile templum, ad quod extruendum omnes Christi fideles, eleemosynis suis, participavere, ipsumque exornandum praestantiores artifices operam suam contulere. Die 25 maji anni 1230, solemnissima pompa, immensoque populi concursu, Fratrumque Minorum ingenti multitudine, venerandae S. Francisci reliquiae ibi translatae fuere. Innocentius IV, autem, Pontifex Maximus, ipsemet templum illud, anno 1243, rite dedicabat, consacrabatque.**

VITA S. MAGDALVEI

VIRDUNENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS

UT HABETUR IN PERVETUSTO MS. CODICE

Ob. anno probab. 762 — Nat. Francus.

Magdalveus *, in urbe Virdunensi ** natus, et litterarum studiis traditus, cum artes liberales strenue percurrisset, ad sacram Scripturam conversus, ut virgines Agnum quocumque ierit sequi posset, mox virginitatem suam Christo vovit, et exhinc tam sancte vixit, ut omnium acclamatione Virdunensium efficeretur Episcopus *** tempore Pipini, primi hujus nominis Francorum Regis. Quam sedem dissensione principum et turbine bellorum plurimum desolatam inveniens, mirabiliter, Deo se juvante, reformavit, sanctis operibus insistens, et miraculis aeque refulgens. Postea sepulcrum Domini in Jerusalem devotissime visitavit. Cum supra mare in navi cum pluribus periclitaretur, tempestate suborta, ita ut non nisi spes mortis superesset; rogatus a sociis, subito tranquillitatem a Domino precibus impetravit. Fama autem ejus sanctitatis, quae ubique ante eum praecurrebat, Imperatorem Constantinopolitanum àttigit, qui accersiens sanctum Episcopum, et ab eo suae saluti utilia audiens, pretiosa eidem xenia obtulit, quae omnia ille contempsit, dimissusque est cum reverentia. Cumque venisset Jerosolymam, et sancta loca devote visitaret: intellexit Eusebius Patriarcha adesse virum Dei, quem ad se accitum, cum magno suscepit honore. Qui cum sanctitatem conversationis ejus miraretur, et eum secum retinere cogitaret, quamdiu maneret in vivis; revelatione divina est admonitus, ne propriis intentus, aliorum invideret utilitatibus, nec detineret peregrinum, cum jam ejus filii, in dies patris sui praestolarentur recursum. Dimisit ergo eum Patriarcha, dans ei calicem crystallinum, opere mirifico scalptum, in mutui pignus amoris, una cum multis aliis sanctis reliquiis. Reversus vero ad propriam civitatem, beatus Magdalveus, virtutes virtutibus accumulans, ad Christum in senectute bona transivit. Statim autem, ut coelo spiritum reddidit, duae columbae nive candidiores, ab aethere cunctis videntibus lapsae, super Crucem, quae ante corpus ejus erat, sederunt, et per omnes exequiarum moras, usquequo traditum est sepulturae, manserunt. Sicque intuentibus illis, iterum

* Vel Madalfeus, Madaleveus, Magdalacus, gallice *Magdaluce*, aut *Maure*.
** Haud procul a Viroduno (*Verdun*), celeberrima Galliae Belgicae urbe.
*** Ante annum 753, ut videtur. Probabile est autem, ipsum obiisse anno 762.

poli secreta petierunt. Cum autem sepulcrum ejus quotidianis virtutum floreret prodigiis, et crebris populorum frequentaretur excubiis, quadragesimo post obitum suum anno, sacrum corpus ejus est sepulcro levatum. Quod veluti soporatum et vivens, candoreque liliorum ac roseo rubore respersum, nulla maculâ, nec aliquo mortis signo fuscatum est inventum, odorem spirans suavissimum.

VITA S. ATTILANI

ZAMORENSIS EPISC. ET CONF.

UT HABETUR IN LUCII MARINEI SICULI REGII HISTORIOGRAPHI DE REBUS HISPANIAE LIBRO QUINTO

Flor. sec. X — Nat. Hisp.

Beatus Attilanus, annum agens quintum et vigesimum, audiens in Morerola Monasterio quod a Zamora non longe distabat, homines sanctissime vivere, illuc statim se contulit; ubi decennium sub Floriani (*lege* Froilani) abbatis disciplina militavit. Cujus honestatem ac sanctitatem cognoscens Froilanus, eum in Monasterii Priorem constituit. Quorum temporibus, Zamorensis atque Legionensis Pontifices, mortali vitâ discesserunt. Attilanus in Episcopatu Zamorensi, et Froilanus in Legionensi successere; propterea quod per omnem regionem clarissima eorum fama virtutum pervolabat. Qui die S. Spiritus (*Pentecostes*), illo mysterio fuere roborati. Quapropter Attilanus templa, loca omnesque populos, summa curâ gubernabat, et annos fere decem magnos et assiduos labores tolerabat. Qui exactae vitae peccata cupiens poenitentiâ delere, pèregre proficisci statuit. Episcopatus itaque redditus, pauperibus mandat communes fieri, quod multis rationibus suos hortatur, quoniam necessitate coactus, se per aliquod tempus recessurum dicebat. Quod si secus mandatum fecissent, Deus iratus maledictione condemnaret. Hoc audientes, qui vitam ejus noverant, clamant omnes: te sequemur quocumque vadis, hominum optime et Pastorum dilectissime; cur nos derelinquis? per Deum unicum, quidquid rogas nos facturos testamur. Ille autem fidem illorum verbis adhibens, cum eos benedixisset, statim discessit. Cumque venisset ad pontem prope templum S. Laurentii, inde protinus discedens cum uno comite, adeo festinavit ut eum defatigatum reliquerit in itinere. Solus itaque se pannis induit quam vilissimis, adeo ut a nemine cognosci posset, et duos annos eleemosynis victitavit. Quem tandem vox in somnis audita, divinitus

sic admonuit: Attilane, jamjam ad tuum pontificatum perge, tuae enim exauditae sunt preces. Ipseque praecepto parens itineri confestim se accinxit. Eo autem ad civitatem accedente, campanae sonitum sponte dederunt, et magna cunctorum civium admiratio orta est. Quapropter per omnes domos et hospitia perquirunt, nihilque comperiebant. Cum essent itaque omnes solliciti, tandem vir quidam, procurator rei familiaris Episcopii, meminit de viro quodam quem muliercula sibi dixerat hospitatum apud se ad eremum quae sancti Vincentii de cornu vocabatur, quem nescirent quis esset. Omnes illuc concurrunt; Attilanus autem veste vili ac detrita inventus est, Deo gratias agens. Quapropter omnes ei gratulantes, magno cum gaudio reduxerunt in civitatem. Qui postea vixit annos circiter octo, sanctis assidue operibus incumbens. Quem vitâ functum, Urbanus Pp. II, sub finem seculi XI, in Sanctorum numerum retulit (*Vide Appendicem hac die, in elogio* S. FROILANI).

VITA ET PASSIO

BEATISS. MART. PLACIDI

DISCIPULI S. PATRIS BENEDICTI

AC FRATRUM EJUS VICTORINI, EUTYCHII ET SORORIS FLAVIAE VIRG., DONATI, FIRMATI DIACONI ATQUE FAUSTI ET SOCIOR. TRIGINTA MM.

E VETUSTISSIMO VATICANO CODICE MONACHORUM *

Passi circa 541 — Itali.

§ 1. In claro et renitenti triumpho beatissimorum martyrum Placidi, Eutychii et Victorini fratrum, eorumque sororis Flaviae virginis, et sociorum triginta ac trium, laudes aliquas addere otiosum quiddam et supervacuum est. Quos enim Christus in coelesti regno locavit, quos etiam cum Angelis et Archangelis individuam majestatem laudare constituit, hoc nimirum hominum laudibus non egère monstravit. Verum quia omnes spiritus et omnes creaturas ad Domini laudem psalmographus vates invitat, operae pretium, reor ego Gordianus, patris Benedicti discipulus, ad Regis

* Incerto Auctore, sed apud Surium et plerosque cuidam Gordiano, S. ejusd. Placidi vel comite et condiscipulo, vel famulo perperam tributa, e graeco versa atque interpolata per Petrum Cassinensem Diaconum; Vitae pars e S. Gregorio Pp. de S. Benedicto Abb. est ut infra notabimus desumpta, passio autem admodum incertae fidei.

aeterni gloriam, eorundemque martyrum passiones almificas Argolicis apicibus annotare. Tanta enim miraculorum praerogativâ, tanto virtutum jùbare sanctissimus Placidus, horùm martyrum dux et praevius splenduit, ut non solum fideles, verum etiam infideles in Christi laudem exclamare cogantur. Et merito; nam juxta magistri sui Benedicti praeceptum, Christum toto corde, tota animâ, tota virtute dilexit, et pro ejus nomine cum supradictis martyribus suum sanguinem fudit. Hi namque sunt coeli, qui enarrant gloriam Dei. Hi lux mundi, qui sedentes in tenebris ad veram lucem reducunt. Hi sal terrae, qui mentes ne taedii torpòre deficiant, saliunt, et ad coeleste regnum inducunt. Freti namque Dei omnipotentis virtute, ejusque sapientiâ debriati, frementem mundum velut stercora contempserunt, et veram fidem opportune praedicaverunt, et pro eadem animam posuerunt.

§ **2**. Hanc namque Dei magnitudinem, virtutem et sapientiam David admirans, dicebat: *Magnus Dominus Deus noster, et magna virtus ejus, et sapientiae ejus non est numerus* (*Ps.* 146). Magnus siquidem, cum nos inenarrabiliter ex luti materia condidit, et ex nihilo cuncta creavit. Magna virtus ejus, cum tartareas legiones dirùpit, mundi principem vinxit, vasa et arma ejus abstulit, regnum destruxit, humanum genus suo pretioso sanguine redemit, pacis coagulum inter Deum et hominem reformavit, terrenis coelestia sociavit, ac filios hominum de terra èlevans, in coelesti regno supernarum Virtutum ordinibus junxit. Intonet ergo jam sancta et universalis Ecclesia, et cum eodem celeberrimo sublimique citharista coelestis harmòniae tympanum sumens, det vota, promat cantica, dicens: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiae ejus non est numerus.* Magnus ùtique ipse, magna virtus ejus, et sapientia, qui ab ipso fere mundi principio parvulos, senes, insipientes, sapientes, armentarios, ruricolas, piscatores et monachos, aeterni regni oratores, et milites contra diabolum fecit. Ad quam rem nobis idonee confirmandam, adest cum sociis et sorore Flavia virgine, ac duobus fratribus Eutychio et Victorino, Placidus sanctissimus et beatissimus patris Benedicti discipulus, qui terrenis coelestia commercia mutans, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus ac Confessoribus similis apparuit, et in carne adhuc lutea positus, labentes delicias ut quisquilias sprevit, et Crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro Christi nominis amore portavit...

§ **3**. Tempore, quo Theodoricus Augustus in seniori Roma, in nova * vero Justinus senior et Justinianus Romani Imperii sceptra retinebant, sedi vero Apostolicae Joannes primus et Felix praesidebant **, Tertullus vir nobilissimus ac praeclarissimus,

* Idest, Constantinopoli.

** Theodoricus Amalus, Italiae dominatus est ab anno 493 usque ad 526; Justinus imperavit ab anno 518 usque ad 527; rexit Ecclesiam Joannes I ab anno 523 usque ad 526; post illum, Felix, usque ad annum 529.

et in utraque curia Romani Imperii post Augustos nulli secundus, homo illustrissimus ac dilectissimus, in seniori Roma patriciatus retinebat habènas. Qui ex Aniciorum sanguine stemmatis lineam ducens, adeoque sapientiâ, fortitudine atque prudentiâ viguit, ut ab Imperatoribus omnique Romano populo Pater patriae vocaretur. Hic de Octaviae gentis familia ducens uxorem, corpore ac moribus speciosissimam, bonae arboris bonos fructus ex ea suscepit. Primum namque Placidum, secundum Eutychium, tertium Victorinum, quarto autem loco dum puella enixa fuisset, pro eo quod ex Octaviorum et Flaviorum stirpe descendebat, Flaviam nominaverunt. Hos cum dicto patricio peperisset, viam Domini illos còlere docuit, sectari patientiam, humilitatem, sobrietatem, castitatem et charitatem. Patres siquidem erant pauperum, judices viduarum: causam autem quam nesciebant, diligentissime investigabant. Ipsius autem Patricii animus, licet Imperialibus negotiis implicitus esset, semper tamen aut circa ecclesias, aut circa monasteria erat, semper, ea quae Dei sunt, quaerens. Eodem tempore beatissimus ac Deo dilectissimus Benedictus, velut Lucifer inter astra, apud Sublàcum radiabat. Coeperunt deinde in eodem loco ad eum multi confluere, et sub leni Redemptoris jugo cordis cervìces edomare, multique ab eodem patre in eadem regione ad omnipotentis Dei sunt servitium coadunati, ita ut illic duodecim monasteria construeret, in quibus sub statutis praepositis duodènos monachos deputavit: nonnullos vero secum retinuit, quos adhuc in sua praesentia aptius erudiri judicabat.

§ 4. Famâ itaque tanti patris per totum Romanum Imperium volitante, urbem ipsam Romam, quae Romani Imperii omniumque urbium caput est, ceu sol radians, replevit intantum, ut Tertulli patricii perveniret ad aures. Qui cum optimatibus Romani Imperii, temporibus * Julii Papae, divinae autem incarnationis anno XXII ac quingentesimo, ad patrem sanctissimum Benedictum pervenisset, vir excellentissimus, et Imperatoris in orbe Romano praecelsus ac singularis, purpurâ indutus, gemmis et auro radians, pedibus ejus provolvitur, atque pro suis commissis Domini flagitaret clementiam, cum lacrymis atque singultibus exposcebat. Vir autem Domini Benedictus, patricii humilitatem advertens, e terra eum levavit, et de his, quae ad aeternam vitam attinent, sufficienter instruxit. Idem vero patricius, servi Domini doctrinâ delectatus, eo die obtulit Deo et eidem patri Benedicto Placidum, filium suum septennem, nutriendum et erudiendum, secundum regularem normam institutionis; sicque benedictione munitus, ad Urbem reversus est. Placidus autem sanctissimus cum sub beatissimi Benedicti regulari magisterio cresceret, sanctam et Deo placitam vitam in omnibus

* Anno 522 nullus Romae sedebat Julius. Summus Pontifex, tunc temporis, erat Hormisdas.

ducere coepit. Quem vir Dei cernens ad alta succrescere, ac sicut proprium filium illum unice diligens, de his, quae Dei sunt, sollicite instruere coepit, ac contra tentantia praemunire vitia, qui, ab ipso pueritiae suae tempore abstinentiam ac vigilias est secutus. Cursu namque praepete coelestem tendens ad patriam, ardua et sanctiora appetere non desinebat, noctibus atque diebus, horis ac momentis quae Dei sunt quaerere non cessabat... *

§ 5. Igitur cum ad aures Tertulli, Romanae curiae patricii, pervenisset, quod sanctus Domini Benedictus una cum Placido, ejus patricii filio, et discipulo suo Mauro, in sua possessione Cassini monasterium construxit, gavisus est gaudio magno, filioque suo dirigere studuit, ut patris Benedicti voluntatem super suo adventu perquireret, et sibi remitteret; velle enim se ajebat, si id servo Domini placeret, et Cassinense coenobium, et Placidum filium suum videre. Quae cum idem sanctus Placidus patri Benedicto reserasset, vir Dei respondit sibi placere, ut tam idem patricius, quam amici ejus ad monasterium visendum venirent. Placidus autem certum diem Tertullo patri suo, quo ad coenobium visendum venire deberet, et juxta quod pater Benedictus in mandatis dederat, transmittere studuit. Qui confestim accersitis ad se nobilissimis de civitate Romae viris, Boëtio scilicet, Symmacho, Vitaliano, Gordiano atque Equitio, ascensis equis, còncito gradu, ad praedium possessionis suae, quod ei de paterna haereditate obvenerat, Cassinum pervenit. Cujus adventus, dum patri Benedicto nunciatus fuisset, cum discipulis suis Placido et Mauro ante januam monasterii in ejus pergit occursum. Patricius autem beatissimum patrem Benedictum, corpore prae abstinentia exhaustum, perspiciens, de equo, quo insederat, celeriter descendit, et ita ut erat auro gemmisque ornatus in terram corruens, deosculabatur vestigia ejus. Quem pater sanctissimus a terra èlevans, et ad pectus suum constringens, deosculatus est. Demum vero in ecclesiam sancti confessoris Christi Martini inducens, et prae gaudio in fletum prorumpens, illum et reliquos in fratrum conventum deduxit. Tertullus vero, deosculata omni congregatione, rogavit patrem Benedictum, quatenus eum fratres dignarentur in suam recipere societatem. Qui cum celeriter ea, quae summa devotione poscebat, una cum patriciis, consulibus ac senatoribus, qui cum eo venerant, impetrasset, obtulit Deo et eidem patri beatissimo Benedicto totum ex integro Cassinum montem cum universis pertinentiis suis, atque a suo proprio jure illum abscindens, eidem patri tradidit in perpetuum possidendum. Convocansque ad se Reipublicae primiscrinium, testamentum juxta morem Romanum conscribi fecit, ab omnium mortalium jure atque dominio locum eundem perpetuo mansurum alienum decernens. Pariter amodo eidem patri obtulit

* Hic excerpendum censuimus, quae jam in Vita S. Benedicti, in *Surio*, tom. III, leguntur.

castra, villas et possessiones, quae sibi in re haereditaria pertinebant, cum universis appenditiis suis. Domum vero, in qua Placidus filius ejus natus fuerat in urbe Roma, in Caelio monte, beati Erasmi nomini dicans, patri sanctissimo ex toto concessit. Obtulit etiam ipso die Deo et sanctis ejus medietatem de lacu Lucrino, necnon et insulam Caprariam, in salo Neapolitano locatam, portumque Trajesensem et Ultranensem, et totam piscariam Lesinensem una cum fasce sua, simul etiam tres insulas Diomedis et fluvium Lauri juxta piscariam Lesinensem. Propria vero quae in Apulia habebat, rogatu Placidi filii sui parimodo concessit, quorum nomina haec sunt: In Canusia fundum Melitensem, Podensem, villam Pertusam, campum Caliensem, Babolianum viculum, et ecclesiam Sanctae Mariae in eadem Canusina civitate constructam cum cortibus pluribus et plagis locisque diversis. Ista omnia Tertullus patricius cum Placido filio suo patri Benedicto per scriptum tradiderunt in perpetuum possidenda.

§ 6. Hunc aemulatus ad bonum Equitius senator, obtulit et ipse una cum filio suo Mauro fundum Gentianum cum cella sancti Agapiti, et cortem suam in civitate Neapolitana locatam, cum ecclesia sanctae virginis Christi Caeciliae et sancti Severini, ubi postea a patre Benedicto ecclesiae sitae sunt, necnon ecclesia Sanctae Mariae in Cosentia. Gordianus quoque Romanae urbis vir spectabilis, horum devotione delectatus, obtulit pro se et Silvia uxore sua villas et fundos complures. Eodem tempore jam dictus Tertullus patricius, hortatu sanctissimi Placidi filii sui, obtulit beatissimo ac venerabili patri Benedicto decem et octo patrimonii sui cortes quas in Sicilia habebat, et in diversis locis vir praepotens possidebat, bonas valde et magnas, cum portubus suis, silvis, aquis, piscariis, molendinis, aquarumque decursibus ad easdem cortes pertinentibus, cum servis septem millibus, exceptis uxoribus eorum et filiis, cum procuratoribus earumdem cortium atque a proprio jure easdem cortes abscindens, eidem patri per praeceptum tradidit in perpetuum possidendas, poenâ apposita quatuordecim millium talentorum auri qui id removere tentasset. His quoque diebus Gordianus quidam natione Romanus, litteris Graecis apprime eruditus, ad venerabilem patrem Benedictum pervenit, seque ejus magisterio subdidit. Placidus autem beatissimus, dum robur virilis invasisset aetatis, se in omnibus magistro suo Benedicto sùbdere studuit, et sub ejus praesentia angelicam vitam in terris ducere coepit, quem pater Benedictus ac sicut proprium filium unicum diligens, cum summa industriâ de his quae Dei sunt, sollicite ac diligenter instruxit.

§ 7. Per idem tempus procuratores cortium, quas in Sicilia Tertullus patricius patri Benedicto concesserat, legatos Cassinum ad beatissimum patrem Benedictum direxerunt, eo quod cortes ipsae a quibusque devastarentur, adeo ut a procuratoribus nullo

modo possent defendi, neque debitum pensum a possessoribus exigi. His venerabilis Pater auditis, omnem convocans congregationem, quae in suis possessionibus acta, sibique nunciata essent, per ordinem pandit. Demum vero ex consulto Cassinensis congregationis, Placidum sanctissimum, discipulum suum, ad tantum laborem sustinendum aptissimum judicans, ob id vel maxime, quia nullus easdem possessiones sicut ipse defendere et custodire valeret, evocat, illumque ad tuitionem earumdem cortium direxit, deditque commilitones tanti itineris Gordianum et Donatum, mandans ut ita beato Placido, unico sibi ac carissimo, sicut et sibi eatenus in omnibus obsequerentur, osculansque beatum Placidum et benedicens, dimisit a se, anno Dominicae incarnationis quingentesimo trigesimosexto. Igitur benedictionem et osculum suscipiens tanti patris, tertiodecimo Kalendas Junii beatissimus Placidus cum duobus famulis suis Gordiano et Donato, ascensis equis, primo diluculo iter aggrediens, advesperascente jam die, Capuanam pervenit ad urbem, ubi benigne cum suis a beato Germano * ejusdem civitatis Episcopo, susceptus est. Primicerius vero ejusdem Capuanae ecclesiae nomine Zoffas, laborans valde pessima infirmitate capitis, quam medici graeco vocabulo cephaleam vocant, ubi comperit, illic adesse Placidum, beatissimi patris Benedicti discipulum, cujus jam per totum orbem Romanum miraculorum fama radiabat, procidit ad ejus pedes, dicens: « Adjuro te, Placide, serve Dei summi, per venerandum nomen pretiosissimi magistri tui Benedicti, ut digneris super caput meum manus tuas sanctas imponere, ac preces Redemptori et Salvatori omnium fundere; confido enim et constantissime credo, quia, si hoc feceris, continuo recipiam sanitatem.» Sanctus autem Domini Placidus, ab eodem primicerio talia dum verba audisset, pavore perterritus, omnimodis contradicere coepit, dicens: « Recedite, quia haec mea non sunt, sed beatissimi patris Benedicti, et illorum qui Salvatori omnium placuerunt. Ego enim peccator sum, et perfectissimorum virorum suffragiis indigens. » Sanctus vero Germanus Episcopus, una cum clericis suis, servi Domini Placidi ore haec audiens, et Deo et hominibus illum carissimum ac dilectissimum esse praenoscens, primicerii precibus vinctus, pro ejusdem languidi incolumitate illum rogare instantissime coepit. Vir autem Domini, supplicationem tanti patris minime contemnendam ducens, erexit se, surgensque manum capiti ejus imposuit, et ad coelum oculos elevans, dixit: « In nomine Domini nostri Jesu Christi, cujus virtute nihil laesus, sum ereptus de aquis, a quibus trahebat, adjutus meritis et orationibus magistri nostri Benedicti, si fidem habes tantae credulitatis, restituat te Deus in pristinam sanitatem.» Cumque omnes, qui aderant respondissent,

* De quo xxx huj.

Amen, confestim dolor capitis, quo per multos annos fuerat fatigatus, ab eo discessit, coepitque laudare et benedicere Deum, dicens: « Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui me sanum fecit meritis et intercessionibus beatissimi patris Benedicti per sanctissimum Placidum discipulum ejus. »

§ 8. Itaque dum beati Placidi sanctitas per ora omnium volitaret, quidam caecus inopinato vociferantis populi clamore perculsus, sollicite interrogare coepit quid esset. Qui cum respondissent, quod Placidus, discipulus beati Benedicti, venisset, caecus fide fervens, duci se ante beatum Placidum fecit, rogansque eum per sanctum et terribile nomen Domini, et obtestans ut suis sanctis precibus sanitatem impetraret a Domino. Sanctus autem Domini Placidus, more sibi solito, in fletum erumpens, jussit eum adduci ad se, et cum appropinquasset, super ejus oculos signum salutiferae Crucis faciens, oravit ad Dominum. Expleta oratione, sanctus Domini conversus ad caecum, dixit: « In nomine ipsius, qui solem et lunam in coeli ornamento constituit, et caeco nato oculos, quos natura negaverat condonavit, adjutus meritis sanctissimi magistri nostri Benedicti, surge sanus et incolumis, et praedica omnibus mirabilia Dei. » Ad hanc vocem sanus exsurgens, ac, improviso sanguine manante de lumine, salutem suam oculi mirabiliter receperunt. Mox vero ut lucem conspexit, ad ejus vestigia ruens, pedes illius, insatiatus gaudio, deosculari avidissime coepit, pariterque Gordiano et Donato prae compunctione deflentibus, qui Dei laudabant magnalia, quia eidem caeco oculos restituit. Sed haec quidem praesente sancto Germano Episcopo gesta sunt... Deinde navem conscendit, transfretansque Farum, Messanam * Siciliae devènit ad urbem. Cumque descendisset ad terram, Gordianum, famulum suum, direxit ad civitatem, mandans ut Messalinum, civem Romanum, Tertulli patris sui amicissimum, ad se vocaret; erat enim ditissimus. Quem ubi invenit, ad litus maris, ubi sanctus Domini Placidus morabatur, secum adduxit. Videns autem Messalinus beatum Placidum juxta maris litora stantem, formamque ejus vultui Tertulli patris ipsius assimilantem, equo, quo insederat, descendens, ad pedes ejus cècidit. Quem sanctissimus Placidus a terra elevans osculatus est, atque benedicens, rem propter quam a sanctissimo patre Benedicto directus fuerat, per ordinem pandit. Messalinus vero beatum Placidum diutius complexans, et ad pectus suum adstringens, lacrymas quoque invicem prae gaudio fundentes immorati: demum quoque idem Messalinus Gordianum et Donatum famulos ejus deosculans, apprehendens iterum dexteram beati Placidi ac diu exosculans, cum ingenti honore duxit ad domum suam, et repleta est omnis civitas Messana gaudio super adventu ejus. Messalinus autem, dum in domo sua cum

* Italice, Messina, a Graecis antiquitus fundata, sede archiepiscopali refulgens.

ɪeato Placido residèret, et nonnulla de his quae ad aeternam viam attinent ab ipso audiret, requisitus ab eodem servo Domini st de possessionibus ac portubus, de servis et ancillis, quae ipse ɪna cum Tertullo, patre suo. imperpetuum possidenda, beato Benedicto tradiderat. Desiderabat enim videre singillatim loca, n quibus possessiones erant. Rogavit etiam ut adventum suum mnibus amicis Tertulli patris sui notificaret, necnon servos, quos bi habebat, ostenderet, procuratores quoque, quos jam dictus genitor suus super easdem cortes praeposuerat, ad se accersiri ussit. Messalinus vero Metellum filium suum evocans, praecepit ıt cum uno ex servis suis cortes et possessiones Tertulli patricii percurreret, et earumdem cortium procuratores ac portuum custodes cum amicis jam dicti patricii ad beatum Placidum duceret. Qui paternis jussis obtemperans, uno tantum servo assumpto, ascensis equis, quae sibi injuncta fuerant, implere sollicite coepit.

§ 9. Illucescente vero die, beatus Placidus Messalinum evocans, dixit ad eum: « Non decet Monachum in domibus laicorum stationem habere, quia contrarium est omnibus modis Ordini nostro. Quapropter, si vestrae nobilitati non habetur contrarium, eamus, et provideamus locum in possessionibus patris mei, in quo monasterium construere valeam, non aedificare enim supra fundamentum alienum decrevi. » Veniensque post haec ad portum maris, invenit locum habilem ad monasterium construendum, et cum baculo, quod manu gestabat, designavit locum, in quo oratorium Baptistae Joannis in quo domum suam et omnis monasterii officinas construere valeret. Post haec beatus Placidus conversus ad Messalinum, dixit: « Praepositus istius portus Messanae civitatis ubi est, et quo nomine nuncupatur? » Et Messalinus, « Hic, inquit, prope est: de nomine autem, unde interrogasti, scias, quia Pompejus Cilius appellatur. » Tum sanctus jussit illum vocari ad se; qui, dum venisset, cecidit ad pedes ejus. Quem beatus Placidus e terra èlevans, praecepit quod de pretio quod de portu acceperat, construeret domum, in qua ipse cum suis habitaret, simul etiam et ecclesiam ad honorem beati Baptistae Joannis in qua die ac nocte omnipotenti Domino deserviret. Et dixit ad illum: « Tuum volo, ut sit, artifices in hoc loco ad operandum, ubicumque eos per totam Siciliam inveneris, adducere, necnon servos et ancillas ad lapides et quaeque necessaria sunt comportanda adunari, ut hoc opus ipsum celerius possit expleri, maxime tamen domus in qua habitare valeam. Et ut haec omnia citius fiant, omnes praepositos portuum et procuratores cortium tanto labori interesse volumus, dando sumptus et quaeque necessaria sine dilatione aliqua. Filium vero tuum vice tua super portum praepone. Tu vero insta fabricae, ut cito possit expleri. » Praecepitque ut de redditibus cortium, et de censu portuum pecuniam

Romam ad columnas et epistylia emenda transmitteret. Designavit etiam coram Pompejo Cilio, in quo loco dormitorium, refectorium, coquina, cellarium et omnes monasterii officinae construerentur. Congregatis itaque quampluribus artificibus, jactisque in Christi nomine fundamentis, coeptum opus certatim et sine intermissione perficiebatur. Primo namque ibi domum, in qua beatus Placidus maneret amplam satis extruxerunt. Messalinus autem interdiu aptissimam mansionem beato Placido assignavit, in qua libere posset solus sedere, legere et orare. Cibos vero afferebant ei et suis, servi illius, et omnes amici patris ejus. Idem quoque Messalinus cum familia sua sequestratus in alia domo manebat. Pompejus autem Cilius juxta quod sibi beatus Placidus imperaverat, vice sua posuit super portum Messanae civitatis filium suum nomine Pillium Vitellium, juvenem prudentissimum, sapientiâ et bonitate multa pollentem.

§ **10**. Die autem trigesima Metellus, filius Messalini, cum servis suis, simulque cum praepositis portuum et procuratoribus cortium et multitudine amicorum Tertulli patricii, ad beatum Placidum veniens, pecuniam infinitam secum deferens, sancto Domini Placido obtulit. Quam accipiens, ad patrium solum, id est, ad urbem Romanam direxit, ex qua columnas et epistylia emit, quae, cum in Siciliam delatae fuissent, locari jussit in ecclesia quam tunc construebat in honore sancti Baptistae Joannis. Cum villicis autem et praepositis portuum et procuratoribus cortium diu multumque est locutus; et ob quam rem ad partes illas a sanctissimo magistro suo Benedicto directus fuisset retulit, reddideruntque singuli rationem villicationis suae de cortibus et portubus Tertulli patricii patris sui, quas tenuerant. Post haec omnibus in commune praecepit, ut sine fraude et dolo aliquo et absque qualibet dilatione quotidie impenderent, quicquid sibi et suis in cibo, potu atque vestitu vel in coenobii constructione necessarium esset. Ipse autem Pater sanctissimus, ea quae a magistro suo Benedicto didicerat, modis omnibus implere satagebat. Refulgebat sane doctrina pietatis in eo, dilatabaturque sanctae conversationis doctrina agrum serendo justitiae. Unde factum est, ut per beatum Placidum ac discipulos ejus, patris Benedicti et Cassinensis coenobii veneranda religio per totum orbem terrarum diffusa sit et diffamata. Idem vero sanctus Domini Placidus, Spiritu Sancto repletus, sine intermissione castigabat sanctum corpus suum, et in servitutem omnem redigebat, ut membra, quae sunt super terram, mortificaret. Sermo vero ejus aliud non erat quam mundi hujus delicias spernere, onera orbis relinquere, ut Jesum Christum, Dei filium, libere sequeretur, memorans illud quod Dominus locutus est, *Nisi quis renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 13). In sermone autem ejus quanta gravitas, quanta modestia erat, enarrare quis

valeat? Orationi et lectioni solus quotidie insudabat, ac saepe et multum cum meditationi inserviret, lacrymis fluebat; habebat enim spiritum magnae compunctionis. Non diebus, non noctibus a colloquiis divinis et psalmòdia cessabat, omni tempore quadragesimalem vitam ducens, vinum nunquam bibens. In Quadragesimâ Dominico die, tertia et quinta feriâ, pane tantum et aquâ contentus erat, aliis diebus nihil omnino recipiens. Cilicio semper ad carnem usus est, et cum fatigatus esset ab oratione seu a genuflexione, sedendo potius quam jacendo somnum capiebat. Nemo illum unquam aliquando vidit in aliquo acto commotum, sed semper honestum, humilem, gravem, mansuetum, benignum, nemini nocentem, nemini invidentem, nemini, quod malum est, quaerentem: erat enim, omni horâ, gratiâ Dei plenus. Nunquam aliquando alicui homini locutus est, nisi necessitas coëgisset, aut fratrum affectio, sed bonorum hominum vel pauperum, aut cum monasterii necessitas exposceret, sèmperque spiritus ejus in Deo positus erat. Sed in omnibus virtutibus, in quibus eum perfectissimus magister suus Benedictus instruxerat, de die in diem proficiebat atque crescebat: non aequalem se aliorum ducens, sed ultimorum omnium servum. Jam vero, de ejus, quid dicam, clementia? nil enim menti ejus carius fuit, quam potentem pauperi non praeponere. Si pauperem videbat, sustinebat: si divitem, ad benefaciendum hortabatur, illud praedicans Evangelicum: *Qui habet duas tunicas, det non habenti* (*Lucae* III, 11): et qui habet escas, similiter faciat, ut coelorum regnum accipere valeat. Ibat autem frequenter ad operarios qui coenobium et ecclesiam construebant, ad portum quoque maris et cortes patris sui visendas, sicque demum revertebatur ad domum quam sibi accommodaverat Messalinus.

§ **11**. Quarto vero anno postquam in Siciliam sanctus Domini Placidus venerat, monasterium omne una cum ecclesia sancti Baptistae Joannis satis decenter in omni constructione perfectum, atque ab Episcopo ejusdem Messanae civitatis ecclesia dedicata est quinto Kalendas Augusti. Rogavit etiam idem sanctus Episcopum, ut totius monasterii ambitum aquâ exorcizata respergeret, et orationem daret, sicque in eum sanctus Domini ingressus est cum suis ad habitandum. Coeperunt deinde nonnulli mundum relinquere, et sub beati Placidi magisterio cordis cervices edomare. Intra breve namque temporis spatium, triginta fratres in eodem loco ad omnipotentis Dei servitium congregati sunt.

§ **12**. Per idem tempus dum in Urbe fama crevisset, quod sanctus Domini Placidus a venerabili patre Benedicto ad monasterium construendum, et cortes ac possessiones Tertulli patris sui retinendas, in Siciliam directus fuisset, et quia in coenobio a se constructo triginta jam Fratres sub patris sui Benedicti regula aggregasset; Eutychius et Victorinus, germani ejus, quorum

et in utraque curia Romani Imperii post Augustos nulli secundus, homo illustrissimus ac dilectissimus, in seniori Roma patriciatus retinebat habènas. Qui ex Aniciorum sanguine stemmatis lineam ducens, adeoque sapientiâ, fortitudine atque prudentiâ viguit, ut ab Imperatoribus omnique Romano populo Pater patriae vocaretur. Hic de Octaviae gentis familia ducens uxorem, corpore ac moribus speciosissimam, bonae arboris bonos fructus ex ea suscepit. Primum namque Placidum, secundum Eutychium, tertium Victorinum, quarto autem loco dum puella enixa fuisset, pro eo quod ex Octaviorum et Flaviorum stirpe descendebat, Flaviam nominaverunt. Hos cum dicto patricio peperisset, viam Domini illos còlere docuit, sectari patientiam, humilitatem, sobrietatem, castitatem et charitatem. Patres siquidem erant pauperum, judices viduarum: causam autem quam nesciebant, diligentissime investigabant. Ipsius autem Patricii animus, licet Imperialibus negotiis implicitus esset, semper tamen aut circa ecclesias, aut circa monasteria erat, semper, ea quae Dei sunt, quaerens. Eodem tempore beatissimus ac Deo dilectissimus Benedictus, velut Lucifer inter astra, apud Sublàcum radiabat. Coeperunt deinde in eodem loco ad eum multi confluere, et sub leni Redemptoris jugo cordis cervìces edomare, multique ab eodem patre in eadem regione ad omnipotentis Dei sunt servitium coàdunati, ita ut illic duodecim monasteria construeret, in quibus sub statutis praepositis duodènos monachos deputavit: nonnullos vero secum retinuit, quos adhuc in sua praesentia aptius erudiri judicabat.

§ 4. Famâ itaque tanti patris per totum Romanum Imperium volitante, urbem ipsam Romam, quae Romani Imperii omniumque urbium caput est, ceu sol radians, replevit intantum, ut Tertulli patricii perveniret ad aures. Qui cum optimatibus Romani Imperii, temporibus * Julii Papae, divinae autem incarnationis anno XXII ac quingentesimo, ad patrem sanctissimum Benedictum pervenisset, vir excellentissimus, et Imperatoris in orbe Romano praecelsus ac singularis, purpurâ indutus, gemmis et auro radians, pedibus ejus provolvitur, atque pro suis commissis Domini flagitaret clementiam, cum lacrymis atque singultibus exposcebat. Vir autem Domini Benedictus, patricii humilitatem advertens, e terra eum levavit, et de his, quae ad aeternam vitam attinent, sufficienter instruxit. Idem vero patricius, servi Domini doctrinâ delectatus, eo die obtulit Deo et eidem patri Benedicto Placidum, filium suum septennem, nutriendum et erudiendum, secundum regularem normam institutionis; sicque benedictione munitus, ad Urbem reversus est. Placidus autem sanctissimus cum sub beatissimi Benedicti regulari magisterio cresceret, sanctam et Deo placitam vitam in omnibus

* Anno 522 nullus Romae sedebat Julius. Summus Pontifex, tunc temporis, erat Hormisdas.

ducere coepit. Quem vir Dei cernens ad alta succrescere, ac sicut proprium filium illum unice diligens, de his, quae Dei sunt, sollicite instruere coepit, ac contra tentantia praemunire vitia, qui, ab ipso pueritiae suae tempore abstinentiam ac vigilias est secutus. Cursu namque praepete coelestem tendens ad patriam, ardua et sanctiora appetere non desinebat, noctibus atque diebus, horis ac momentis quae Dei sunt quaerere non cessabat... *

§ 5. Igitur cum ad aures Tertulli, Romanae curiae patricii, pervenisset, quod sanctus Domini Benedictus una cum Placido, ejus patricii filio, et discipulo suo Mauro, in sua possessione Cassini monasterium construxit, gavisus est gaudio magno, filioque suo dirigere studuit, ut patris Benedicti voluntatem super suo adventu perquireret, et sibi remitteret; velle enim se ajebat, si id servo Domini placeret, et Cassinense coenobium, et Placidum filium suum videre. Quae cum idem sanctus Placidus patri Benedicto reserasset, vir Dei respondit sibi placere, ut tam idem patricius, quam amici ejus ad monasterium visendum venirent. Placidus autem certum diem Tertullo patri suo, quo ad coenobium visendum venire deberet, et juxta quod pater Benedictus in mandatis dederat, transmittere studuit. Qui confestim accersitis ad se nobilissimis de civitate Romae viris, Boëtio scilicet, Symmacho, Vitaliano, Gordiano atque Equitio, ascensis equis, còncito gradu, ad praedium possessionis suae, quod ei de paterna haereditate obvenerat, Cassinum pervenit. Cujus adventus, dum patri Benedicto nunciatus fuisset, cum discipulis suis Placido et Mauro ante januam monasterii in ejus pergit occursum. Patricius autem beatissimum patrem Benedictum, corpore prae abstinentia exhaustum, perspiciens, de equo, quo insederat, celeriter descendit, et ita ut erat auro gemmisque ornatus in terram corruens, deosculabatur vestigia ejus. Quem pater sanctissimus a terra èlevans, et ad pectus suum constringens, deosculatus est. Demum vero in ecclesiam sancti confessoris Christi Martini inducens, et prae gaudio in fletum prorumpens, illum et reliquos in fratrum conventum deduxit. Tertullus vero, deosculata omni congregatione, rogavit patrem Benedictum, quatenus eum fratres dignarentur in suam recipere societatem. Qui cum celeriter ea, quae summa devotione poscebat, una cum patriciis, consulibus ac senatoribus, qui cum eo venerant, impetrasset, obtulit Deo et eidem patri beatissimo Benedicto totum ex integro Cassinum montem cum universis pertinentiis suis, atque a suo proprio jure illum abscindens, eidem patri tradidit in perpetuum possidendum. Convocansque ad se Reipublicae primiscrinium, testamentum juxta morem Romanum conscribi fecit, ab omnium mortalium jure atque dominio locum eundem perpetuo mansurum alienum decernens. Pariter amodo eidem patri obtulit

* Hic excerpendum censuimus, quae jam in Vita S. Benedicti, in *Surio*, tom. III, leguntur.

castra, villas et possessiones, quae sibi in re haereditaria pertinebant, cum universis appendiliis suis. Domum vero, in qua Placidus filius ejus natus fuerat in urbe Roma, in Caelio monte, beati Erasmi nomini dicans, patri sanctissimo ex toto concessit. Obtulit etiam ipso die Deo et sanctis ejus medietatem de lacu Lucrino, necnon et insulam Caprariam, in salo Neapolitano locatam, portumque Trajesensem et Ultranensem, et totam piscariam Lesinensem una cum fasce sua, simul etiam tres insulas Diomedis et fluvium Lauri juxta piscariam Lesinensem. Propria vero quae in Apulia habebat, rogatu Placidi filii sui parimodo concessit, quorum nomina haec sunt: In Canusia fundum Melitensem, Podensem, villam Pertusam, campum Caliensem, Babolianum viculum, et ecclesiam Sanctae Mariae in eadem Canusina civitate constructam cum cortibus pluribus et plagis locisque diversis. Ista omnia Tertullus patricius cum Placido filio suo patri Benedicto per scriptum tradiderunt in perpetuum possidenda.

§ 6. Hunc aemulatus ad bonum Equitius senator, obtulit et ipse una cum filio suo Mauro fundum Gentianum cum cella sancti Agapiti, et cortem suam in civitate Neapolitana locatam, cum ecclesia sanctae virginis Christi Caeciliae et sancti Severini, ubi postea a patre Benedicto ecclesiae sitae sunt, necnon ecclesia Sanctae Mariae in Cosentia. Gordianus quoque Romanae urbis vir spectabilis, horum devotione delectatus, obtulit pro se et Silvia uxore sua villas et fundos complures. Eodem tempore jam dictus Tertullus patricius, hortatu sanctissimi Placidi filii sui, obtulit beatissimo ac venerabili patri Benedicto decem et octo patrimonii sui cortes quas in Sicilia habebat, et in diversis locis vir praepotens possidebat, bonas valde et magnas, cum portubus suis, silvis, aquis, piscariis, molendinis, aquarumque decursibus ad easdem cortes pertinentibus, cum servis septem millibus, exceptis uxoribus eorum et filiis, cum procuratoribus earumdem cortium atque a proprio jure easdem cortes abscindens, eidem patri per praeceptum tradidit in perpetuum possidendas, poenâ apposita quatuordecim millium talentorum auri qui id removere tentasset. His quoque diebus Gordianus quidam natione Romanus, litteris Graecis apprime eruditus, ad venerabilem patrem Benedictum pervenit, seque ejus magisterio subdidit. Placidus autem beatissimus, dum robur virilis invasisset aetatis, se in omnibus magistro suo Benedicto sùbdere studuit, et sub ejus praesentia angelicam vitam in terris ducere coepit, quem pater Benedictus ac sicut proprium filium unicum diligens, cum summa industriâ de his quae Dei sunt, sollicite ac diligenter instruxit.

§ 7. Per idem tempus procuratores cortium, quas in Sicilia Tertullus patricius patri Benedicto concesserat, legatos Cassinum ad beatissimum patrem Benedictum direxerunt, eo quod cortes ipsae a quibusque devastarentur, adeo ut a procuratoribus nullo

modo possent defendi, neque debitum pensum a possessoribus exigi. His venerabilis Pater auditis, omnem convocans congregationem, quae in suis possessionibus acta, sibique nunciata essent, per ordinem pandit. Demum vero ex consulto Cassinensis congregationis, Placidum sanctissimum, discipulum suum, ad tantum laborem sustinendum aptissimum judicans, ob id vel maxime, quia nullus easdem possessiones sicut ipse defendere et custodire valeret, evocat, illumque ad tuitionem earumdem cortium direxit, deditque commilitones tanti itineris Gordianum et Donatum, mandans ut ita beato Placido, unico sibi ac carissimo, sicut et sibi eatenus in omnibus obsequerentur, osculansque beatum Placidum et benedicens, dimisit a se, anno Dominicae incarnationis quingentesimo trigesimosexto. Igitur benedictionem et osculum suscipiens tanti patris, tertiodecimo Kalendas Junii beatissimus Placidus cum duobus famulis suis Gordiano et Donato, ascensis equis, primo diluculo iter aggrediens, advesperascente jam die, Capuanam pervenit ad urbem, ubi benigne cum suis a beato Germano * ejusdem civitatis Episcopo, susceptus est. Primicerius vero ejusdem Capuanae ecclesiae nomine Zoffas, laborans valde pessima infirmitate capitis, quam medici graeco vocabulo cephaleam vocant, ubi comperit, illic adesse Placidum, beatissimi patris Benedicti discipulum, cujus jam per totum orbem Romanum miraculorum fama radiabat, procidit ad ejus pedes, dicens: « Adjuro te, Placide, serve Dei summi, per venerandum nomen pretiosissimi magistri tui Benedicti, ut digneris super caput meum manus tuas sanctas imponere, ac preces Redemptori et Salvatori omnium fundere; confido enim et constantissime credo, quia, si hoc feceris, continuo recipiam sanitatem.» Sanctus autem Domini Placidus, ab eodem primicerio talia dum verba audisset, pavore perterritus, omnimodis contradicere coepit, dicens: « Recedite, quia haec mea non sunt, sed beatissimi patris Benedicti, et illorum qui Salvatori omnium placuerunt. Ego enim peccator sum, et perfectissimorum virorum suffragiis indigens. » Sanctus vero Germanus Episcopus, una cum clericis suis, servi Domini Placidi ore haec audiens, et Deo et hominibus illum carissimum ac dilectissimum esse praenoscens, primicerii precibus vinctus, pro ejusdem languidi incolumitate illum rogare instantissime coepit. Vir autem Domini, supplicationem tanti patris minime contemnendam ducens, erexit se, surgensque manum capiti ejus imposuit, et ad coelum oculos elevans, dixit: « In nomine Domini nostri Jesu Christi, cujus virtute nihil laesus, sum ereptus de aquis, a quibus trahebat, adjutus meritis et orationibus magistri nostri Benedicti, si fidem habes tantae credulitatis, restituat te Deus in pristinam sanitatem.» Cumque omnes, qui aderant respondissent,

* De quo xxx huj.

Amen, confestim dolor capitis, quo per multos annos fuerat fatigatus, ab eo discessit, coepitque laudare et benedicere Deum, dicens: « Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui me sanum fecit meritis et intercessionibus beatissimi patris Benedicti per sanctissimum Placidum discipulum ejus. »

§ 8. Itaque dum beati Placidi sanctitas per ora omnium volitaret, quidam caecus inopinato vociferantis populi clamore perculsus, sollicite interrogare coepit quid esset. Qui cum respondissent, quod Placidus, discipulus beati Benedicti, venisset, caecus fide fervens, duci se ante beatum Placidum fecit, rogansque eum per sanctum et terribile nomen Domini, et obtestans ut suis sanctis precibus sanitatem impetraret a Domino. Sanctus autem Domini Placidus, more sibi solito, in fletum erumpens, jussit eum adduci ad se, et cum appropinquasset, super ejus oculos signum salutiferae Crucis faciens, oravit ad Dominum. Expleta oratione, sanctus Domini conversus ad caecum, dixit: « In nomine ipsius, qui solem et lunam in coeli ornamento constituit, et caeco nato oculos, quos natura negaverat condonavit, adjutus meritis sanctissimi magistri nostri Benedicti, surge sanus et incolumis, et praedica omnibus mirabilia Dei. » Ad hanc vocem sanus exsurgens, ac, improviso sanguine manante de lumine, salutem suam oculi mirabiliter receperunt. Mox vero ut lucem conspexit, ad ejus vestigia ruens, pedes illius, insatiatus gaudio, deosculari avidissime coepit, pariterque Gordiano et Donato prae compunctione deflentibus, qui Dei laudabant magnalia, quia eidem caeco oculos restituit. Sed haec quidem praesente sancto Germano Episcopo gesta sunt... Deinde navem conscendit, transfretansque Farum, Messanam * Siciliae devènit ad urbem. Cumque descendisset ad terram, Gordianum, famulum suum, direxit ad civitatem, mandans ut Messalinum, civem Romanum, Tertulli patris sui amicissimum, ad se vocaret; erat enim ditissimus. Quem ubi invenit, ad litus maris, ubi sanctus Domini Placidus morabatur, secum adduxit. Videns autem Messalinus beatum Placidum juxta maris litora stantem, formamque ejus vultui Tertulli patris ipsius assimilantem, equo, quo insederat, descendens, ad pedes ejus cècidit. Quem sanctissimus Placidus a terra elevans osculatus est, atque benedicens, rem propter quam a sanctissimo patre Benedicto directus fuerat, per ordinem pandit. Messalinus vero beatum Placidum diutius complexans, et ad pectus suum adstringens, lacrymas quoque invicem prae gaudio fundentes immorati: demum quoque idem Messalinus Gordianum et Donatum famulos ejus deosculans, apprehendens iterum dexteram beati Placidi ac diu exosculans, cum ingenti honore duxit ad domum suam, et repleta est omnis civitas Messana gaudio super adventu ejus. Messalinus autem, dum in domo sua cum

* **Italice, Messina, a Graecis antiquitus fundata, sede archiepiscopali refulgens.**

beato Placido residèret, et nonnulla de his quae ad aeternam vitam attinent ab ipso audiret, requisitus ab eodem servo Domini est de possessionibus ac portubus, de servis et ancillis, quae ipse una cum Tertullo, patre suo, imperpetuum possidenda, beato Benedicto tradiderat. Desiderabat enim videre singillatim loca, in quibus possessiones erant. Rogavit etiam ut adventum suum omnibus amicis Tertulli patris sui notificaret, necnon servos, quos ibi habebat, ostenderet, procuratores quoque, quos jam dictus genitor suus super easdem cortes praeposuerat, ad se accersiri jussit. Messalinus vero Metellum filium suum evocans, praecepit ut cum uno ex servis suis cortes et possessiones Tertulli patricii percurreret, et earumdem cortium procuratores ac portuum custodes cum amicis jam dicti patricii ad beatum Placidum duceret. Qui paternis jussis obtemperans, uno tantum servo assumpto, ascensis equis, quae sibi injuncta fuerant, implere sollicite coepit.

§ 9. Illucescente vero die, beatus Placidus Messalinum evocans, dixit ad eum: « Non decet Monachum in domibus laicorum stationem habere, quia contrarium est omnibus modis Ordini nostro. Quapropter, si vestrae nobilitati non habetur contrarium, eamus, et provideamus locum in possessionibus patris mei, in quo monasterium construere valeam, non aedificare enim supra fundamentum alienum decrevi.» Veniensque post haec ad portum maris, invenit locum habilem ad monasterium construendum, et cum baculo, quod manu gestabat, designavit locum, in quo oratorium Baptistae Joannis in quo domum suam et omnis monasterii officinas construere valeret. Post haec beatus Placidus conversus ad Messalinum, dixit: « Praepositus istius portus Messanae civitatis ubi est, et quo nomine nuncupatur? » Et Messalinus, « Hic, inquit, prope est: de nomine autem, unde interrogasti, scias, quia Pompejus Cilius appellatur. » Tum sanctus jussit illum vocari ad se; qui, dùm venisset, cecidit ad pedes ejus. Quem beatus Placidus e terra èlevans, praecepit quod de pretio quod de portu acceperat, construeret domum, in qua ipse cum suis habitaret, simul etiam et ecclesiam ad honorem beati Baptistae Joannis in qua die ac nocte omnipotenti Domino deserviret. Et dixit ad illum: « Tuum volo, ut sit, artifices in hoc loco ad operandum, ubicumque eos per totam Siciliam inveneris, adducere, necnon servos et ancillas ad lapides et quaeque necessaria sunt comportanda adunari, ut hoc opus ipsum celerius possit expleri, maxime tamen domus in qua habitare valeam. Et ut haec omnia citius fiant, omnes praepositos portuum et procuratores cortium tanto labori interesse volumus, dando sumptus et quaeque necessaria sine dilatione aliqua. Filium vero tuum vice tua super portum praepone. Tu vero insta fabricae, ut cito possit expleri.» Praecepitque ut de redditibus cortium, et de censu portuum pecuniam

Romam ad columnas et epistylia emenda transmitteret. Designavit etiam coram Pompejo Cilio, in quo loco dormitorium, refectorium, coquina, cellarium et omnes monasterii officinae construerentur. Congregatis itaque quampluribus artificibus, jactisque in Christi nomine fundamentis, coeptum opus certatim et sine intermissione perficiebatur. Primo namque ibi domum, in qua beatus Placidus maneret amplam satis extruxerunt. Messalinus autem interdiu aptissimam mansionem beato Placido assignavit, in qua libere posset solus sedere, legere et orare. Cibos vero afferebant ei et suis, servi illius, et omnes amici patris ejus. Idem quoque Messalinus cum familia sua sequestratus in alia domo manebat. Pompejus autem Cilius juxta quod sibi beatus Placidus imperaverat, vice sua posuit super portum Messanae civitatis filium suum nomine Pillium Vitellium, juvenem prudentissimum, sapientiâ et bonitate multa pollentem.

§ **10**. Die autem trigesima Metellus, filius Messalini, cum servis suis, simulque cum praepositis portuum et procuratoribus cortium et multitudine amicorum Tertulli patricii, ad beatum Placidum veniens, pecuniam infinitam secum deferens, sancto Domini Placido obtulit. Quam accipiens, ad patrium solum, id est, ad urbem Romanam direxit, ex qua columnas et epistylia emit, quae, cum in Siciliam delatae fuissent, locari jussit in ecclesia quam tunc construebat in honore sancti Baptistae Joannis. Cum villicis autem et praepositis portuum et procuratoribus cortium diu multumque est locutus; et ob quam rem ad partes illas a sanctissimo magistro suo Benedicto directus fuisset retulit, reddideruntque singuli rationem villicationis suae de cortibus et portubus Tertulli patricii patris sui, quas tenuerant. Post haec omnibus in commune praecepit, ut sine fraude et dolo aliquo et absque qualibet dilatione quotidie impenderent, quicquid sibi et suis in cibo, potu atque vestitu vel in coenobii constructione necessarium esset. Ipse autem Pater sanctissimus, ea quae a magistro suo Benedicto didicerat, modis omnibus implere satagebat. Refulgebat sane doctrina pietatis in eo, dilatabaturque sanctae conversationis doctrina agrum serendo justitiae. Unde factum est, ut per beatum Placidum ac discipulos ejus, patris Benedicti et Cassinensis coenobii veneranda religio per totum orbem terrarum diffusa sit et diffamata. Idem vero sanctus Domini Placidus, Spiritu Sancto repletus, sine intermissione castigabat sanctum corpus suum, et in servitutem omnem redigebat, ut membra, quae sunt super terram, mortificaret. Sermo vero ejus aliud non erat quam mundi hujus delicias spernere, onera orbis relinquere, ut Jesum Christum, Dei filium, libere sequeretur, memorans illud quod Dominus locutus est, *Nisi quis renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 13). In sermone autem ejus quanta gravitas, quanta modestia erat, enarrare quis

valeat? Orationi et lectioni solus quotidie insudabat, ac saepe et multum cum meditationi inserviret, lacrymis fluebat; habebat enim spiritum magnae compunctionis. Non diebus, non noctibus a colloquiis divinis et psalmòdia cessabat, omni tempore quadragesimalem vitam ducens, vinum nunquam bibens. In Quadragesimâ Dominico die, tertia et quinta feriâ, pane tantum et aquâ contentus erat, aliis diebus nihil omnino recipiens. Cilicio semper ad carnem usus est, et cum fatigatus esset ab oratione seu a genuflexione, sedendo potius quam jacendo somnum capiebat. Nemo illum unquam aliquando vidit in aliquo acto commotum, sed semper honestum, humilem, gravem, mansuetum, benignum, nemini nocentem, nemini invidentem, nemini, quod malum est, quaerentem: erat enim, omni horâ, gratiâ Dei plenus. Nunquam aliquando alicui homini locutus est, nisi necessitas coëgisset, aut fratrum affectio, sed bonorum hominum vel pauperum, aut cum monasterii necessitas exposceret, sèmperque spiritus ejus in Deo positus erat. Sed in omnibus virtutibus, in quibus eum perfectissimus magister suus Benedictus instruxerat, de die in diem proficiebat atque crescebat: non aequalem se aliorum ducens, sed ultimorum omnium servum. Jam vero, de ejus, quid dicam, clementia? nil enim menti ejus carius fuit, quam potentem pauperi non praeponere. Si pauperem videbat, sustinebat: si divitem, ad benefaciendum hortabatur, illud praedicans Evangelicum: *Qui habet duas tunicas, det non habenti* (*Lucae* III, 11): et qui habet escas, similiter faciat, ut coelorum regnum accipere valeat. Ibat autem frequenter ad operarios qui coenobium et ecclesiam construebant, ad portum quoque maris et cortes patris sui visendas, sicque demum revertebatur ad domum quam sibi accommodaverat Messalinus.

§ **11**. Quarto vero anno postquam in Siciliam sanctus Domini Placidus venerat, monasterium omne una cum ecclesia sancti Baptistae Joannis satis decenter in omni constructione perfectum, atque ab Episcopo ejusdem Messanae civitatis ecclesia dedicata est quinto Kalendas Augusti. Rogavit etiam idem sanctus Episcopum, ut totius monasterii ambitum aquâ exorcizata respergeret, et orationem daret, sicque in eum sanctus Domini ingressus est cum suis ad habitandum. Coeperunt deinde nonnulli mundum relinquere, et sub beati Placidi magisterio cordis cervices edomare. Intra breve namque temporis spatium, triginta fratres in eodem loco ad omnipotentis Dei servitium congregati sunt.

§ **12**. Per idem tempus dum in Urbe fama crevisset, quod sanctus Domini Placidus a venerabili patre Benedicto ad monasterium construendum, et cortes ac possessiones Tertulli patris sui retinendas, in Siciliam directus fuisset, et quia in coenobio a se constructo triginta jam Fratres sub patris sui Benedicti regula aggregasset; Eutychius et Victorinus, germani ejus, quorum

superius memoriam fecimus, una cum sorore sua Flavia virgine, Placidum fratrem videndi desiderio ducti, et in ejus amorem ultra modum accensi, ex consilio parentum suorum urbem Romam egredientes, navem conscendunt; dantesque càrbasa ventis, Siciliam adeunt, et ad portum civitatis Messanae applicantes, classem in litore solvunt; descendentesque de navi, ad sancti Joannis coenobium tendunt, videntesque fratrem, repleti sunt gaudio magno. Et primo quidem non cognoverunt eum, ob id scilicet, quia ex quo beato Benedicto oblatus est, illum ulterius non viderant, et post tanti temporis spatium vir factus, et monachali habitu indutus, atque prae nimia abstinentia ac enormitate vigiliarum et orationum, corpore tabefactus et annihilatus erat. At ubi per indicia agnoverunt eum, in osculis ejus ruentes, et se diutius complexantes, ob nimietatem amoris et gaudii, in fletum maximum proruperunt. Post haec cum omnia monasterii habitacula perlustrassent, ac convenienter constructa laudassent, aliquantis diebus apud beatum Placidum fratrem suum remorari decreverunt.

§ 13. Eodem tempore apud paganos qui in Hispania inhabitabant, Abdala * impiissimum Christi insectator et hostis regnum administrabat. Hic Christianae religionis culturam funditus de terra eradere, et Molochi templa et Luciferi culturam augere cupienti centum navium expeditionem congregavit, et super eas quemdam crudelissimum Agarenum, nomine Mamucha, ducem praeficiens, contra Romanum direxit quidam Saracenum, mandans ut civitates et castra igni cremaret, ecclesias destrueret, Christianos ad daemonum, Molochi Rempham et Luciferi culturam compelleret, non consentientes diversis suppliciis enecaret. Cujus ille imperio parens, cum plurimam stragem nostrorum dedisset, post aliquantos dies in quibus Eutychius, Victorinus et Flavia virgo ad beatum Placidum venerant, cum fratres nocturnalem synaxim in ecclesia decantarent, jam dictus Mamucha in navibus cum paganis sexdecim millibus octingentis adveniens, fores monasterii confringi, et omnes in vinculis jussit adstringi. Quod dum factum fuisset, Gordianus jam dictus, qui cum beato Placido a Cassinensi coenobio ad Siciliam venerat, cum esset juvenis, per quamdam posticam domus aufugiens evasit; Donatus vero, qui jam senio affectus erat, absque aliqua interrogatione capite truncatus est; sanctus autem Placidus, una cum fratribus suis Eutychio, Victorino et Flavia virgine, Fausto, Firmato diacono, simul etiam cum monachis triginta, catenis vinctus, Mamuchae adspectibus praesentatur. Quem truculentus arbiter ut vidit, dixit ad eum : Quid vocatis? Sanctus Placidus respondit :

* Haec historia anachronismis aliisque gravibus erroribus referta est. Nam Saraceni Hispaniam non occuparunt, nisi sub anno 713; Abdala nullus, anno 541, sive in Hispania, sive in Africa, aut alibi regnasse scitur.

Christianus sum. Dux dixit: Nega Christum tuum, et dic in eum convicia, et juxta ritum invictissimi Regis nostri Abdalae deum adora, et dimitto te. Sanctus Placidus respondit: Ego Dominum Jesum Christum nunquam negaturus sum, et pro ejus nomine mori desidero. Dux vero ad haec saeve indignans, dixit ad Eutychium et Victorinum, Flaviam, Faustum, Firmatum diaconum et reliquos triginta: Vos quid dicitis? Obtemperabitis praeceptis excellentissimi Regis Abdalae, ut Christum relinquentes, deum nostrum adoretis? Sancti autem Martyres quasi ex uno ore dixerunt: « Quod in animo insidet vestro, perficite. Unus enim nobis animus est, una fides, unus ordo vivendi, quapropter ea quae a primo audisti, ab omnibus dictum esse putate. Pro amore namque Christi parati sumus animam ponere. »

§ **14**. Ad horum itaque Martyrum famina dum Mamucha vehementer iratus, jussit sanctos Dei Placidum, Eutychium, Victorinum ac virginem Flaviam cum reliquis sanctis exspoliari, et gravissime fustibus caedi, sancti Martyres exultabant et gaudebant in Domino, quoniam digni habiti sunt pro nomine ejus verberum supplicia pati. Videns vero impiissimus dux quod jam in extremis essent, dixit ad eos: Dicite, morti destinati, si relinquere vultis Crucifixum, an perire decrevistis? Sancti Martyres dixerunt: « Nos Dominum Jesum Christum, verum Deum esse corde credimus, ore confitemur, et ab ejus cultura nunquam recedemus. Fac quod vis, Christiani sumus. » Stupefactus ad haec crudelissimus arbiter, dixit ministris: Iterum flagellentur, crudelissime torqueantur, verbera verberibus addantur, forsitan resipiscent hi, qui in errore decreverunt permanere. Ministri itaque juxta ducis imperium flagellantes et torquentes eos, clamabant, dicentes: Negate Christum vestrum, negate. Sancti autem dum torquerentur, rogabant Dominum, dicentes: « Domine Jesu Christe, fili Dei, libera nos ab omni tentatione, et ab scandalis operantium iniquitatem. » Dux vero, ad Martyrum tolerantiam permotus, praecepit ut manibus a tergo ligatis, et compedibus vincti includerentur per septem dies, et neque panem neque aquam eis dari, ut deficerent, procrastinans eorum interitum, si forte plagis corporalibus fatigati, ejus nefandis jussionibus obtemperarent. Sanctus autem Domini Placidus in tanto supplicio constitutus, non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat.

§ **15**. Dum haec agerentur, tempestas magna in mari exorta est. Barbari vero ob aëris incommoditatem, dum ad Hispanias se remeare non posse perspicerent, irâ permoti, circumquaque cuncta igni ferroque deleverunt, et adulteria ac innumerabilia mala in ecclesiis et in hominibus committentes, et viros ac mulieres ob Christi fidem trucidantes, civitati Messanae ineffabilia mala intulerunt. Sanctosque Dei martyres, Placidum, Eutychium,

Victorinum et virginem Flaviam cum sociis in terram suam transferre decrèverant. Itaque dum maris inclementia viam illis obtrusisset, videntes sanctum Placidum cum sociis absque cibo et potu Christo gloriam ferre, mirati sunt, cursuque còncito, ducis tentorium adeuntes, quae acta et dicta fuerant, per ordinem pandunt. Qui belluina rabie accensus, jussit sanctos Dei martyres per singulos dies acerrime fustibus caedi, et sine aliquo cibo vel potu dimitti. Et dum caederentur, clamabant pagani: Negate Christum vestrum, et dicite in eum convicia, et dimittemini. Sancti autem Martyres quasi ex uno ore dixerunt: « Neque Christum Dominum nostrum negamus, neque convicia in eum, qui creator est omnium, inferimus, facite quod vobis videtur. » Barbari vero de Sanctorum constantia ultra modum mirati, cursu rapidissimo ducem adeuntes, rem prout erat exponunt. Dux autem solita inflammatus nequitiâ, jussit sanctum Placidum cum sociis, pedibus versis suspendi, et flagellis hinc inde crudelissime laniari, et sub capite uniuscujusque fumum horridum subministrari. Quod dum factum fuisset, clamabant more solito contra Sanctos pagani: Negate Christum vestrum, negate. Sancti vero Martyres paganorum monita velut stercora contemnentes, clamabant ad Dominum, dicentes: *Si constiterint adversum nos castra, non timebimus mala, quoniam tu nobiscum es, Domine* (*Psal.* 26). Cumque omnes singillatim unus post unum hoc ordine cruciati fuissent, jussit dux Mamucha dari unicuique Sanctorum pugillum unum hordei crudi ad manducandum, et paululum aquae ad bibendum. Dicebantque ad Sanctos: Si negaveris Christum Deum esse, quicquid petieritis, dabimus vobis, et annumerabimini inter primos amicos ducis nostri Mamuchae, et eritis quasi fratres Regis nostri Abdalae, ac domini in omni regno ejus. Sancti autem fratres Placidus, Eutychius, Victorinus et sanctissima Flavia virgo soror eorum, quasi ex uno ore dixerunt: « Si polliceremini nobis facturos dominos orbis terrarum, non negabimus Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis mortuus est et surrexit, ascendensque in coelum, vivos et mortuos et omne seculum per ignem judicaturus adveniet. Quinimmo vos, qui miseriâ pleni estis, qui aeternae morti addicti, vos potius credite in Dominum nostrum Christum Jesum, et salvi eritis in aeternum. » Dirissimus autem Mamucha ex beati Placidi ore talia dum verba audisset, ac saeve indignans, jussit eum cum sociis carceri tradi.

§ **16**. Nocte vero adveniente, Gordianus jam dictus, qui tempore quo beatus Placidus captus fuerat, fugiens evaserat, venit ad eum in carcere, procidensque ad pedes ejus, confortabat eum, dicens: « Constans esto, domine mi Placide, et noli timere, quia tecum est manus Domini, qui tibi mansionem in coelesti regno locavit lapidibus pretiosis instructam. Jam pugnare coepisti, pugna

ut vincas, et coronam immortalitatis accipias.» Audiens haec beatissimus Placidus, gratias egit Redemptori omnium Deo. Deinde conversus ad Gordianum, dixit: «Omissis, frater, verborum ambagibus, Vincentem mundum invocemus, rogantes, ut, qui dedit velle, donet et posse. Illum enim desidero, illum suspiro, ad illum pergere cupio, cui animam meam devovi, qui me dignum fecit pro suo nomine pati. » Et post haec, «Vide, inquit, ut quicquid erga me evenire prospexeris, in scriptis notifices magistro nostro Benedicto, necnon condiscipulis et consanguineis meis Mauro et Felicissimo. Ego enim jam delibor, jam alligatus corpore, alligatus et spiritu vadam, quo me duxerit Dominus Jesus Christus.»

§ **17**. Mane itaque facto, dux Mamucha, rabido inflammatus furore, jussit sanctum Placidum cum sociis suis sibi praesentari. Cumque ante impiissimum ducem manibus retro ligatis praesentati fuissent, indicto silentio, dixit: Testes invoco deos, excellentissimumque omnium Luciferum, quia nec interrogatione dignos vos nostra excellentia judicavit. Hinc autem, non ut criminis obnoxios, sed ut fratres vos alloquor, ut deponentes pertinaciam vanae superstitionis, acquiescatis salutaribus monitis, obtemperantes praeceptis Regis nostri Abdalae, et magnificum prophetam nostrum Moloch venerantes. Hoc si feceritis, hujus vitae gaudiis feliciter fruemini, et dabimus vobis infinitas possessiones et uxores: quod si non feceritis, diversis suppliciis interibitis. Sancti Martyres dixerunt: « Neque nobis blandimentis suadere poteris, nec minarum asperitatibus terrorem incutere valebis. » Tunc nefandus arbiter furore et ira magna accensus, jussit sanctum Placidum cum sociis suis exspoliari, et fustibus caedi, et membris omnibus crudelissime torqueri. Cumque ministri iniquitatis ducis jussa perficerent, Gordianus cum omnibus Christianis, qui ducis Mamuchae manus evaserant, cum fletu ingenti clamabant: « Domine Jesu Christe, martyrum fortitudo et palma, veni in adjutorium Placidi servi tui in hujus agonis discrimine constituti; » et hoc, diebus ac noctibus, postulabat sine intermissione pro eo lacrymarum et orationum hostias Domino immolans.

§ **18**. Idem autem sanctus Domini Placidus cum a paganis ultra modum cum sociis cruciatus fuisset, jussu saevissimi ducis a suppliciis amotus est, et beatissima virgo Flavia incredibili decòre micans, tribunalibus est praesentata. Quam truculenta bestia dum perspexisset, dixit ad eam: Dic, scelerata et omni misericordiâ prorsus indigna: adquiescis praeceptis regalibus, an in stultitia permanere decrevisti? Ad quem beatissima virgo Christi Flavia respondit: « Ego stultitiam nunquam habui, quia semper Christum cuncta regentem dilexi: praecepta vero Regis tui, velut lutûm quod pedibus conculcatur, abjicio. » Dux autem adversus virginem Flaviam ingenti irâ succensus, dixit ministris:

Exspoliate hanc, et pedibus in altum erectis, in sublime suspendite. Habeat honoris sui dignum commercium, quae salutaribus monitis cordis cervicem flectere renuit. Pagani vero juxta quod dux imperaverat, sanctam virginem Flaviam pedibus in sublime erectis suspenderunt. Quam dux ita allocutus est, dicens: Stultissima omnium feminarum, non verecundaris in turpitudine nuditatis tuae? Et virgo Christi ad haec: « Sacra Scriptura testatur, quia est conditor viri et feminae, ob quam rem de sexu nulla mihi adscribetur injuria, pro eo quod nuda sum: neque nuditatem tantum corporis sustinere parata sum, sed etiam gladium et ignem propter eum, qui pro me denudari et flagellari et crucifigi voluit. » Dux vero ad haec larvali furiâ fretus, dixit ministris: Quid agitis? Fustes afferte, et eam sine intermissione acerrime flagellate. Cumque milites sanctam virginem Flaviam crudeliter flagellarent, virgo Christi clamabat ad Dominum, dicens: « Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, adesto nunc famulae tuae Flaviae in hujus agonis stadio, ne dicant inimici tui, ne dicant: *Praevaluimus adversus eam.* » Conturbatus ad haec crudelissimus censor, ait: Si ista extincta non fuerit, maximum Regi nostro Abdalae conferet detrimentum. Et post haec, Eja, inquit, frontem et mammillas, necnon et brachia, torquentes dissipate. Subtus vero fumum acerrimum subministrate, variisque tormentis corpus illius excruciando necate. Illi itaque toto mentis conamine perficientes, clamabant: Nega Christum tuum, turpissima et omni dedècore digna, quia jam parata tibi ìmminet mors. Itaque in talibus die decurso, dux Mamucha sanctam Dei virginem deponi, et cum beato Placido ac reliquis in carcerem includi jussit, itaque commotus praecepit, ut quotquot Christianorum invenissent, diversis suppliciis enecarent.

§ **19**. Sancta vero virgo Flavia, dum in carceris ergastulo cum fratribus esset retrusa, Placidum fratrem suum alloquebatur, dicens: « Jam sacris tuis orationibus, Placide frater, faventibus, inchoavi martyrium, nunc vero obsecro, ne desistas inchoata perficere. Ora attentius, rogo, ut dignum faciat Dominus Jesus Christus desiderium cordis nostri ante conspectum gloriae suae, et tribuat nobis quod promittere dignatus est suis fidelibus, et omnibus quaerentibus gratiam suam. » Sanctus autem Domini Placidus aperiens os suum, Eutychium et Victorinum fratres suos et virginem Flaviam sororem suam sociosque triginta tres consolabatur, dicens: « Forti animo estote, suspicite in coelum, et precibus exorate cuncta regentem, ut patris Benedicti intercessione nobis patiendi tolerantiam donet.» Alia vero die dux Mamucha rèsidens in consistorio, jussit sanctos Dei martyres Placidum, Eutychium, Victorinum et virginem Flaviam cum triginta tribus sociis suis sibi praesentari, et gravissime fustibus caedi, et per

pedes suspendi, ac membris omnibus acriter torqueri, fumumque horridum sub eis administrari, dicens: Negate Christum vestrum, et dicite in eum convicia, et dabimus vobis bona hujus mundi. Post haec sanctus martyr Christi Placidus erectis in coelum oculis clamabat ad Dominum, dicens: *Narraverunt nobis iniqui fabulationes, sed non ita ut lex tua*, Domine. *Omnia mandata tua veritas, iniqui persecuti sunt* nos, *adjuva* nos, *Domine Deus noster*. Quinta vero die saevissimus dux jussit sanctissimum Placidum cum duobus fratribus et cum sorore Flavia tamdiu virgis mactari, donec inter manus deficerent. Quod dum factum fuisset, pagani existimantes eos mortuos, recesserunt. Sed Deus omnipotens, cui cura est et sollicitudo suorum, misit Angelum suum sanctum, qui sanctorum martyrum Placidi, Eutychii, Victorini et virginis Flaviae roboravit corpora, et curavit plagarum vulnera. Mane autem facto, pagani redeuntes ad stadium, sanctosque martyres Dei illaesos consistere perspicientes, dicebant ad eos: Animadvertite et videte quanta misericordia usi sunt deus et Propheta noster in vobis, qui cum debuissent interficere vos, contulerunt vobis sanitatem. Relinquite ergo vanitatem et sectam superstitiosam, et adorate eos qui praestiterunt vobis sanitatem, et gubernant vitam vestram. Sanctus Placidus respondit: « Vos potius relinquite diabolum quem adoratis, et adorate Dominum nostrum Jesum Christum, qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, et relinquite perditum ipsum vestrum prophetam, et satanam, quem is pro Deo coluit, cum quo damnatus est in ignem aeternum. » Saraceni autem cum viderent quod neque minis neque promissionibus sanctos Dei ad suam culturam valerent inflectere, acta et dicta duci seriatim referre curarunt. Dux vero saevus indignans, jussit sanctum Placidum cum sorore et duobus fratribus suis per pedes suspendi, et fustibus caedi, et fumum acerrimum subministrari, clamantibus paganis juxta consuetudinem: Negate Christum vestrum, negate. Quod dum factum fuisset, clamabat beatus Placidus una cum fratribus suis Eutychio et Victorino ac virgine Flavia, quasi ex uno ore dicentes: « Gratias tibi agimus, Domine Jesu Christe, qui confortas servos tuos in te sperantes. » At durissimus dux dolore et irâ permotus, beatissimo martyri Placido, qui prae omnibus et pro omnibus loquebatur, cum lapide os et arterias confringi jussit, dicens: Si non negabis Christum tuum, et tu et alii mala morte peribitis. Sanctus vero martyr Placidus glorificabat Dominum, dicens: « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me computare dignatus es in numero servorum tuorum. »

§ **20**. Non ferens autem impiissimus dux quod sic beatissimus Placidus saepe Christum nominaret, irâ magna accensus, jussit ei linguam radicitus amputari. Sanctus vero Placidus clamabat linguâ praecisa, dicens: « Benedictum nomen et virtus

Domini nostri Jesu Christi, cujus nomen et virtus pèrmanent in secula, qui et liberat nos ab omni malo semper. » Cumque fratres ejus et soror respondissent Amen, prae nimia ira frendens dentibus saevissimus dux, jussit eos iterum gravissimis fustibus caedi. Post haec impiissimus dux Mamucha sanctos Dei martyres, Placidum, Eutychium, Victorinum et virginem Flaviam suo examini fecit assisti, quos tumenti pectore, facie furibunda, vibranti capite, ista est allocutus: Quousque insipientes vos nostra tolerat clementia? Hortor et commoneo vos Crucifixum negare; sin alias, acerrima morte peribitis. Sanctus Placidus respondit: « O infelices, quare mentis vestrae oculos atra orbatos caligine non exeritis? Credite in Dominum Jesum Christum creatorem coeli et terrae, et dimittite diabolum quem adoratis, et falsum vestrum prophetam relinquite, quod si non feceritis, ignis vos aeternus excipiet. » Mamucha vero post haec conversus ad sanctos martyres Eutychium, Victorinum et virginem Flaviam, dixit ad eos: Dicite, infelices et miseri: derelinquitis Crucifixum, an cum Placido seductore perire decrevistis? Sancti martyres dixerunt: « Jam saepius tibi diximus, quia nullo pacto nullaque ratione Dominum nostrum Jesum Christum relinquimus, monita vero vestra, veluti lutum quod pedibus conculcatur, abominamur. » His auditis saevissimus Mamucha nimiis furiis incitatus, jussit sanctos Dei martyres Placidum, Eutychium, Victorinum et Flaviam, strictius ligari, et super tibias eorum anchoras navium poni, et super anchoras lapides magnos superponi, ut hoc dolore compulsi Christum negarent. Pagani vero jussa iniquissimi ducis perficientes, clamabant: Nisi negaveritis Christum vestrum Deum esse, acerba morte, in tali supplicio consummabimini. Cumque die ipsa et nocte tota in tanto cruciatu perdurassent, et sanctus Domini Placidus psalleret, et soror ac fratres ejus orarent, et Deo gratias agerent, die altera illucescente Pagani ad Martyres reversi sunt, videntesque illos immobiles in fide Christi persistere, dicebant: Num vobis corneas fibras, num lapidosa pectora nutritis, qui salutaribus consiliis non acquiescitis? Respicite vosmetipsos, et Christum Deum esse negate, et dabimus vobis aurum et argentum, pallia deaurata, et lapides pretiosos. Sanctus Placidus respondit: « Neque pro auro, neque pro argento, sive pro palliis deauratis, aut lapidibus pretiosis, vestrae impiae et perversae suggestioni assensum dabimus ut Christum negemus. Justitiae namque rigor et veritatis via flecti non novit, si forti pectore retinetur. » Idipsum sancti Dei Eutychius, Victorinus et beata Flavia virgo affirmabant.

§ **21**. Ad haec satellites Satanae vehementer irati, rem prout erat duci per ordinem pandunt. Saevissimus vero Mamucha terribili furore et irâ succensus, dictavit sententiam, dicens: Placidum, Eutychium, Victorinum, Faustum, Firmatum diaconum

Christianorum, ac virginem Flaviam una cum Christicolis, nostrum prophetam Moloch abominantes, capite caedi jubemus, et corpora eorum inhumata lupis ac canibus et volucribus coeli devoranda relinqui. Nequissimi autem ministri còncito gradu revertentes, ejecerunt Sanctos de custodia, in qua clausi detinebantur, et usque ad litus mari in quo decollandi erant, eos flagellando perduxerunt. Tunc sancti martyres Eutychius, Victorinus et virgo Flavia, cum triginta tribus sociis, flectentes genua, decollati sunt, una cum beatissimo Placido, tertio Nonas Octobris, apud Siciliam, in portu Messanae civitatis. Jacuerunt autem post decollationem corpora eorum juxta mare diebus quatuor.

§ **22**. Post passionem vero beatissimi Placidi martyris et sociorum ejus, Mamucha, impiissimus dux Saracenorum, necdum saturatus de sanguine Sanctorum, quem innocenter effundi fecerat, praecepit ut monasterium illud, quod beatus Placidus aedificaverat, in quo etiam et habitaverat, incenderetur, et a fundamentis everteretur. Sicque factum est, ut per quatuor dies in quibus post decollationem corpora Sanctorum jacuerunt in litore, monasterium omne incensum, et solo tenus eversum est, ita ut etiam fundamenta monasterii Saraceni evellerent, et lapides in mare projicerent *. Interea hoc mare sedatur, ventorum turbines pacificantur, nautis via panditur. Quod crudelissimus dux perspiciens, imperat, ut omnes Saraceni ad mare redirent, quatenus signo dato naves conscenderent. Aurorâ autem quinti diei illucescente, Saraceni cum duce suo Mamucha naves conscendentes, aequoris alta sulcare coeperunt. Prae celsitudinis vero magnitudine, ecclesiam quam intra monasterium suum beatus Placidus in honore sancti Joannis Baptistae aedificaverat, cum esset ampla et alta, Saraceni succendere sive evertere non potuerunt, sed modis omnibus, quibus poterant, polluerunt et profanaverunt; et quicquid pravum vel dici vel cogitari potest, ibidem exercuerunt. Et sicut ante descripsimus, naves conscendentes, quanta instantiâ poterant, navigare coeperunt. Cumque jam in fari medio essent, nam Regium tendere disposuerant, subito tempestas magna exorta est, ita ut nec retro nec ante ultra procedere possent, sed comprehensae a currentibus undis in medio fari, justo Dei judicio centum naves simul cum Saracenis sexdecim millibus octingentis demersae sunt in profundum maris.

§ **23**. Corpora vero sanctorum Martyrum adhuc jacebant in litore, ubi nulla fera, et nulla avis ea tetigit, et pro foetore suavissimum odorem emanabant. Gordianus autem, qui beatum Placidum a Cassinensi coenobio secutus fuerat, quique, ut supra retulimus, tempore captionis ejus fugiens evaserat, qui et

* Triplicem cladem monasterium passum dicitur; hanc primam, secundam anno 669, tertiam sub annum 880. Mirum est templum illud, ut Bollandistae notant, non modo post hanc, sed etiam post binas alias barbarorum irruptiones, superstes fuisse.

requirebat Sanctos noctis tempore, et confortabat dum essent in carcere, tulit corpus beati Placidi martyris, domini sui, et corpora sanctorum Eutychii et Victorini fratrum ejus, ac sanctae virginis Flaviae, sororis illius, et capita eorum jungens corporibus prout potuit, in ecclesia sancti Joannis Baptistae sepelivit, mundans eam prius ab omni Saracenorum immunditia. Nam sola èadem ecclesia, ut supra descripsimus, ex omnibus monasterii aedificiis remanserat. Reliqua vero sanctorum triginta trium martyrum corpora miro odore flagrantia, ibidem ubi decollati fuerant, in arena sepelivit, ubi beneficia sua Jesus Christus, Dominus noster, meritis sanctorum martyrum, Placidi et sociorum ejus intervenientibus, praestare non desinit usque in hodiernum diem. Caeci namque ibidem illuminantur, claudi curantur, surdi auditum recipiunt, leprosi mundantur, daemones effugantur, et omnes infirmi salvantur. Tali modo sanctissimus martyr Domini, Placidus cum sociis suis, diversis tribulationibus et suppliciis agitatus, dealbavit stolam suam in sanguine Agni qui tollit peccata mundi, quem modo sequitur per paradisi amoenitates, insertus Apostolis, quia totum reliquit; Martyribus, quia martyrium pacis et persecutionis in se sustinuit; Confessoribus, quia Christum coram fidelibus et infidelibus confessus est; Virginibus, quia virginitatem cordis et corporis custodivit. His insertus choris, Regem immensum collaudare non cessat, ferens coronam rosis et liliis intextam, cantansque canticum in exultatione et gaudio voce infatigabili et merito. Nam per hunc facta est Cassinensis ecclesia purpurea, quae antea in patris Benedicti operibus extiterat candida, quia primus ex eadem verbo et exemplo plurimis in Christi bello extitit doctor. Hic Benedicti patris temporibus primus contra paganos proelium coepit. Hic inter Christi milites antesignanus. Hic inter persecutionum furentium initia cum ipso infestationis principe et auctore Mamucha congressus, dum inexpugnabili firmitate adversarium vicit, vincendi caeteris viam fecit. Ideoque nunc cum his, qui Agnum sequuntur, canticum novum decantare non cessat. Apud hunc Agnum dignetur pro nobis intervenire, ut maculis omnibus expiatos nos vellere velit induere. Omnes repraesentans eidem quem sequitur Agno, ut quos redemit sanguine suo, non sinat juri subjacere alieno.

§ **24**. Passus est autem beatissimus Placidus, martyr Domini nostri Jesu Christi praecelsus, anno aetatis suae vigesimosexto, cum duobus fratribus suis Eutychio, Victorino et sorore virgine Flavia, Fausto et Firmato diacono, simul ac monachis triginta, sub saevissimo Rege Abdala et duce Mamucha, tertiodecimo anno Justiniani Imperatoris, apud Messanam, Siciliae civitatem, tertio Nonas Octobris, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia secula seculorum, Amen. Dies autem vitae beatissimi martyris

ita numerantur. Oblatus est Deo a patre suo Tertullo patritio, et traditus beato Benedicto, septimo anno aetatis suae; habitavit cum eo apud Sublacum annis quinque; commoratus est in monasterio Cassinensi, quod ipse una cum magistro suo Benedicto et condiscipulo Mauro in proprio rure aedificaverat, annis novem. Construxit in suo patrimonio monasterium apud Siciliam per annos quatuor. Praefuit eidem monasterio anno uno, qui simul fiunt anni sex atque viginti. Natus anno Dominicae incarnationis quintodecimo ac quingentesimo. Martyrio coronatus quadragesimo-primo ac quingentesimo.

§ **25**. Explicitis his, quae ad passionem beatissimi martyris Placidi Sociorumque ejus pertinebant, nunc ejus destructionem restaurationemque coenobii, vel qualia quantaque post ipsius decessum loci incolae sint perpessi, curabo posterorum mandare memoriae, sive ut rei notitia habeatur in promptu, sive ut in eorum multimoda mirabilique erectione, Domini misericordia collaudetur, qui flagellat omnem filium quem recipit, et post lacrymationem et fletum, exultationem inducit. Postquam perversi doli artifex Mamucha cum omni exercitu suo in maris profunda demersus est, et ad Siculorum notitiam pervenisset, qualiter sanctus Domini Placidus cum fratribus et sociis suis martyrium suscepisset, illico ex tota insula innumerabilis turba occurrit, sciscitans qualiter hoc evenisset. A minimo namque usque ad maximum acerrimus fletus omnes tenebat. Messalinus vero et filii ejus, audientes sanctum Domini Placidum martyrio coronatum, scissis vestibus, pulvere asperso capite, ad sepulcrum venerunt. Post haec Messalinus et Pompejus Cilius consilio habito, legatos Cassinum ad patrem Benedictum direxerunt, destinantes epistolam, haec continentem: « Universali monachorum institutori atque doctori Benedicto, servi et filii ejus desolati et destituti pastore, cum subjectione debita obedientiam. Quia nihil paternitati vestrae incognitum esse rectum duximus de his quae apud nos actitata sunt, scire vestram sanctitatem volumus, religiosissimum ac sanctissimum discipulum vestrum Placidum, tertio Nonas Octobris post multa tormentorum genera gladii animadversione migrasse ad Dominum. A duce namque Saracenorum Mamucha, cum fratribus suis Eutychio, Victorino ac sorore virgine Flavia, Fausto, Firmato et monachis triginta captus, post verberum mactationem, suspensionem, fumi administrationem, membrorum omnium tortionem, arteriarum et dentium confractionem, necnon et linguae abscissionem, capite cum omnibus sociis truncatus est. Unde suppliciter vestram paternitatem poscimus, ut ad cortes et possessiones retinendas discipulos mittere dignemini * etc. »

* Fictitiis monumentis hanc ad S. Benedictum epistolam, pleraque alia, quae in hac historia continentur, annumera.

§ **26**. Exhilaratus itaque de sanctis apicibus pater sanctus, palmas ad alta sustollens, gratias egit Redemptori omnium, dicens: « Grates tibi nunc promo, cunctorum Vita salusque, qui fructum labiorum meorum dilectissimum Placidum, singularem et unicum mei pectoris filium, ad tuum fecisti conscendere solium.» Haec pater sanctissimus proclamans, et super beatissimi martyris passionem ultra modum spirituali laetitia congaudens, omnem Cassinensem convocans concionem, talem ad eos protulit orationem: « Sicut patris est gaudere in suorum profectibus filiorum, ita et filiorum est augmentum patris sua lucra reputare. Quapropter noveritis dulcissimum filium meum Placidum, martyriali trabeâ adornatum, migrasse ad Dominum. Jam enim meis interioribus oculis ejus immaculatam hostiam et Deo beneplacentem, deduxi in alta coelorum. Hunc nempe tempore, quo illum a patre suo suscepi, memineram esse mortalem, nec fefellit opinio. Nunc non est, quod conqueratur. Habeo, in quo Deo gratias agam, quia semper optavi ut de fructu cordis mei omnipotenti Deo sacrificium offerretur. Nihil enim hoc sacrificio habui pretiosius, nihil amabilius, nihil carius. Elegit namque Placidus pro Christo momentaneam mortem, et pervenit ad eum in coelesti solio ad dexteram Patris regnantem. Ob id enim Christus pro omnibus mortuus est, ut nos non nobis, sed Christo viveremus. Grates autem omnium Redemptori refero, quia ingratus esse non possum. Congaudendum enim mihi, scilicet quod talem discipulum habuerim, non dolendum, quod amiserim. Nam illud munus fuit, hoc debitum, scilicet quod functus sum famulatu Placidi discipuli mei, quamdiu Deus voluit, et post, qui dedit, recepit. Quod naturae communis fuit, Placidus pro Christo posuit, et quod singularis est gratiae, meruit. Cur autem ego doleam mihi Placidum filium meum ereptum, cum ad salutem nostram Deus filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Quis unquam exceptus est a conditione moriendi, qui non est exceptus a conditione nascendi? Non ergo defleam Placidum filium, quem scio transisse de morte ad vitam. In illius namque morte gaudendum est, non dolendum, quia illam pro veritate et aeterni Regis fide gustavit. Nam cur ergo te, Placide, fili carissime, defleam, qui mihi sic ereptus es, ut omnium esses? non enim perdidisti usum naturae tuae, sed commutasti. Ante, corpore inseparabilis a Deo existens, nunc individuus cum Deo es pèrmanens. Felicia verba quae in te expendi, felices labores quos in te sustinui, dum viveres mecum. Non e Tertulli, patris tui, amor a me divellere potuit, nec ipse mihi unquam patrem praetulisti, quousque ad aeternam vitam migrasti.» Haec et his similia patre Benedicto proloquente, ex consilio totius Cassinensis congregationis quosdam ex discipulis sus ad Siciliam direxit, praecipiens illis eos citius properare ad praedictam

insulam, ad monasterium beati martyris Placidi restaurandum, et cortes ac villas Tertulli patricii gubernandas.

§ 27. Qui praeceptis obsecundantes, dum ad Siciliam pervenerunt, servos beati martyris Placidi evocantes, dixerunt: *Ubi posuistis lumen mundi, et decorem Cassinensis ecclesiae Placidum patris Benedicti discipulum? dicite nobis ubi panis requiei jacet, ubi coelestis Regis abscondita est pecunia;* et multa his similia. Illi autem respondentes dixerunt, illos ad ecclesiam sancti Baptistae Joannis esse, et locum, in quo Placidus Christi testis sepultus jacebat, ostenderunt. Qui, ruentes in terram, cum tremore et gaudio magno, sanctum sepulcrum deosculari coeperunt, exequias, ut ita dicam, agentes quasi quidam Angeli carnei beato martyri Placido, in cujus passione coeli patuerunt, Angeli incubuerunt, homines exultaverunt, terra laetata est. Videntes itaque fratres sepulcrum, in quo Placidus, pater sanctissimus, reconditus erat, cum singultu et lacrymis clamabant, dicentes: «Virorum sanctissime, qui superni Regis vallatus munimine, mundi conculcasti principem, intercede pro nobis ad Dominum, quatenus tuis suffragantibus meritis, per tua vestigia incedere, et coelica gaudia capere valeamus.» Haec et multa alia cum dixissent, quasi corporaliter eum viderent, lacrymis nequaquam parcebant, sine intermissione sanctum deosculantes sepulcrum. Odor enim paradisi suavitate, ut ita dicam, ex sepulcro manabat, irrigabant lacrymis, levigabant ingemiscentes, exosculabantur delectantes. Episcopus namque Messanae civitatis, ubi patris Benedicti discipulos ad monasterium restaurandum et cortes ac possessiones gubernandas venisse comperit, ad eos accedere studuit, salutansque in osculo sancto, dicebat ad eos: «Non passus est Deus opera atque labores patris sanctissimi, Deo dilectissimi, Placidi, perditum iri, sed quasi post transmigrationem Israëlis de Aegypto, restituit filiis Sem, possessam a Chananaeis regionem Palaestinae propriam, quibus propter naturalium filiorum ejus opus, pater eorum haeres mundi, cum juramento confirmavit distributionis testamentum, ut nullo aliquando tempore diriperent invicem possessiones, ut ante cataclismum fecerant, et iniquitatibus et sanguinibus terram contaminarent, ita et super beatissime Placido patre nostro justa retribuens fecit Deus noster, transmittendo fratres ejus et filios ad monasterium gubernandum et restaurandum, et cortes et possessiones illius retinendas. Etenim juxta Scripturam, in multas generationes Deus bona tribuit, qui secundum Mosaicum obitum spiritum Placidi restituit Patri. Siquidem ille audivit: Ascende in montem, et ibi morere. Hic, Exi, inquit, a Cassino Placide. Et post paululum, Siciliae insulam ingrediens, per martyrium carneam transibis vitam atque corruptibilem. Igitur Deus verax est, et impossibile est mentiri Deum. Sic accidit Placido beatissimo patri. Facta

sunt autem haec dispensatione Dei, nam ideo Mamucham crudelissimum Christianorum persecutorem, et violentae vocis ventosum, surreptionem, tempestatem, luctum atque turbationem ad has partes venire permisit, ut Placidus cum fratribus et discipulis suis martyrio coronarentur. Dirumpens igitur vinculum ligaturae corporis suae, per medios fluctus vitae praesentis, volavit in alta coelorum. »

§ **28**. In talibus die decurso, Episcopus cum multitudine populi, quae cum eo venerat, deosculans sanctum sepulcrum, recessit ad sua. Anniversario autem passionis die beati Placidi et sociorum ejus adveniente, turba multa cum cereis et thymiamatibus ad sanctissimi Placidi martyris et sociorum ejus sepulcra convenientes, die noctuque ad ejus honorem persistentes in ecclesia, Domino laudes decantabant, omnes inquam convenientes, a viris usque ad mulieres et infantes, oblationes et vota regaliter comportantes. Oportebat enim sanctam festivitatem celebrare in lumine scientiae, et intellectu splendoris populum adornare. His quoque temporibus beatissimus pater Benedictus plenus virtutibus et sanctitate, feliciter migravit ad Dominum, Anno Verbi incarnati quadragesimosecundo ac quingentesimo *, cum praefuisset in Cassinensis coenobii regimine annis quatuordecim, sepultusque est ibidem ante aram sancti Baptistae Joannis. Huic sanctissimo patri sanctus papa Vigilius per privilegium confirmavit omnes cortes ac possessiones, quas Tertullus patricius in Sicilia ei obtulerat. Id ipsum fecerunt successores ejus, numero 49.

§ **29**. His taliter succincte libatis, quid Gordianus martyris Placidi famulus egerit, opusculo praesenti tradamus. Postquam enim idem Gordianus sanctorum Martyrum corpora tradidit sepulturae, quid faceret, vel quid diceret nesciebat. Dicebat enim intra se: Si hic maneam, nihil ultra proficiam; si ad Cassinum redire voluero, omnino impossibile mihi videtur: scio enim quanta pericula in tanto itinere mihi incumbant. Haec dum secum tacitus volveret, beati Placidi et Sociorum ejus suffragium diebus ac noctibus exorabat attentius. Quarta interea die adveniente, valde diluculo navis Neapolitanorum mercibus onusta, in portu Messanae civitatis devenit, descendentesque nonnulli eorum ad terram, sancti Joannis Baptistae, in qua sanctus Domini martyr Placidus cum Sociis suis sepultus erat, ecclesiam devenerunt. Quos Gordianus adspiciens, post salutationis officia osculatus est, ac deinde percontatus est eos, dicens: « Qui estis, vel unde, et quo tenditis iter? » Tum illi: Neapolitani (inquiunt) sumus, et cursus noster Constantinopolim tendit. Gordianus vero talia ab eis dum verba audisset, gaudio ingenti perfusus est, datoque naulo, in eorum navi conscendit, longissimaque maris itinera cum eis trànsfretans, Constantinopolitanam pervenit ad urbem, in

* Beatiss. Patrem Benedictum ab aliis traditur obiisse anno 543.

quam ingressus, in domo cujusdam potentissimi viri annis quampluribus hospitatus est. Ibique jussu Justiniani Imperatoris enucleatius vitam atque miracula necnon passionem beatissimi martyris Placidi et Sociorum ejus notificare, atque ad posteritatis memoriam Graecis litteris, quibus apprime imbutus fuerat, latius annotare curavit. Illi autem haec audientes, glorificaverunt Deum, utque secum Gordianus in eadem urbe maneret, hortati sunt: quod et fecit. Post aliquanta vero annorum curricula, Gordianus ille valefaciens, passionem martyris Placidi et Sociorum ejus, quam ibidem, ut supra taxavimus, Graecis apicibus exaraverat, apud illos reliquit, ipse vero navem conscendens in Siciliam rediit, atque ad Syracusanam urbem deveniens, pauco illic tempore supervixit, in quo semper pie sancteque vivendo, finem vitae complevit, acquirens sibi regnum aeternum, intercedentibus sanctis Martyribus, quibus fuerat famulatus. Ex die vero, qua sepulta sunt corpora sanctorum martyrum Placidi, Eutychii ac Victorini fratrum, et beatissimae virginis Flaviae sororis eorum, in ecclesia sancti Baptistae Joannis, ultra jam basilica illa sancti Joannis vocata non est, sed in honore Sanctorum qui intus erant sepulti, sancti Placidi ecclesia vocabatur, usque ad tempora scilicet illa, quando Romani Siciliam amiserunt. Omnibus etiam temporibus quibus Saraceni Siciliae dominati sunt, ecclesia ipsa ex beati martyris Placidi nomine vocabatur.

MARTYRIUM

SANCTAE ET GLORIOSAE VIRG. CHARITINAE,

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, APUD LIPOM.

Anno probab. 304 — Forte, Amisi in Ponto.

§ 1. Dominatum aliquo obtinuit impietas, et Imperatores furore concitavit adversus eos qui Christianorum tenebant opinionem. Satellitum autem et ministrorum erat officium, scrutari Christianos; et piis intentabantur minae multiplicium tormentorum. Ad quemdam ergo Comitem generosa quoque defertur virgo Charitina, quod non solum in honore habeat Christianos, sed etiam multos inducat ad suam religionem: quinetiam eos qui opinionem susceperunt Christianorum, tutiores reddat ad suum cultum. Ad eam ergo accedit Comes in spe habitantem, et seorsum secum, et cum Deo versantem. Accedit autem irâ plenus; et statim ei plagas infligit, et ferreum ei collare imponit: et eam

tradit Consulari injustissimo Judici. Ille vero et statim proponit instrumenta suppliciorum; et cum Martyrem curasset sisti ad suum tribunal: Miserere, inquit, tui, antequam periculum facias suppliciorum, sapienti utens consideratione; et diis immortalibus offer sacrificium. Sic enim tria lucrifacies maxima. Nam et deorum potentiam tibi reddes propitiam; et Imperatorum àttrahes benevolentiam; et florentem speciem acribus tormentis non facies flaccescere.

§ **2**. Haec cum audiisset Martyr, ad coelum quidem tollit oculos, quod illinc proficiscitur, evocans auxilium; signo autem Christi munita *: « Es moribus quidem, ait, varius, o Consularis, vaferque et callidus: sed ad nullam utilitatem aperte tibi redibit haec perversitas: neque enim me capies adulans, nec me minans perterrefacies, nec consulens me poteris in aliam traducere sententiam, nec mollire, quod est in me promptum propter Christum patiendi studium. Confido enim in solo et vero Deo. Si mihi ergo credas, miserere potius tui erroris. Consule tibi ea quae sunt utiliora, nempe surda non colere simulacra: de quibus alicubi dixit noster Propheta in spiritu: *Dii, qui coelos et terram non fecerunt, pereant* (*Jer.* x): et Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit. Et rursus: Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Similes eis fiant, qui colunt ea. »

§ **3**. Postquam haec audivit Judex, irâ rursus repletus, jussit quidem ejus capillos radi in superficie. Illud autem factum est, et maximum consecutum est miraculum. Caput enim rursus fuit comatum. Ex quo Judex majore irâ motus, jubet prunas ardentes imponi ejus capiti, deinde etiam acetum ei infundi, dolores sic praebens acriores. Propter quae generosa virgo: « Domine Jesu Christe, dixit, eorum, qui in te fiduciam posuerunt, certum et firmum auxilium, qui tuos sanctos tres pueros in medio flammae ardentis incombustos conservasti, tu quoque nunc mihi adsis, et ad ea, quae propter te suscipiuntur, confirma supplicia, ne quando de me liceat dicere inimicis veritatis: Ubi est Deus eorum? » Post preces autem relaxata fuit Martyr a doloribus, et Deum laudabat, ei agens gratias. Quae quidem statim aegre ferens Consularis, ferreos candentes obeliscos ** jubet infigi uberibus Martyris. Hoc ergo gravi ei illato tormento, carnes quidem ferreis illis obeliscis consumebantur; cordis autem ejus amor in Christum magis accendebatur. Deinde etiam jubet lampades ignis ejus admoveri lateribus. Illa vero etiam dum lampades accendebantur, intentius perseverabat in orationibus. Sed a cruciatu relaxatae vis fiebat, ut diis sacrificaret.

* Quam fuerit antiquis in temporibus usitatum ac solemne inter Christifideles, praesertim quum aliquid magni aggrederentur, se salutifero crucis signo munire, patet ex hoc etiam S. Charitinae exemplo.

** *Obelisci* ferrea erant instrumenta, in acutam cuspidem desinentia, quae, candefacta, in Martyrum carnes paullatim infigebantur.

§ 4. Cum autem et corde et labris in confessione esset immutabilis, Judex, qui aeque, atque ipsa in tormentis constans, ad malum erat obstinatus, jubet lapidem collo ejus alligari, et sic eam dejici in profundum maris. Quod quidem cum factum esset: « Ago tibi gratias, Domine, clamabat Martyr, quod ut per aquam marinam transirem, propter sanctum tuum nomen, tibi visum sit, quo inveniar munda in die resurrectionis: sed tua ostende, ut semper, nunc quoque in me miracula, per quae magnum tuum nomen magis glorificetur in secula seculorum, Amen.» Haec illa sic oravit, et dissoluta sunt vincula, et solus lapis fuit in profundo demersus. Illa autem (o miraculum!) firmo ac stabili pede stabat super dorsum maris, et per aquas, tamquam per terram solidam ingrediens, proficiscebatur ad litus. Interim vero cum vidisset manentem Consularem, et exspectantem, quisnam futurus esset rei exitus, dicit: « Salve, Consularis. Ne nunc quidem intellexisti virtutem Christi, qui in me operatur? An adhuc contendis caecutire, et repugnare veritati? Si ergo, relictis tenebris, ad veram lucem accesseris, tibi procurabis salutem. Quod si persistere velis in prioribus, mihi quidem eris causa multorum bonorum, tuae autem animae interitum conciliabis. » Hanc dicendi libertatem cum non ferret vir execrandus, eo autem, quod in ea acciderat, miraculo esset stupefactus, a se discessit, eumque vox et sermo defecit. Cum autem vix tandem ad se rediisset, nolebat quidem intelligere, dicit autem: « Ut magnam Galilaei putem esse potentiam, persuadent ea quae facta sunt; sed ego conabor ostendere ea potius facta esse praestigiis. » Sic dixit, et in eos qui adstabant, statim oculos conjiciens, jubet eos statim nudare Sanctam, et manibus post tergum vinctis eam rotae alligare, et carbonum cumulum cum ferreis quibusdam secantibus instrumentis substernere, et rotam frequentius circumagere, ut contritis paulatim membris, cum gravi dolore Martyr e vita excederet. Atque machina quidem statim fuit perfecta: supernum autem rursus auxilium solito quoque nunc ostendit. Nam descendens Angelus, et flammam carbonum extinxit, et robur carnificum dissolvit, ut nec rotam quidem possent omnino circumagere.

§ 5. Hinc animo perplexus, et plane ignarus, quid ageret, Praeses, non dubitavit alia excogitare supplicia. Jubet ergo manuum et pedum ungues ei evelli. Et illi quidem protinus fuerunt amputati: tormentum autem ab illa reputabatur, perinde ac si alius pateretur. Ipse autem rursus prioribus alia adjiciens, ei quoque jubet dentes extrahi: sed quomodo Praeses in gravibus inveniendis, ita nec illa in gravibus ferendis suppliciis fuit defatigata. Itaque purum ejus corpus probro afficere cogitavit sceleratus. Et ad ministros conversus: Eam, inquit, accipite, et in excelsum et medium aliquem locum ducite: et praecones euntes

per universam regionem finitimam, ad probrum ei afferendum convocent chorum impudicorum. Postquam autem probro et contumelia satis fuerit affecta, eam ad me reducite, ut ea, quae desunt, ei adjiciam. Martyr autem Christi ei respondit: « Est mihi Christus, qui omnia sola voluntate transmùtat, et solo nutu, qui etiam meam animam hodie suscipiet immaculatam, tuis, o profane, dispersis et dissipatis consiliis. » Haec cum dixisset, manus simul, mentem et oculos in coelum tollens, oravit Deum, quem desiderabat. Postquam autem oravit, cum pace apud eum deposuit animam, sacrificans purum corpus et spiritum ei, propter quem omnia pro nihilo reputabat, melius judicans mori, quam peccare etiam praeter sententiam.

§ **6**. Qui autem etiam post ejus mortem, apud se immortalem volebat alere insaniam, Consularis quid machinatur? Jubet ejus corpus cum multa arena in saccum injici, et projici in profundum maris, non magis illam deinceps crucians, quam Christianos, et volens eos privare divitiis et gloria reliquiarum. Atque sic quidem ad effectum est deductus Consularis jussus; et in undas projectum fuit corpus Martyris. Sed ne tunc quidem tui oblitus est, o Charitina, Deus, qui vicissim glorificat eos qui ipsum glorificant. Nam tunc quoque, ut solet, ostensus est faciens magnalia: et tres quidem totos dies corpus tenuit mare pulcre servatum, et nullo penitus detrimento affectum. Deinde corpus idem, quod communem coluit Dominum, ipsum quoque omnino reveritum, amice tradit propinquae cuidam terrae. Vir autem quidam, cui nomen Claudius, moribus mitis ac moderatus, qui Martyrem aluerat ab ineunte aetate, cum id fideliter sustulisset, et praeclare condiisset, in quodam venerando loco id deposuit, ei raptim constructo sepulcro, non ut illam decebat, sed ut tempus dabat, et eorum, qui tunc rerum potiebantur, praescribebat metus. Hic fuit finis Christi martyris Charitinae, quinto mensis Octobris. In Christo Jesu D. N. Cui gloria et potentia in secula seculorum. Amen.

VITA S. BRUNONIS

CARTHUSIANORUM PATRIARCHAE

PRIMUM AB EGREGIO VIRO ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE PRAESTANTISS., PRIMARIAEQUE CARTHUSIAE PRIORE FRANCISCO DE PUTEO, DEINDE PAULO COPIOSIUS A VENERABILI ET VALDE RELIGIOSO PATRE D. PETRO BLOMEVENNE CARTHUSIAE COLONIEN. PRIORE CONSCRIPTA ET AD EXTREMUM A LAUR. SURIO EX UTROQUE COLLECTA ET REDDITA PARAPHRASTICOS.

Migr. anno 1101 — Nat. Germanus.

§ 1. Beatissimus Bruno, sacri Carthusiani Instituti primus auctor et architectus, natione Germanus, in insigni Colonia Agrippina * parentes habuit et genere et virtute claros, quibus ille, atque adeo toti familiae suae, majorem vitae suae sanctimoniâ attulit splendorem. Ab ipsis autem incunabulis, gratia Dei illum dirigente, semper ad meliora proficere studuit; et cum adhuc puer esset, nihil prae se puerile tulit, sed aetatem morum gravitate vincens, et quasi futurae religionis spècimen quoddam exhibens, multorum monachorum pater et institutor divinitus parabatur. Sortitus vero a Domino est animam bonam, ut Scripturae verbis utamur, praeclaram indolem, illustre ingenium, memoriam tenacem, voluntatem ad optima quaeque consectanda studiose propensam. Itaque missus est Lutetiam Parisiorum, ut illic litteris et disciplinis liberalibus erudiretur. Ubi tantum illè profecit prae caeteris coaetaneis suis, ut inter primos philosophos numeraretur, et scholarum magister effectus sit. Ad sacrae quoque Theologiae studia se conferens, in Theologis doctissimus et celeberrimus habitus est; possuntque ei rei testimonium haud vulgare perhibere scripta ejus, quae extant. Fuit vero etiam Rhemensis ecclesiae canonicus.

§ 2. Per id tempus, cum in hujusmodi optimis studiis versaretur Bruno, Gregorio VII Romano Pontifice sanctissimo, et Henrico III Imperatore, circa annum salutis millesimum octogesimum secundum, Parisiis litterarum studia florebant, et erat illic tum magna turba studiosorum, tum non pauci Doctores insignes. Accidit autem sane horrendum et seculis omnibus memorandum in ea tum urbe spectaculum, quod Carthusianae vitae

* Colonia Agrippina (germ. *Koeln*, gall. *Cologne*), hoc adjuncto ab aliis Coloniis fuit distincta, quod ibi ortum sortita est Agrippina, Neronis mater. Urbis Archiepiscopus, unus erat Electorum Rom. Imperatoris.

instituendae occasionem praebuit, divina id agente providentia, quae multorum voluit consulere saluti. Quidam enim valde celebris Doctor, prae caeteris multa doctrinâ et eximia morum honestate instructus, quantum quidem ex vitae consuetudine homines, qui externa sola intuentur, pectoris arcana videre non possunt, conjicere et existimare possent; tum etiam ante alios illius ipsius doctrinae et probitatis causa honoratus, in gravem morbum incidit, et lecto decumbens, morbo ingravescente, diem clausit extremum, ante tamen more Christiano, ut vir Catholicus, Ecclesiasticis munitus sacramentis. Cumque ei ex recepta apud Christianos consuetudine celebres pararentur exequiae, funeris ejus cohonestandi gratiâ, magistrorum, studiosorum, et civium ingens advènit multitudo: quibus funus ipsum prosequentibus, defuncti exanime corpus in templum, ubi sepulturae mandandum erat, illatum est.

§ 3. Viris autem ecclesiasticis, qui ad id invitati fuerant, solitum officium peragentibus, et preces illas, quas Vigilias defunctorum vocant, recitantibus, ubi ventum est ad eam lectionem, cujus initium est, *Responde mihi:* is, qui erat vitâ functus, in ipso feretro erexit se, et paululum elevato capite, cunctis videntibus et audientibus, et ad tantam rei novitatem non immerito stupentibus, alta et horrenda voce dixit: *Justo Dei judicio accusatus sum:* et his dictis, rursus in feretro deposuit caput. Qui vero ea ejus verba audierunt, et gestus viderunt, non mediocriter perterrefacti, consulte quidem et provide decreverunt sepulturam ejus in diem crastinum differendam, tam inusitatae rei exitum praestolaturi. Altera luce, cum jam facti hujus fama tota urbe esset diffusa, et omnium aures implevisset, ad eam ecclesiam innumera prope hominum utriusque sexus turba confluxit. Tum vero denuo repetìtis exequiis, postquam lectioni supradictae initium recitari coepit, idem defunctus erecto capite, ingenti rursus voce clamat, *Justo Dei judicio judicatus sum:* moxque in feretrum se reponit. Corripiuntur adstantes omnes summa et incredibili admiratione, horrendumque spectaculum stupore afficit universos. Sed quia tamen necdum ea quae hactenus dixerat, se justo Dei judicio et accusatum, et judicatum, apertam habebant damnationis ejus significationem, cum possent etiam in bonam accipi partem, quod primo quidem inique ad Christi tribunal accusatus esset ab eo qui perdere cuncta festìnat, et qui a studio calumniandi diabolus, id est, calumniator recte dictus est, postea vero ab eis calumniis aequissimi judicis sententia vindicatus esset: cunctis visum est, etiam in tertium diem ejus protrahere sepulturam. Eo autem illucescente, tota fere civitas accurrit, tam inusitatum et terribile Dei judicium nosse cupiens. Cumque eodem modo iterarentur exequiarum ritus, et ad lectionem, quam diximus, perventum esset:

Tum rursum exanimus feretro caput extulit alto,
Atque infelicem se contemplando, locutus,
Sic ait immenso luctu, grandique boatu:
Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis.
Heu infelicem cur me genuere parentes?
Ah miser aeternos vado damnatus ad ignes.
Indeque conticuit semper, jacuitque supinus.

§ 4. Ad eam vocem quis tam possit esse ferreo pectore, ut non totus a se discedat? Recte dixit Propheta: *Judicia Dei abyssus multa*. Notus erat vir ille omni plebi, et cum nemo de illo quicquam minus suspicaretur, justo Dei judicio damnatum se dixit. Penetravit illa terribilis vox: *Justo Dei judicio damnatus sum*, ipsas ossium medullas: videbanturque adstantes omnes pene exanimes. Non enim vulgare illis proponebatur exemplum, nec erat illa res lùdicra aut parvi momenti. Damnatum ille se justo Dei judicio clamabat, qui sic inter homines vixisse visus esset, ut ab omnibus sanctus putaretur. Dicebant alii ad alios: Si sic accidit huic tanto viro, tam insigni, quid nos miseri exspectare debemus? Tandem ea tamen omnium fuit sententia, quandoquidem ille palam confessus esset, se justo Dei judicio condemnatum et reprobatum, ut omni Ecclesiae suffragio et ipsa quoque ecclesiastica sepulturâ indignus censeretur, et in loco profano in sterquilinio sepeliretur: quod etiam factum est.

§ 5. Sunt, qui affirment, ob perpetuam hujus expavescendi judicii memoriam, ab eo tempore, in ea, quam toties jam commemoravimus, lectione, omissa esse duo haec verba, RESPONDE MIHI. Fuit sane multis efficax incitamentum ad vitam animumque corrigendum tam inauditum miraculum. Nam et ipse venerabilis Bruno, cum praesens adesset, et suis oculis atque auribus omnia dicta factaque hausisset, nimium formidando obstupefactus exemplo, totus in lacrymas resolutus, acerbe plorabat, cogitans secum divini judicii severitatem, incertum hujus vitae exitum, et quam *horrendum* sit *incidere in manus Dei* viventis (*Hébr*. x). Territus ergo et salubriter compunctus, accersivit ad se nonnullos ex magis familiaribus sociis et discipulis suis, magistrum Lauduinum, qui post eum primus fuit Carthusiae praefectus, sive Prior, duos Stephanos, Burgensem et Diensem, ambos Canonicos sancti Rufi, Hugonem, quem dicebant Capellanum, quod solus inter eos sacerdotio initiatus esset, duos laicos, Andream et Guarinum, qui et ipsi huic spectaculo interfuerant, aitque lacrymabundus ad eos: « Ecce, fratres et amici mei, mihi in Christo unice cari, vidimus per hos dies et audivimus admiranda plane atque stupenda, quae tamen nobis possint magnam adferre utilitatem, si ita, ut par est, defuncti hujus, modis omnibus infelicissimi, non periculum aut casus dubius, sed certissima damnatio

cautos nos faciat, et sollicitos ad placandum Dominum, cujus manum effugere nemo potest. Et quis, obsecro, tam saxeo sit pectore, quem tale exemplum ad agendam poenitentiam non invìtet modo, sed etiam impellat? Aut quis tam lethali pressus sit somno vitiorum, ut deplorati hominis hujus infaustis clamoribus, immo et tonitruis non excitetur et expergefiat ad curandam salutem suam? Novimus hunc virum multa sapientiâ praeditum, moribus ornatum, castum, pudicum, prudentem, ab omnibus honoratum et magno in pretio habitum. At nunc ex ejus ore audivimus, justo eum Dei judicio condemnatum. Qua voce quid possit aut dici, aut fingi terribilius? Quis ad ejus auditum non totus contremiscat? Quid est enim damnatum esse, nisi in ea incidisse mala, quae nulla mens capere, nulla lingua explicare potest? Quae tamen si quandoque finem haberent, possent saltem utcumque videri tolerabilia; jam vero cum sint longe acerbissima, nec ullum unquam etiam post infinitas annorum myriades finem accipiant, non possunt non esse omnium miserrimi et infelicissimi, qui ad ea devolvuntur. Videamus nunc, fratres mei, quid apud inferos prosit ei tam multo labore parta scientia, cum illic sempiterna laboret caecitate et ignorantia? Quid opes et copiae, cum nec una ei suppetat aquae gutta, qua possit aestuantis gehennae ardoribus exustam refrigerare linguam? Quid honores et deliciae, cum tot nunc in omnem aeternitatem cogatur ferre tormenta, quot in mundo habuit oblectamenta? Vidimus corpus ejus cum summa ignominia sepeliri in sterquilinio: cogitemus animam ejus sulphureis semper arsuram flammis, sepultam in inferno, ubi vermis eorum non morietur, nec ignis extinguetur; ubi ignis saevit intolerabilis, foetor cruciat abominabilis, dolor vastat ineffabilis. Cogitemus haec, fratres mei, nec perfunctorie, sed serio cogitemus, et salutari animarum nostrarum amplectendo remedio nobis prospiciamus, ne etiam nos cum illo pereamus. Unicum autem superest remedium, vera poenitentia, cum ipse Salvator dicat: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* (*Lucae* XIII, 5). Plena est Scriptura vocibus, ad poenitentiam hortantibus. Hanc itaque nos amplectamur, fratres carissimi, si volumus justum Dei effugere judicium. Sint nobis lacrymae nostrae panes die ac nocte, et iis diluamus sordes peccatorum nostrorum. Voces illae, quas audivimus, non propter illum editae sunt, qui defunctus est, sed propter nos, ut nobis proficiant, quos adhuc divina patientia longanimiter exspectat. Non differamus, quaeso, vitae correctionem de die in diem, cum nesciamus, *qua hora Dominus noster venturus sit*. Qui enim, ut ait beatissimus pontifex Gregorius, poenitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. »

§ **6**. His verbis compuncti sunt corde omnes illi, et ardenti desiderio cupiebant dare se poenitentiae, sed modum et locum

necdum videbant. Itaque percontanti de his Lauduino, viro docto et pio, sanctus Bruno respondit: « Spectaculum, quod vidimus, quoad nos salubri moerore affecit, quod conturbavit et exterruit nos, et poenae sempiternae formidine adduxit ad poenitentiam, id efficiat in nobis, ut mundum hunc toto pectore contemnamus, et quoad ejus fieri potest, extra illum aufugiamus. Succurrat nobis, quid de se olim dixerit sanctus David, contristatus in exercitatione sua, et conturbatus a voce inimici, et a tribulatione peccatoris; quando cor ejus intra ipsum conturbatum fuit, et formìdo mortis cecidit super eum, timor quoque et tremor venerunt super eum, et contexerunt eum tenebrae, quae omnia, ut nostis, nos quoque experti sumus. *Quis dabit mihi,* inquit, *pennas, sicut columbae, et volabo, et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Fugere nos admonet hominum frequentiam et peccandi occasiones, et dègere in solitudine, quae locus est opportunus agendae poenitentiae, virtutum doctrix, gloriae revelatrix. Eam ergo nos par est studiosissime inquirere, in ea diligentissime commorari, et usque ad supremum vitae diem, extra eam pedem non efferre. Habemus exempla in ipso Salvatore, quem constat saepe deserta expetiisse loca, ut nos ad similia provocaret. Joannes Baptista, quo inter natos mulierum nemo surrexit major, in desertis fuit usque ad diem ostensionis suae. Longum fit, caeteros commemorare homines sanctissimos, qui se in intimas sòlitudines abdiderunt, nihil cum hoc mundo fallacissimo commercii habere volentes. »

§ 7. Inter haec inflammantur eorum animi, et ardent solitariae vitae desiderio: sed cum incertum haberent, quem potissimum locum expeterent, sanctus Bruno aliquem virum bonum et fidelem inquirendum dicit, qui eis locum opportunum indicet. Tum Stephani duo Burgiensis et Diensis, « Non longe, ajunt, a Valentia, cui nostrum sancti Rufi adhaeret monasterium, urbs est Gratianopolis, et in ea beatus Hugo * Episcopus, quem nos saepe vidimus et bene cognitum habemus. Est ille vir sanctissimus, justus ac rectus, et timens Deum, atque in omni virtutum genere probe exercitatus. In ejus dioecesi sunt montes altissimi, et in iis deserta loca per multa, ab omni hominum consuetudine et habitatione separata, atque ea causâ poenitentiae agendae, maxime opportuna. Et cum sanctus Episcopus verbis et exemplis omnes invìtet ad poenitentiam, ubi ad eum venerimus, adventus noster ei erit gratissimus, facietque nos voti compotes. Est enim perhumanus, benignus et clemens. Habebitis autem nos hujus itineris duces, quod nos crebro emensi sumus. »

§ 8. Mox etiam Hugo sacerdos, « Audivi, inquit, et ego multa de viro hoc, quippe cujus fama jam ubique rèdolet; habeoque exploratissimum, eum virum esse sanctum, et animarum saluti

* Vide Sur. Vol. VI, p. 530, § 5.

summopere studentem: nec dubium, quin libentissime nos accepturus sit, et modis omnibus nobis opem allaturus. Et licet ego jam affecta aetate et infirma sim valetudine, viaque haec ardua et difficilis, quando tamen arcta via est, quae ducit ad vitam, nec ulla aetas sera est ad poenitentiam, si statueritis eo proficisci, ego me vobis comitem praebebo: nec quicquam nos separabit, nisi sola mors, Christi charitate perenniter copulatos atque conjunctos.» Eamdem animi alacritatem et promptitudinem exhibuere etiam Andreas et Guarinus, homines laici et idiotae, petieruntque breviter doceri, quo pacto dignos poenitentiae fructus Deo offerrent. Quod cum a beato Brunone factum esset, et quaedam etiam de vitae hujus fragilitate et inconstantia, de mundi vanitate et fallacia, de incerto ab hac vita exitu, de Doctoris recenti damnatione ille commemorasset, ab omnium oculis dulces lacrymarum rivuli dimanarunt; moxque in novam Christi aeterni Regis militiam simul omnes conjurant, rogant omnipotentem Deum, ut ipsos in sancto proposito confirmet, et Angelum suum bonum ad ipsos mittat, qui sit itineris dux, et ad locum suae majestati gratum ipsos perducat. Deinde cum de rebus et facultatibus suis constituissent, et omnia sua recte expedivissent, valedicunt amicis et notis, et sancto eos ducente Spiritu, atque Angelo Domini antecedente, dirigente ac protegente, longo et molesto ac duro itinere ad beatissimum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum se conferunt. In ipso autem itinere ad quemdam magnae religionis eremitam divertunt, ut ab eo tamquam experto, discant de vita solitaria. Ejus autem sermonibus et piis adhortationibus alacriores effecti, majorique amorem in eam vitam inflammati, pergunt ire Gratianopolim *.

§ 9. Per idem autem tempus vidit sanctus Hugo Episcopus in somnis, Deum in ea erèmo, quae Carthusia dicebatur, suae majestati domum exaedificantem, septem quoque stellas colore rùtilo, in orbem dispositas, et a terra paululum sublevatas, ab illis coelestibus situ, motu, colore et splendore discrepantes, itineris ducatum sibi praestantes. Et cum de ea visione cogitaret, septem viri, beatus Bruno cum sex sociis, ad fores palatii adsistunt. Ejus rei meminit vir venerabilis Guigo in Vita, quam scripsit, ejusdem beati viri. Adest, inquit, magister Bruno, vir religione, scientiaque famosus, honestatis et gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum. Habebat autem socios supra memoratos; quaerebant vero locum eremiticae vitae congruum, necdumque repererant. Haec Guigo. Cum ergo nunciatum esset Episcopo, viros septem stare prae foribus, qui cupiant cum ipso còlloqui, confestim eos jubet introduci. Ingressis illis, et ad pedes ejus humiliter prostratis, optatam impertit benedictionem. Cumque ab eo elevati,

* Gratianopolis (a Gratiano Imperatore), gall. *Grenoble*, antiqua Delphinatus metropolis, in Gallia. Ab Allobrogibus, qui eam condidere, *Cularo* vocabatur.

pariter consedissent, causam adventus eorum diligenter inquirit. Sanctus Bruno, quid Parisiis vidissent et audiissent, et quemadmodum ipsi inter se de vita solitaria complectenda sancte conspirassent, exponit, et locum poenitentiae aptum petit ab Episcopo. At ille prae rei novitate primum obstupescit; sed tamen accurate contemplans eorum conversionem, animi constantiam, ardui propositi, pluribus quandoque profuturi, et visioni suae accommodati magnam utilitatem, cum ingenti gaudio eos amplexatur, et non modo libenter, sed etiam reverenter excipit illos, et tractat peramanter ac benigne. Divino quoque spiritu eum docente, intelligit jam visionem, eisque totam commemorat, locumque quem expeterent, sibi jam divinitus demonstratum dicit. Septem enim viros, terrena respuentes, deserta loca inquirentes, et pro coelestium desiderio, studio ac amore, instar stellarum micantes, nihil ambigebat illis, quas viderat, stellis esse designatos.

§ **10**. Itaque volens eos hortari ad perseverantiam, quae sola obtinet aeternae salutis amplissimas coronas, ex Apostolo Paulo locum illum pròtulit, ubi sic ait: *Sancti, quibus dignus non erat mundus, egentes, angustiati, afflicti, circuierunt in melòtis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terrae* (*Heb.* XI). « Horum exempla, inquit, sequi, et in eorum vestigiis insistere, laudabile et valde salutare est, sed difficile, certe, in his praesertim regionibus frigidis, quae non sunt ut Aegyptus et Palaestina. Vobis autem locus divinitus assignatus, est erèmus quaedam in altissimis montibus, quam Carthusiam * vocant, ampla illa quidem, sed prorsus inculta, atque a nemine habitata, solis feris pervia, hominibus vero, et caeteris domesticis animantibus, propter loci asperitatem, pene incognita et inaccessa. Altas et tamquam excisas hinc inde rupes et scopulos, arboresque silvestres et infrugiferas habet; estque supra modum frigida, et magna anni parte nivibus operta. Tum quoque adeo praerupta, sterilis et infructuosa est, ut nihil in ea neque seri, neque meti possit. Ad eam vero etiam accessus et aditus difficilis et periculosus est, propter duas praecelsas rupes, quae cum directe in sublime sese subrigant, in ipso vertice propèmodum coalescere videntur, ita ut introëuntibus et horrori sint, et terrori. In ejus medio fluviolus est, qui ex montibus illis collectus, cum ingenti murmure instar torrentium aut aquarum inundantium decurrit. Et ut multa paucis comprehendam, tanta est ejus erèmi asperitas et horror tantus, ut carceris cujusdam potius, quam humanae habitationis nomen mereatur; nec facile sane videtur, ut quisquam illic absque singulari Dei praepotentis beneficio habitare, aut certe diu perdurare queat. Nostis autem vosipsi, fratres mei, quam turpe et probrosum sit, post missam manum ad aratrum, retro adspicere. Nostis uxorem

* Gallice *Chartreuse*, Ital. *Certosa*.

Lot, ubi respexit, ibi constitisse, et in salis statuam conversam esse, ut suo prudentes condiret exemplo. »

§ **11**. Haec et pleraque alia cum dixisset ille beatissimus antistes, sanctus Bruno respondit : « Revera terribilis est locus iste, reverendissime Pater, et posset sua ista immanitate absterrere nos, si nos huc alio animos accessissemus, quam ut talis nobis detur locus, omnia Christi amore perferre cupientibus. Et licet fragiles nos simus et infirmi sane, at tamen divina freti misericordiâ, qua nos nitimur, et non viribus nostris, plane nobis persuademus, qui nobis praestitit huc veniendi animum et promptam voluntatem, eum quoque perseverandi daturum facultatem. Quamobrem humiliter et obnixe precamur, ne nostrum differas desiderium, neque nos in hac petitione nostra patiaris ferre repulsam. » Cernens vero beatus antistes eorum constantiam, et immotum perseverandi propositum, ita ait ad eos: « Equidem sanctum hoc desiderium vestrum, dilectissimi, et probo valde, et summopere complère appeto, et jamnunc ad locum optatum et ostensum divinitus vos perducam. » Deditque eis erèmum Carthusiae, et quicquid in ea juris et actionis haberet. Promisit etiam, se idem impetraturum ab aliis, qui aliquid sibi in ea juris vendicarent; tum quoque constructurum se domum in ponte, qui est inter eas, quas diximus, rupes duas, ut possent ab ingressu arceri feminae, atque etiam viri arma ferentes; denique prohibiturum illic venationem et piscationem omnem. Post haec complectens eos, flevit super singulos prae gaudio, laudans et benedicens Deum pro illorum adventu; detinuitque eos apud se, et ex itinere fatigatos, pro sua humanitate ad dies aliquot reficiendos curavit.

§ **12**. Iis exactis diebus, ascenderunt in montem, atque incolere coeperunt Carthusiae solitudinem circa solemnitatem nativitatis sancti Joannis Baptistae, anno salutis nostrae millesimo octogesimoquarto, antecedente, comitante, ac dirigente et adjuvante eos in omnibus, res quoque necessarias eis suppeditante beato Hugone Episcopo. Extructa tum ab illis est in editiori montis parte, quae nunc dicitur, *Ad beatam Mariam de Casalibus*, ecclesia, et parva domicilia vel cellulae apud fontem, qui usque in praesens *Fons sancti Brunonis* appellatur, haud procul ab ea ecclesia distantes, sed inter se tamen aliae ab aliis separatae, ne alter alterius quietem et solitudinem interturbaret. Atque in iis cellulis singulis bini fratres degebant, et quemadmodum prisci illi Aegyptii monachi, silentio, orationi, lectioni, cordis puritati, et rerum divinarum contemplationi vacabant, certis etiam horis operi manuum, praesertim conscribendis libris, incumbentes, tum ut suae inopiae consulerent, tum etiam ut ne quam darent occasionem illis, qui quaerunt occasionem, sanctum eorum institutum calumniandi, quod nullam Ecclesiae Dei navarent operam,

sed suis dumtaxat rebus studerent. Solent enim imperiti homines eos otiosos et sanctae Ecclesiae parum utiles existimare, qui ab hominibus separati, soli Deo et sibi dumtaxat vacent. Nesciunt enim id genus, spiritalium rerum ignari et rudes, quantum possint apud Deum efficere preces sanctorum hominum, etiam in abditissimis solitudinibus commorantium, idque ob vitae puritatem et innocentiam, quam facilius tueri possunt, qui extra homines vivunt, quam qui hominum turbis admiscentur, nisi sancta, ut id faciant, eos cogat obedientia, quando etiam ethnicus quidam dicere potuit, se nunquam fuisse inter homines, quin seipso minor rediret. Sed tamen sanctissimi patres nostri, qui Carthusianae vitae prima jecêre fundamenta, nihil tale sibi tribuentes, etiam libris scribendis operam dare voluerunt, et ut sui successores id facerent, hortati sunt, ut saltem manibus verbum Dei praedicarent, quando ore non possent. Sic enim loquuntur statuta Patrum antiquorum.

§ **13**. Itaque his et aliis piis exercitiis sese occupantes, omnem curam suam, ut Psalmista admonet, super Dominum jactabant, nec quicquam de crastino solliciti erant, earum rerum, quae ad diem crastinum pertinerent, cogitatione omni in Dominum rejecta, non ignorantes illud propheticum: *Ego autem mendicus sum et pauper, sed Dominus sollicitus est mei;* cujus est terra et plenitudo ejus, *qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (*Ps.* 39 et 146). Tanta vero in illis charitas inerat, ut alii alios mutuis officiis antevertere conarentur: tantaque humilitas, ut certatim eorum, quae recte fecissent, laudem et gloriam in alios transferre singuli cuperent. Sed ita fiebat, ut dum quisque vult sub alterius umbra delitescere, repercussus virtutum splendor omnes praeclarius illustraret. Erat in cunctis spectata morum gravitas et maturitas, et nihilominus inter tot virtutum ornamenta, horror et contemptus vanitatis omnis, quae, haud secus ac tinea pannos, virtutes et merita omnia exedit. Licebat in eis Angelicam admirari vitam. Vivebant in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei (II. *Cor*. XVI).

§ **14**. Initio quidem, cum in eam solitudinem pervenissent, casas verius, quam cellas, sibi extruxerunt. Inter eos autem degens vir sanctissimus Bruno, et fundamenta Carthusianae religionis jaciens, verbis et exemplis praeclare eos instituebat. Ut enim inter astra sol, sic ille inter alios vitae sanctitate excellere videbatur. In ejus pectore aeterna Patris aeterni sapientia Christus Dominus tamquam in sublimi arce residebat, et Spiritus Sanctus sibi gratissimum condiderat domicilium. Sublimis enim et ardui instituti futurus architectus, singulari debuit coelestis gratiae praerogativâ eminère. Appàret autem sane, etiam ante Carthusiae

habitationem, virum eum fuisse rarae cujusdam probitatis, integritatis, et gravitatis, quod partim testantur ea quae supra dicta sunt, et confirmabunt etiam alia quae dicturi sumus. Inde ergo colligi facile potest, qualem ille se tum praebuerit, cum jam, toto mundo contempto, vitam voluit ducere eremiticam, id est, rebus hujus mundi emortuam, et solis coelestibus inhiantem. Qui enim inter homines degens, et mundi hujus prosperis successibus florens, virtutis studiosus fuit, multo sane praeclarius et sublimius in horrida illa solitudine ita se comparavit, ut non solum virtutis studiosus, sed etiam virtutum omnium eximio splendore ornatus videri jure posset. Nec dubium, quin ab ejus excellenti sanctitate in omnia Carthusiani Instituti monasteria, illustria virtutum dimanarint exempla, quibus effectum sit, ut Carthusianus Ordo hodieque prae caeteris, quod tamen, pace omnium, dictum volumus, priscum illum rigorem suum retinere videatur; non quod nihil de eo remiserit, sed quod non ab eo sic deflexerit, ut magnam aliquam ruinam fecisse censendus sit. Remissae sunt non nihil, paucis tolerabiles abstinentiae illae, sed tamen manet perpetuus piscium esus, multa jejunia, prolixae vigiliae, diuturnae preces, multaque alia carni sane molesta.

§ **15**. Porro beatissimus Hugo Episcopus, cujus sanctitatis fama celebris jam in omnes se regiones effuderat, tametsi eos omnes, qui cum sancto Brunone in Carthusiae erèmo degebant, multo amore et veneratione prosequebatur, at ipsum tamen Brunonem quod in eo majora cèrneret divinae gratiae ornamenta, in tanto honore et reverentia habuit, ut ejus consiliis non aliter, quam praeceptis Abbatis, obtemperaret. Et licet, ut ait in ejus Vita Guigo *, etiam prius divini amoris totus arderet incendiis, non aliter tamen ad disciplinae coelestis exercitia eorum exemplis et familiaritate inferbuit, quam si flammanti quis faci plures circumponat alias ardentes. Eratque cum eis non ut dominus aut Episcopus, sed ut socius et frater humillimus, et ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus, adeo ut vir venerabilis Guilhelmus, Prior tunc Sancti Laurentii, postea Sancti Theofredi Abbas, magistro Brunoni etiam ipse religiosa devotione non mediocriter alligatus, beati Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas) apud magistrum Brunonem non leviter conquereretur, quod pene omnia, ad humilitatem spectantia, intra cellam sibi praeriperet officia, et Episcopus non secum saltem ut socius, sed potius conversaretur ut famulus; non licere sibi, tristis asserens, ex servilibus operibus quicquam attingere, quae juxta morem debebant per vices efficere, eo sibi cuncta praeripiente. Intantum autem erèmum devotus incolebat et sedulus, ut eum magister Bruno nonnunquam exire compelleret, Ite, dicens, ite ad oves vestras, eisque quod

* In Surii aprili, p. 24.

debetis, exsolvite. Volebat etiam eo tempore, magnae paupertatis et humilitatis ardore succensus, equitaturas suas cunctas vendere, et diviso pauperibus pretio, propriis pedibus in praedicatione discurrere. Sed homo profundi cordis magister Bruno non consensit, timens ne apud se forsan extolleretur, aut a caeteris de singularitate judicaretur Episcopis, aut (quod dubium non erat) idipsum propter asperitatem et inaequalitatem consummare non posset itinerum. Ita quidem in beati Hugonis Vita, scribit is, quem diximus, Guigo, gravis imprimis auctor et fide dignissimus. Potest autem ex his perspicue animadverti, quantae auctoritatis et existimationis fuerit beatus Bruno apud tam insignem Episcopum, ut qui ei haud secus, atque suo Abbati, raro eximiae humilitatis exemplo, obedierit, ob ejus proculdubio excellentem sanctitatem et sapientiam. Sunt qui scribant, eumdem Episcopum a beato Brunone Carthusiani Instituti habitum monasticum accepisse. Eo quoque instante et efficiente, circumvicini omnes, tam ecclesiastici, quam nobiles et plebeji, prona voluntate dedere beato Brunoni et fratribus ejus, perspecta eorum tam sancta, honesta et religiosa conversatione, quicquid juris obtinerent in Carthusiae montibus, et intra limites ejus deserti.

§ **16**. Etsi autem beatus Bruno, olim in mundo celebris, jam omni mundi hujus calcata gloriâ, in erèmo latitare, solique Deo ardenti amore ac desiderio inhaerere, gustare quam suavis sit Dominus, atque extra eum prorsus nihil appetere summopere studeret, non potuit tamen usquequaque voto potiri suo. Nam cum non totos sex annos in illa exigua quidem, sed sancta sodalitate exegisset, Pontifex Urbanus II, qui olim beati Viri discipulus fuerat, cum ad illud sublime praecipui honoris fastigium evectus esset, cuperetque tantum munus accurate implere, non immemor egregiae virtutis et illustris doctrinae ejus sui praeceptoris, accivit eum per litteras *, ad sanctae Ecclesiae praestanda officia, graviter praecipiens, ne venire ad Urbem cunctaretur. Illo Pontificis mandato perlecto, ingens dolor invasit fratres et filios ejus omnes, nec admittebant consolationem, protestantes se nullo pacto in ea vasta solitudine posse perdurare, si tanti patris praesentiâ orbarentur; se quidem mansuros si maneret ipse; sin abiret, se pariter abituros. Eorum lacrymis Vir piissimus valde consternatus, et multa commiseratione permotus, cum ipsi quoque acerbissimum videretur post tantam amicae solitudinis quietem, tantam animi tranquillitatem et conscientiae serenitatem ad mundi hujus curas et strepitus revocari, eos blande consolari nitebatur. Sciebat enim scriptum esse: *Qui vos audit, me audit:* item: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.* III): atque ea causâ Pontificis mandatum non aliter accepit, quam coelesti oraculo ad se delatam vocem esset accepturus: aitque ad

* Anno, ut videtur, 1089.

fratres: « Manere vobiscum, mihi, in Domino dilectissimi fratres, gratissimum; separari a vobis, gravissimum: sed mandatis Apostolicis obedire, ut ipsi quoque nostis, necessarium est. Scitis in ejus locum successisse Pontificem, cui dictum est a Christo, *Pasce oves meas*. Non potest ergo numerari in ovibus Christi qui non vult illi parère, cui Christus commisit pascendas oves suas. Ecquid vero mihi prodesse queat, hic vobiscum corpus afficere inediâ et jejuniis, durisque suscepti instituti laboribus et exercitiis atterere, si interim per inobedientiam perdam animam meam? Nolite igitur, fratres mei, importunis hisce lacrymis affligere cor meum, et dolores meos doloribus vestris cumulare: sed in qua vocatione vocati estis, in ea permaneatis, atque in hoc loco perseveretis. Confido autem in Domino, qui per nos humiles sibi habitaculum in hoc deserto construere visus est beato Hugoni Episcopo, quod propositum gratiae suae hoc nostro divortio non patietur in ìrritum rèdigi: sed potius praestabit pro benignitate sua, ut ego in hac tentatione, mihi sane permolesta, obediens et fidelis inventus, ejus auctus benedictione, ad vos laetus revertar. Nec dubitare debetis, etiamsi corpore ad tempus a vobis abero, quin semper vobiscum spiritu sim futurus. »

§ **17**. Haec illo dicente, omnes cum lacrymis elevant vocem, ajuntque ad eum: « Tu es, Pater venerande, post Deum spes nostra, tu refugium nostrum, tu consolatio et consilium nostrum. Te ergo recedente, quid nos facturi sumus? aut te absente, ad quem recurremus? Erimus profecto sicut oves non habentes pastorem. Quamobrem si ad Pontificem te trahit obedientia, tecum nos una trahat superèminens charitas, quae est in Christo Jesu, quam separare et convellere non poterit neque mors, neque vita, neque ulla creatura. » Audiens haec beatus Bruno, cernensque eos nullam admittere consolationem, nec persuadere se illis posse, ut in Charthusia manerent, ne locus ille jam Deo dicatus, ad manus laicas et profanas rursus devolveretur, quod prudenter ille timebat, commendavit et dedit eum venerabili viro Siguino Abbati Casae Dei, qui fuit unus ex primis donatoribus: sed ita tamen id fecit, ut omnino constitueret reverti cum suis ad Carthusiam. Peractis autem omnibus, perceptaque beatissimi Hugonis Episcopi benedictione, urgente Pontificis mandato, Romam profectus est. Potest autem ex his quoque non obscure perspici, quam eximia fuerit virtute praeditus, a quo sic pendebant religiosi fratres illi, ut vitam ipsam prorsus insuavem et molestam sibi putarent, si ejus praesentiâ frustrari ipsos oporteret.

§ **18**. Ubi autem beatus Bruno Romam venit, Pontifex, ejus adventu mire exhilaratus, humanissime eum excepit, quippe quem unice amaret et veneraretur, atque in primis et intimis consiliariis et fidelibus amicis semper eum habuit, ejus consiliis in arduis Ecclesiae negotiis nunquam non utens. Convenerunt autem

ad eum, agente id spiritu Dei, fratres omnes, quos in Carthusia apud se habuerat, et multo dolore affici coepere, ipso vel maxime dolente, quod Carthusiae solitudinem, quam Dominus sibi elegerat, reliquissent. In mentem enim eis veniebant, non carnes, aut cucumeres et pepones, ut illis murmuratoribus Israëlitis in deserto, sed sanctae meditationes, ferventes orationes, studiosae lectiones, et spirituales consolationes, quibus in Carthusiano deserto perfrùiti erant; nec poterant erumpentes cohibere lacrymas, cum cernerent ex tam alta quiete et tranquillo silentio in molestissimos strepitus et varios rerum tumultus se conjectos esse. Sed cum beatus Bruno a Pontifice recedendi copiam necdum impetrare posset, persuasit fratribus, ut ad Carthusiam redirent, obtinuitque a Pontifice litteras ad Abbatem Siguinum, ut Carthusiae erèmum ipsis restitueret. Praefecit quoque eis suo loco Priorem Lauduinum, quo duce, omnes ad Carthusiam reversi sunt. Animadvertit ex his quoque Lector, quis vir fuerit beatus Bruno, quem tanti fecerit ipse totius pastor Ecclesiae, quemque tantum apud se familiaritatis et auctoritatis locum habere voluerit. Nos nolumus exaggerare singula, ne prolixi simus.

§ **19**. Postquam autem fratres cum Lauduino in Carthusiam venêre et Pontificis litteras Siguino Abbati exhibuerunt, fratribus ejus coenobii assentientibus, praesente S. Hugone Gratianopolitano Episcopo, et Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, libere eis desertum Carthusianum remisit, et tum illis, tum successoribus eorum perpetuo tradidit possidendum. Et hae quidem primae fuere Romani Pontificis litterae de Carthusiano Instituto, quae magno sunt documento, ab ipsis Carthusianae Religionis initiis, eam a Sede Apostolica approbatam esse. Ab eo autem die Carthusiana solitudo semper in Carthusianorum ditione permansit, simulque Carthusiana religio usque in praesens illic perdurat. Ubi vero sanctus Bruno, in Pontificis curia degens, fratres illos incolumes ad Carthusiam revertisse, locumque illum obtinere, et tranquilla pace ac quiete frui cognovit, crebro ad eos scripsit, hortans illos, ut in via Domini constanter perseverarent. Verum non defuit in hoc spiritali paradiso tortuosus ille coluber et serpens antiquus. Praesentiens enim jam tunc, quanta ad ipsum reditura essent damna ac detrimenta ex illo praeclaro sublimis et Angelicae vitae instituto, cujus fundamenta tum substruebantur, immodicam illis fratribus pusillanimitatem et perplexitatem injecit, adhibitis ad eam rem, tamquam aptissimis instrumentis, quorumdam malignorum hominum linguis fraudulentis et fallaciosis: qui novitatis eos insimulantes, ajebant illos in mortis discrimen sese conjicere. Et effectum sane est ab illis, ut optimi patres prorsus dubitarent, quidnam agendum ipsis esset, tum propter susceptae vitae austeritatem, tum propter deserti illius

horrorem et vastitatem, in qua, illorum nequam hominum moti sermonibus, in vitae periculum se venturos etiam ipsi jam formidabant. Contra autem non parum verebantur, si inde recederent, se Deum et stellas duces, quas Episcopus Hugo viderat, offensuros. His perplexitatibus aliquandiu bene multum exagitatis illis, ecce benignissimus Deus, qui nunquam deserit sperantes in se, mittit ad eos, his de rebus inter se colloquentes, virum venerabilem, cano capite, crispo capillo: qui ait ad eos: « Perplexi estis, fratres, utrum hoc in loco permanere, vel ex eo excedere debeatis. Sed ego dico vobis verbis omnipotentis Dei, beatissimam Dei Genitricem, Virginem perpetuam, vos in hoc deserto loco conservaturam, si in ejus honorem quotidie legere velitis preces ejus Horarias.» His dictis, repente ab eorum oculis ablatus est. At illi incredibili affecti gaudio, illam sacrosanctam Virginem, cui scirent ejus filium, Regem immortalem omnium seculorum, nihil negare posse, patronam totius Carthusiani Instituti sibi delegerunt, et beatissimum Domini Praecursorem Joannem, patronum. Hominem autem illum, qui eis apparuit, sanctum Apostolum Petrum fuisse inde vel maxime conjiciebant, quod ejus successor Urbanus II in Concilio Claromontensi, beatissimae Matris Dei preces Horarias a toto Clero dicendas instituit. Ex hac autem visione adeo sunt confortati in Domino, ut neque mors, neque vita illos separare posset a charitate Christi.

§ **20**. Cum autem beatus Bruno summo Pontifici ad annos paucos strenuam navasset operam, nec parum Ecclesiae Dei profuisset consilio, prudentia et sapientiâ sua, molestissime interim ferens curiae strepitus et tumultus, quibus posthabitis, optabat semper redire ad tranquillum vitae solitariae portum: tandem ultra ferre non sustinens tanti desiderii flammam, antequam Pontifex e Placentia abiret in Gallias, multa precum instantiâ vix tandem obtinuit ad suam eremum recedendi, aut certe aliam, si sic visum esset, expetendi copiam et facultatem. Per id tempus, annuente eodem Pontifice, electus fuit vir sanctissimus Rhegiensis ecclesiae, quae est prima totius Calabriae metropolis, Archiepiscopus, multusque in eo erat Urbanus Pontifex, ut eum in ea dignitate confirmaret; sed non ignorans ille, quot periculis, quot curis et molestiis ejusmodi Ecclesiasticae functiones obnoxiae sint, noluit electioni praebere assensum: neque id pertinaciter tamen, sed modeste et humiliter, solo quietis amore, servata erga Pontificem obedientiâ et submissione, et erga proximos charitate. Tandem cum bona venia et benedictione Pontificis a curia discedens, Calabriae deserta loca expetiit, adjunctis sibi aliquot ejusdem propositi viris, quos jam vitae ejus odor bonus et ferventes exhortationes ad mundi contemptum adduxerant. Didicerat enim in Calabriae regione multas esse solitudines, agendae poenitentiae et vitae solitariae consectandae aptissimas. Maluisset ille

quidem, quod etiam crebro apud se constituerat, redire in Carthusiam ad fratres carissimos, quos eo remiserat: sed quia summus Pontifex cum sua curia proficiscebatur in Galliam, in cujus finibus Carthusia sita est, verebatur, si ipse quoque eo se conferret, ne aut curiam declinare non posset, aut illam non reliquisse, sed sequi videretur. Potius igitur visum est Calabriam petere, nihil interim mutata voluntate suos in Carthusia revisendi, compositis sedatisque rebus. Satis hoc declarant litterae, quas ex Calabriae solitudine fratribus in Carthusia degentibus scripsit, in quarum calce sic habet: « De me autem, fratres, scitote, quoniam unicum mihi post Deum est desiderium veniendi ad vos et videndi, et quando potero, opere adimplebo, Deo adjuvante. »

§ **21**. In ipsa autem Calabria venit ad quamdam erèmum, cui Turris nomen est, in dioecesi Squillacensi; ibique non cellas alicujus pretii, quod sumptus non suppeterent, sed casas humiles ex vili quidem materia, sed in Christo pretiosa, aedificarunt. Quanta autem vitae integritate et sanctitate cum suis illic versatus sit, quibus vacaverit pietatis et religionis exercitiis, quis verbis explicare queat? Potest quidem id aliqua ex parte innotescere ex epistola, quam vir sanctus scripsit ad Radulphum Rhemensis Ecclesiae tunc Praepositum, postea Episcopum, ubi inter caetera ait: « In finibus Calabriae cum fratribus religiosis, et aliquot bene eruditis, qui in excubiis persistentes divinis, exspectant reditum Domini sui, ut cum pulsaverit, confestim aperiant ei, erèmum incolo, ab hominum habitatione satis undique remotam. De cujus amoenitate, aërisque temperie et sospitate, vel planitie ampla e grata, inter montes in longum porrecta, ubi sunt virentia prata et florida pascua, quid dignum dicam? Aut collium undique leniter se erigentium prospectum, opacarumque vallium recessum, cum amabili fluminum, rivorum, fontiumque copia, quis sufficienter èxplicet? Nec irrigui desunt horti, diversarumque arborum fertilitas. Verum quid his diutius immoror? Alia quippe sunt oblectamenta viri prudentis, gratiora et utiliora valde, quia divina. Verumtamen arctiori disciplina studiisque spiritalibus animus infirmior fatigatus, saepius his relevatur ac respirat. Arcus enim, si assidue sit tensus, remissior est, et minus ad officium aptus. Quid vero solitudo eremique silentium, amatoribus suis utilitatis jucunditatisque conferat, norunt hi solum qui experti sunt. Hic namque viris strenuis tam in se redire licet, quam libet, et habitare secum, virtutumque germina instanter excolere, atque de paradisi feliciter fructibus uti. Hic oculus ille conquiritur, cujus sereno intuitu vulneratus sponsus amore, quo mundo et puro conspicitur Deus. Hic otium celebratur negotiosum, et in quieta pausatur actione. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam,

pacem videlicet, quam ignorat mundus, et gaudium in Spiritu Sancto. Haec est illa Rachel formosa, pulcra adspectu, a Jacob plus dilecta, minus filiorum ferax, quam Lia fecundior, sed lippa. Pauciores enim sunt contemplationis, quam actionis, filii. Verumtamen Joseph et Benjamin plus sunt caeteris fratribus a patre dilecti. Haec pars illa optima, quam Maria elegit, quae non auferetur. Haec Sunamitis pulcherrima, sola in omnibus finibus Israël reperta, quae David foveret senem, et calefaceret. » Haec in illis litteris scribit vir sanctus, e quibus in ejus eximiam praedicationem multa peti possent, sed nos ad alia transimus.

§ 22. Postquam in ea Turrensi erèmo beatus Bruno primum habitare coepit cum sociis, accidit, Deo id efficiente, ut quodam die Rogerius, Comes Calabriae, cum non parvo suorum grege et multa canum frequentiâ in eàdem solitudine venationi incumbens, ad eum locum, quem sibi incolendum sumpserant servi Dei, totius rei nescius * perveniret. Ubi cum canes sagaciter diversa ferarum vestigia explorarent, ad casas, in quibus beatus Bruno cum fratribus commorabatur, accurrerunt, atque illic fixis pedibus, magno latratu indicabant domino suo, opimam se reperisse praedam. Comes, id conspicatus, ocyus cum suis àdvolat, offendit Patres illos in speluncis suis flexis genibus, erectisque in coelum vultibus ac manibus simul orantes, et laudantes Deum. Tum ille magna admiratione repletus, ab equo, cui insidebat, dèsilit, pie et comiter illos salutat; qua causâ eo advenerint, et quae eorum sit conditio, accurate perquirit. Postquam ex eis didicit omnia, impense laetatus est, laudans et glorificans Deum, qui tali ipsum praedâ dignum judicasset. Persuadebat enim sibi, neque id temere, se terramque suam eorum meritis et precibus apud Deum, adjutum et in pace conservatum iri. Atque ea causâ, ut possent illic quietius vivere et diutius permanere, dedit eis ecclesiam sanctae Mariae et beati Stephani de erèmo. Ubi sane etiam crebro eos invisit, et res vitae degendae necessarias eis tribuit, et ea, quae ad salutem animae pertinerent, libenter ab eis audivit. Ipsum vero beatum Brunonem, aliorum pastorem et patrem, non solum prae caeteris arctius complectebatur, sed etiam saepius ad se evocabat, multamque ei praestans reverentiam, semper eum primo loco habuit in domo sua, ejusque consiliis libenter parebat, et precibus, quibus plurimum fidebat, perpetuo sese commendabat: nec eum fefellit opinio. Ejus enim beati viri meritis Dominus a praesentissimo periculo et structis ei periculis illum liberavit: id quod Comes ipse in Dei gloriam, et ob divulgandam ubique sancti Brunonis sanctitatem, litteris suis testatum reliquit in haec verba: « Ego Rogerius, divina misericordiâ Comes Calabriae et Siciliae, nota esse volo

* Nescium Brunonis, et suorum Monachorum in eo loco adventus esse Rogerium non potuisse, diserte ostendit Bollandus in *Comment. praev.*

omnibus fidelibus Christianis beneficia, quae mihi peccatori concessit Deus orationibus reverendi mei fratris Brunonis, piissimi patris fratrum, qui habitant in ecclesiis Sanctae Mariae de Erèmo, et Sancti Stephani protomartyris, quae sitae sunt in terra mea inter oppidum, quod dicitur Stilum et Arenam. Cum essem in obsidione Capuae, Calendis Martii, et praefecissem Sergium, natione Graecum, principem super ducentos armigeros nationis suae, et exercitus excubiarum magistrum; qui satanica persuasione praeventus, prius ipsi principi Capuae, promittenti auri non modicam quantitatem, ad invadendum me meumque exercitum, noctu aditum pollicitus est se praebere. Nox proditionis advenit, princeps Capuae ejusque exercitus juxta promissum est paratus ad arma. Dumque me sopori dedissem, interjecto aliquanto noctis spatio, adstitit cubili meo quidam senex reverendi vultus, vestibus scissis, non valens lacrymas continere. Cui cum in visu dicerem, quae causa ploratus et lacrymarum esset, visus est mihi durius lacrymari. Iterato quaerenti mihi, quis esset ploratus, sic ait: Fleo animas Christianorum, teque cum illis simul. Exsurge quam primum, sume arma, si liberare te Deus permiserit, tuorumque animas pugnatorum. Hic mihi per totum videbatur, velut si esset per omnia venerabilis pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi, pro visione pavescens. Illico sumpsi arma, clamans militibus, ut armati equos conscenderent, visionem si vera esset, satagens comprobare. Ad quem strepitum et clangorem fugientes impius Sergius ejusque sequaces, subsecuti sunt principem Capuae, sperantes se in dictam civitatem confugium habuisse. Ceperunt autem milites, inter vulneratos et sanos, centum sexagintaduos, a quibus visionem fore veram comprobavimus. Reversus sum, Deo volente, vicesimanona Julii mensis Squillacium, perhabita Capuae civitate, ubi fui per quindenam continuam infirmatus. Venit vero jam dictus venerabilis Bruno cum quatuor de fratribus suis, qui me suis sanctis devotisque colloquiis consolati sunt. Cui reverendo viro visionem retuli, et humiles gratias egi, qui de me etiam absente suis in orationibus curam habuisset. Qui se humiliter asseruit non ipsum fore, quem credidi, sed Dei Angelum, qui adstat Principi tempore belli. Rogavi quoque ipsum humiliter, ut propterea de rebus meis in terra Squillacensi sumere dignaretur largos redditus, quos donabam. Renuens ille, recipere nolle dicebat, quod ad hoc domum sui patris meamque dimiserat, ut omnino de rebus extraneis liber, deserviret Deo suo. Hic fuerat in tota domo mea, quasi primus et magnus. Tandem vix ab eo impetrare potuit, ut gratis acquiesceret sumere modicum munus meum. Donavi enim eidem patri Brunoni ejusque successoribus ad habendum in perpetuum absque temporali servitio monasterium S. Jacobi cum castro, et

quamplura, res et bona alia, cum amplissimis libertatibus, in dictis litteris specifice declaratis. » Haec Comes ille.

§ **23**. Hac autem Comitis liberalitate et donatione fretus beatus Bruno, condidit ibi primo ecclesiam in honorem Matris Dei apud specum quamdam subterraneam, in qua ipse morabatur. Deinde extruxit etiam alteram, haud procul ab illa distantem, in honorem sancti protomartyris Stephani, cum monasterio illi conjuncto, in quo caeteri fratres habitabant, sub cura et gubernatione tanti patris Christo militantes. Cum quibus vir sanctus usque ad diem vitae extremum in ea perseveravit vivendi ratione et vitae asperitate, quam antea in Carthusia coeperat et docuerat: interim etiam sollicite curam eorum gerens, qui in Carthusiae erèmo degebant, praefecto eis, ut ante diximus, magistro Lauduino. Qui quidem vir venerabilis, ne a vestigiis et institutis tanti patris et praeceptoris sui deflecteret, neve aliter suos institueret, quam ab illo cum sociis fratribus didicisset, iter longissimum suscepit ad ipsam usque Calabriae erèmum, singula accuratius ex illo percontaturus. Sed cum a sanctissimo viro rediret, in manus Giberti schismatici incidit, et cum non posset a sententia deduci, pro justitiae defensione in custodia detentus est: unde paulo post dimissus, non multo interjecto tempore, impollutum Christo spiritum reddidit.

§ **24**. Incidit vero etiam beatissimus pater Bruno in gravissimam valetudinem, morboque augmenta capessente, quemadmodum sese habuerit, fratres et filii ejus his verbis in scripto quodam explicant: « Ut sciatis, quanta fiduciâ, quam certa spe liberationis ejus, preces fundatis, transitum illius brevi titulo innotescimus, ut in sancta viri consummatione, veritatem et perfectionem transactae vitae colligat. Sciens enim, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, convocatis fratribus suis, ab ipsa infantia singulas aetates suas replicavit, et totius temporis sui cursum, scientiâ et sententiâ dignum, proclamavit. Postea fidem suam de Trinitate, protracto et profundo sermone exposuit, et conclusit sic: « Credo etiam Sacramenta, quae sancta credit et veneratur Ecclesia, et nominatim panem et vinum, quae consecrantur in altari, post consecrationem verum corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram carnem et verum sanguinem, quae et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, et in spe salutis aeternae. » Proximo inde Dominico die, sancta illa anima, carne soluta est, pridie Nonas Octobris, anno Christi millesimo centesimo primo, corpusque ejus fratres illic honorifice condiderunt *. Ad ejus sepulcrum hujusmodi epitaphium appositum est:

* S. Brunonis nomine, anno 1611, Agrippinae Coloniae multa edita sunt Opera, videlicet: Commentarios duos, alterum in Psalmos, alterum in omnes S. Pauli Apost. Epistolas una cum nonnullis Opusculis seu Tractatibus Sermonumque collectione. Optandum sane foret, ut Opera haec omnium fidelium, ac maxime Sacerdotum in manibus assidue versarentur.

Primus in hac, Christi fundator ovilis, eremo
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Germania, meque
Transtulit ad Càlabros grata quies nèmoris.
Doctor eram, praeco Christi, vir notus in orbe,
Desuper illud erat, gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit,
Ossa manent tumulo, spiritus astra petit.

§ **25**. Ejus autem sanctissimam vitam mortemque pretiosam consecuta sunt multa miracula, quae ob ejus praeclara merita Christus effecit. Post obitum ejus et sepulturam, fratres monasterii ejus chartas miserunt, ut habet consuetudo, in diversas provincias, atque in ipsam quoque Britanniam, quibus et ejus e vita decessum significarunt, et ut preces pro sancta illius anima Domino offerrentur, petierunt. Sciebant enim non esse justum, qui non peccet. Et primo quidem fratres et discipuli ejus, deinde etiam alii, qui eum noverant, quibusque cognita erat ejus eximia eruditio et vitae sanctimonia, testimonium de iis vel prosa, vel carmine, in iis chartis adscripsere. Quae omnia commemorare si vellimus, nimium prolixi erimus; si praetermittere omnia tot gravissimorum hominum testimonia, ingratitudinis et impudentiae notam non effugiemus, praesertim quando ex iis eximia beati viri sanctitas non obscure potest animadverti. Et expedit sane non ignorari ea quae annotaturi sumus, vel ob id potissimum quod quidam inepti et insulsi homines, et sibi et aliis persuadere ausi sunt, hunc beatum virum eum esse doctorem, quem nos in hujus historiae initio damnatum esse diximus: quod quidem vanissimum est, nescio, cujus somniatoris commentum, cum satis constet, illum damnatum doctorem beatissimo Brunoni et sociis ejus occasionem praebuisse de vita sanctius instituenda serio cogitandi, et relictis omnibus hujus mundi rebus, in horridam solitudinem commigrandi *...

§ **26**. Multa insuper extant(quae tamen brevitatis causâ silentio praeterivimus) clarissimorum virorum et insignium collegiorum et personarum praeclara testimonia, quae abunde, ni fallor, sufficiunt ad ostendendam beatissimi patris Brunonis excellentem doctrinam, morum honestatem, et vitae sanctimoniam, etiamsi nulla ejus miracula extarent. Atqui vero multis etiam miraculis claruisse legitur, sed ea tamen, quod sine dolore commemorare non possum, non eâ diligentiâ, quâ par erat, annotata sunt ; aut si annotata sunt, alterius Instituti monachis, ejus monasterium occupantibus, primo quidem negligentius custodita, deinde vero

* Carthusianorum Institutorem per totum ejus Ordinem Officio et Missâ recoli concessit anno MDXIV, Leo Pp. Decimus. Ad Universam Ecclesiam cultum ritu semidupl. extendit Gregorius XV. Ritu dupl. celebrandum decrevit Clemens Pp. X.

E Sacri corporis reliquiis (tradit Guerinius in suo Giry aucto, asservari in Magna Delphinatûs Carthusia, mandibulae particulam cum duobus dentibus, e Neapolitanae Carthusiae Priore dono transmissam.

etiam perdita sunt. Sepultus est Vir praestantissimus in monasterio suo S. Stephani post summum altare. Ad ejus sepulcrum fons vivus prorumpit, qui Christi virtute et ejus meritis multivaria adfert permultis remedia sanitatis. Illuminantur illic caeci, surdi audiunt, manci et mutili redintegrantur, leprosi mundantur, daemoniaci ocyus repurgantur. Sed his omnibus miraculis illud admirabilius est, quod sicut toties repetunt jam allata testimonia, gloriam et honorem omnem respuere, et in tanta vitae austeritate, integritate et perfectione perseverare potuit.

§ **27**. Non debet autem cuiquam scrupum movere, si fons ille jam non cernatur ad beati Viri sepulcrum. Fontes enim miraculose ebullientes, non semper perpetui sunt: et interdum propter hominum demerita, ejusmodi Dei beneficia subtrahuntur. Fiunt enim miracula divinitus, ut commendentur et declarentur merita sanctorum; quae ubi satis innotuisse videntur, cessant nonnunquam miracula. Nec valde mirandum est, si fons ille ablatus est, exsulante ab ejus monasterio sanctissima illa vivendi ratione, quam illic Vir sanctissimus instituerat. Cum enim obdormiisset in Domino, in Carthusianae vitae Instituto perseveravit illud monasterium sub quinque Prioribus, qui ei successerunt, usque ad tempora venerabilis Guigonis Prioris Carthusiae. Inde in Gallia crescente Ordine Carthusiensi, solum illud Calabriae monasterium a beati patris Brunonis fervore et sanctitate tepescendo degeneravit. Et petebant quidem ejus habitatores a Carthusia visitatores et reformatores, sed nimia locorum intercapedo non facile id obtinebat. Itaque ad Cisterciense Institutum illi se transtulere, quod tum recens ortum, et incomparabilis Viri beati Bernardi Abbatis Claravallensis insigni sanctitate, multoque labore mirifice propagatum, in magno fervore durabat. Ad illud autem tempus in Carthusianae religionis professione permanserat illud monasterium annos sexaginta. Sed Cisterciensi quoque religione successu temporis ibi tepescente, tandem monasterium sancti Brunonis factum est commendatitium usque ad haec sanctissimi pontificis Leonis X tempora *.

§ **28**. Is Pontifex, cum multorum relatione de eximia beati Brunonis sanctitate crebro audisset, omissa miraculorum inquisitione, indignum arbitratus est, eum, quem praepotens Deus in hac vita tot auxisset donis et charismatibus, et nunc coelesti afficeret beatitudine, in terris non eximia laude et praedicatione efferri, nec debita piae devotionis officia persolvi apud thronum divinae gloriae quiescenti, cui dedisset Dominus cor ad praeceptum et legem vitae et disciplinae. Itaque non modo auctoritate Apostolica clementer annuit, sed etiam voluit, ut in singulis monasteriis totius Ordinis Carthusiensis, et earum ecclesiis sive

* Leo X Ordini Carthusianorum, Turritanum monasterium restitui jussit, anno 1513; cultumque ecclesiasticum ei deferri posse permisit, anno sequenti, vivo vocis oraculo, ut videtur.

sacellis, festum sanctissimi Brunonis Confessoris annis singulis die sexto Octobris, quo decessit e vita, solemniter colatur, et congrua debitaque devotione celebretur; ipsius etiam corpus atque memoria, dignam in Domino laudem habeat ac venerationem; conveniens etiam officium in honore ipsius agatur et decantetur, necnon quotidie in divino officio de eo commemoratio fiat. Domum praeterea sancti Stephani, quam beatus Bruno in Calabria condiderat, et in qua sacrum ejus corpus quiescit, idem Pontifex a Cisterciensibus ad Carthusianos revocavit, anno salutis millesimo quingentesimo decimo quarto, ut deinceps illic Carthusiano more et instituto vivatur.

§ **29**. Cum autem haec res ageretur, Prior Carthusiae Neapolitanae, cui ejus urgendae et promovendae negotium datum erat, exhibuit reverendo patri domino Francisco, magnae Carthusiae Priori, partem mandibulae cum duobus dentibus sancti Brunonis, aitque, Abbates Sancti Stephani, ubi, ut dictum est, sacrum corpus beati Brunonis quiescit, tanta cura illius sacras reliquias semper asservasse, veriti ne Carthusiani eas repeterent, ut ossibus in diversa occulta loca repositis, iisdemque locis crebro mutatis, nemo praeter Abbatem et alium virum fide dignum, quicquam de illis comperti habuerit. Porro anno Christi millesimo quingentesimo decimo quarto sacra illa ossa translata sunt, et ei translationi interfuit dominus Matthaeus Prior Bononiensis Carthusiae. Is sacrum illius caput, ne cum ossibus altari imponeretur, manibus tenebat, turbisque amantissimi patroni sanctis reliquiis se privatum iri reformidantibus, ita satisfecit: « Oportet, inquit, sacrum caput ab ossibus segregatum, auro, argento et lapidibus pretiosis ornari. » His verbis vulgo suspicionem omnem àdimens, summi Pontificis speciali permissu partem quamdam de capite detraxit, aliisque inde communicavit, praesertim venerabili patri Gregorio Priori Friburgensi, qui per domos provinciae Rhenanae, cujus erat Visitator, particulas distribuit anno 1515. Et quia sanctus Bruno patriam habuit Coloniam Agrippinam, idem dominus Matthaeus ejus capitis parvam portionem donavit domino Petro Leidensi, Carthusiae Coloniensis Priori, cui munus illud fuit longe gratissimum, quique domum reversus, anno 1516 donum pretiosissimum in ecclesia Carthusiae Coloniensis, die tertia Augusti, reverenter deposuit.

§ **30**. Ipsum vero beatissimi Brunonis sacrum corpus transtulit Joannes Abbas Sancti Rufi, anno, ut dictum, 1514, imposuitque ecclesiae Sancti Stephani summae arae, ex candido marmore extructae. Ab hoc monasterio ad passus mille quingentos abest specus valde religiosa, inter montes angusto loco sita, nemoribus cincta, quae illius vallis extrema claudunt, prorsusque devia et hominibus inaccessa sunt. Supra hanc specum conditum est haud grande sacellum cum altari, ubi titulus habetur sancti Brunonis

Coloniensis magistri, Erèmi Sanctae Mariae de Turri Ordinis Carthusiensis institutoris primi, cujus etiam imago illic picta cernitur. In hac specu ille Vir Dei ab eo tempore, quo primum illuc venit, usque ad obitum incredibili spiritus fervore permansit. Porro in argumentum et commendationem sanctitatis ejus, usque in hodiernum diem locus ille, in quo post excessus contemplationum defessa membra nudae humo allidebat, nunquam herbam gignit ad mensuram corporis ejus, cum tamen circumquaque herbescat. Hoc tam illustre miraculum omnes loci ejus accolae constantissime assevèrant. Est praeterea illic ad lapidis jactum, ecclesia beatissimae Mariae, a Comite Rogerio constructa pro servo Dei, magistro Brunone, et magistro Launino Nortmanno, ejus socio. Ad haec loca populorum catervae, senes et pueri, viri ac feminae, nobiles et plebeji, principes et magnates, ob sanctissimi Brunonis venerationem et piam erga illum animi devotionem, atque etiam ob impetranda ejus beneficia, perinde acsi degat in humanis, eum animis contemplantes, certatim confluunt, reverenter accedunt, venerantur et orant. Praecipue vero specum illam, in qua fere solus semper Deo serviebat, tanta reverentiâ, fide et affectu frequentant, ut complures non nisi nudis pedibus a jam dicto monasterio eo accedere conspiciantur. Alii genibus reptando, sacram illam specum terram et saxa ex animi pietate lingunt, et lacrymabundi circumeunt; atque de ipsa specu quippiam abradunt, pro magnis reliquiis habituri, sicque àlacres ad sua abscedunt. Nec quisquam sane verbis explicare queat, quanta animi devotione et studio virum sanctissimum prosequantur Calabriae Episcopi, Abbates, Praelati, religiosi, itemque Principes, Comites, barones et plebs universa. Denique non longe a supradicto monasterio nemus amplissimum est, quod Folo vocant, a viro Dei non nisi instaurando monasterio deputatum. Quod si quis temerarius contra hanc ejus voluntatem venire ausus sit, quemadmodum fama apud omnes Calabros longo usu firmata testatur, divinam ultionem non evadit, faciente et hoc et permulta alia, ad declarandam fidelissimi Servi sui sanctitatem, praepotente Deo, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM

SANCTORUM SERGII ET BACCHI

AUCTORE SIMEONE METAPHR. APUD LIPOMANUM

Sub fin. sec. III — Patriâ Rom.

§ 1. Cum Maximianus tyrannus imperaret, et universus fere orbis terrae jaceret in profundis tenebris ignorantiae, lapidesque et ligna cogerentur homines adorare tamquam deos, et maxime execranda (proh dolor!) gustare sacrificia, Sergius et Bacchus, ambo Romani genere, in Christum confessione et fide, non secus ac lucidae stellae, tunc refulgebant in regia. Non erant autem plebeji, nec obscuri: sed Sergius quidem erat primicerius scholae Centiliorum *, secundicerius autem hujus Bacchus: qui multum quidem poterant apud imperatorem Maximianum, majorem autem sibi paraverant fiduciam apud Regem et Deum immortalem, ut qui tabernaculum quidem et incolatum, et exsilium, et si quid aliud est his vilius, hanc vitam existimarent. Cum essent autem boni mercatores suae salutis, et, quae est in futuro, vitam compararent per praesentia, veluti quamdam artem ad illam acquirendam, divinas exercebant Scripturas, et eas semper habebant prae manibus. Quocirca haec non potuit tolerare invidia: et cum quidam alii, tum alias quoque virtutes, tum apud ipsum Imperatorem fiduciam, viris praeclaris inviderent, apud illumipsum eorum fiduciae auctorem, nempe Imperatorem, eos accusant: quod illius quidem contempserunt amicitiam, deorumque cultum quoque neglexerunt: jam autem ad aliam declinarunt religionem, se Christianos et Dei servos vocantes.

§ 2. Maximianus autem, etiamsi sciret, quod saepe multi calumniae invidiam causam habent, non veritatem, maxime autem cum non ignoraret, quanta esset eorum in ipsum benevolentia: quinetiam animo versaret suam saevitiam et acerbitatem (eâ enim vel maxime aliis contendebat antecellere), et quod si forte deorum benevolentiam, et illius amicitiam statuissent despicere, periculum quidem certe timuissent; existimaretque esse non probabilia, sed falsa, quae dicebantur: ea tamen admittenda non esse citra examinationem, ut consentaneum erat, considerabat. Quid ergo facit? Cum splendidum et magnificum parasset sacrificium: et quicumque erant clari et illustres, in templum convenire, et sacrificii

* Librariorum error, pro *Gentilium*. Gentiles a Romanis vocabantur, qui, ab ipsis alias *barbari* nuncupati, pro Romano imperio militabant. Gentilium scholae sive turmae palatii imperialis custodiae potissimum destinatae erant. *Primicerius* appellabatur, qui inter ipsos locum primum possidebat; *secundicerius*, qui secundum.

cum eo esse participes prius jussisset, rem deinceps examinare constituit. Atque ipse quidem primus ingreditur: simul autem cum eo ingreditur etiam magna multitudo, et erat universa in templo congregata. Et alii quidem diligenter peragebant sacrificium, et praesentem observabant Maximianum; Sergius vero et Bacchus, viri generosissimi, ne templi quidem portam ingressi, foris stabant alicubi, ipsi Deo potius purum et verum peragentes sacrificium, et pro aliis rogantes. « Domine, Domine, dicebant, Deus Rex singulorum, exaudi vocem orationis nostrae, et propitius esto haereditati tuae. Parce, Domine, et ne eos dederis ad gloriandum adversario. Sed illumina, Domine, illumina oculos cordium eorum, et eos deduc ad tui agnitionem, qui nunc in tenebris ambulant ignorantiae, et mutaverunt gloriam tuam, qui es solus Deus, et alienus ab interitu, in similitudinem bestiarum, quadrupedum, et serpentium, et a te defecerunt, et sacrificarunt eorum sculptilibus, et nomen sanctum tuum contemptui habuerunt. Converte eos, Domine, et cognoscant mirabilia tua, et unigenitum tuum filium, et Salvatorem nostrum, qui voluntaria Cruce et morte nostram procuravit salutem. Porro autem nos quoque conserva alienos a reprehensione in via testimoniorum tuorum, et in custodia tuorum mandatorum. » Atque quidem foris stantes extra portas templi, haec precabantur, et sic Deum placabant.

§ **3**. Maximianus interea templum ingressus, cum huc et illuc circumspexisset, solos vero illos, Sergium et Bacchum, non vidisset in templo adesse cum aliis, tunc id, quod fiebat, statuit aperte probare eam quae in ipsos intendebatur, accusationem; protinusque exarsit consueta illius saevitia, feritas et ira: et, Quid cunctamini? dixit iis qui adstabant; et frequenter repetiit illud; Ducantur execrandi, cum jussu terribili. Ducuntur ergo Martyres cum iisdem vestibus, tunicis, et zonis, una lingua versantes illam dulcem precationem. Deinde Imperator principis extollens supercilium, superbeque et torve eos intuens: « Videmini, inquit, non in tempore mea esse abusi fiducia, et propter hanc qua in vos usi sumus, benevolentiam nos magnae damnasse stultitiae, et contra nostram insurrexisse potentiam, et impii quidem esse in deos ipsos, ingrati autem in nos et injusti. Sed nisi sacrificaveritis, et deos, et nos simul placaveritis, ego meae satis medebor querelae; et vos statim aperte scietis, summa benignitate et mansuetudine frui nolentes, qualem meam in vos iram nuper movistis.» Haec cum viri illi praeclari audiissent, et cognovissent se jam omnino manifestos evasisse Imperatori, et non oportere amplius celare pietatem, et occasionem praeterire, sed potius quam possunt maxime publicare, et pro ipsa magnam afferre fiduciam et dicendi libertatem, libera animâ et linguâ Christum Deum verum sunt confessi: simulacra autem eorum deos, et humanarum manuum opera, spiritu carentia et surda,

manifeste ostenderunt : « Dii vestri (*dicentes*) argentum et aurum, opera manuum hominum : » et subjungentes ea quae deinceps sequuntur : et, « Nos, o Imperator, hoc solum tibi debemus, ut in hac terrena militia tibi grato animo inserviamus, et quod utrique mandatum fuit munus, impleamus. Neque vero his surdis et inanimis diis sacrificabimus, neque a nostro et vero Deo solo deficiemus, etiamsi supra modum effereris, etiamsi in nos nullam ostendas humanitatem : sed et ferro, et igni, et aliis tradideris suppliciis. Quid est enim pietate fortius, aut, quam pro ipsa pati, beatius ? »

§ **4**. His vehementius motus Maximianus, jubet eis quidem statim auferri insignia magistratus : muliebribus autem vestibus indutos, et collaribus ferreis simul in collo circumdatos, per mediam duci civitatem usque ad ipsam regiam. Atque statim quidem ducebantur Sancti ad beatam illam, quae vere est, viam, et quae ducit ad ipsum Christum, non eam rem existimantes esse dèdecus: sed tamquam impietatem dedècore magis afficerent, aperte gloriantes, et sibi placentes. Et ingrediebantur quidem pedes, labra autem versabantur in gratiarum actione, et cum Deo consuetudine et precatione. Dicebant enim : « Etiamsi ambulaverimus in medio umbrae mortis, non timebimus mala : quoniam tu nobiscum es, Domine. Propterea exultabit anima nostra in te : quoniam induisti nos vestimento salutaris, et tunica laetitiae circumdedisti nos. Sed exsurge, Domine, in adjutorium nostrum : et redime nos propter nomen tuum (*Ps*. 22). » Nondum finitae erant preces, et producti fuerunt coram Imperatore, qui e templo redierat in regiam. Ille ergo cum assentationem cum consueta contemperasset saevitia, et vellet simul lenire pudorem quo affecti erant, ut videbatur, ex hac eis illata ignominia: « Grave est, et valde grave, o vos, qui adestis, dicebat, maximos honores tam leviter et inconsiderate prodere. Solent enim ea quae immeritis feliciter succedunt, stultos non tam incitare ad benevolentiam, quam erigere ad temeritatem adversus benefactores. Isti enim, ut videtis, magnam apud nos gloriam consecuti, nostramque adepti amicitiam, et maximam fiduciam, et nobiscum loquendi potestatem, adeo ut non solum ipsi primas partes ferrent in familiaritate, sed alios quoque nobis possent facere familiares, beatosque brevi reddere, et suspiciendos, horum omnium obliti, postremo maximis quoque diis, et ipso Jove contempto, qui omnium quidem opifex, omnium autem deorum et hominum pater esse dicitur, Jesum praetulerunt, qui dicitur fuisse filiusmulieris, et fabri, et ad Crucem cum duobus maleficis fuit damnatus a Judaeis, et subiit mortem revera acerbissimam. Sed ego sum omnino causa omnium, qui, cum vellem esse supra modum benignus, eos feci amicos et socios felicitatis. »

§ **5**. Cum hanc tam vehementem intendisset orationem, eos rursus blandis verbis conans illicere, eosque benigne ac amice

intuens: « Sed si iidem, inquit, nunc quoque estis Sergius et Bacchus, neque vestram mentem invidus occaecavit daemon, revereamini magnam auctoritatem, revereamini puram et non falsam amicitiam, neque conspiciamini vos in deos tam impie gerere, novam et insolitam inducentes religionem, et in eorum cultu a nobis dissidentes, quos oportet etiam usque ad ipsam mortem in amicitia nobiscum conspirare. Nam ego quidem cum gravioribus uti possem suppliciis, et tyrannice vobis, o amici, vim inferre (adhuc enim consueta utar appellatione): attamen, o dii, revereor amicitiam, et propterea retardo cruciatus, et vim lubens differo. » Haec cum audiissent viri egregii, scite, placite et plane dixerunt: « Quod tuae quidem non simus obliti amicitiae, nec fuerimus ingrati in tua beneficia et honores: sed te et amemus, si ullum alium, et dominum existimemus, et tu sis nobis omnia, signum est manifestum, quod et fideliter hucusque servivimus, et tecum diligenter rempublicam sustinuimus, neque ulla in re, nec parva, nec magna, conspecti sumus ingrati, neque aliquid prodidimus, aut neglerimus eorum quae oportet. Nos ergo nec ingrati animi criminis, aut contemptionis amicitiae jure possumus accusari: neque quod a te propter odium dissideamus, o benignissime Imperator. Sed nos disjunxit ipse vanus error cultus simulacrorum, et quod tu in certum ac manifestum incidas interitum, et nos quoque cogas in idem deturbari periculum. Nam quamdiu quidem agebatur de sola mundana militia, nos nihil praetermisimus eorum quae oportet. Tu ipse nobis feres testimonium, nos in nulla re, quae esset expedienda, ullius socordiae aut negligentiae unquam fuisse damnatos, sed in iis rebus nobis fuisse acrem zelum. Et rursus quaecumque de more Christianorum peregimus, iis Deum quoque pro viribus vobis reddidimus propitium. Quoniam autem ipsum quoque bonorum caput, nempe pietatem, nobis contendis adimere, et Deo nos privare; quod est damnum extremum, et quod pia non possit ferre anima, et propterea honores et laudes nobis revocas in memoriam, quomodo te boni et honesti ignarum non jure dixerimus, quod et ea, ut quodammodo praestantioris nobis facias optionem, inter se invicem omnino confers, pietatem, inquam, in Deum, et humanam amicitiam et gloriam, quae aeque ac aqua praeterfluit? Quomodo autem hac in re tecum conveniemus, et non contra, amicitiam et honorem, et si quid sit aliud majus, negabimus? Quomodo autem non tu magis ingrati in Deum animi criminis convinceris, qui idipsum tibi, quod et sis, et respires, praebuit? Qui cum careat principio, verbo effecit, ut coelum et terra consisterent: et hominem propriis manibus est fabricatus, et honoravit eum immortalitate, et eorum quae sunt in terra, veluti quemdam Regem constituit, id quod est omnium pulcherrimum, nempe Paradisum, ei attribuens. Caeterum ne nobis succenseas, o

Imperator, si oratio longiorem factura sit narrationem. Et Deus quidem fuit, ut dixi, tam munificus in beneficiis in hominem conferendis. Ille autem invidiâ seductus, et voluptate (hei mihi!) inescatus, misere omnino ab iis excidit: et qui prius censebatur beatus, conspectus est miserabilis, et lacrymis dignus propter calamitatem. Qui itaque nos finxit et fabricatus est Deus, cum benignis rursus oculis vidisset opus suarum manuum, Deum esse non mutans, quod quidem erat, factus est propter nos, citra peccatum, id quod nos. Cumque crucem et mortem sua sponte subiisset, et superiorem inimicum nostro genere prostravit, et nobis ab illa acerba servatis calamitate, benigne priorem reddidit libertatem: et unde excidimus propter inobedientiam, illuc nos reduxit propter suam clementiam. Eum autem, qui propter te talia passus fuerat, idque cum esset Deus, et te tantis rebus dignum censuerat (communis est enim hominibus, sicut prius interitus, ita nunc libertas), tu ipsum contemnens, et crucem illius ridens, quomodo non es longe ingratissimus? Scias ergo nos non futuros tibi socios ingrati animi crimine, neque nostrum benefactorem et verum Deum esse negaturos. Quae autem a te proferuntur, o Imperator, sive sint bona, sive difficilia, et vel ipsam mortem inferentia, sunt aeque a nobis propter Christum despicienda, et a nobis non curanda. »

§ **6**. His adeo opportune et jucunde dictis a Martyribus, Maximianus quidem fuit irâ motus, et volebat acerbe punire Sanctos. Rursus autem cunctabatur, et differebat aggredi, respiciens eorum splendorem, et non volens talium virorum facere jacturam. Verebatur enim, ne cruciati, cum veritatem in medio multorum libere essent elocuti, deinde permanerent omnino immobiles. Eos itaque statuit transmittere ad Antiochum Ducem Orientis, ut qui omnium qui erant in ejus potestate, esset crudelissimus, et vel solo nomine posset eos perterrere: et quod propter majoris honoris desiderium, ille Maximianum observandi curam gerens, a nullis abstinebit machinis, quo eos oppùgnet, et ad suam traducat sententiam. Praeterea ut et longum iter et ignominiosum tam intensam relaxaret constantiam, et eos sensim a pietate dimoveret, et maxime quod ipse quoque Antiochus erat eis prius subjectus, apud quem erant sistendi, et a quo judicandi. Id enim maxime tangit animum eorum qui sunt honesto loco nati, quod qui prius parebant, eis postea imperent, et eis utantur, tamquam subjectis, qui non multo ante fuerant eorum domini et benefactores. Consecutus namque fuerat hunc Ducatus magistratum Antiochus ipsius admirabilis Sergii intercessione. Sed revera nihil videtur tam facile marcescere, atque beneficium in animo ingrato plantatum. Is enim non solum apparuit minime esse recordatus beneficii, ut procedens ostendet oratio; sed perinde ac ab illis summa affectus injuriâ, eos tractavit, et eis gravia intulit supplicia. Atque

mittebantur quidem ad eum Sancti, vincti gravi catenâ. Ad eum autem scripta erat etiam epistola ab Imperatore, quae sic habebat: « Deorum maxima providentiâ, omnes quidem homines, maxime autem mei imperii satellites et stipatores, in illos esse pios, et iis rursus, quos illi dignos censuerunt imperio, vult obedire, et in eos esse grato animo. Propterea hunc Sergium et Bacchum, qui in deos quidem apparuerunt impii, et se Christianorum adjunxisse religioni, convicti sunt autem criminis ingrati in me animi, et jam nostro tribunali, et nostra examinatione judicati sunt indigni, sub tutissima custodia et vinculis ad tuam transmisimus constantiam. Si ergo poenitentiâ ducti, diis sacrificaverint, solvantur ab eis impositis vinculis, et digni censeantur honore et benevolentiâ. Revocabuntur enim rursus a nostra potentia, recipientque priores honores, aut etiam majores, eruntque deinceps in loco et ordine eis convenienti. Sin autem immobiliter priori haereant sententiae, legum subjecti sint austeritati, ipsaque essentia et vitâ ense priventur cum aliis. Vale. »

§ 7. Cum has litteras et sanctos viros accepissent milites, viam sunt ingressi. Quidam autem ex famulis, et simili zelo in pietatem, et in dominos victi benevolentiâ, eos quoque sunt secuti, quasi non corpora solum legi, sed etiam animas volentes Deo servire. Qui etiam audierunt Sanctos inter se colloquentes, et dicentes, quod nocte, qua egressi sunt e civitate Romanorum *, divina quaedam appàrens visio jussit eos confidere, et bono esse animo ad certamen, et alacriter ìngredi bonum iter propter Christum. Quamobrem etsi essent ferrea illa vincti catena, citra molestiam et cum voluptate psallebant: *In via testimoniorum tuorum delectati sumus, Domine, tamquam in omnibus divitiis. In justificationibus tuis meditati sumus, et legis tuae non sumus obliti. In mandatis tuis meditabimur, et exquiremus vias tuas. Vivemus, et custodiemus sermones tuos* (*Ps.* 118). Cum ergo totum illud iter citra laborem confecissent, diversantur in quadam civitate nomine Barbaleso, prope regionem Limitaneorum **. Quo in loco cum Dux versaretur Antiochus, ante eum sunt producti, laeti quidem et vultu àlacri, animi autem nobilitatem liberalibus ostendentes moribus. Eorum itaque, qui ipsos circumsistebant, oculi erant omnes in eos conjecti; nec facile desistebant, sed firmo et intento obtutu eos adspiciebant; erantque ipsi theatro jucundum quoddam spectaculum.

§ 8. Cum eos ergo vidisset Dux quomodo se haberent, et deinde etiam legisset litteras Imperatoris, tacitus apud se admirabatur, et eo rursus contemplabatur, magnum quid esse et novum existimans, quod ad tantam processissent animi magnitudinem, ut et supplicia, et minas, et gloriam, et ipsum, etiam

* Roma an sit aut Constantinopolis ignoratur.
** Idest, eorum qui Romani imperii limitibus erant contermini.

despicerent Imperatorem, immo mortem quoque minimi facerent. Accersito autem Commentariensi: Accipe, inquit, hos vinctos, et in custodia quidem serva tutissima; nihil autem grave aut molestum sustinentes: eos enim reservo examinationi. Atque ii quidem jussu Ducis in tuta inclusi custodia, cum venisset vespera, seipsos dederunt orationi. Peractis autem precibus, cum ad somnum essent conversi, eis apparens Angelus, soli quidem formâ similis, et ex ipsa quoque veste laetum splendorem emittens: « Confidite, eis dixit, servi Christi, et nolite timere: sed state firmi et stabiles in Domini nostri Jesu Christi confessione. Ipse enim est vobiscum, defensor vester. » Ille quidem haec dixit. Illi autem cum e somno fuissent excitati, et inter se, et famulis, qui cum eis versabantur, angelicam illam narrarunt visionem. Et cum essent illorum animi rursus repleti fiduciâ, laeti psallebant singuli: *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: et exaudivit me,* etc. (*Psalm.* 119).

§ **9**. Statim ergo summo mane Dux quidem sedebat in excelso tribunali: ei autem assistebat universa quoque caterva militaris. Cum ergo accersivisset Sanctos e custodia, jubet legi litteras eis audientibus. Quod cum factum esset: « Oportebat quidem, inquit, vos, parentes jussui gloriosi Imperatoris, diis sacrificare, et non illius humanitatem ad iram provocare. Quoniam autem nescio quid factum sit, ut et illum ad iram provocaveritis, et a tanta gloria excideritis, et illas profundas amiseritis divitias; at nunc saltem nobis velitis obedire, vobis consulentibus ea quae sunt conducibilia. Sic enim priore longe majorem gloriam, et majores opes, et alia bona apud Imperatorem consequimini. Quid enim est grave, si quod non potuistis prius intelligere, sive forte fortuna, seu aliquo alio casu, nunc cum diligentius consideraveritis, id quod oportet, accurate eligatis? Est enim multo levius, peccare propter ignorantiam, quam ubi agnoveris, perseverare in deterioribus, et non transire ad id quod est melius. Nam illud quidem est peccatum ignorantiae, hoc autem malae mentis, et quae sunt mala, sua sponte eligentis. Nam ego quidem valde accendor, et aliam vestram reputans amicitiam, et recordans ejus, quod a vobis accepi, beneficii, et maxime a te, domine mi, Sergi, per quem hunc mihi paravi magistratum. Sed nescio quid agam, cum fortuna res sic administraverit, ut ego quidem hodie sedeam judex: vos autem, tamquam rei, stetis ante meum tribunal, reddituri rationem vestrae in deos ipsos invictos impietatis, et pium Imperatorem inobedientiae. »

§ **10**. Sic ergo et his allicientibus verbis Antiochus conveniebat Sanctos, et amice quodammodo eos alloquebatur consulens, et bona, ut videbatur, eis suggerens, quo sibi Imperatoris benevolentiam compararet. Sciebat enim, quantus esset illius

amor in eos, et quod plurimi faceret tales viros non amittere: hoc cum ex multis aliis conjectans, tum ex hoc, quod eos nullo voluerit tormento subjicere, sed per hanc solam ignominiosam ad illum missionem studeret eos in contrariam traducere sententiam, utpote quod ad haec excogitanda Maximianus esset vaferrimus et ingeniosissimus. Sed his quidem blandis et pellicientibus verbis prius conabatur eos illicere Antiochus. Deinde conatus est etiam terrore eos a scopo traducere et constantia. « Si enim meis, dicens, non parueritis adhortationibus, erit mihi omnino necesse facere, quae sunt imperata : et me, tamquam inimicum, gerere in vestram magnificentiam. » Et post haec multus fuit in enumerandis nominibus tormentorum, et minis intentandis. Sed sancti Martyres, neque blanditiis emolliti, neque minis dejecti : « Iis, dixerunt, qui Christum solum, o Judex, et quae apud ipsum absconsa est, vitam lucrari statuerint, nihil est curae ex iis quae fluunt et intereunt, non honor, non gloria, non potentia, non aliquid aliud eorum quae aut demulcère possunt, aut molestiâ afficere. Nos enim et tuas minas, et blanditias ex aequo contemnimus. Cessa ergo tu quoque, sicut serpens, nobis mala consulere. Videmus enim virus sub tuis labris: et ideo consilium tuum tamquam graves aversamur insidias. Ne ergo fallaris, tempus frustra consùmens, et a vana spe pendens; neque enim puniens expugnabis, neque minans persuadebis, ut viventem quidem Deum relinquamus, daemonibus autem surdis et nullo sensu praeditis offeramus sacrificium. Nobis enim et propter Christum vivere, est bonum; et propter ipsum rursus mori, lucrum. Tu autem nihil tale potueris dicere de tuis simulacris. Vere enim sunt *argentum et aurum, opera manuum hominum*, quae nihil possunt prodesse iis qui in ipsis suam collocarunt fiduciam. Similes ergo eis fiant ii qui ipsa colunt, et omnes qui confidunt in eis. »

§ **11**. Cum ergo Dux vidisset eos tam aperte locutos, tantaque esse praeditos libertate et animi magnitudine; et intellexisset fieri non posse, ut verbis eis persuadèret, processit ad periculum per tormenta faciendum: et beatum quidem Sergium in tutissimam tradidit custodiam, pro accepto beneficio eum sic remunerans: Bacchum autem a quatuor fortiter extensum, boum nervis jussit caedi crudeliter. Sed licebat videre mentem longe naturâ fortiorem, et animi institutum vi quavis corporis excelsius. Nam sanctissimi quidem illius corporis partes avulsae flagellis, disjiciebantur in ipsum aërem; per terram autem ferebantur rivi sanguinis: et viscera quidem nudabantur carnibus, ipsius naturae formationem aperientia iis qui aderant: anima autem, quae ipsa quoque athletam festinabat relinquere, sustinebat tamen, etiam plura requirens supplicia, ut omnino munificentiora assequeretur bravia. Laetabantur Angeli, videntes

admirabilem Martyris constantiam. Cruciabantur daemones, quod parta de eis victoriâ, in conspectu omnium quodammodo duceretur in triumphum. Lictores fessi, humi accumbebant. Martyrem autem videns, dixisses eum ita esse affectum, ut non tam flagris caesus, quam vernis floribus conspersus videretur. Tandem per voces coelestes vocatus est ad beatum locum quietis, animâ deposita in manus opificis. Martyricum autem illius corpus a bestiis quidem devorandum exposuit ille Judex iniquus. Ignorabat autem, qualem curam gerat eorum qui ipsum diligunt, illius Deus, qui etiam ferarum naturam scit traducere ad mansuetudinem, et per illas adhuc majora facere miracula. Ferae enim revèritae certamina, quae pro pietate ab eo erant suscepta, non solum nullum ex ejus membris omnino tangere sustinuerunt: sed etiam, dum ad sepulcrum ferretur a Christianis, eum sequebantur fungentes munere satellitum, et Dei hostes aperte arguentes amentiae. Sic ergo inclytus Bacchus ea quae cupiebat, assecutus, ad coelestia transiit habitacula.

§ **12**. Sergius autem socius ejus relictus, et molestiâ distrahebatur propter separationem, et rursus laetitiâ propter exspectationem. Sed non despexit eum aegre ferentem separationem dulcis ejus amicus et familiaris : sed laeto vultu divinus Bacchus, et consueto habitu militari noctu ei appàrens, cum amicum convenisset, et eum implevisset audaciâ, et ejus discussit tristitiam, animique aegritudinem, et firmiorem fortioremque reddidit ad supplicia. Die autem sequenti, Dux, rursus sedens in tribunali, cum beatum curasset produci Sergium, leoninam pellem exuens versipellis, induit pellem vulpis. Et cum in eum quamdam finxisset benevolentiam, ad fidem faciendam aliquid accommodatum ostendens, quod scilicet illum magistratum ex eo nactus esset, eum blanditiis evocabat ad sacrificandum, perfectam et absolutam a Christo separationem ei volens reddere pro beneficio, stultus, sic quoque sensim eum alloquens: « Pudet me veteris illius felicitatis, et beneficiorum, quae in me contulisti, amicissime Sergi, nec te quidem amplius fero intueri sic reum stantem pro nostro tribunali, qui sum minimus, si cum tuo conferar splendore, tuaeque amicitiae et potentiae opera sum praesentem assecutus magistratum. » Ille quidem haec callide dicebat, hoc solum machinans, ut eum omnino blandis verbis illiceret, et fraudulenter ad eamdem deduceret religionem. Ille autem: « Sed si me, inquit, velis nunc quoque in maximis bonis accipere benefactorem, prompto et alacri animo tibi ac in re inserviam. Nam cum te liberavero ab hac profunda deceptione, adducam ad lucem veritatis, et Regi immortali reddam familiarem. »

§ **13**. Non lubenter audiit ea quae dicebantur, homo qui assuefactus erat interitui: sed statim Sergium gravius et severius adspiciens: « Ne deos, inquit, blasphemes immortales. » Martyr

autem acrius utens dicendi libertate, totum faciebat contrarium; et illius deos afficiebat probris ac contumeliis, et eos solum nomina vocabat re carentia; eos vero, qui illos adorabant et colebant, ostendebat multo minore sensu esse praeditos, quam surdos illos deos. Dux autem postquam vidit Sergium et blanditiis, et minis esse superiorem, et nihil remittentem de loquendi libertate, illam statim ementitam exuens amicitiam et personam, aperte ostendit id quod erat: et, « magna mea, inquit, mansuetudo, et haec in te importuna benignitas, ad arrogantiam te extulerunt, et sic in nosipsos, et deos magnos provocarunt. Sed dedisces (sat scio) superbiam, et obliviscèris tuae arrogantiae, et cognosces teipsum non esse rerum communium amplius intercessorem, neque posse plurimum apud Imperatorem, sed esse damnatum et vinctum, et si quod aliud malum sequitur eos qui ita sentiunt. » Et statim a praesidio Surorum Dux proficiscens in civitatem Rosaphorum *, efficit ut calceetur athleta crepidis, ferreis clavis confixis: et conscendens vehiculum, coëgit Sanctum ita pedibus affectum, ante ipsum currere ad septuaginta stadia usque ad Tetrapyrgiam. Atque quicumque quidem videbant sanguinem e pedibus defluentem, eis plane admirari veniebat in mentem, et athletae stupère tolerantiam. Martyri autem spes eorum quae exspectabantur, erant guttae consolationis quae cadebant e coelo et levabant dolorum gravitatem. Et citra molestiam pergebat iter ingredi, et haec psallebat cum laetitia: *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi. Et exaudivit deprecationem meam, et eduxit me de lacu afflictionis, et e luto faecis. Et statuit in latitudine pedes meos, et direxit gressus meos* (*Ps.* 39).

§ **11**. Postquam autem jam pervenisset Tetrapyrgiam, ipsum quidem excepit custodia, Duce ita jubente: illum autem urgentes curae Reipublicae tenuerunt occupatum. Cum autem jam esset vesper, Martyr relictus solus in custodia, psallebat: *Qui comedebant panes meos, magnificarunt super me supplantationem. Et funes extenderunt laqueum pedibus meis, et cogitaverunt supplantare gressus meos. Sed tu, Domine, praeveni, et supplanta eos: et libera ab impiis animam meam: et de manu canis unicam meam* (*Ps.* 40). Quare nec consolationis expertem ejus animam rursus despexit is, qui e superis ei nectebat coronas, sed et multam se ejus curam gerere ostendit, et Angelum ei misit media nocte: qui, cum prius illius animam jucunde recreasset, et deinde etiam corpus curasset, et pedes, qui male se habebant, sanasset, et tamquam cum quodam amico et concive suo amicissime esset locutus, et eum amplexus, longe alacriorem reddidit ad certamen. Mane ergo sedens Dux in tribunali, jubet quibusdam ex iis

* Sive Asapham in Comagèna Syriae Provincia; quae urbs a S. Sergii martyrio et celebritate Sergiòpolis nomen est deinde sortita.

qui adstabant, ut sanctum tollentes e custodia (neque enim putabat fieri posse prae plagis, ut uteretur pedibus), ad suum deferant tribùnal. Cum illi autem accessissent in custodiam, statim fuit Martyr, ut aquila, renovatus, non ablata senectute, sed omnibus vulneribus. Neque enim opus habuit manu quae eum sustineret, aut ei omnino opem ferret ad ingrediendum: sed et leviter ingrediebatur, et pulcre movebatur, et erat revera testis fide dignus invictae et omnipotentis Christi virtutis. Cum enim sic affectum Dux adspexisset eminus, apud se mirabatur tacitus. Cum autem jam prope esset, eam rem vocabat magiam; et deos jurabat, et eos vocabat in testimonium eorum quae dicebat. Quid est enim aliud, ajebat, quod et apud Imperatorem ei prius tantam praebuit fiduciam, et nunc statim sopiit et obtùdit acres dolores vulnerum, nisi apertâ magia, et verba, quae ut plurimum curiose et sophistice incantantur? Exhinc jam de Sergio spem abjiciebat; et cum eum curasset quam proxime sistendum, si forte familiaritate eum sic alliceret, placide eum àlloquens, et ad priorem revertens assentationem: « Rem quamdam, ajebat, arbitror divinam et incredibilem, quod in multis deliciis, et divitiis, et honestis moribus educatus, tam fortiter tuleris hoc tam grave tormentum. » Sed ejus sermonem statim interrumpens Martyr: « Non sunt mihi, inquit, o Judex, tormentum praesentia, sed sacra propter Christum pompa, et festum celebre, me ad ipsum coelum jucundissime transmittens. » Dux itaque adhuc magis desperans, Sanctum transmittit in custodiam. Ipse autem interim operam dabat mensarum lautitiae, et laetitiae, ut qui non solum irae et crudelitatis, sed etiam voluptatis vellet esse servus.

§ **15**. Cum autem viam rursus esset ingressurus, et ad Rosaphorum contenderet praesidium, ad quod tendens, a Suris profectus fuerat, athletam rursus prioribus calceatum crepidis, a Tetrapyrgia duxit usque ad Rosapha. Quum autem cum eadem rursus luctantem necessitate vidisset Martyrem, eamdem, aut etiam majorem ostendere fortitudinem, et viam, quae est a Suris, usque ad Rosapha, cum ferreis illis crèpidis citra laborem confecisse, omnino despèrans fore ut mutaretur, jubet beati Martyris caput amputari gladio. Ducitur itaque Martyr a militibus ad locum consummationis. Magna autem multitudo virorum et mulierum et omnis aetatis consequebatur, ut eum viderent et decertantem, et vincentem, et coronatum. Quinetiam ipsae quoque ferae, veluti captae quodam amore athletae, relictis propriis cavernis, eum placide et mansuete deducebant, illius quidem beatum iter quodammodo probantes et commendantes, impios autem re ipsâ arguentes, quod quem ferae sunt revèritae, ipsi plane caeci interficiunt. Ille autem cum ab iis qui eum ducebant, militibus breve aliquod tempus petiisset ad orationem, et ab illis impetrasset, ad suum statim Dominum totam animam extollit

cum oculis. Deinde, cum ei revocasset in memoriam suam commiserationem, ad eorum quoque, qui illum occidebant, vocabat misericordiam, dicens: « Qui sola bonitate omnia es fabricatus, qui genus humanum ad tuam imaginem effinxisti, et praefecisti omnibus; qui etiam, cum tuum transgressi essent praeceptum, et te Dominum contempsissent, et in Benefactorem ingrati apparuissent, eos non repulisti, immo propter nos homo factus es, et servi formam accepisti, et omnia voluntarie sustinuisti, et nec mortem quidem postremo recusasti, ipse quoque nunc ignosce iis qui in nos peccaverunt: et hac crassa nube impietatis discussa, et a tyrannide inimici liberatis miseris, illucesce eis divina luce tuae gratiae, et revoca eos errantes magno tuo et admirabili nomine et veritate. Porro autem nos quoque, qui pro te, o Domine, mactamur, ipsasque animas et corpora nostra sponte sacrificamus, suscipe tamquam acceptas hostias et gratum sacrificium, et ad aram tuam, quae est supra coelos, introduc laetantes. » Haec oravit: et eum statim vox illinc vocavit. Quam cum ille lubenter et cum voluptate audiisset, collum protinus alacriter porrigens, truncatur martyrico capite, septimo mensis Octobris: et currit ad vocantem Dominum, a quo coronas, easque magnificas et praeclaras suscipit. Ex iis autem nonnulli, qui ad spectandam venerant consummationem, cum pretiosum illud corpus piis et optantibus sustulissent manibus, et peregissent ea quae de more fiunt in sepultura, praeclare et magnifice deposuerunt apud ipsum locum martyrii.

§ **16**. Cum autem multum intercessisset temporis, quidam ex iis qui erant pietate ferventiores, venientes a praesidio Surorum aggressi sunt surripere reliquias Martyris. Ille autem, seu non volens damno afficere civitatem, seu non sustinens communem thesaurum esse alicujus proprium, magnam flammam effecit furti indicem: et ignis illic accensus dolum manifeste publicans, damnum repente ostendit. Qui igitur erant in civitate Rosaphorum, opinati adventum hostium eo significari, armati omnes statim adveniunt ad sepulcrum Martyris. Qui cum rescivissent id quod erat, et ne auferrent prohibuerunt, et non passi sunt Surenos amplius manere in eo loco. Illi autem cum nollent frustra et inutiliter advenisse, parvum quoddam templum in sepulcro extruxerunt; et sic cum gaudio redierunt, dando magis, quam accipiendo, suo in sanctum desiderio satisfacientes. Paulatim autem crescente pietate in Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum, Episcopi numero quindecim, ingressi civitatem Rosaphorum, insigne templum sanctis extruunt: et cum id consecrassent, in eo deposuerunt divinas Martyrum reliquias; ad gloriam Dei et Domini nostri Jesu Christi: quem decet honor, potentia, majestas et magnificentia, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA

S. OSITHAE (VEL OSGITHAE) VIRG. ET MART.

CUJUS AUCTOR NOMEM NON HABET IN MS. CODICE,
SED EST TAMEN FIDE DIGNA; PUTOQUE ESSE EJUS EPITOMEN,
QUAM SCRIPSIT ALBERICUS VEERUS REGULARIS *

Sub fin. sec. VII — Nat. Angla.

§ 1. Beata Ositha, virgo et martyr, ex nobilissimis Anglorum natalibus originem duxit. Erat enim filia Frithewaldi Regis et Wilteburgae, filiae Regis Pendae ** Merciorum. Traditur autem virgo Ositha bonis informanda moribus sanctae Modwennae Abbatissae, quae juxta silvam quae Arderna dicitur, duo construxerat monasteria: unum in loco, qui Pollesworch dicitur; aliud in mansione, quae Streveshal nuncupatur. Horum alterum sibi elegit orationibus intenta, reliquum concessit beatae Edithae, sorori Regis Alfridi, ob sanctitatis meritum sibi familiariter dilectae, quae in congregatione sanctarum virginum mater et custos effecta est. Huic aliquandiu adhaesit adolescentula Dei ancilla Ositha, a sancta Modwenna Abbatissa ei commendata. Cum itaque hiberno tempore contingeret, beatam Editham cujusdam codicis inspectioni vacare, constituit sanctae Modwennae communicare ea quae legenti utilia in eo adverterat. Itaque accita ad se Ositha, « Vade. inquit, et defer volumen istud ad dominam et matrem nostram Modwennam, in eo fortassis nonnihil sanctae contemplationis et aedificationis reperturam. » Ea, accepto libro, cum ad quemdam pontem ligneum pervenisset, vi ventorum in pontis fastigio impulsa, deorsum in flumen praeceps corruit, atque ejus impetu rapta, in momento absorpta est.

§ 2. Elapsis autem tribus diebus, Angelus Domini Modwennae in cella oranti apparens, dixit: « Vade cum festinatione ad fluvium, aliquid ibi necessarium perpetratura. » Ea ubi pervenit ad fluvium, invenit ibi Editham virginem, puellam Ositham quaeritantem; eamque velut pavescentem animadvertens, « Quid est, *inquit*, soror? Rectene sunt omnia? » Illa respondit: « Jam tres dies sunt, domina, quod transmisi Ositham ad te, venioque perquirere, quid causae sit quod ad me non revertitur. Est ne apud te? » Modwenna ait: « Revera non vidi eam, nec venit ad me. »

* Anglus, Canonicus Regularis S. Augustini, floruit medio seculo XIII.
** De hoc impio Merciorum Rege diffuse loquitur Venerab. Beda in sua *Historia Eccles. gestis Anglorum*.

Interrogati autem pastores, num puellam vidissent, ita responderunt: « Nudiustertius puellam pontem ascendere vidimus, sed quo vel abierit, vel pervenerit, nos curam pècorum agentes, et ad alia intenti, penitus ignoramus.» His auditis, sancta Modwenna ait ad Editham: « Deprecemur, soror carissima, Dominum, ut meritis omnium sanctorum suorum restituat nobis hac horâ puellam perditam, ut videamus et cognoscamus ejus admirandam potentiam, et collaudemus perpetuo ejus misericordiam.» Cum igitur, in terram sese inclinassent, et diu cum lacrymis orassent, Modwenna ab oratione surgens, clara voce tertio exclamavit: « Ositha, Ositha, Ositha, in nomine sanctae et individuae Trinitatis veni foras, et de hoc flumine, in quo submersa es, per virtutem potentiae ejus, sana et incolumis emergas, vitae restitùta. » Necdum plene verba finierat virgo sancta, et ecce puella e fluvio cum codice illaeso prodit, terque expedita voce respondet: « Ecce ego, ecce ego, ecce ego, domina mea.» Eam sancta Modwenna cum magna exultatione suscipiens, et gratias immensas Deo agens, Edithae restituit, et cum codice ejus ad cellam remeavit. Locus autem ille ab eventu nomen sortitus, ab incolis Nunpole appellatur: quamquam illa, monialis tunc non fuit, tametsi nigro pallio amicta fuisse creditur.

§ **3**. Post decessum autem sanctae Modwennae, beata Ositha ad parentes reducta, virtute et moribus quotidie proficiebat; cumque ad nubiles pervenisset annos, Rex orientalium Saxonum, Sigerus, parentes puellae sollicitans, Virginem sibi petiit in conjugem dari. Ut autem parentes eam ad consentiendum hortati sunt, illa blanditias eorum respuens, animo et actione virginitatis sibi puritatem magis cordi esse declaravit. At tamen quamvis rènitens et invita, nuptiis regali apparatu instructis, Regi illi tradita est. Sed affectum et desideria sua coelesti sponso commendans, preces Deo et devote et instanter obtulit, ut ipsam a viri contactu immaculatam conservaret. Interim multis diebus laudabili quadam fallaciâ et multarum occasionum opportuno praetextu, Regis desiderium repressit; sed ille eo ardentius, quo minus erat voti ejus conscius, in secretius cubiculum eam jussit introduci, ut diu optatis ejus frueretur amplexibus. Ecce autem nutu divino adest nuncius, Regi jucundos rumores afferens, cervum habitu et formâ corporis spectabilem, prae foribus regiae domus discurrere. Ita Rex intactam deserens Reginam, adjunctis sibi venatoribus, ad persequendum cervum perniciter advolat. Ositha vero, tamquam e naufragio erepta, liberatori suo Christo gratias agit, mittitque celeriter litteras Orientalium Anglorum Episcopis, Eccae et Bedwino, viris religiosis, iis mentis suae desiderium exponens. At illi festino gressu ad eam venientes, religionis habitum ei tradunt, et velo imposito, monialem consecrant.

§ 4. Rediens vero Rex post aliquot dies a venatione, ad visitandam Reginam alacriter properat, cernensque eam habitu sancto indutam, et voto divino obligatam, moerore afficitur. Sed tamen nolens amorem in odium commutare illam proposito suo insistere sustinet, licet invitus: constructisque aedificiis religioni accommodatis, villam Chichensem ei dat possidendam. Tum illa sacras sibi virgines adjungens, vitae austerioris propositum aggreditur, morum disciplinâ, silentii rigore et censurâ continentiae singulas informat, et tum verbo, tum exemplo ad amorem coelestium et mundi contemptum indesinenter accendit. Cumque in Dei famulatu aliquamdiu desudasset, humani generis inimicus, et virtutum exterminator, diabolus, beatae ejus conversationi invidit, et quam de die in diem proficere conspexit, a via sanctitatis avertere studuit. Itaque satellites suos ad sanctae virginis eversionem misit, e Danorum finibus filios perditionis, Christianae fidei et pietatis expertes, ad depopulandam orientalium Anglorum plagam excitans. Ejus barbarae gentis consuetudo fuit, piraticam exercere, Christianorum caedibus delectari, rapinis inhiare, otium inane ducere, quoties a sceleribus et impiis facinoribus manus continerent.

§ 5. Anno igitur Domini sexcentesimo quinquagesimotertio, mense Octobri, gentilium caterva, e Danorum partibus navibus advecta, apud Orientales Saxones ad villam Chichensem appulit; atque ibi e navibus egressi, rapinis et incendiis in Christianos saevierunt. Ille vero, qui inter scelestos illos primas obtinebat, conditione beatae Osithae et religione comperta, precibus et muneribus eam coepit ad idololatriam provocare, subjiciens etiam minas verberum et vulnerum, nisi deorum, quos colebat, venerationi consentiret. At Virgo sancta, et blanditias contemnens, et minarum asperitatem nihil reformìdans, supplicia impendentia parvipendit. Quamobrem princeps ille neque ejus constantiam, neque deorum suorum injuriam ferre sustinens, capitali in eam lata sententiâ, caput submittere eam coëgit. Quod cum amputatum ei esset, mox corpus sese sùbrigit, et caput humi jacens, manibus apprehendit, rectoque gradu et firmis vestigiis progrediens, usque ad ecclesiam Apostolorum Petri et Pauli, per tria fere stadia illud deportat. Ad ostium autem ecclesiae obseratum subsistens, manibus cruentatis, ut ipsi aperiatur, pulsat, et sanguinis illic vestigia relinquens, in terram corruit. Eo autem loco, ubi capitalem virgo sancta subiit sententiam, fons perspicuus erùpit, variis morborum generibus praebens sanitatem.

§ 6. Porro audito ejus martyrio, parentes ejus praecipuo aestuabant desiderio, ut vel truncati corporis penes ipsos deposito pignore consolati, doloris jacturam redimerent. Cumque corpus ejus ad illos allatum esset, in ecclesia Ailesbiriae in locello plumbeo illud honorifice collocarunt. Perpetratis vero multis postea

eo loco meritis sanctae Virginis miraculis, illa in visu cuidam fabro apparens, « Surge, inquit, et vade ad ecclesiam Ailesbiriae, et tollens loculum illum plumbeum, in quo sunt ossa mea, et equo eum caute imponens, ad ecclesiam Chichensem deferto. Et ne tantus labor tibi pariat diffidentiam, ubi iter ingressus fueris, in viae labore, et sarcinae sudore relevatrix et adjutrix tibi adero » Post trinam ejusmodi apparitionem, nocte quadam, nactus opportunitatem, ecclesiam ingressus, excubantes sopòre gravatos offendit, loculum plumbeum e terra extractum equo imposuit, et abscessit. Mane evigilantes custodes, excitant vicinos, platearum diverticula et callium secreta compendia rimantur, si forte, quem persequebantur, possint comprehendere. Cernens autem faber ille hominum turbam propinquare, fusa ad Deum et sanctam virginem prece, persequentes eum, mentis alienatione, oculorumque stupore mirabili, percussi, ad propria vacui redierunt. Faber vero ubi cum reliquiis sanctae Virginìs ad ecclesiam Chichensem pervènit, Mauricius, Londoniensis Episcopus, in pretioso scrinio eas honorifice reposuit, et Roffensis Episcopus, qui praesens aderat, a gravi infirmitate curatus est.

§ 7. Cum quidam nautae frustum marmoris ex porticu templi sanctae Osithae clam secum auferrent, navicula, in qua marmor illud deposuerant, velut terrae affixa, immota permansit, donec culpam suam illi agnoscerent, et marmor suae ecclesiae restituerent. Clericus quidam voto simplici in monasterio sanctae Osithae virginis, habitum monasticum se suscepturum promisit: sed propositum, male blandiente fortuna, exequi differens, ad extrema vitae, morbo ingravescente, perducitur. Ei sancta Ositha apparens, « Quid est, inquit, quod me tam sollicite invocas? An non meministi, quid quarto ab hinc anno tibi praestiterim? Cum aegrotares, morti vicinus, cumque satisfacerem provinciae huic mortalitate imminente, impetravique a Domino meo Jesu Christo, ut visitaret populum meum, tunc etiam Dominum pro te rogavi, et tu ab infirmitate liberatus, vitae conversionem promisisti, et tamen ab eo tempore teipso semper deterior extitisti. Qua igitur fronte, lucris et nugis aulicis deditus, me invocare ausus es? » Illo vero emendationem vitae cum lacrymis pollicente, sancta Virgo hilariore jam vultu eum intuens: « Misereor, inquit, tui, si tuipse tui misertus, Deo servire vel sero volueris. » Mox ille ejus contactu sanatus, monasticum habitum accepit, et devote Deo serviens, in Priorem apud S. Bartholomaeum Londoniae electus est. Mulierem contractam Virgo sancta erexit; juveni muto et surdo loquendi et audiendi facultatem restituit, et multis aliis, opem ejus in sua infirmitate implorantibus, reddita sanitate, subvènit. Puella quaedam officio brachii adeo privata, ut làteri ejus inseparabiliter inhaereret, cum meritis sanctae Osithae perfecte sanata esset, votum continentiae nuncupavit; sed postea

cum quodam juvene matrimonium contraxit. Ei sancta Ositha apparens, cur temerario ausu vota, quae distinxerunt labia sua, rupisset, spurcissimum conjugium improperando, redarguit, et compedum vinculo invisibili pedes ejus arctius constrinxit, ut pedem pedi subjectum divellere non valens, officio pedum prorsus destituta, ultionis divinae flagellum sentiret. At tandem tamen meritis sanctae Virginis sospitati reddita, correctius deinceps vivere studuit. Mulier quaedam multis annis pedibus ingredi non potuit. Itaque a custodibus ecclesiae sancti Edmundi *, tamquam opprobrium hominum et plebis abjectio repellebatur. Apparuit autem illi quidam venerandi vultus, atque in visione dixit ei: « Mulier, quid hic moraris? Frustra hic exspectas, quod petis. Surge: alibi tibi quaerenda est salus, quam efflagitas.» Et illa: « Quis es, inquit, Domine? » — « Ego sum, ait, servus Dei Edmundus. Abi ad ecclesiam sanctae Osithae, ut sanitatem perfectam consequi merearis. » Quo cum illa pervenisset, dolore membrorum sedato, sana surrexit.

CERTAMEN

SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS DEMETRII

AUCTORE SIM. METAPHRASTE, INTERPRETE LIPOMANO

Passus ineunte sec. IV — Thessalonicensis.

§ 1. Tenebat quidem Romanorum sceptra Maximianus; magnoque impetu et spiritu ferebatur in Christianos: erroris autem simulacrorum nubes tegebat omnem terram quae est sub coelo; etiamsi, veluti lucidae quaedam stellae eam sortitae, resplendebant, qui passi fuerunt propter Christum. Quorum tunc unus agnoscebatur Demetrius, qui propter fidem in Christum, erat suspiciendus, et insignis, ac celebratus propter miracula quae faciebat in Christo. Illum tulit quidem magna civitas Thessalonica **: quod autem ad parentes attinet, erat insignis, et genere clarissimus, ipsum referens ad antiquos Macedones. Sed non erat tam clarus splendore suorum majorum, quam ornamento suae virtutis. Tantum enim animae nobilitate superavit eos qui erant praeclari hoc nomine, quantum corporis specie superabat eos qui suam jactabant pulcritudinem. Nam erat

* S. Edmundus, seu Eadmundus, Orientalium Anglorum Rex et martyr, colitur die 20 novembris. *Vide* Surium, ibi.

** Antiqua *Macedoniae primae* sedes. Hac in urbe diu commoratus est S. Paulus Apostolus, praedicans verbum Dei, *et multitudinem magnam et mulieres nobiles non paucas* (*Act. Apost.* XVII, 4) ad fidem convertens. In Turcarum ditionem potestatemque, anno 1429, redacta fuit. Nunc Salouiki vocatur.

quidem ei satis acutum ingenium ad capiendas disciplinas, aptum vero ad mores colligendos, et benignitate contemperandos; et vultus elegans adspectus significabat animi nobilitatem. A pueritia quidem usque ad pubertatem, erat superior omnibus aequalibus: neque erat aliquid ex iis quae sunt vere bona, in quo non longo intervallo aliis praestaret: manifestumque erat ab initio, quam esset quidem arbor jucundissima, et quam copiosum et bonum fructum latura esset. Cum autem ad virilem pervenisset aetatem, vires ostendebat ingenii, et exercebat robur et fortitudinem, atque in arte militari discenda laborabat, bonis ornatus moribus, et quae in eo suavissime florebat, verecundiâ et moderatione: adeo ut omnium de eo sermo celeberrimus ipsum notum reddiderit Imperatori. Cum ergo tam praeclaro et magno ingenio praeditum Demetrium animadvertisset Imperator *, ab initio ad magnam eum èvehit gloriam, et eum creat Graeciae Proconsulem: adeo, ut etiam Consularibus eum induerit insignibus. Ille vero (erat enim ad id quod oportet, intelligendum aptissimus, et ad id quod est praestantius eligendum, aliorum praestantissimus) eorum quidem parvam ducebat rationem, ad ea tantum quae ferunt ad Dei cultum, praeclare attendens. Et ideo quaecumque hic sunt jucunda, ex aequo respuebat: unius autem solìus amore tenebatur, pietatis scilicet, mortemque sitiebat pro Christo, et quae ex ea proficiscitur, beatitudinem. Praedicabat ergo non timide, nec cum aliqua dubitatione, sed audacter admodum et libere, nomen Dei salutare: et nihil aliud erat ei in ore, nisi Christus. Panem autem vitae, quem cognoscimus esse verbum veritatis, omnibus, qui erant pietate egentes, distribuit pie ac religiose, adducens ex divinis Scripturis et docens, quod hominem, qui ex beata illa, quae est in paradiso, conversatione exciderat, et in servitutem peccati erat redactus, ipsum Verbum, quod simul cum Patre est expers principii, cum nec excessisset a Divinitate, et carnem accepisset ex Virgine, et servi formam ut sponte suscepisset, dignum fecit diviniore vivendi ratione, et ei priorem donavit libertatem.

§ 2. Haec et alia docens et interpretans, eis exponebat, et quodammodo eis occasionem praebebat et semina ad hoc, ut Dei filii essent et vocarentur, et, quae in Christo est absconsa, vitam consequerentur. Hinc multi suavissima fruentes doctrinâ Martyris, recesserunt quidem ab amaris tenebris erroris, accesseruntque ad dulce lumen veritatis. Sed ille quidem magnum in Christum amorem concipiens, et insatiabiliter hominum salutem desiderans, si non posset omnes eripere a manibus inimici, hoc maximum damnum arbitrabatur, nec se putabat aliquid recte facere. Res itaque ei succedebat ex sententia; et eum transmittebat

* Cum numquam Thessalonicae dominatus fuerit Maximianus Herculeus, Imperatorem, de quo hic agitur, Galerium Maximianum fuisse patet, qui revera cum Sarmatis bellum gessit.

fama in omnes partes; et praedicabat Trinitatem, non solum iis qui erant Thessalonìcae, et in Graecia, sed etiam longinquis de ipso audientibus. Cum autem in eo esset, et pulcrum illud doctrinae fluentum profunderet, veniunt ad eum quidam, quorum munus erat scrutari Christianos, et per illorum proditionem sibi acquirere benevolentiam Imperatoris. Itaque Demetrius non in angulis, ut jam ante significavimus, exercens Christianismum, neque nocturnus Christi discipulus, immo vero magister veritatis, et aperte confitens pietatem, ab eis comprehenditur, et defertur ad Imperatorem, quod teneret quidem opinionem Christianorum, res autem deorum aperte ridèret et subsannaret. Maximianus autem tunc erat Thessalonìcae, qui magnus quidem evaserat ex bello gesto adversus Sarmatas et Scythas, multo autem magis agnoscebatur ex crudelitate, quam exercebat adversus pios.

§ 3. Cum primum ergo haec audiisset Imperator, varie fuit affectus. Stupebat, dolebat, timebat, irascebatur. Stupebat, propter novitatem ejus quod audiebat. Dolebat, propter viri jacturam. Timebat, ne cum talis esset, alios traheret ad suam religionem. Irascebatur, quod honoris ei delati nullam duxisset rationem. Sed cum non posset soli credere auditui, ut qui ferre non posset se tanti viri facere jacturam (nam quod non vult aliquis, nec facile potest credere), voluit etiam oculos assumere testes ejus quod fuerat auditum. Jubet ergo virum ad se adduci. Is autem coram constitutus, non extimuit imperii magnitudinem, non est revèritus ea quae exspectabantur, supplicia, non judicis formidavit saevitiam: sed hanc crudelitatem ille ratus esse materiam apertius ostendendi suum in Christum amorem, tamquam leo protinus accessit ad certamen, non molliter aut effeminate adspiciens, neque abjecte aliquid dicens; sed suis potius verbis confirmans ea quae prius Tyrannus de eo audierat: quod esset quidem miles Christi, et ejus solius adorator; quod tantum abesset, ut deos, qui ab eo dicebantur et colebantur, honoraret, ut eos etiam aperte irridèret et abominaretur; quodque tormenta, quae ille minaretur, tunc pati aegre ferret, quando viderit tortores aut clementius, aut parcius inferre, quam desideraret: « Honores autem tui, *inquit*, o Rex, et bona, quae das iis qui tibi parent, quomodo eum allexerint, qui tui imperii invidiosam coronam, illud ipsum, inquam, imperium cum opibus et thesauris, aeque ac tenuem pulverem despicit et habet contemptui? Quod si etiam mihi mortem intuleris, tunc scias te mihi facere, quod est maxime optandum, ut qui ad veram vitam, et ad Christum transmittas, quem magis, quam ipsam, desidero. »

§ 4. Haec postquam audivit Maximianus, quae ingenti spiritu, summaque constantià, et maxima libertate dicta fuerant, tunc quidem differt tormentum, callide id potius faciens, quam benigne.

Volebat enim ei injicere poenitentiam, et efficere, ut interjectum tempus, tam vehementem remitteret constantiam. Et ideo in praesentia jubet, ut propinqui lavacri caminorum fornices Demetrium acciperent in custodiam. Martyr vero cum abduceretur in carcerem, simul laetabatur, et afficiebatur dolore. Laetabatur quidem, quod martyrium mox esset consecuturus; aegre ferebat autem, quod non videret tortores ad se citius accedere, et non jam ad tormenta et mortem acciperetur. Tantum enim contendebat Demetrius mori propter Christum, quantum studebat Maximianus eum superare. Cum ergo Martyr venisset in carcerem, dicebat: *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Quoniam tu es patientia mea, Domine, spes mea a juventute mea... Psallam Deo meo, quamdiu fuero.* Peractis autem precibus, videt scorpium e terra proserpentem, qui et stimulum sustulerat, et ejus pedem erat puncturus. Ille autem, Cruce munitus, cum eum invocasset, qui dedit suo figmento calcare posse serpentes et scorpios, illum reddit mortuum, vel potius eum, qui intelligentiâ percipitur, scorpium, qui in eo latebat. Statim autem divinus ei apparens Angelus, ejus capiti coronam imponit, dicens: « Pax tibi, Christi athleta, esto fortis, et te virum praebe. » Sic qui velox est ad consolationem eorum qui ipsum timent, Dominus, simul atque fuit inclusus in carcere, et in praesentibus placide admodum consolatur athletam, et ad futura implet animi alacritate. Sed Demetrius quidem sic erat in custodia.

§ 5. Maximianus autem exhibebat spectaculum gladiatorum, et complebantur omnes pentathli ludi *. Ille vero sedebat in sublimi specula, jucundissimum esse statuens versari in spectando certamine. Laetabatur enim, ut videtur, humani sanguinis videns effusionem. Erat autem quidam vir barbarus ex Maximiani necessariis, qui erat patriâ Vandalus, manu fortis, et validus ad luctam, et magnitudine, quae modum superabat: et ideo erat ei valde gratus, et habebatur in magna existimatione. Nomen erat ei Lyaeus. Is insolenter jactans se omnes vincere robore corporis, stansque in pulpito, ut toti esset theatro manifestus, caeteros gladiatores provocabat ad certamen. Tunc autem factus fuerat a Maximiano circus, multis comprehensus tabulis, in quem ingrediebantur, qui erant singulari certamine certaturi, et qui ad pancratium accedebant. Cum ergo viribus corporis omnes superaret Lyaeus, et quicumque manus cum eo conserebat, statim cerneretur humi prostratus, aut etiam morte affectus, maxima Tyrannum afficiebat laetitia, propterea quod prosterneret eos qui cum ipso congrediebantur. Quidam vero nomine Nestor, aetate quidem valde juvenis, ut qui modo natam haberet lanuginem, adspectu autem jucundissimus, et formâ praestantissimus, qui erat notus inclyto martyri Demetrio, cum videret Maximianum sic affectum in barbarum,

* *Pentathli* quia quinque certaminibus constabant: lucta, pugilatu, saltu, jaculo et cursu.

et gladiatorum certaminibus multas exhibere pecunias; partim quidem odio habens Lyaei superbiam, partim autem adspiciens miracula, quae fiebant a divino Martyre, et quod plurimi ad eum accedentes, docebantur pietatem in Christum, cupiensque hoc etiam esse unum ex miraculis Demetrii, ut precibus illius armatus, Lyaei frangeret audaciam, et barbari dejiceret supercilium, accurrit ad Martyrem, et ad illius pedes prócidens, dicit: « Serve Dei, Demetri, sum paratus, et mihi gliscit animus cóngredi cum Lyaeo, si me solum armaveris precibus. » Quid ergo divinus Demetrius? Perinde ac si ipse rogasset, non autem fuisset rogatus, exequendo propemodum praevenit petitionem; et ei velociter imposito eo, quod est in Christo, signaculo tam in fronte, quam in corde, eum dimittit, dicens: « Et Lyaeum vinces *, et eris martyr Christi. » Quod quidem perinde est, ac si dicas: « Et manifestum vinces adversarium, et eum qui non est manifestus. » Sic ejus animo non solum immisit audaciam, sed etiam de futuro pronunciavit certissime.

§ 6. Statim ergo Nestor veniens in stadium, cum per gradus desiliisset, et deponit tunicam, et assistens seipsum ostendit Imperatori. Maximianus autem, obstupefactus illa audaciâ adolescentis, et esse aliquid aliud opinatus, quam ostentationem virtutis, jubet eum sisti propius, et, « O adolescens, inquit ei consulens, scio, quod pecuniae inopia coëgit te ad hanc prorumpere audaciam, ut vel si viseris, multas opes tibi cómpares; aut si fueris superatus, implacabilem inimicum, paupertatem simul cum vita effugias. Ego autem tuae aetatis et pulcritudinis misertus, vel pro sola audacia tibi praebebo, quod satis est pecuniae. Qua accepta, abi simul cum vita fruens quoque pecuniis. Ne autem cum Lyaeo omnino congrediaris; jam enim multos vitâ privavit, eosque te longe robustiores. » His auditis, Nestor neque Imperatoris arripuit liberalitatem, neque rursus Lyaei laudibus fuit territus. Imperatori autem: « Non cupio, inquit, pecunias, neque ea de causa prodeo in certamen; sed gloriam potius cupiens, et Lyaeo volens apparere praestantior. Non solum enim divitias, sed etiam ipsam vitam statui rejicere, si Lyaeo gloriâ cessero. » Haec sic dicta, et Imperatorem, et eos omnes qui aderant circa ipsum, ad iram provocarunt, qui (quomodo enim armatus, et quo esset fretus, ille nondum dixerat) arrogantiae tantum et vanae gloriae verba esse existimabant. Atque Imperator quidem Lyaeum vehementer incitabat ad certamen; impetuque et audaciâ plenum ejus animum reddebat acriorem. Nestori autem animum addebant verba Demetrii, et Christus. Ad quem attollens oculos, dicebat: « Deus Demetrii, concede mihi, ut ego, qui sum aetate brevis

* At prorsus inverosimile ducimus, Demetrium Crucis signaculo gladiatorem ad homicidium in barbaris ludis armâsse, eique illicitam victoriam in Christi nomine spopondisse. Vide seq. de hoc *Nestore* adnotatiunculam.

David, tamquam alium Goliath, pudore et ignominiâ Lyaeum afficiam. Te enim fretus, suscepi hoc certamen in medio multorum, ut tuum nomen glorificetur, qui solus est vere Deus, et iis qui in te virtutem faciunt, mittis auxilium de sancto. » Sic dixit, et stricto acinace ingressus theatrum, et cum barbaro congressus, infert ejus cordi certam plagam. Et statim illum quidem intèrimit, fere autem ipsum quoque Maximianum dolore, quem de eo accepit : multo vero magis ipsum quoque errorem, et cum eo ejus auctorem, occultum, inquam, Maximianum morte afficit.

§ 7. Maximianus autem Imperator non potuit amplius sedere, sed statim surrexit irâ plenus et tristitiâ, et in aulam abiit regiam, gravia apud se versans, et luci veritatis volens impius offundere tenebras, Nestorisque victoriam obscurare, ac per illud cultum Christi, prae multa ignorantia rem vocans praestigias. Neque enim, ajebat, alias ab eo fuisset interemptus is, qui tam praeclara effecerat facinora. Itaque generoso Nestore accersito, tamquam res esset certa, et nulla opus haberet inquisitione : « Dic mihi, dicit, adolescens, quanam arte usus magica, aut quosnam habens adjutores, Lyaeum, virum tantum, interfecisti ? » Cui Nestor nihil territus, sed omnino confidens, quod, qui dedit illum superbum et insolentem de medio tollere, ipse quoque de eo convenientem dabit responsionem : « Nihil, inquit, o Imperator, tale, nec mihi, nec ulli est Christiano utile. Nullus autem homo mihi fuit ad hoc adjutor, nisi solus Deus Demetrii, Deus, o Imperator, Christianorum. Manifestum ejus certamen fuit mors Lyaei, qui in manu forti et brachio excelso Sehon et Og (*Num.* XXI), et alios innumerabiles longe magis quam Lyaeus, virtute insignes facile de medio sustulit, non solum singulos, sed etiam magna circumdatos multitudine. Sed cur non dico ea quae sunt illo solo vere digna, cujus opus est coelum et terra, et quae sunt in eis omnia * ? Non tulerunt haec magna aures viles Maximiani, sed pulcrorum verborum mercedem et victoriae praemium, ei mortem affert gladio. Et sic quidem Nestor beatum finem propter Christum est consecutus ; et suo ense plagam accepit, sic jubente Maximiano, forte ut ille quoque martyrico sanguine

* *Nestorem* hunc, gladiatoris sive pugilis Lyaei in singulari certamine interfectorem, atque a Tyranno ob hoc facinus, non ob Fidei confessionem, admodum dubiam, neci datum, ecquisnam arbitrabitur sanctis Christi Athletis accensendum? At Graeci eumdem *megalo* (insignis) martyris titulo ac elogio decoratum, XXVII octobris Officio celebrant, eumdemque Baronius hodierna die in Martyrologium Rom. intulit allegans in Notis S. Demetrii Acta Graecor. Menolog. et Nicephorum Callistum. Et plures quidem Graecor. Fasti Nestorem Sanctis connumerant. Verum quid tum? Graecos norunt eruditi, quosdam pro coelitibus habere, severiori censurâ e beatorum Catalogo expungendos. Nicephorus commenta non raro et sublestae fidei narrationes adoptasse noscitur. Baronius autem noster dicendus est non satis perpendisse quantopere Nestoris factum Christianae adversetur sanctitati, quanta insit in Metaphrastis narratione verborum fallacia; et Menologio Sirletiano unde frequenter hausit, plus quam par sit, Romanis augendis Tabulis, auctoritatis tribuisse.

Quoad cultum denique hodierno Nestori, e S. Demetrii Actis, a Graecis praestitum, fieri potuit ut Nestor quispiam ab ipsis coleretur antiquitus ab interfectore gladiatoris plane diversus, quem ad fabulas et commenta proni scriptores in Acta invehérint Magni Martyris Demetrii, ac proinde ad designandum quem colerent, ignoto Nestori affixerint aliquando quae in S. Demetrii Actis commentitia legebantur (*E probab. sententia Bollandistis Jo. Byei*).

sanctificaretur. Cum igitur Minutianus Protector *, caedis fuisset administer, sic Nestor transmittitur ad Christum, quem dilexit, et a quo erat accepturus coronas duplicis victoriae. Hinc in Demetrium criminationes intenduntur probabiliores, quod ipse esset causa caedis Lyaei. Valde itaque iratus Maximianus, et simul arbitratus non fore bonum augurium, si ei occurreret Demetrius in stadium ascendenti, ad quod per lavacrum erat accessus, jubet Martyrem interfici lanceis in iis ipsis caminis, in quibus custodiebatur. Quod fit etiam **. Et tu quidem, qui es omni ex parte pulcher et honestus, Demetri, qui Dominum diligenter sectaris, et omnia illius diligis, similiter atque ipse lanceâ confi- geris, hancque invenis occasionem, et viam tui ad eum adventus, beatus quidem propter vitam, beatior autem propter decessum et coronas, et propter aeternam tuam cohabitationem cum eo quem desiderabas.

§ **8**. Haec quidem sic se habebant, et humi jacebat corpus Martyris, neque ulla ejus habebatur ratio. Omnino autem nec erat sanctum, nec Deo plane dignum, pro quo passum erat sacrosanctum illud corpus, sic ipsum despicere. Neque ergo despexit: sed quidam ex iis, qui Christum amabant, noctu accedentes, cum valde turpiter jacens corpus pretiosum sustulissent, id pie componunt. Deinde etiam, injecto pulvere, in eo ipso loco, in quo fuerat consummatus, sepeliunt pie ac religiose. Quidam autem ex Sancti famulis, stans prope eum, quando beatam illam subiit caedem, cum ut potuit, divinum illum sanguinem collegisset in sacro Martyris superhumerali, et, quem manu gestabat, annulum, accepisset, et Martyris sanguine tinxisset, per ipsa faciebat plurima miracula. Neque erat ullus morbus, neque malus daemon tam fortis, quin statim, si illius fecisset periculum, superaretur; adeo ut tali famâ miraculorum impleretur tota civitas Thessalonicensium. Quo circa nec erat consentaneum ea latère Maximianum, nec ferre posse invidiam. Et ideo capitur protinus famulus, horum bonorum procurator, et interficitur. Tribunal locus, in quo fuit occisus; Lupus autem vocabatur egregius ille famulus. Procedente autem tempore, et signis ex loco, in quo latebat corpus Martyris, tum Macedoniam, tum etiam Thessaliam pervadentibus, quinetiam caligine simulacrorum conversa in perfectam serenitatem, quidam Leontius, et gloriâ clarus, et Christi amore ardens; qui tunc erat Praefectus Illyrici, profectus Thessalonicam, a gravi morbo invaditur, ita eum premente, ut nec comederet, nec biberet: quae ab omnibus autem fugitur mortem putaret rem valde optandam, et a malo, quod eum vexabat, solam liberationem. Cum ergo et medici a morbo aperte vincerentur, et amicorum praesentia ad consolandum dolorem inanis labor ei

* *Protectores* dicebantur milites, qui Imperatoribus adstabant (*guardie del corpo*).
** Anno, ut videtur, 306.

reputaretur, nulla autem spes esset fore, ut a morbo liberaretur; cum, inquam, agitaretur tantis fluctibus, et plane inevitabilibus, Praefecto sacra quaedam àncora fuit refugium ad divinum templum Martyris. In quod cum fuisset introductus, flexis genibus, et depositus fuisset in loco, in quo sacrum illud corpus fuerat in terra conditum (o divinam visitationem, o rem ineffabilem!), suffecisset quidem ad aperte ostendendam Demetrii gratiam et virtutem, si cum depositus aliquo tempore exspectasset, et vehementissime orasset, sensisset auxilium. Nùnc autem hoc est maxime novum, hoc est miraculorum illius jucundissimum, quod omnia haec simul concurrerunt, aegroti in templo depositio, Martyris per labra illius invocatio, et morbi facilis ejectio. Leòntius tam celerem consecutus curationem, ipse quoque celerem reddit remunerationem. Nam cum domunculam, in qua sacrum corpus Martyris depositum fuit, quae erat parva admodum et angusta, et lavacri comprehensa erat ambitu et stadii, evertisset, templum in ipsa civitate Thessalonìca ab ipsis extruxit fundamentis; quod nunc quoque cernitur medium inter publicum lavacrum et stadium pulcherrime excitatum: pulcritudine enim et magnitudine nulli alii cedit ex iis quae movent oculos ad admirationem et voluptatem.

§ 9. Abiturus autem hic vir pius in Illyricum, cum vellet aliquam partem sacri corporis accipere, ut illic quoque excitaret templum glorioso Martyri, sanctus non est ei assensus, sed nocturnis apparitionibus eum arcet a coepto. Propterea secunda, ut dicitur, navigatione cum chlamydem Martyris, quae illius venerando sanguine fuit cruentata, et ex ejus superhumerali aliquid accepisset, quod solent appellare orarium, et in pretiosa arca, quod vere erat pretiosum, deposuisset, sic Martyris quidem satisfecit desiderio, et sibi maximam acquisivit securitatem. Certe cum hiemis tempore reversurus in Illyricum, ob seria quaedam negotia Syrmium properaret, et jam pervenisset ad ripas cujusdam fluminis, quoniam illud excreverat, et magnum attollebat fluentum, et propterea a nullo poterat omnino transmitti, et multum quidem temporis intercesserat, fluentum autem minime cessabat, sed iis, qui transmittere volebant, prohibebat transitum; is afficiebatur magna animi aegritudine, et erat valde cogitabundus, et versabatur in perplexa dubitatione. Ei vero apparens divinus Demetrius: « Omni, inquit, animi aegritudine et incredulitate procul ejecta ab animo, quod tecum fers, gestans manibus, transi fluvium citra dubitationem. » Paret Praefectus ei qui apparuerat; et cum mane ascendisset vehiculum, per flumen, capsam portans manibus, et cum animo tenens erectos quoque oculos, gradiebatur, fluento tacite recedente, et cedente nutibus, qui non cadunt sub adspectum; dignum quidem admiratione, fide autem, quam habebat in Martyrem, non indignum subiens

transitum. Cum sic ergo illaesus trajecisset, et Syrmium pervenisset, templum ibi quoque Martyri extruxit, sacramque illam capsam cum thesauro, quem servabat, in eo deponit. Collocatum autem erat prope templum gloriosae Martyris Anasthasiae, ut Martyres Martyribus quomodo sursum, sic et deorsum appropinquarent. Multa autem miracula et curationes etiam in ipsa via, dum ferretur illa chlamys sanctificans, plurimi sunt consecuti, gratiâ et virtute Christi veri Dei nostri: Quem decet omnis gloria nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA SANCTAE PELAGIAE

QUAE EX INSIGNI PECCATRICE FACTA EST PERFECTAE POENITENTIAE EXEMPLAR

AUCTOR EST JACOBUS DIACONUS HELIOPOLEOS, HABETURQUE IN VETUSTIS MS. CODICIBUS SED STYLUM PASSIM NONNIHIL ELIMINAVIT LAUR. SURIUS, PLERISQUE REDDITIS PARAPHRASTICOS.

Migr. anno 457 — Nat. Syra.

PROLOGUS. Magnas semper Deo ac Domino nostro gratias agere debemus, qui non vult mortem peccatoris, neque ut ille pereat; sed omnes potius homines vult salvos fieri, et per poenitentiam redire ad vitam, quam peccando amiserunt. Audite ergo rem admiratione dignissimam, quae accidit in diebus nostris. Visum est mihi peccatori Jacobo, scribere eam vobis fratribus sanctis, ut vel legendo, vel audiendo illam cognoscatis, et animabus vestris maximam spiritalis consolationis materiam comparetis. Misericors enim Deus, cum non sit voluntas ejus mors impii, poenitentiae remedium offert lapsis in peccata, ut per dignos poenitentiae fructus et satisfactionis opera, quae male admissa sunt, expientur et aboleantur. Postea vero futurum est justum et aequissimum judicium, in quo recipiet unusquisque secundum opera sua, quemadmodum innumera Scripturae divinae loca testantur. Nunc ergo silentium mihi praebete, et quae dicturus sum, attentis animis accurate contemplamini; habent enim materiam sane uberrimam compunctionis salutaris.

NARRATIO. § 1. Antiochenae civitatis Episcopus accìvit ad se omnes vicinos Episcopos ob certam quamdam causam. Venerunt igitur ad eum octo antistites, et in iis vir Dei, Nonnus sanctissimus, admirandus sane et praestantissimus monachus, meusque

Episcopus, e Tabenensiotarum monasterio extractus ob vitam incomparabilem, et spectatissimam conversationem atque morum integritatem. Cum sic autem illi convenissent, Antiochenus Episcopus jussit nos manere in basilica beatissimi Juliani martyris: ad cujus fores sedentibus Episcopis, nos quoque ad eos accessimus. Rogarunt autem illi Nonnum dominum meum, ut sermonem ad ipsos haberet. Nihil vero cunctatus ille, coepit loqui ea quae facerent ad aedificationem et salutem omnium qui eum audiebant. Cunctis vero admirantibus sanctam ejus doctrinam, ecce subito transiit juxta nos prima Maenadum * Antiochiae, insignis meretrix, asello insidens, cum incredibili pompa et apparatu, usque adeo compta et ornata, ut nihil in ejus vestibus cerneretur praeter aurum, margaritas et gemmas; ipsi etiam pedes ejus auro et margaritis tegerentur. Stipabat vero eam ingens turba puerorum et puellarum, cultis magnique pretii induta vestibus, et torques aureas ad collum ferens. Ex iis alii antecedebant, alii sequebantur eam. Tanta autem erat ejus formae pulcritudo et elegantia, ut homines, huic mundo dediti, eâ conspicienda exatiari non possent. Cumque nos praeteriret, totum implevit aërem odorum mira fragrantiâ et suavitate.

§ 2. Eam ut viderunt Episcopi impudenter et inverecunde praetereuntem, nihil velato capite, et nudis scapulis omnium oculis petulanter expositis, taciti ingemiscebant, et facies suas tamquam a re execrabili et immani scelere avertebant. At Nonnus beatissimus **, intentissime in eam suos defigens obtütus, diu eam contemplabatur, ita ut etiam in abeuntem non cessaret acriter intueri. Deinde vultu ad Episcopos converso, « An non, inquit, affecit vos hujus feminae tantus decor, tantaque venustas? » Illis nihil respondentibus, deposuit faciem in genua sua et sudarium, quod manibus tenebat, et flens largiter, totum sinum suum complevit lacrymis; et ab imo pectore longa ducens suspiria, rursus ait ad Episcopos: « Nihil ne delectati estis tanta ejus pulcritudine? » Illis tacentibus, « Ego vero, inquit, mirifice delectatus sum. Ecce enim omnipotens Deus hanc feminam statuet coram admirabili et tremenda sede sua, ex ea tam nos, quam munus et ministerium nostrum judicaturus. Quot enim, putatis, horas expendit haec mulier, dum in cubiculo suo se lavat et componit, omnem animi curam et cogitationem adhibens ad ornandum sese, ne quid possit in ea decoris et pulcritudinis desiderari, ut placeat omnium oculis, nec deformis ulla ex parte videatur amatoribus suis qui hodie sunt, cras fortassis nusquam erunt? Et nos habentes Patrem omnipotentem in coelis, Dominum immensae majestatis, sponsum immortalem, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus pulcritudinem sol et luna mirantur,

* Sive scortorum et impudice bacchantium.
** De eo agendum die 11 dec. qua recensetur in Martyrol.

amplissima reponentem praemia, ipsi fidem integram servantibus, et ad ejus voluntatem ita, ut par est, sese accommodantibus, divitias et honores immensos in coelis, denique ea quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, liberaliter et prolixe promittentem; nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, neque sordibus detergendis culpisque, quibus animae turpissime foedantur, expiandis; sed patimur eas jacere supinas, otio desidiàque marcescere. »

§ 3. His dictis, apprehendit manum meam, simulque pervènimus in hospitium, ubi nobis cubiculum paratum erat: in quod ille ingressus pronum se humi abjecit, pectusque suum multum verberans, et ubertim plorans, dixit ad Dominum: « Domine Jesu Christe, ignosce mihi misero et indigno peccatori. Ecce enim unius diei ornatus, quae haec femina adhibet componendo et excolendo corpori suo, vincit omnem ornatum animae meae. Quali ergo fronte te respiciam, Deus meus, aut quibus sermonibus potero me justificare in conspectu tuo? Non enim volo celare et abscondere tibi cor meum, quandoquidem tibi patent omnia arcana pectoris mei, et nulla te latet cogitatio. Et vae mihi peccatori et indigno, qui assisto ad sanctum altare tuum, nec exhibeo tibi pulcram, sicut tu expetis, animam meam. Illa promisit, quod ita comparare se velit, ut placeat mortalibus hominibus, et stat promissis suis; ego vero pollicitus sum daturum me operam, ut placeam oculis divinae majestatis tuae, et turpiter mentitus sum, fidemque fefelli desidiâ et pigritiâ mea. Nudus ergo sum tam in coelo, quam in terra, dum non pareo mandatis tuis, nec impleo, quae tu jussisti. Non ergo mihi bonorum operum spes est, sed spero tamen in misericordia tua, qua me salvatum iri confido. »

§ 4. Haec illo dicente, et multum plorante atque ejulante, eodem die magnam egimus celebritatem. Adveniente autem Dominico die, post absolutas nocturnas orationes, dicit ad me sanctus Nonnus episcopus: « Somnium vidi, frater Jacobe diacone, nec mediocriter perturbor, quod scire non possum, quidnam sibi velit. Vidi enim, ad cornu altaris stans, columbam nigerrimam multis sordibus conspurcatam; cumque circum me volitaret, foetorem et squalorem sordium ejus ferre non potui. At illa nihilominus permansit apud me, donec catechumeni dimitterentur. Nam simul atque proclamavit Diaconus ad catechumenos, *Procedite*, vel *Abscedite*, nusquam illa comparuit. Porro post Missam fidelem et peractum sacrificium, cum dimissa esset ecclesia, me extra domus Dei limen prodeunte, rursus advenit columba, multis contaminata sordibus, et circa me volitans. Ego vero extensa manu comprehendi eam, projecique in lavacrum aquâ plenum, quod erat in sanctae ecclesiae atrio: in qua aqua omnes illa sordes adeo deposuit, ut inde instar nivis candida exiret, atque

in sublime volans, prorsus a meo conspectu subduceretur.» Hoc somnium cum mihi sanctus Episcopus narrasset, apprehendit me, et simul accessimus ad summam aedem cum caeteris Episcopis, et ejus civitatis Episcopum salutavimus.

§ **5**. Ingressus autem ille Episcopus, omnem populum adhortatus est: cumque sedissent antistites in thronis suis, post omnem canonicam celebrationem et sancti Evangelii lectionem, idem civitatis Episcopus porrexit beatissimo Nonno sanctum Evangelium, hortans eum, ut verba faceret ad populum. Tum ille aperiens os suum, loquebatur Dei sapientiam, quae in ejus pectore sibi fecerat domicilium; nec quicquam ejus sermo humanae artis aut philosophici supercilii, nihil exoticum aut supervacaneum redolère videbatur: sed cum esset plenus Spiritu Sancto, arguebat et admonebat plebem, sincerissime loquens de futuro judicio, et bonis sempiternis, quae reposuit Deus ipsum diligentibus. Tanta autem fuit vis et efficacia verborum, quae per eum loquebatur Spiritus Sanctus, ut populus mire compunctus, ecclesiae pavimentum suis lacrymis irrigaret. Accidit autem, divina id agente misericordiâ, ut ad eam ecclesiam etiam haec meretrix, de qua jam diximus, et quod mirum est, jam catechumena veniret, cum nunquam ulla ei cura fuisset peccatorum suorum, nec unquam ad templum accessisset. Itaque subito divino est compuncta timore, cum sanctus Nonnus in peccata populi inveheretur, ita ut desperaret de se, et copiosos lacrymarum imbres ex suis funderet oculis, nec ullo modo sibi a lacrymis temperare posset. Mox vero praecepit duobus pueris suis, ut eo in loco exspectarent, donec egrederetur sanctus Nonnus episcopus, eumque abeuntem sequerentur, viderentque quo diverteret, idque ipsi renunciarent. Fecerunt pueri, quod hera jusserat; nosque subsequentes, venêre nobiscum in basilicam beatissimi martyris Juliani, ubi nobis hospitium sive cellula erat. Inde autem egressi, abierunt ad heram suam, indicaruntque ei, Nonnum episcopum in beati Juliani martyris basilica manere.

§ **6**. Id illa audiens, mox per eosdem pueros litteras mittit ad Episcopum, hunc in modum scriptas: « Sancto discipulo Christi, peccatrix et discipula diaboli. Audivi de Deo tuo, quod coelos inclinans, descenderit in terras, non propter justos, sed ut peccatores faceret salvos; usque adeo se humilians, ut publicanis familiariter se adjunxerit, et is, in quem Cherubim non audent respicere, cum peccatoribus versatus sit. Et tu, mi domine, qui multa es praeditus sanctitate, tametsi corporeis oculis non vidisti Christum, qui illi meretrici Samaritanae se humanissimum exhibuit apud puteum: at tamen verus illius cultor es, quemadmodum a Christianis accepi. Quod si ita est, et illius Christi verus discipulus es, non me despicias, per te cupientem venire ad conspectum Salvatoris, et illius sanctissimam faciem intueri.»

Ad haec sanctus Nonnus ita rescripsit: « Quaecumque tandem sis, manifesta es Deo, nec latet eum consilium et voluntas tua. Interim tamen vide, ne tentare ausa sis humilitatem meam, qui sum homo peccator, servus omnipotentis Dei. Quod si revera tenet te desiderium pertingendi ad hujus Dei virtutem et fidem, meque videre vis, sunt mecum alii Episcopi, quibus praesentibus, non negabitur tibi copia me videndi: sed sola profecto non admittèris ad conspectum meum. » Haec cum illa legisset, magna perfusa animi exultatione, cursu contendit ad basilicam beati martyris Juliani, indicavitque se eo advenisse. Id ubi comperit sanctus episcopus Nonnus, vocavit ad se alios Episcopos omnes, ac deinde jussit eam ad se accedere. Venit illa, ubi sedebant Episcopi, seseque in pavimentum prono vultu prosternens, apprehendit pedes beati Nonni, aitque ad eum: « Rogo te, mi domine, imitare magistrum tuum Dominum Jesum Christum, et impertire mihi humanitatem, meque Christianam effice. Ego enim sum pelagus flagitiorum, et quaedam iniquitatis abyssus. Peto autem sanctum mihi conferri baptisma. » Cumque vix ei persuasisset Episcopus, ut a pedibus ejus surgeret, sic illi locutus est: « Sacri Episcoporum Canones vetant baptizari meretricem, nisi fidejussores * adhibeat, qui fidem dent eam non redituram ad anteactae vitae turpitudinem. » Hac Episcopi sententiâ audita, rursus in pavimentum se abjicit, comprehensosque sancti viri pedes rigat lacrymis, et capillis suis detergit, dicitque illi: « Tu itaque rationem reddes justo judici, Deo, pro anima mea, et tibi imputabo omnia scelera et flagitia mea, si distuleris mihi impurae et turpissimae salutaris lavacri beneficium impertire. Non sit tibi portio apud Deum inter sanctos ejus, nisi me feceris alienam a maleficiis et peccatis meis. Negâsse Deum, et idòla coluisse censearis, nisi me hodie in Christi Jesu sponsam renasci feceris, et obtuleris Deo puram et immaculatam. »

§ 7. Tum vero Episcopi omnes et clerici, qui convenerant, videntes illam insignem meretricem, flagitiis omnibus coopertam, magno Dei desiderio ejusmodi sermones promentem, cum multa admiratione dicebant, nunquam se talem vidisse fidem, tantumque obtinendae salutis desiderium, quantum in illa femina apparèret. Moxque ablegarunt me peccatorem ad Episcopum civitatis, ut haec omnia ei significarem, rogaremque ut ejus beatitudo unam ex Diaconissis juberet mecum venire. Episcopus his auditis, incredibili affectus gaudio, « Bene, inquit, pater venerabilis, te isthaec opera sustinebant: scio, quod os meum eris. Et confestim jussit mecum ire dominam Romanam, quae in Diaconissis primas obtinebat. Ea veniens, offendit Pelagiam

* " Id, *observat* Tillemontius in Tomo 12 *Monum. Ecclesiast.*, in conciliorum, quae habemus, canonibus reperiri non credo; verum regula, quae tunc (*nempe cum Pelagia ad bonas fruges est conversa*) observaretur, esse poterat, Ecclesiaeque sanctitate erat digna. „

in sublime volans, prorsus a meo conspectu subduceretur.» Hoc somnium cum mihi sanctus Episcopus narrasset, apprehendit me, et simul accessimus ad summam aedem cum caeteris Episcopis, et ejus civitatis Episcopum salutavimus.

§ 5. Ingressus autem ille Episcopus, omnem populum adhortatus est: cumque sedissent antistites in thronis suis, post omnem canonicam celebrationem et sancti Evangelii lectionem, idem civitatis Episcopus porrexit beatissimo Nonno sanctum Evangelium, hortans eum, ut verba faceret ad populum. Tum ille aperiens os suum, loquebatur Dei sapientiam, quae in ejus pectore sibi fecerat domicilium; nec quicquam ejus sermo humanae artis aut philosophici supercilii, nihil exoticum aut supervacaneum redolère videbatur: sed cum esset plenus Spiritu Sancto, arguebat et admonebat plebem, sincerissime loquens de futuro judicio, et bonis sempiternis, quae reposuit Deus ipsum diligentibus. Tanta autem fuit vis et efficacia verborum, quae per eum loquebatur Spiritus Sanctus, ut populus mire compunctus, ecclesiae pavimentum suis lacrymis irrigaret. Accidit autem, divina id agente misericordiâ, ut ad eam ecclesiam etiam haec meretrix, de qua jam diximus, et quod mirum est, jam catechumena veniret, cum nunquam ulla ei cura fuisset peccatorum suorum, nec unquam ad templum accessisset. Itaque subito divino est compuncta timore, cum sanctus Nonnus in peccata populi inveheretur, ita ut desperaret de se, et copiosos lacrymarum imbres ex suis funderet oculis, nec ullo modo sibi a lacrymis temperare posset. Mox vero praecepit duobus pueris suis, ut eo in loco exspectarent, donec egrederetur sanctus Nonnus episcopus, eumque abeuntem sequerentur, viderentque quo diverteret, idque ipsi renunciarent. Fecerunt pueri, quod hera jusserat; nosque subsequentes, venêre nobiscum in basilicam beatissimi martyris Juliani, ubi nobis hospitium sive cellula erat. Inde autem egressi, abierunt ad heram suam, indicaruntque ei, Nonnum episcopum in beati Juliani martyris basilica manere.

§ 6. Id illa audiens, mox per eosdem pueros litteras mittit ad Episcopum, hunc in modum scriptas: « Sancto discipulo Christi, peccatrix et discipula diaboli. Audivi de Deo tuo, quod coelos inclinans, descenderit in terras, non propter justos, sed ut peccatores faceret salvos; usque adeo se humilians, ut publicanis familiariter se adjunxerit, et is, in quem Cherubim non audent respicere, cum peccatoribus versatus sit. Et tu, mi domine, qui multa es praeditus sanctitate, tametsi corporeis oculis non vidisti Christum, qui illi meretrici Samaritanae se humanissimum exhibuit apud puteum: at tamen verus illius cultor es, quemadmodum a Christianis accepi. Quod si ita est, et illius Christi verus discipulus es, non me despicias, per te cupientem venire ad conspectum Salvatoris, et illius sanctissimam faciem intueri.»

Ad haec sanctus Nonnus ita rescripsit: « Quaecumque tandem sis, manifesta es Deo, nec latet eum consilium et voluntas tua. Interim tamen vide, ne tentare ausa sis humilitatem meam, qui sum homo peccator, servus omnipotentis Dei. Quod si revera tenet te desiderium pertingendi ad hujus Dei virtutem et fidem, meque videre vis, sunt mecum alii Episcopi, quibus praesentibus, non negabitur tibi copia me videndi: sed sola profecto non admittèris ad conspectum meum. » Haec cum illa legisset, magna perfusa animi exultatione, cursu contendit ad basilicam beati martyris Juliani, indicavitque se eo advenisse. Id ubi comperit sanctus epïscopus Nonnus, vocavit ad se alios Episcopos omnes, ac deinde jussit eam ad se accedere. Venit illa, ubi sedebant Episcopi, seseque in pavimentum prono vultu prosternens, apprehendit pedes beati Nonni, aitque ad eum: « Rogo te, mi domine, imitare magistrum tuum Dominum Jesum Christum, et impertire mihi humanitatem, meque Christianam effice. Ego enim sum pelagus flagitiorum, et quaedam iniquitatis abyssus. Peto autem sanctum mihi conferri baptisma. » Cumque vix ei persuasisset Episcopus, ut a pedibus ejus surgeret, sic illi locutus est: « Sacri Episcoporum Canones vetant baptizari meretricem, nisi fidejussores * adhibeat, qui fidem dent eam non redituram ad anteactae vitae turpitudinem. » Hac Episcopi sententiâ audita, rursus in pavimentum se abjicit, comprehensosque sancti viri pedes rigat lacrymis, et capillis suis detergit, dicitque illi: « Tu itaque rationem reddes justo judici, Deo, pro anima mea, et tibi imputabo omnia scelera et flagitia mea, si distuleris mihi impurae et turpissimae salutaris lavacri beneficium impertire. Non sit tibi portio apud Deum inter sanctos ejus, nisi me feceris alienam a maleficiis et peccatis meis. Negâsse Deum, et idòla coluisse censearis, nisi me hodie in Christi Jesu sponsam renasci feceris, et obtuleris Deo puram et immaculatam. »

§ 7. Tum vero Episcopi omnes et clerici, qui convenerant, videntes illam insignem meretricem, flagitiis omnibus coopertam, magno Dei desiderio ejusmodi sermones promentem, cum multa admiratione dicebant, nunquam se talem vidisse fidem, tantumque obtinendae salutis desiderium, quantum in illa femina apparèret. Moxque ablegarunt me peccatorem ad Episcopum civitatis, ut haec omnia ei significarem, rogaremque ut ejus beatitudo unam ex Diaconissis juberet mecum venire. Episcopus his auditis, incredibili affectus gaudio, « Bene, inquit, pater venerabilis, te isthaec opera sustinebant: scio, quod os meum eris. Et confestim jussit mecum ire dominam Romanam, quae in Diaconissis primas obtinebat. Ea veniens, offendit Pelagiam

* " Id, *observat* Tillemontius in Tomo 12 *Monum. Ecclesiast.*, in conciliorum, quae habemus, canonibus reperiri non credo; verum regula, quae tunc (*nempe cum Pelagia ad bonas fruges est conversa*) observaretur, esse poterat, Ecclesiaeque sanctitate erat digna. „

adhuc ad pedes sancti Episcopi jacentem, vixque ei persuaderi potuit, ut surgeret a terra. Dixit autem ei episcopus Nonnus: « Surge, filia, ut exorcismus tibi adhibeatur. Prius autem confitère omnia peccata tua. » Illa respondit: « Ego si velim evolvere conscientiam meam, sat scio nihil me boni operis illic reperturam. Certa autem sum, peccata mea suo pondere vincere maris arenam; et prope nihil esse universum mare prae immensa mole innumerabilium peccatorum meorum. Sed tamen confido de Deo tuo, remissurum eum pondus iniquitatum mearum, et me pro sua clementia respecturum. » Ait ad eam sanctus Nonnus episcopus: « Dic, quo vocèris nomine. » Respondit illa: « A parentibus Pelagiae nomen mihi impositum est: sed cives Antiocheni Margaritam me vocant, propter copiam margaritorum et moles ornamentorum, quibus me mea scelera instruxerunt. Fui enim, proh dolor! male comptum diaboli rete.» Rursus ad eam sanctus Episcopus: « Proprio ergo, inquit, nomine Pelagia diceris? » Respondit illa: « Plane, mi domine. » Mox Episcopus exorcizavit et baptizavit eam; et cum imposuisset ei signum Domini, atque cruce eam consignasset, Dominicum corpus ei tradidit *. Spiritalis vero mater ei attributa est domina Romana, prima Diaconissarum; quae eam ad se accipiens, ascendit cum ea in locum, ubi catechumeni instituebantur, eo quod et nos illic maneremus.

§ 8. Ait autem ad me Nonnus episcopus: « Laetum hunc diem agamus, frater mi, cum Angelis Dei, et praeter morem nostrum, oleum accipiamus in cibum, et vinum cum spiritali jucunditate bibamus propter hujus puellae salutem. » Sumentibus itaque nobis cibum, audiuntur voces subito, tamquam hominis vim magnam patientis. Clamabat enim impurissimus daemon, dolens eam animam e suis faucibus, singulari Dei misericordiâ et beati Episcopi operâ, ereptam: « Heu me miserum, inquit, quid ab hoc decrepito patior sene? Non tibi sufficiunt triginta millia Saracenorum, quos mihi abstulisti, et baptizasti, et obtulisti Deo tuo? Non tibi sufficiebat Heliòpolis, quae cum esset ditionis meae, et omnes ejus habitatores me colerent et adorarent, tu eam a me abalienasti, et restituisti Deo tuo? Ecce enim separasti a me maximam spem meam, nec jam ferre possum machinationes tuas. Eheu quid perfero ab isto homini execrabili? Maledicta sit dies illâ, in qua natus es tu: flumina lacrymarum inundant domicilium meum. Ablata a me est spes mea. » Hunc in modum clamitabat miser ille; et ad fores dabat ejulatus, ita ut ab omnibus audiretur. Deinde et ad neophytam puellam sese convertens, « Haeccine, inquit, mihi facis domina mea, Pelagia, et imitaris Judam meum, proditorem Domini sui: qui cum ab

* Simul ergo S. Pelagia Sacramenta tria, Baptismum videlicet, Confirmationem et Eucharistiam, suscepit.

illo esset gloriâ et honore coronatus, et ad Apostolicae dignitatis culmen evectus, tradidit illum infensissimis hostibus ejus? Sic enim tu quoque mihi fecisti. » Ait autem ad eam sanctus Nonnus episcopus: « Imprime tibi signum Crucis Christi, et prorsus illi nuncium remitte. » Consignavit illa sese in Christi nomine, et inflavit in daemonem. Mox ille evanuit miser.

§ **9**. Inde post biduum, quum dormiret cum Romana in cubiculo suo, nocte ei diabolus apparuit, eamque excitans, « Quaeso te, ait, domina mea Margarita, an non auro et argento locupletata es? An non auro et gemmis magni pretii ornavi te? Quid vero unquam tibi molestiae attuli? Responde mihi, ut et ego tibi satisfaciam: tantum ne per te Christianis ludibrio sim. » At illa rursus consignavit se, et inflans eum, ait: « Deus meus, qui me extraxit ex imis faucibus tuis, et admisit in coelestem thalamum suum, pro me pugnabit, tibique resistet, teterrime Satan. » Et ecce repente ille impurus nusquam comparuit. Tertio inde die a baptismo suo rogavit famulum suum, cui curam omnium facultatum suarum demandarat, ut describeret omnes res ejus, et quicquid haberet auri, argenti, ornamentorum et pretiosarum vestium, ad ipsam adferret. Fecit ille, ut jussus erat. At illa mox accivit ad se per Romanam beatissimum Nonnum episcopum, omnesque opes suas ejus permisit voluntati: « Hae sunt, inquiens, mi domine, facultates et copiae, quibus me ditavit egentissimus Satan; has ego pono in manibus tuis, ut, quod nosti expedire, id facias ex iis: mihi enim jam expetendae et inquirendae sunt immensae opes et thesauri inexhausti Domini et Salvatoris mei Jesu Christi. »

§ **10**. Confestim Episcopus accersivit ad se seniorem ecclesiae custodem, eàque praesente, omnes facultates ejus illi tradidit: « Adjuro te, inquiens, per inseparabilem Trinitatem, ne ex his rebus inferatur vel in Episcopi domum, vel in ecclesiam: sed in viduas, et orphanos, et pauperes erogentur omnia: ut quae male et per scelus parta sunt, bene et religiose expendantur, et opes peccatricis convertantur in justitiae thesauros. Quod si tu contempto hoc juramento, sive per te, sive per alium quemvis quicquam ex his subtraxeris, anathema occupet domum tuam, et cum iis ea habeat partem, qui dixerunt, *crucifigatur, crucifigatur*. Pelagia vero accivit ad se omnes pueros et puellas suas, eosque libertate donavit, et torques aureas de manu sua eis tradens: « Ocyus, inquit, asserite et liberate vos ab hoc seculo nequam, peccatis et flagitiis cooperto, ut quemadmodum in hac vita inter nos conjuncti fuimus, ita sine fine in illa vita beatissima pariter vivamus. »

§ **11**. Octavo autem die, quando albam vestem deponere debuit, nocte, nobis prorsus insciis, illa surrexit; deponensque baptismatis vestem, cilicinam induit; nec postea unquam Antiochiae

visa est. Flebat autem eam Romana acerbissime, sed sanctus Nonnus consolabatur eam, dicens: « Noli flere, filia, sed potius exulta et laetare. Pelagia enim optimam partem elègit instar Mariae, quam Dominus in Evangelio Marthae anteponit. » Abiit vero Pelagia Jerosolymam, et in montem Oliveti, ubi Dominus precatus est, sibi cellulam construxit. Non diu post Antiochenus Episcopus dimisit a se antistites omnes qui ad eum venerant, ut singuli ad sua reverterentur. Elapso inde triennii aut quadriennii spatio, mihi Jacobo cupìdo incessit proficiscendi Jerosolymam, et adorandi illic resurrectionem Domini Salvatoris. Rogavi itaque Episcopum meum, ut mihi cum ipsius bona venia eo liceret proficisci. Assensit ille, jussitque ut ubi eo pervenissem, inquirerem de quodam fratre Pelagio monacho et eunucho, qui aliquot annis vixisset solitarius et inclusus, diceremque me illum velle invisere. Poteris enim, inquit, ab eo adjuvari. Haec vero subobscure ille dicebat de ancilla Dei Pelagia.

§ **12**. Pervèni igitur Jerosolymam, et cum adorassem sanctam Christi resurrectionem, altera die perquisivi de Servo Dei, Pelagio. Invèni autem illum in monte, ubi Dominus oravit, in exigua eaque undique conclusa cellulâ degentem, in cujus parìete parva fenestra visebatur. Percussi itaque ostium fenestellae; moxque illa aperuit, vidensque me facile agnovit, cum ego illam prorsus non agnoscerem. Quo enim pacto cognosci posset, quae mihi antea visa erat summa formae elegantiâ et pulcritudine, at nunc prae nimia abstinentia vultus macie extabuerat, oculi intro recesserant, ut quaedam concavae fossae viderentur? Ait vero ad me: « Unde venis, frater? » Respondi me missum ad ipsam a Nonno episcopo. Et illa: « Oret, inquit, pro me, quia revera sanctus vir est. » Moxque occlusit fenestellam, coepitque psallere preces horae Tertiae. Ego postquam oravi ad parietem cellulae ejus, recessi, multum adjutus angelico ejus conspectu. Reversus inde Jerosolymam monasteria perlustravi, invisique fratres. Magna autem Pelagii fama in iis percrebuerat. Quamobrem constitui rursus ad eam reverti, ut possem ejus salutari doctrinâ recreari. Sed ubi ad cellulam ejus pulsavi, eamque nominatim appellavi, nihil respondit. Cumque idem fecissem altero et tertio die, nullam ejus vocem persensi. Dixi itaque apud me: « Aut nullus hic est, aut ille monachus, qui hic mihi visus est, jam alio commigravit. » Interim divino quodam permotus instinctu, Quid si, inquam, per fenestellam intro inspiciam? Inspexi ergo, et vidi eam exanimem. Mox, occlusa fenestellâ, et luto diligenter obstructa, cursu abeo Jerosolymam, referoque ad fratres, Pelagium mirabilium operum * patratorem, in Domino quievisse. Veniunt itaque sancti patres cum multis diversorum monasteriorum fratribus, patefaciunt cellulae ostiolum, sanctum Pelagiae corpusculum

* Idest, mirabilia poenitentiae ac virtutis opera, non autem miracula patrans.

foras exportant. Quod cum myrrhâ condire vellent, animadver-[illegible]t feminam fuisse, magnaque voce exclamant: « Gloria tibi [illegible]ne Jesu Christe, qui multos habes in terris thesauros abs-[illegible], non in virili dumtaxat, sed etiam muliebri sexu. » A[illegible]n rumor ad totius populi aures, veneruntque ex omni-[illegible]teriis virginum, tam quae in Jericho, quam quae ad [illegible]nt, ubi Dominus baptizatus est, cum cereis, lampa-ibus [illegible]is: depositaeque sunt sanctae ejus reliquiae, et a [illegible]atr[illegible] absportatae. Haec est vita meretricis *, haec con-[illegible] des[illegible]ae: cum qua etiam nos faciat Dominus invenire [illegible]icordia[illegible] die judicii: quoniam ipsi est honor et gloria, [illegible]stas et i[illegible]rium, in secula seculorum, Amen.

[illegible]VITA S. BIRGITTAE VIDUAE

[illegible]ULTIS REVELATIONIBUS CLARISSIMAE

HAB[illegible] HAEC VITA ETIAM TYPIS JAMPRIDEM EXCUSA, ET SUFFRAGATUR [illegible]LLA CANONIZATIONIS ** EJUS UT VOCANT, EDITA A BONIFACIO EJUS [illegible]NIS IX PONTIFICE MAXIMO. STYLUM IN GRATIAM LECTORIS MUTAVIT [illegible]SIM LAUR. SURIUS, OMISSIS NONNUNQUAM BREVITATIS STUDIO, QUAE [illegible] HISTORIAM NON MULTUM ATTINERENT.

Obiit anno 1373 — Nat. Sveca.

§ **1.** Sancta Birgitta *** in regno Svediae orta, non tantum pa-[illegible]es habuit nobiles, et tum coram Deo, tum coram mundo potentes, verumetiam avos, proavos et abavos excellentes, legem Dei ferventer inquirentes, et peregrinationes suscipientes, caeteraque pia opera avidissime exequentes. Omnis enim cognatio ejus et stirps, uti etiam beati Tobiae, bonam vitam et sanctam conversationem sectata est; adeo ut tam Deo, quam hominibus, et cunctis habitantibus terram, accepti et cari essent. Avus enim, et proavus atque abavus patris ejus, exemplo Abrahae et aliorum priscorum patrum, peregrini esse voluerunt in hoc mundo, tametsi erant *divites in virtute, pulcritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis* (*Eccli.* XLIV). Nam sacramenta Dominicae passionis ad memoriam revocantes, peregre profecti sunt

* Sancta haec Pelagia, ab aliis quatuor homonymis in Martyrol. Rom., 23 martii, 4 maji, 9 jun. et 19 huj. recensitis, luculenter distinguitur; vide nostram Martyrologii Illustrationem ad dictas singulas dies, praecipue vero Surii Vol. V, p. 87 et VI, p. 223.
** Bulla Canonizationis S. Birgittae, die 7 octobris 1391, edita fuit.
*** Italis et apud quosdam etiam latine: Brigida.

visa est. Flebat autem eam Romana acerbissime, sed sanctus Nonnus consolabatur eam, dicens: « Noli flere, filia, sed potius exulta et laetare. Pelagia enim optimam partem elègit instar Mariae, quam Dominus in Evangelio Marthae anteponit. » Abiit vero Pelagia Jerosolymam, et in montem Oliveti, ubi Dominus precatus est, sibi cellulam construxit. Non diu post Antiochenus Episcopus dimisit a se antistites omnes qui ad eum venerant, ut singuli ad sua reverterentur. Elapso inde triennii aut quadriennii spatio, mihi Jacobo cupìdo incessit proficiscendi Jerosolymam, et adorandi illic resurrectionem Domini Salvatoris. Rogavi itaque Episcopum meum, ut mihi cum ipsius bona venia eo liceret proficisci. Assensit ille, jussitque ut ubi eo pervenissem, inquirerem de quodam fratre Pelagio monacho et eunucho, qui aliquot annis vixisset solitarius et inclusus, diceremque me illum velle invisere. Poteris enim, inquit, ab eo adjuvari. Haec vero subobscure ille dicebat de ancilla Dei Pelagia.

§ **12**. Pervèni igitur Jerosolymam, et cum adorassem sanctam Christi resurrectionem, altera die perquisivi de Servo Dei, Pelagio. Invèni autem illum in monte, ubi Dominus oravit, in exigua eaque undique conclusa cellulâ degentem, in cujus parìete parva fenestra visebatur. Percussi itaque ostium fenestellae; moxque illa apĕruit, vidensque me facile agnovit, cum ego illam prorsus non agnoscerem. Quo enim pacto cognosci posset, quae mihi antea visa erat summa formae elegantiâ et pulcritudine, at nunc prae nimia abstinentia vultus macie extabuerat, oculi intro recesserant, ut quaedam concavae fossae viderentur? Ait vero ad me: « Unde venis, frater? » Respondi me missum ad ipsam a Nonno episcopo. Et illa: « Oret, inquit, pro me, quia revera sanctus vir est. » Moxque occlusit fenestellam, coepitque psallere preces horae Tertiae. Ego postquam oravi ad parietem cellulae ejus, recessi, multum adjutus angelico ejus conspectu. Reversus inde Jerosolymam monasteria perlustravi, invisique fratres. Magna autem Pelagii fama in iis percrebuerat. Quamobrem constitui rursus ad eam reverti, ut possem ejus salutari doctrinâ recreari. Sed ubi ad cellulam ejus pulsavi, eamque nominatim appellavi, nihil respondit. Cumque idem fecissem altero et tertio die, nullam ejus vocem persensi. Dixi itaque apud me: « Aut nullus hic est, aut ille monachus, qui hic mihi visus est, jam alio commigravit. » Interim divino quodam permotus instinctu, Quid si, inquam, per fenestellam intro inspiciam? Inspexi ergo, et vidi eam exanimem. Mox, occlusa fenestellâ, et luto diligenter obstructa, cursu abeo Jerosolymam, referoque ad fratres, Pelagium mirabilium operum * patratorem, in Domino quievisse. Veniunt itaque sancti patres cum multis diversorum monasteriorum fratribus, patefaciunt cellulae ostiolum, sanctum Pelagiae corpusculum

* Idest, mirabilis poenitentiae ac virtutis opera, non autem miracula patrans.

foras exportant. Quod cum myrrhâ condire vellent, animadvertunt feminam fuisse, magnaque voce exclamant: « Gloria tibi Domine Jesu Christe, qui multos habes in terris thesauros absconditos, non in virili dumtaxat, sed etiam muliebri sexu. » Abiit autem rumor ad totius populi aures, veneruntque ex omnibus monasteriis virginum, tam quae in Jericho, quam quae ad Jordanem erant, ubi Dominus baptizatus est, cum cereis, lampadibus et hymnis: depositaeque sunt sanctae ejus reliquiae, et a sanctis patribus absportatae. Haec est vita meretricis *, haec conversatio desperatae: cum qua etiam nos faciat Dominus invenire misericordiam in die judicii: quoniam ipsi est honor et gloria, potestas et imperium, in secula seculorum, Amen.

VITA S. BIRGITTAE VIDUAE

MULTIS REVELATIONIBUS CLARISSIMAE

HABETUR HAEC VITA ETIAM TYPIS JAMPRIDEM EXCUSA, ET SUFFRAGATUR EI BULLA CANONIZATIONIS ** EJUS UT VOCANT, EDITA A BONIFACIO EJUS NOMINIS IX PONTIFICE MAXIMO. STYLUM IN GRATIAM LECTORIS MUTAVIT PASSIM LAUR. SURIUS, OMISSIS NONNUNQUAM BREVITATIS STUDIO, QUAE AD HISTORIAM NON MULTUM ATTINERENT.

Obiit anno 1373 — Nat. Sveca.

§ **1**. Sancta Birgitta *** in regno Svediae orta, non tantum parentes habuit nobiles, et tum coram Deo, tum coram mundo potentes, verumetiam avos, proavos et abavos excellentes, legem Dei ferventer inquirentes, et peregrinationes suscipientes, caeteraque pia opera avidissime exequentes. Omnis enim cognatio ejus et stirps, uti etiam beati Tobiae, bonam vitam et sanctam conversationem sectata est; adeo ut tam Deo, quam hominibus, et cunctis habitantibus terram, accepti et cari essent. Avus enim, et proavus atque àbavus patris ejus, exemplo Abrahae et aliorum priscorum patrum, peregrini esse voluerunt in hoc mundo, tametsi erant *divites in virtute, pulcritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis* (*Eccli.* XLIV). Nam sacramenta Dominicae passionis ad memoriam revocantes, peregre profecti sunt

* Sancta haec Pelagia. ab aliis quatuor homonymis in Martyrol. Rom., 23 martii, 4 maji, 9 jun. et 19 huj. recensitis, luculenter distinguitur; vide nostram Martyrologii Illustrationem ad dictas singulas dies, praecipue vero Surii Vol. V, p. 87 et VI, p. 223.

** Bulla Canonizationis S. Birgittae, die 7 octobris 1391, edita fuit.

*** Italis et apud quosdam etiam latine: Brigida.

in civitatem sanctam, Jerusalem, et ad alia loca, quae Christus Jesus corporali praesentiâ sua illustravit, idque non sine multo sumptu et labore. Eorum autem et exitum et introitum Dominus misericorditer custodivit. Sed et pater S. Birgittae, Birgerus, in illorum vestigiis insistens, multa loca Sanctorum, puta S. Jacobi *, et alia circa mare Australe, devotissime invisit, paratus etiam ulterius proficisci ad Terram sanctam, nisi Apostolicae Sedis consilio, propter causas rationi consentaneas, retardatus fuisset. Idem ipse singulis sextis feriis peccata sua solebat humiliter confiteri, saepissime his utens verbis: « Ita me qualibet sexta feriâ comparare volo erga Deum, ut quicquid caeteris diebus ille mihi praestiterit, ferre aequo animo possim.» Memor erat sententiae illius: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (*Eccli.* v). Fecit consimiliter filius ejus, quoad vixit, qui etiam post confessionem secreto acerrimis flagellis caedebat corpus suum, ut, paratus in flagella, Christum flagellatum in suo glorificaret corpore, et cum vitiis et concupiscentiis jugiter crucifigeret carnem suam.

§ **2**. Mater quoque beatae Birgittae, Sigridis, nobilis et religiosa fuit, cujus pater sanguine regio procreatus erat, diligens decorem domus Dei, ita ut multas extruxerit ecclesias, et pro magnificentia sua amplissimos redditus dotis nomine, eis assignârit. Porro ingressus beatae Birgittae sponsae Christi, in hunc mundum, fuit quasi diluculum divinitus praeparatus. Nam cum adhuc materno gestaretur utero, àccidit ut mater ejus in quodam maris sinu naufragium faceret; cumque multi utriusque sexus submergerentur, Dux regni, Henricus, frater regis Svediae, videns illam in periculo versari, modis omnibus, quibus potuit, eam vivam ad litus perduxit. Eàdem autem nocte illi adstitit persona quaedam, veste luculenta induta, dixitque ad eam: « Salva evasisti propter bonum illud quod habes in utero. Itaque nutri illud pro Dei amore, sciens specialiter id tibi divinitus esse donatum.» Nata autem puellâ, sacerdos quidam vicinioris ecclesiae vitae integrae et provectae aetatis, qui postea factus est Episcopus Aboensis in Svedia, inter orandum nocte vidit nubem lucidam, et in nube sedentem virginem, in manu sua librum habentem. Admirans igitur, audivit vocem ejuscemodi: « nata est Birgero filia, cujus vox mirabilis toto orbe audietur.» Ab ipso autem ortu suo triennium fero permansit elinguis infantula, nec ullum èdidit sermonem. Sub finem vero triennii tam perfecte loqui coepit, ut jam non infantium balbutientium more, sed contra ejus aetatis usum, absolute sua verba enunciaret.

§ **3**. Interea mater ejus, eleemosynis et bonis operibus semper dedita, morbo corripitur, et aliquot diebus ante praedicit obitum suum. Cumque jam esset migratura a corpore, maritum

* Scilicet Sepulcrum S. Jacobi Compostellae (*Santiago*) in Gallecia, Hispaniae regno.

suum et alios ejus morte dolentes, ita compellat: « Quid ita doletis? Sufficiat hucusque prorogasse vitam. Gratulari potius mihi debetis, quod ad potentiorem Dominum evocata sum. » Inde accitis filiis, cum omnibus valedixisset, obdormivit in Domino. Eâ defuncta, filiola ejus Birgitta, a patre tradita est nutrienda materterae suae, matronae insigni prudentiâ et religione. Et cum septennis fere esset, vidit quodam tempore evigilans, e regione lectuli sui altare, et super illud Dominam indutam vestibus splendidis, et in manu ferentem coronam magni pretii, ipsique dicentem: « Birgitta, veni. » Surgenti illi et ad aram properanti, dixit Domina: « Visne habere coronam hanc? » Illâ annuente, imposuit eam capiti ejus, ita ut sentiret puella caput suum tamquam circulo quodam ambiri. Sed cum ad lectulum rediisset, visio illa disparuit, cujus tamen nunquam potuit oblivisci.

§ 4. Deinde ad annum aetatis decimum accedens, instar purissimi lilii, totius honestatis candorem retinens, et a radice labentis mundi, ad coelestium pulcritudinem sese èrigens, munditiam animi et corporis, ceu thesaurum absconditum conservabat. Abundavit in ea totius forma virtutis: sobrietas cum modestia, simplicitas cum verecundia, humilitas cum obedientia, jucunda conscientia, hilaris patientia, charitas indefessa. Decimo aetatis anno cum audivisset in templo concionantem de passione Domini, nocte sequente, vidit in somnis Christum, quasi eadem horâ crucifixum, sibique dicentem: « En ut excruciatus sum. » Illa existimans eadem horâ recens id factum, ait ad eum: « Ecquis isthuc tibi fecit Domine? » Christus respondit: « Illi, qui me contemnunt, et charitatem meam negligunt. » Tum illa ad se reversa, usque adeo fuit affecta erga passionem Christi, ut ejus mysteria raro sine lacrymis ad memoriam potuerit revocare.

§ 5. Cum duodennis jam esset, cum puellis suis coaetaneis acu pingebat ex serico et auro. Animo autem anxia, ita ut operi intendere non posset, oculos mentis ad Deum referebat. Ecce autem visa est illi assidère virgo quaedam ignota, eam in eo opere àdjuvans. Interrogata deinde, quaenam ipsi assedisset, respondit se neminem vidisse. At matertera ejus, opus, quod tum prae manibus habuerat, non ab illa tam tenera puella, sed divinitus potius elaboratum considerans, inter reliquias fideliter illud asservabat. Nocte autem quadam, eadem matertera in ejus cubiculum latenter ingressa, invenit eam, caeteris dormientibus, in silentio clam ante lectum suum, nudam adorare cum lacrymis Crucifixum. Suspicata autem, levitate quadam puellari id fieri, virgâ eam percussit, sed ea in minutissimas partes dissiliit. Admirans igitur, dicit ad eam: « Quid egisti, Birgitta? Num te docuerunt feminae preces quasdam fallaces? » Illa cum lacrymis respondit: « Non, domina mea; sed surrexi e lecto, ut laudarem eum, qui me semper solet adjuvare. » Sciscitante

matertera, quis ille esset, respondit: « Crucifixus est, quem pridem conspexi. » Ab illo ergo die matertera ejus coepit eam et amare impensius, et amplius venerari.

§ 6. Non diu post ludens cum puellis Birgitta, vidit diabolum tamquam centimanum et centipedem, horrida specie deformem. Perterrita igitur, cucurrit ad lectulum suum, humiliter se Christo commendans. Ubi rursus ei teter ille spiritus apparens: « Nihil possum, inquit, nisi permittat Crucifixus. » Animadvertens autem pater ejus, quod virgo jam nubilis, et tanta morum elegantiâ spectabilis, ceu altera quaedam Esther, posset generi suo magnum adferre splendorem et dignitatem, et instar parvi fontis in maximum excrescens fluvium, plurimis aquis redundare; ipsam licet summopere in virginitatis proposito permanere cupientem, cuidam adolescenti diviti, illustri, cordato et prudenti despondit. Erat is Nericiae princeps, et Ulpho de Ulphaso dicebatur. Vixerunt autem pariter annum unum et eo amplius pudice, et continenter, obnixe rogantes Deum, ut si ei visum esset, ut inter se concumberent, talem ex iis prolem procrearet, quae ipsius servitio manciparetur. Postquam autem jam inter se convenerant, semper in Quadragesima, et diebus solemnibus et qualibet sexta feriâ, abstinebant; et tum illa clam induta vestibus, extra lectum cubabat in pavimento vel assere, tapète instrato. Porro ambo simul, adspirante spiritu Dei, matrimonium honestissime coluerunt, et tam Deo quam hominibus cari, in venusta morum integritate et maturitate felices habuere progressus. Filios suos Birgitta cum multa sollicitudine et diligentia educavit; eosque, ceu aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, unguibus castigationis et sanae doctrinae, radiis solis justitiae objecit, adhibens illis praeceptores, qui eos in fide et moribus instituerent. Apparuit quandoque ei beatissimus Joannes Baptista, et ait: « Quando quidem plorasti, quod filius tuus offendit me, non jejunans in vigilia festi mei, mallesque eum servire mihi, quam regia dignitate excellere; idcirco ego illum adjuvabo, et armis meis communiam. »

§ 7. Loca, levitates, et personas omnes, unde posset aliqua notâ adspergi, declinabat, semperque honestas ancillas et comites omni morum honestate conspicuos apud se retinebat, ne cuiquam obtrectandi occasionem praeberet. Et quia a primis aetatis initiis divina erat gratiâ perfusa, divini amoris calore incensa, sursum toto desiderio ferebatur in Deum, et ardentissime coelestia meditabatur. Ne quam autem Satanae tentandi materiam offerret, ab otio valde abhorruit, bonisque et sanctis exercitiis semper vacans, nunc operi manuum incumbebat cum fabulabus suis, divino cultui et proximorum utilitati profuturo; nunc Sanctorum vitas et sacra Biblia, quae Gothico idiomate sibi scribenda curarat, legebat; nunc ecclesiarum limina terens, divinis officiis

libenter intererat; nec pepercit labori corporis: sed suave et delectabile illi videbatur, pedibus suis ire ad monasteria et ecclesias cathedrales, tum ob indulgentias sive condonationes promerendas, tum ob audiendas doctorum virorum conciones. Jejuniis; quoque, vigiliis et orationibus ferventer intenta, docebat carnem parere spiritui; atque a delicatioribus escis abstinens, ea cautione id faciebat, ut a marito et aliis non adverteretur. Semper autem interdiu ad corpus, et noctu, absente marito, veste dura et aspera utebatur.

§ **8**. Jam vero, infirmorum, morbidorum et pauperum felix et inclyta mater, eleemosynas largissimas praestabat. Habebat autem magnas aedes pauperibus deputatas, et in iis feminas, quae illorum ministerio semper occuparentur. Sed et ipsa cum multa humilitate non raro illis inserviebat, lavans et osculans pedes eorum. Quandoque in partu ea periculose laborante, matrona quaedam, alba serica veste induta, ad eam ingrediebatur, singula jacentis membra palpans. Cumque rursus egrederetur, illa mox sine ulla difficultate peperit. Non dubium, quin beata Maria fuerit, sicut postea per revelationem ei indicavit. Maritus autem ejus, cum esset vir strenuus et potens, et ex praecipuis Regis consiliariis, perspectâ tanta ejus virtute et gratiâ, illius sacris et salutaribus delectabatur sermonibus et consiliis, ita ut, spretis omnibus mundanae vanitatis honoribus et pompis, ab aula Regis prorsus se subduceret, suavique jugo Domini se totum humiliter submittens, quicquid esset aequum et justum, quicquid bonis moribus et honestati consentaneum, in gloriam et laudem Dei efficaciter exequi conaretur. Didicit vero etiam a beata Birgitta legere preces horarias beatissimae Matris Dei. Ambo igitur ferventes spiritu, ut se liberius a mundi vanitatibus expedirent, e patria sua exeuntes, non sine multo labore et sumptu, profecti sunt in Hispaniam ad Sanctum Jacobum; et tandem multis peragratis sanctorum Locis, cum jam essent in reditu, maritus coepit apud Atrèbates * pessime valere. Increscente autem morbo, cum beatam Birgittam magni tenèrent angores, sanctus Dionysius eam consolatus est, ita dicens: « Ego sum Dionysius, qui ab urbe Roma in Gallias veni praedicare verbum Dei. Tu ergo, quae me singulariter amas, scire debes, per te velle Deum mundo innotescere, teque meae curae commissam esse. Cujus rei hoc habebis signum, quod maritus tuus jam non morietur. » Transactis inde aliquot eo in loco diebus, vidit in spiritu admiranda quaedam, quemadmodum itura esset Romam, et Jerosolymam, et e corpore migratura.

§ **9**. Rursus aliquot evolutis diebus, cum vir ejus convaluisset, in patriam redierunt, ipsaque, Deo dilecta, maritum suum sanctis adhortationibus perfecte ad Deum convertit, et tum

* Atrebates, Artesiae (gallice *Artois*) populus. Item urbs *Arras* Atrebates vocabatur.

precibus, tum exemplis suis, eum ad perpetuae continentiae studium perduxit. Cumque votum ille nuncupasset Deo, quod monasticum vellet vivendi genus arripere, septem liberis procreatis, diu servata continentiâ, in monasterio Alvastra Ordinis Cisterciensis, feliciter a vita decessit. Eo defuncto, sancta et pudica matrona ad secundas nuptias non accessit, sed mundo valefaciens, facultatibus suis inter proles distributis, habitum mutavit et vitam. Fecisset autem majora, nisi peregrinari divinitus jussa fuisset. Vidisses deinde eam ceu alteram Judith, virtute castitatis insignem, erga proximum officiosam, piam erga Deum; et quemadmodum Apostolus docet, quasi vere viduam et desolatam, spem suam in Domino collocantem. Cum autem quodam tempore plus satis anxia esset de mutatione status sui, ut Deo liberius servire posset, mentis ecstasim passa, vidit nubem luculentam, et ex nube vocem audivit ipsi dicentem: « Ego sum Dominus Deus tuus, qui tecum loqui volo. Tu eris sponsa mea et canalis meus.» Iis verbis illa territa, quod putaret illusionem esse, rursus audivit: « Noli timere, quia ego sum Conditor omnium, non impostor; nec tuâ unius causâ loquor, sed propter salutem multorum. Audi ergo quae ego loquor, et deinde refer ea ad magistrum Matthiam, qui suâ experientiâ didicit spiritum veritatis ab illusionis spiritu discernere.» Is Matthias, vir magnâ fuit in Deum devotione, et sacrae Theologiae Doctor celebris: cui beata Birgitta in omnibus obedivit, quemadmodum ei tum divinitus praeceptum fuit, cum coelestes primum coepit habere revelationes. Specialiter vero a Deo hoc illa obtinuit, ut annis viginti octo, postquam eas habuit revelationes, nunquam profecta fuerit, nunquam alicubi haeserit, nisi movente eam Spiritu Dei.

§ **10**. Instituit autem novum monasticum ordinem, et regulam sive Canonem ex ore Christi ipsi dictantis conscripsit, quem monialibus coenobii Watstenae * servandum reliquit. Interim propter subitariam vitae mutationem et habitus utilitatem a nobilibus, vitam ejus non alio, quam insaniae loco habentibus, contemnebatur: sed eis illa dicebat: « Nec propter vos incoepi, nec propter vos desistam. Statui autem apud animum meum verba tolerare. Orate vos pro me, ut perseverare queam. » Non enim ignorabat, sicut malam conscientiam non sanant laudantium praeconia, ita nec bonam laedere vituperatium convicia. Triginta annis ab obitu mariti vestibus lineis usa non est, nisi dumtaxat in capitis velaminibus; sed, aspero induta cilicio, carnem suam excruciabat. Ante lectum suum jusserat poni tapetum simplex vel pallium, et pulvinar exiguum pro capite: sicque cubare solebat. Interrogata, quînam sic somnum capere posset in acerrimis frigoribus, quibus eae regiones Aquilonares

* Watzena vel Wastenum, oppidum est Ostrogothiae, in Svecia provinciae, apud lacum Weter in Dioecesi Lincopiensi. Harum monialium Regulae adprobatae fuerunt ab Urbano Pp. VI.

rigent; respondit: « Ego tantum intra me sentio ardorem, et frigus externum me non valde anxiam habeat. » Nocte et die toties flectebat genu, toties sese inclinabat et osculabatur humum, vel *Venias* *, ut dici solet, capiebat, ut mirum videretur tam nobilem et tenerae habitudinis matronam, tantos posse perferre labores. Sextis feriis consuevit ardentis cerei guttas ignitas in nudam deponere carnem, ita ut vulnerum vestigia relinquerentur: quae si sua sponte ante proximam sextam feriam nonnihil curata essent, suis unguibus ea lacerans, renovabat, ne corpus ejus vulnerum afflictione vacaret. Habebat etiam nodosa et asperrima ligamina ad corpus suum, quae neque noctu, neque interdiu a se removit. Qualibet sexta feria propter Salvatoris passionem, et felleum potum, ipsi in cruce oblatum, amarissimam herbam quamdam ore retinebat; idque itidem aliis quoque diebus faciebat, si quod verbum inconsiderate protulisset. Et quia, spreta mundanae laetitiae falsa pulcritudine, cor ejus intolerabili mortis Christi acerbitate perfusum erat, non absurde dicere potuit cum illa praeclara vidua Noëmi: « Ne vocetis me pulcram, sed vocate me amaram; quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. » Obedientiae vero studiosa fuit, ut nullibi esse voluerit sine praeceptore. In facienda confessione humillimam, et ad quaevis ipsi injuncta promptissimam, se exhibuit. Ab infantia pro more habuit, singulis sextis feriis confiteri peccata sua. Sed saepius, eo minime contenta, quolibet die crebro confitebatur etiam levicula verba et cogitationes.

§ **11**. Ex obedientia in domibus, monasterio Alvastrae vicinis et contiguis morabatur, non ut aboleret canonem monasticum illis fratribus praescriptum, nec ut novum quemdam morem, cum ipsa esset mulier, eo inveheret; sed ut opus Dei mirabile eo in loco certius ostenderetur. In illo monasterio frater quidam fuit, ex iis quos *conversos* vocant, Gerekinus nomine, qui intra annos quadraginta nunquam e monasterio egressus fuit; sed die ac nocte vacans orationi, eam a Domino obtinuit gratiam, ut novem Angelorum ordines inter orandum quasi continenter videret, et sub elevatione sacrae hostiae Christum in forma puèruli crebro conspiceret. Cum autem sancta Birgitta ad illud venisset monasterium, illic moratura, hic frater secum tacitus admirabatur, dicens: « Cur haec domina in monachorum coenobio rèsidet, contra regulam nostram, novam huc consuetudinem introducens? » Raptus igitur in spiritu, audivit vocem perspicue dicentem: « Noli mirari; est enim haec amica Dei, atque ea causâ huc venit, ut in hoc monte flores colligat, e quibus multi etiam ultra mare et in extremis orbis partibus degentes, accipient medicinam; puta Tèutones, et alii in Oriente, Occidente et ad Austrum morantes. » Ita in hac revelatione id praesignificatum

* *Venias capere* est, ut Surius ipse docet, terram deosculari, loco pedum Jesu Christi.

est, multos in hisce locis victitantes, adversum exitialia peccatorum vulnera habituros medicinam, ex dictis S. Birgittae. Praeterea vidit idem frater beatam Birgittam a terra elevatam, et de ore ejus tamquam flumen egrediens, dictumque est illi: «Haec mulier a finibus terrae veniens, innumeris gentibus propinabit sapientiam. Et hoc erit tibi signi loco, quod ipsa indicabit tibi finem vitae tuae, exultabisque in adventum et sermonibus ejus citiusque complebitur desiderium tuum, ut non videas mala, quae illaturus est Deus domui isti.»

§ **12**. Prior quidam Dominicanus aegre poterat adduci, ut beatae Birgittae revelationibus fidem commodaret. Is cum aliquando dormiret, vidit ignem a coelo in eam descendere. Stupefactus ea visione, putabat sibi illudi. Itaque expergiscens, rursus obdormivit, viditque ignem illum ex ore S. Birgittae prodeuntem, multos circa illam stantes inflammare; simulque audivit vocem dicentem: «Quis prohibere potest ignem hunc, ut non egrediatur? Ego enim Deus omnipotens mittam hunc ignem ad Orientem et Occidentem, ad Aquilonem et Austrum, et incendet multos.» Deinceps Prior ille credidit revelationibus sanctae Birgittae *, easque tuendas suscepit. De hoc fratre habetur sexto libro *Revelationum*, cap. 30. Duobus fere expletis annis in memorato monasterio, Christus jussit S. Birgittam laborem peregrinationis suscipere, dicens ei familiariter: «Proficiscere Romam. Illic enim plateae sunt auro instratae, et Sanctorum sanguine rubricatae; ibi propter condonationes sive indulgentias, quas promeruere Sancti, compendio venitur ad coelum. Manebis autem illic, donec videas summum Pontificem et Imperatorem **.» Quod quidem ita evènit, misitque illa utrique revelationes, ipsi praestitas de reformatione Ecclesiae. Hoc Christi mandato accepto, illa utpote obedientissima, non ullas nectit moras, sed confestim aures parat auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, totamque se intus colligit, ut mandatum conficiat imperantis. Egressa igitur e paterno solo, crebris est divinitus recreata consolationibus; cumque Romam venisset, cum summa devotione et multa assiduitate, nec mediocri labore visitabat loca Sanctorum, nec facile colloquia miscens inter eundum, nisi forte interrogata esset; et tunc verbis paucissimis sciscitanti satisfaciens.

§ **13**. Paupertas voluntaria adeo illi cordi fuit, ut omnes res et facultates suas cuidam commiserit dispensandas; et quoties aliquid inde vel in suos, vel aliorum usus converti cuperet, cum summa humilitate in nomine Jesu Christi, id sibi dari petierit,

* *Revelationum Libri octo* S. Birgittae e sermone suecico in latinum, a Petro Alvastri Priore, ipsius Sanctae Confessario, translati, Romae prodiere, anno 1455: deinde in gallicum idioma versi, Lugduni, anno 1536, editi fuere.

** Scilicet Urbanum V et Carolum IV imperatorem anno 1368. — Dum Romae morabatur, S. Birgitta sedulo adlaboravit ut Summi Pontifices e Gallia in Italiam redirent, hicque remanerent.

perinde ac si nunquam eas possedisset. Solebat autem in ejusmodi petendis rebus aliorum, qui cum ipsa erant, utilitatem suae anteferre; et propriam celans indigentiam, orare ut illis praeberentur necessaria, licet ipsa plus caeteris iis careret: uti sic proximum pure diligeret propter Deum. Post annos aliquot jussa est ire Neapolim et in Siciliam. Fecit illa, et a Regina Siciliae multisque nobilibus, propter vitae ejus sanctitatem et sinceritatem multis est aucta et honorata muneribus et xeniis. Visitatis autem in Sicilia * Sanctorum locis, Neapolim venit: ubi moram fecit, et instar purissimi speculi, virtutum de se exempla omnibus exhibuit, intrepideque doctos pariter atque indoctos verbis et exemplis ad viam veritatis revocavit. Revelationem quoque ipsi factam de populo civitatis illius, ipsi Archiepiscopo, doctis Theologis, aliisque et clericis et laicis sapientibus exponens, absque metu quemlibet reprehendit.

§ **14**. Post annos multos, cum Romae solito ferventius Sanctorum limina visitasset, Unigenitus Dei Filius praecepit, ut iret Jerosolymam. Praetexente illa incommodam valetudinem et aetatem, Dominus respondit: « Ecquis est naturae conditor? Ego addam tibi vires; ego prospiciam de itinere; ego te ducam et reducam in locum hunc; denique ego ero custos tuus, quocumque perrexeris; nec dimittam donec complevero universa quae dixi. » Veniens Jerosolymam, mira audivit a Domino de statu regnorum, de nativitate et passione ejus, et de vocatione gentium. Dicebat ei Dominus: « Verba mea diu ante annunciari et audiri debent, sed postea sequentur opera et signa. Nòveris itaque, multos necdum editos in hanc lucem, haec mea verba recepturos; et beati qui audient verba mea, et ea opere perficient. Post obitum tuum complures verba mea quae tu scripsisti, complectentur, et suaviter ea sequentur. » Porro loca omnia, in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus Jesus, ipsa devotissime visitavit, et quasi columba nidificans in foraminibus petrae, suavitatem vulnerum ejus meruit degustare, et divinis intrinsecus visitationibus crebrius illustrari. Ante autem, quam a Jerosolyma rediret, febri et stomachi infirmitate laborare coepit; eamque terrâ et mari inter labores et dolores suos integrum annum patientissime tulit.

§ **15**. Ubi Romam rediit, morbus increvit, et tandem illius vi extincta est. Cumque immineret dies obitus ejus, quinque diebus ante rursus apparuit ei Dominus ante altare, quod erat in conclavi ejus, jucundâ facie et corporeis ejus oculis visibilem se praebens, eique dicens: « Ego sic tibi feci, quemadmodum sponsus solet, subducens se ad tempus a sponsa, ut ardentius desideretur. Non visitavi te divinis consolationibus, quandoquidem tempus

* In insulam Siciliae S. Birgittam ivisse dubitant Bollandistae, qui, Siciliae nomine hoc loco intelligendum esse declarant Neapolitanum regnum.

erat, quo probarèris. At nunc probata satis, procede et praèpara te. Tempus est enim, ut sicut pollicitus tibi sum, coram altari meo monastico habitu induaris, et deinceps non modo sponsa mea, sed etiam monacha et mater in Wasthena vocèris. Attamen scias te corpus hic Romae posituram, donec veniat ad locum ipsi praeparatum. Placet Deo, parcere tibi a laboribus: accipit ille voluntatem tuam pro opere. » Deinde subjunxit: « Quinto ab hinc die mane, sumptis Sacramentis, convoca singulatim, quas tibi indicavi, et facienda illis demanda; atque ita venias ad monasterium tuum, id est, in gaudium meum: porro corpus tuum in Wasthena reponetur. » Ex his licet animadverti, beatam Birgittam, dum esset in corpore, monastico habitu indutam non fuisse, neque illius Ordinis vestibus, quem ipsa instituit: sed emigrantem a corpore, a Christo sponso suo accepisse ejusmodi habitum incorruptibilem, sicut ei in revelationibus suis promiserat. Itaque pingitur plerumque ut monacha. Nam, tametsi non fuit monacha, dum vixit, attamen petiit veste ejusmodi indui, qua nunc utuntur moniales Ordinis ejus; sed eam accepit in coelis.

§ **16**. Die quinto, sub ortum solis, Christus iterum ei apparens, consolabatur eam. Missâ celebrata, perceptisque Sacramentis, inter manus earum, quas paulo ante diximus, spiritum reddidit piissimo Salvatori, quem toto pectore amavit. O ineffabilem increatae Sapientiae benignitatem, eos, qui ipsam concupiscunt, praeoccupantem, ut illis prior hilariter se ostendat! O sponsae singularem gloriam, quam sponsus in fide et misericordia sibi desponsans, verbis blandissimis consolatur! O felicem nimium, quae post multiplices toleratos labores et miserias, jam sedet in pulcritudine pacis et requie opulenta! Felix obitus ejus, non obscuris argumentis declaratus est. Quidam enim bonae et venerabilis vitae vidit quemdam parari lectum, et a personis albis vestibus indutis, ferri in sublime; dictumque est illi admiranti: « persona illa, quam in hoc lecto vides, sponsa Dei est, quae in mundo contempta a multis, nunc transit de morte in vitam sempiternam. » Eadem autem horâ illa obiit. Porro corpus ejus summâ cum laude ad monasterium S. Laurentii * deportatum, et illic honorifice sepultum est. Obiit ** anno salutis millesimo, tricentesimo, septuagesimo tertio, decimo Kalendas Augusti. Anno autem proximo, post multorum miraculorum coruscationem, et ossium ejus subitam et ultra modum mirabilem purgationem et exsiccationem, ab urbe Romana ***, multis in itinere editis miraculis, ad monasterium Wasthenae duodecimo Julii die cum ingenti populorum frequentia et gaudio per sanctam filiam ejus Catharinam translata est: ubi miris signis et multivariis miraculis eam ornat et illustrat Dominus Jesus Christus. Praestatur caecis

* Clarissarum Monial. S. Laurentii in Panisperna vocatum.

** Annos nata circiter septuaginta.

*** Brachio uno excepto.

visus, surdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra dissoluta confirmantur; et ut paucis multa expediam, morbidi omnes, devote illic Christum invocantes, meritis Sponsae ejus ab eo curantur.

§ **17**. Id ubi innotuit Imperatori, Regibus, Reginis, Praelatis et Principibus, multisque diversarum nationum Christianis, apud Romanos Pontifices multis modis institerunt, ut dominam Birgittam in Sanctorum album referrent. Denique ad Bonifacium IX re tota devolùta, cum is de integro accuratissime in ejus vitam et gesta inquiri curasset, ad ejus canonizationem, ut vocant, solemniter se contulit, eamque de consilio et consensu Cardinalium et praelatorum omnium, qui tum in Romana curia erant, Sanctorum catalogo adscripsit. Multum et operae et sumptuum posuerat filia ejus Catharina, id ut fieret. Cum sint autem innumera fere miracula beatissimae Birgittae, nos pauca dumtaxat annotabimus. Eunte illa ab Urbe Roma Jerosolymam, Latinus de Ursinis, pro magna erga illam benevolentia et animi devotione, extra Urbem non parvo itineris spatio illam deduxit. Postquam ergo Jerosolymâ Romam rediit, cum confessario suo domino, Petro, adiit ejus domini Latini aedes; cumque in eas ingressa esset, manu ad nares admota, nihil loquebatur. Sciscitanti illi ab ejus confessario, quid id sibi vellet, quod nihilo loquens, manum naribus applicaret, responsum est: « Te non tam recte animo constitutum invènit, atque tum eras, cum a te recederet. » Admiratus dominus Latinus: « Ecquid, ait, designavi? Verum quidem est, habuisse me litem cum quibusdam subditis meis. » Ibat quandoque sancta Birgitta Romae cum filia sua Catharina, et Petro Confessario. et Magno capellano, ad aedes Jordani de Marino, volens invisere ejusdem Jordani uxorem. Qua praesente, tantum ex actibus ejus sensit foetorem, ut vix ferre posset. Admirante ea causa non mediocriter Magno, quem diximus, et e Petro confessario ejus percontante, quid hoc sibi vellet, illae respondit: Noveris pro certo, quandocumque coram ea quispiam mortifero peccato obnoxius stat, aut loquitur fraudulenter, aut quo Deus offendatur, illam mox sentire immodicum sulphuris foetorem.

§ **18**. Cum esset sancta Birgitta in quadam Cypri urbe, postquam Jerosolymâ discessit, fama illic ferebatur, habere eam certas quasdam revelationes de Cypri regno. Erant autem per id tempus in Cypro monachi quidam, carnales potius quam spirituales, inflati scientia, et spiritu vani. Ii irridebant et detrahebant beatae Birgittae tamquam fieri non posset, ut per ejusmodi sublimes revelationes loqueretur Deus cum indocta muliercula. In iis erat frater Simon Dominicanus, Confessarius Principis Antiochiae, patrui regis Cypri, qui insignis Theologus et astronomus habebatur, nossetque cursus siderum et planetarum, sed non seipsum. Is venit

ad domum, in qua erat B. Birgitta, non recte tum corpore valens. Coepit itaque sub ovina specie verbis blandis eam compellare, praesente domino Alphonso et aliis, percontarique ex ea de gratia coelestium visionum, quas ipsa divinitus haberet. Illa columbina simplicitate respondit ad omnia humiliter et simpliciter; sed interim tantum foetorem ab illo proficisci sentiens, ut vix posset subsistere. Ipsa quoque, si quod verbum incaute protulisset, aut parum aliquid in factis suis saeculariter se gessisset, ingentem foetorem sulphureum et magnam amaritudinem in lingua et gutture suo sentiebat: qua de re mira habentur in *Revelationibus* ejus. Praedixit vero mala eventura Cypro et ejus civitati Famagustae, propter hominum peccata, quae etiam postea, ut praedixerat, acciderant.

§ **19**. Circa Ecclesiam Lateranensem Romae multos conspiciens peregrinos, unum ex iis vidit tenentem puerum infirma valetudine, et eleemosynam petentem; dixitque ei: « Quomodo ausus es tenere hunc puerum, quem tu, cum sit Judaei filius, furatus es? » Audiens ille, obstupuit, et in pedes se conjecit: retentus est autem a circumstantibus peregrinis, dixitque palam cunctis audientibus, puerum illum Judaeum esse, et se eum furatum esse. Accepit autem S. Birgitta puerum ad se, curavitque eum baptizari, anno Christi millesimo tricentesimo sexagesimo. In regno Svediae, militem quemdam a daemone liberavit. Dicebatur is Joannes Scoberinus, et apud Ostrogothos juri dicundo vel sontibus puniendis praeerat. Roganti S. Birgittae pro Algotio Dominicano, sacrae Theologiae Doctore, qui jam senex, orbitate oculorum et calculi doloribus cruciabatur, responsum est: « Ille stella micans est, nec èxpedit sanitate corporis obscurari animam ejus. Certavit, et cursum consummavit; nihil jam superest, nisi ut a me coronetur. Et hoc tibi signum erit, quod ab hac hora mitescent dolores corporis ejus. Jam enim anima ejus prorsus ardet igne divini amoris. » Non diu post, Theologus ille e vita decessit.

§ **20**. Proficiscens quandoque S. Birgitta a Rege Svediae, venit ad Alvastrae monasterium, invenitque filium suum, quem jampridem aegrotum reliquerat, in extremis agentem. Luxit igitur multum, quod tam diuturno ille morbo teneretur, vèrita propter peccata parentum ejus id accidere. Apparuit autem ei Satan, et dixit: « Quorsum attinet, mulier, tantam te vim lacrymarum profundere? Debilitas ea re aciem oculorum, nec quicquam efficis. Putas tu lacrymas tuas coelos penetraturas? » Eadem horâ etiam Christus in humana specie ei apparens, dixit: « Hujus pueri aegritudo non habet causam suam ex astris, ut stulti àsserunt, neque a peccatis ejus, sed ab ipsius naturae conditione, et ut insignius in coelis coronetur. Sicut ergo hucusque dictus est Benedictus, filius Ulphonis, ita deinceps vocabitur filius lacrymarum

et precum, et ego jam finem imponam angoribus ejus. » Quinto inde die auditus est velut avium cantus gratissimus inter pueri lectum et parietem ; et ille felicissime decessit. Dictum est autem divinitus ad S. Birgittam : « En quid possint lacrymae. Jam filius lacrymarum abiit ad requiem inconcussam et incommutabilem. » Potest hinc animadverti, quam molestae sint daemoni lacrymae piorum, ex divino amore nascentes.

§ 21. Habuit S. Birgitta filiam sanctimonialem in monasterio Risabergensi. Eam ut didicit ex nuncio mortuam, mirifice laetabatur, aitque ad Dominum : « O Domine Jesu Christe, o amor meus ; benedictus tu sis, quod vocasti eam ante, quam mundi laqueis implicaretur. » Moxque surgens, et ad templum abiens, tam multas fudit lacrymas et traxit alta suspiria, ut etiam ab aliis posset audiri. Dicebantque illi : « En, ut plorat filiam suam. » Apparuit autem ei Christus, et ait : « Mulier, quid ita ploras? Etsi enim ego novi omnia, tamen harum lacrymarum causam ex te audire volo. » Respondit illà : « Equidem non ex causa ploro, Domine, quod filia mea defuncta est : immo vero ea causâ laetor potius. Si enim vixisset diutius, major illi apud te ratio reddenda fuisset. Sed hoc lugeo, quod eam non institui convenienter mandatis tuis, et quod superbiae exempla ei de me praebui, et remissius correxi peccantem. » Christus ait : « Illa mater, quae plorat peccata filiae suae, et instituit eam, quantum optime novit, ea vera est mater charitatis et lacrymarum ; et filia ejus, filia Dei est propter matrem. Quae autem genitrix laetatur filiam suam ita se comparare, ut solent mundo deditae, nec curat eam bonis moribus imbuere, sed id solum expetit, ut fiat sublimis in mundo, ea non germana mater est, sed noverca. Itaque propter charitatem et bonam voluntatem tuam, filia tua compendio pertinget ad coronam. »

§ 22. Puer quidam decem annorum, nomine Esau, nepos magni Senescalli Reginae Siciliae, Neapoli degentis in aula ejusdem Reginae, hectica febre adeo fuit confectus et exhaustus, ut medici de tota vita ejus plane desperarent. Eum mater ejus, Lapa, duxit ad sanctam Birgittam, suppliciter eam deprecans, ut puerum tangeret, aut saltem Crucis signum illi imprimeret. Mox illa puerum tetigit, et tactum repentina salus consecuta est. Carolus miles, filius sanctae Birgittae, Romam e Svedia venit, anno salutis millesimo, tricentesimo, sexagesimoquinto. Ut autem in aedes fuit ingressus, in quibus mater degebat, ascendente eo in solarium, mater ejus e cubiculo suo egrediens, vidit illum corpore non recte valere. Tetigit itaque pectus ejus, quaedam orationis verba pronuncians. Confestim ille multum vomuit sanguinem, ita ut loqui non posset, et restitutus est. Diu post, proficiscens sancta Birgitta Jerosolymam, praedixit se unum praecipue carum e comitibus suis perdituram ; et ita factum est. Cum enim venisset

Neapolim, filius ejus Carolus, miles egregius, morbo correptus, desiit esse in humanis. Etsi autem praesens morienti aderat mater ejus, nihil tamen se loco movit; et neque voces querulas, neque lacrymas fudit: sed cum admirabili patientia et reverentia gratias agebat Deo. Et licet tum Regina ipsa, tum multi principes regni Neapolitani, et civitatis primarii viri ac feminae omnes cum multo planctu corpus ejus ad sepulcrum cum illa deducerent, nunquam tamen illa flevit, sed cum gratiarum actione animam ejus commendabat Deo. Fuit ea res non mediocri admirationi tam Reginae, quam caeteris omnibus, quod tantam in principe femina animi fortitudinem viderent.

§ **23**. Cum autem sancta Birgitta esset Jerosolymis, quidam Franciscanus, qui erat Reginae Cypri a secretis, et cum sancta Birgitta a Famagusta Jerosolymam venerat, humiliter eam rogavit, ut pro ipso Dominum instanter deprecaretur, quo certum ipsi modum et rationem ei serviendi ostenderet. Oranti sanctae Birgittae Christus apparuit, et quadam ei revelatione ostendit, quemadmodum S. Franciscus regulam a Christo acceperit, et ut primi fratres ejus secundum illam sancte vixerint; atque ut diabolus eum Ordinem contaminarit; postremo quae gloria maneat in coelis regulae illi convenienter viventes, quae poena apud inferos illam transgredientes. Hanc revelationem cum ille Franciscanus legisset, mox ubi Famagustam rediit, libros, vasa argentea et aurea, aliaque ornamenta et pecunias suas distribuit pauperibus, deinceps victurus in sanctae regulae observantia. Dicebatur is Antonius ab Aragonia; postea vero factus est guardianus in Bethleem. Habetur haec revelatio lib. 7, c. 20, et eam obtulit dominus Alphonsus Gregorio XI. Fuit etiam beatae Birgittae divinitus facta revelatio de Abbate quodam, cujus erat vita exitiosa. Dixit ei Christus minitabundus: « Tu, Abba, debebas esse speculum monachorum, et ecce caput es meretricum. Debebas esse exemplum pauperum et sustentator inopum; et ecce ex eleemosynis magnum te dominum exhibes, potius habitans in castris, quam in monasteriis. Debebas esse doctor et verus pater fratrum tuorum; et tu illorum seductor es et vitricus. Te in deliciis et pompa versante, illi afflicti murmurant tota die. Sed nisi resipueris, deponam te de castris, et nec cum infimis fratribus tuis habebis consortium, nec ad patriam, ut tibi persuades, redibis tuam, nec in meam ingredieris.» Ea quidem omnia postea illi Abbati ita acciderunt.

§ **24**. Cum esset S. Birgitta Romae, et quodam die propter stationem loca sacra inviseret, casu invenit pauperculam feminam quamdam e regno Norvegiae, ante sanctae Praxedis ecclesiam solam jacentem prope, semimortuam. Miserta illius, coepit tentare ex multa humilitate, num posset ipsa eam ferre ad domum hospitalem S. Antonii. Sed cum non posset, voluit ut dominus Magnus capellanus ejus juvaret ipsam; atque ita ambo simul

deportarunt eam ad domum illam : cujus praefecto numeravit ipsa pecuniam, ut curam ejus gereret. Interim crebro visitabat eam, donec eatenus curata fuit, ut jam commode posset per urbem ingredi. Postea vero cum eam accivisset ad aedes suas, re accuratius investigata, còmperit eam laborare morbo comitiali. Itaque ferventer pro illa orans, ad collum ejus pie admovit aliquot lapillos sui, ut vocant, rosarii, ad quos preces dicere solebat. Mox illa revaluit, nec unquam eum morbum deinceps experta est, licet diu supervixerit. Monachus quidem Ordinis Cisterciensis, Robertus nomine, prae immodica abstinentia mente captus fuit. Oranti pro eo S. Birgittae Christus apparuit, dicens: « Homo conductus fuit, ut vineam coleret ; cumque haberet multorum dierum negotium, ille ductus cupiditate pecuniae, ut totam mercedem uno die lucraretur, usque adeo se confecit labore, ut in morbum gravem incideret. Tum vero magna ex parte vinea mansit inculta, cum ille laborem nullum ferre posset. Sed opere cessante, merces ei persoluta non est. Ita accidit huic Roberto, pro quo tu deprecaris ; verumtamen hoc incommodo is liberabitur. » Quod etiam evenit postea.

§ **25**. Habuit S. Birgitta cursorem, quem daemon arripuit, sed ea illum ab homine profligavit. Item in regno Svediae feminam daemoniacam ipsi oblatam, pristinae sanitati, cum ei Crucis signum impressisset, restituit. Expulit etiam daemonem e domo quadam, multa adventantibus responsa dantem, multaque praedicere conantem, hominumque res occultas prodentem. Quidam per incantationes capiebat multos pisces. Eum S. Birgitta hortabatur, ut a nefario opere cessaret. Sed ille spernens admonitiones ejus mortuus inventus est. Fratrem etiam quemdam, ex daemonis tentatione immodicâ fame laborantem, curavit. Capellanum suum, gravissime dolentem caput, tactu suo sanavit. Multa alia et in vita, et in morte, quae prope fidem excedere videbantur, operata est quae vitandae prolixitatis causâ omittimus. Cum S. Birgitta Romae dègeret, Catharina, filia ejus *, permissu mariti qui erat cognatus regis Svediae, Romam venit, anno Christi millesimo, tricentesimo, quinquagesimo, qui Jubileus erat. Venêre cum illa multae aliae dominae et peregrinae et familia magna, ut possent Romae obtinere condonationes sive Indulgentias Jubilei, et ut ipsa matrem suam inviseret. Cum jam aliquid lapsum esset temporis, nec Romae quicquam sciretur de obitu mariti Catharinae, S. Birgitta divinitus edocta de morte ejus, ait ad illam : « Filia mea, noveris e vita excessisse virum tuum. Elige igitur aut secundas nuptias, aut viduitatem. » Sic enim divinitus jussa erat tentare illam, quod esset juvencula nobilis, potens et opulenta in regno Svediae. Illa, audiens obiisse maritum, viduitatem complexa, statuit matri adhaerere.

* Colitur xxii mart. Vide Surii Vol. III, p. 438.

SS. ANDRONICI ET ATHANASIAE

CONJUGUM DEINDE MONACHORUM

VITA

AUCTORE SIM. METAPHRASTE

CONSENTIUNT MENAEA

Migrarunt paullo ante med. V seculi — Nat. Syri.

§ 1. In diebus Theodosii Magni Imperatoris * erat in magna urbe Antiochia ** juvenis quidam argentarius, nomine Andronicus. Accepit autem uxorem filiam argentarii, nomine Joannis. Erat vero ejus nomen Athanasia. Erat enim revera Athanasia, id est, immortalis et factis et cogitatione. Erat autem Andronicus valde pius, et plenus bonis operibus. Similiter vero ejus quoque uxor. Erant autem valde divites. Sic vero vitam suam agebant argentariam, et facultates suas diviserunt in tres partes: unam quidem in rationem pauperum, et aliam in rationem Monachorum, et aliam in rationem facultatum et officinae. Universa autem civitas amabat dominum Andronicum propter ejus modestiam.

§ 2. Cognovit autem suam uxorem; et cum concepisset, peperit filium, et nominaverunt eum Joannem. Cum vero iterum concepisset, peperit filiam, et nominavit eam Mariam; neque amplius appropinquavit uxori Andronicus. Conferebat autem suum studium ad diligenter et lubenter laborandum, cum aliis Christi amantibus argentariis. Dominico et die secundo et quarto et in parasceve, a vespera usque ad matutinum ibat Andronicus ad lavandos viros suos fratres. Similiter autem ejus quoque uxor ad lavandas diligenter mulieres. Post tempus vero duodecim annorum, ingressa est quodam die mane domina Athanasia a voluntario illo labore ad videndos suos filios, et invenit eos suspirantes. Illa autem conturbata, ascendit in lectum suum, et posuit ambos supra pectus suum. Beatus vero Andronicus ingressus, coepit clamare in uxorem suam, quod multum dormiret. Illa autem dixit: « Noli irasci, domine mi: pueri enim sunt infirma valetudine. » Et cum tetigisset, invenit eos teneri a febre, et dicit suspirans: « Fiat voluntas Dei: » et ivit extra civitatem, ad precandum sanctum Julianum. Illic enim jacebant ejus parentes.

* Theodosius Romani Imperii Orientalis sceptro potitus est anno 379; Occidentalis autem, anno 392; supremum diem obiit, anno 395.

** Antiochia Syriae est ad Orontem fluvium; illi *Magnae* epitheton a Philostrato tribuitur. Nunc *Antakieh* vocatur.

Fuit autem illic usque ad horam sextam; et reversus, audit ejulatum et tumultum qui fiebat domi suae. Ille vero conturbatus cucurrit, et invenit omnem fere civitatem domi suae et pueros mortuos.

§ 3. Cumque vidisset infantes in lecto simul jacentes, ingressus in suum oratorium, se projecit ante Servatorem, et flens dixit: « Ipse egressus sum nudus ex utero matris meae, nudus quoque illuc revertar. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino visum est, ita fiat. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in seculum. » Uxor autem ejus quaerebat se suffocare, dicens: « Moriar cum meis filiis. » Convenit vero universa civitas ad efferendos pueros, adeo ut illic esset Patriarcha cum toto clero suo. Eos vero deposuerunt in martyrio * sancti Juliani supra avos suos. Accipiens autem beatum Andronicum Episcopus, ingressus est in aedes ejus. Illius autem uxor noluit abire in domum suam, sed dormiit in martyrio. Media vero nocte, apparet ei Martyr in habitu Monachi, dicens ei: « Cur non sinis eos qui hic sunt, requiescere? » Illa autem dixit: « Domine mi, ne mihi irascaris. Nam sum valde afflicta. Habebam autem duos solos filios, et hodie ambos simul extuli. » Ille vero dicit: « Quot annos nati erant tui pueri? » Illa vero dicit ei: « Unus erat duodecim annos natus, altera vero decem. » Ille autem dicit ei: « Cur igitur illos defles? Utinam defleres peccata tua. Dico enim tibi mulier, quod quomodo natura hominis exigit cibum, et fieri non potest, ut non detur ad comedendum; ita etiam pueri in illo die poscunt a Christo bona futura, dicentes: Juste Judex, privasti nos rebus terrenis; ne nos etiam prives coelestibus. » Illa autem cum audivisset, est compuncta; et mutavit luctum in gaudium, dicens: « Si ergo vivunt filii mei in coelo, quid fleo? » Et conversa, quaesiit Abbatem qui ei fuerat locutus; et cum totum locum obiisset, non invenit; et sciscitatur a janitore, dicens: « Ubi est Abbas qui est modo huc ingressus? » Dicit ei janitor: « Vides omnes januas obseratas, et dicis, Ubi est Abbas, qui modo est huc ingressus? » Eam autem erudiit Paramonarius **, ut qui scivisset eam vidisse visionem. Illa vero metu correpta, rogavit ut abiret in domum suam. Eam vero accepit janitor, et introduxit in domum suam; et narravit marito suo ea quae viderat.

§ 4. Tunc dicit ei beata Athanasia: « Revera, domine, etiam viventibus filiis volui dicere, et erubui. Ecce ergo etiam post mortem eorum dico tibi: Si me audias, conjicies me in monasterium, et deflebo peccata mea. » Et dicit ei: « Abi, proba tuam cogitationem una hebdomadâ; et si permanseris in hoc proposito, loquemur. » Illa autem, cum rursus venisset, idem dixit. Beatus vero Andronicus accersit socerum suum; et ei tradit omnes suas

* Nimirum in monasterio, S. Juliani templo adjuncto.
** *Mansionarius*, seu templi custos.

facultates, dicens: « Ad sancta loca proficiscimur ad orandum. Si quid ergo nobis acciderit humanitus, habebis has facultates, ut de eis facias, quod tibi videbitur. Rogo ergo te, ut recte agas cum tua anima, et ex iis quae hic sunt, fac Nosocomium et Xenodochium monachorum. » Et, manumissis servis suis, dedit eis legata; et accepta parva benedictione et duobus equis, exiit noctu ex civitate, ipse et uxor ejus, soli. Beata autem Athanasia eminus vidit domum suam, et sursum adspiciens in coelum, dixit: « Deus, qui dixisti Abrahae et Sarae, Egredere e terra tua, et e cognatione tua; et veni in terram quam ostendam tibi: ipse nunc quoque deduc nos in timorem tuum. Ecce enim relinquimus domum nostram apertam propter nomen tuum: ne ante nos claudas ostium regni tui. » Et flentes ambo abierunt; et cum ad sancta loca pervenissent, adorarunt; et cum multos patres convenissent, veniunt ad sanctum Menam Alexandriae, et fruuntur Martyre.

§ 5. Circa horam autem nonam adspicit Andronicus; et videt monachum contendentem cum laico, et ei dicentem: « Cur Abbatem injuriâ afficis? » Is vero ei dicebat: « Domine, locavi bestiam meam ad Scetem *. Ego vero ei dico: Eamus jam, ut totam noctem ambulemus, et cras usque ad sextam, ut perveniamus ante aestum diei; et non vult ut jam eamus. » Dicit ei dominus Andronicus: « Habesne aliquod aliud animal? » Is vero dicit: « Maxime. » Dixit autem ipsi: « Vade, duc illud ad me, et veni, et accipiam ego unum animal, et Abbas unum, quoniam ego quoque volo ire ad Scetem. » Andronicus vero dicit uxori suae: « Mane hic apud sanctum Menam, donec descendam in Scetem, et accipiam benedictionem a patribus, et revertar. » Dicit ei uxor ejus: « Accipe me tecum. » Ille vero dicit ei: « Mulier non ingreditur in Scetem. » Illa autem dicit ei cum fletu: « Habebis me apud sanctum Menam, si remanseris, et me non collocaveris in monasterio. » Cumque se invicem salutassent et complexi fuissent, fuerunt separati. Ipse autem descendit ad Scetem; et cum adorasset sanctos patres in Laura, audivit de Abbate Daniele **; et cum eo accessisset, non sine magna difficultate eum potuit convenire. Seni vero omnia exposuit. Dicit autem ei senex: « Abi, et adduc uxorem tuam, et faciam tibi litteras, et depones eam in Thebaide in monasterio Tabennesiotarum. » Andronicus autem fecit sicut dixerat ei senex; et abiens, duxit eam ad senem. Qui locutus est eis verbum salutis: et factis litteris, misit eos ad monasterium Tabennesiotarum. Reverso vero Andronico, dedit senex habitum; et docuit quae ad statum pertinent monasticum, et mansit apud eum annos duodecim.

* Aegypti inferioris deserta, ubi quamplurimi Christifideles vitam eremiticam ducebant.

** De hoc Daniele agitur in *Vita* S. Arsenii (Surii Vol. VII, pag. 358). Vox autem *Abbas* adhibebatur passim honoris gratiâ erga quoslibet Monachos aetate provectiores.

§ 6. Post duodecim autem annos rogavit senem, ut se dimitteret ad sancta loca. Ille vero bene precatus, eum dimisit. Abbas autem Andronicus, iter faciens per Aegyptum, sedit sub spina, ut animam recrearet ab aestu. Ecce autem ex Dei dispensatione veniens in habitu virili ejus uxor, quae ipsa quoque ibat ad sancta loca. Cumque se invicem salutassent, cognovit columba conjugem. Ipse vero quomodo potuisset cognoscere talem quae emarcuerat, pulcritudinem, et quae videbatur ut Aethiops? Dicit ergo ei: « Quo vadis, domine Abba? » Ille vero dicit ei: « Ad sancta loca. » Ipsa autem dicit ei: « Ego quoque volo illuc ire. » Ipsa ergo rursus dicit ei: « Si velis, eamus ambo simul. Sed tamquam non simul simus, ingrediamur silentio. » Dicit Andronicus: « Ut jubes. » Deinde ipsa dicit ei: « Non es revera discipulus Abbatis Danielis? » Ipse vero dicit ei: « Maxime. » Dicit ipsa: « Preces senis nos comitabuntur. » Dicit Andronicus: « Amen. » Cum autem simul ingressi essent, et adorassent sancta loca, reversi sunt Alexandrìam. Dicit Abbas Athanasius Abbati Andronico: « Vis, maneamus simul in cella? » Dicit Andronicus: « Certe, ut jubes. Volo autem primum ire, et accipere preces senis. » Dicit ei Abbas Athanasius: « Vade, et exspectabo te apud Octavumdecimum; et si venias, sicut iter fecimus, manebimus silentio. Nam si te non ferat, ne veneris. Ego enim te exspectabo apud Decimumoctavum. » Ille autem profectus, salutavit senem, et de eo ipsi renunciavit. Senex vero dicit ei: « Vade, et dilige silentium, et mane cum fratre; est enim monachus, ut esse oportet. » Eo autem reverso, cum invenisset Abbatem Athanasium, manserunt simul, timore Dei muniti, alios duodecim annos; et non cognovit Abbas Andronicus eam esse suam conjugem.

§ 7. Saepe ergo ascendebat senex ad eos visitandos, ea illis disserens quae pertinebant ad utilitatem. Semel autem cum ascendisset senex, et eos valere jussisset, antequam iret ad sanctum Menam, venit ad eum Abbas Andronicus, et dicit ei: « Abbas Athanasius vadit ad Dominum. » Reversus vero senex, invenit eum magnis compressum angustiis, et coepit flere Abbas Athanasius; et dicit ei senex: « Cum te oporteret gaudere quod migras ad Dominum, lacrymaris? » Dicit ei Abbas Athanasius: « Non ploro, nisi propter Abbatem Andronicum. Sed fac hanc charitatem, postquam me sepelièris. Inveniens schedulam sitam ad caput meum, lege eam, et da ipsi Abbati Andronico. » Cumque ipsi preces dixissent, communicavit et dormiit in Domino. Venerunt autem ad ei faciendas exequias; et ecce inventa fuit sexu mulier, et auditum fuit in tota Laura; et mittens senex, excivit universam Scetem et interiorém solitudinem, et venerunt omnes Laurae Alexandriae, et convenit universa civitas, et Monachi Scetae, ferentes legumina: ita enim mos est in Scete. Cum ramis ergo et palmis *

* Ritum sepulturae in monasterio Tabennensi tunc observatum ita describit Palladius (*Hist.*

extulerunt venerandas reliquias Athanasiae, Deum glorificantes qui tantam tolerantiam praebuit mulieri. Exspectavit autem senex septimum diem beatae Athanasiae. Postea vero voluit senex accipere secum Abbatem Andronicum, sed non id sustinuit, dicens: « Moriar cum mea domina. » Cumque eum rursus jussisset valere Senex, priusquam ipse iret ad sanctum Menam, venit ad eum frater, dicens: « Laborat Abbas Andronicus, et est redactus ad angustias. » Senex vero rursus misit in Scetem, dicens: « Adeste huc venientes. Abbas enim Andronicus sequitur Abbatem Athanasium. » Illi autem cum audivissent, accesserunt, et invenerunt eum viventem. A quo cum accepissent benedictionem, dormiit in Domino.

§ 8. Exortum est ergo bellum inter patres Decimioctavi, et Monachos Scetiotas, dicentes: « Noster est frater, et cum habebimus in Scete, ut nobis opem ferant ejus preces. » Patres autem Octavidecimi dicebant: « Ponemus eum cum sua sorore *. » Vehementer igitur instabant Scetiotae; et dicit Archimandrita Octavidecimi: « Si quid senex dixerit, faciamus. » Abbas vero Daniel dicebat eum oportere illic sepeliri. Illi autem non audiebant eum, dicentes: « Est senex, et non timet amplius bellum corporis. Nos autem sumus juniores, et volumus fratrem, ut nobis opem ferant ejus preces. Sufficit enim vobis, quod reliquimus vobis Abbatem Athanasium. » Cum vero vidisset senex esse magnam perturbationem, dicit fratribus suis: « Si me non audiatis, ego quoque hic manebo, et sepeliar cum meo filio; » et tunc quieverunt et extulerunt fratrem Andronicum. Dicunt ergo seni: « Eamus in Scetem. » Dicit eis senex: « Sinite, ut faciam septimum diem fratris **; » et non siverunt eum manere. Ita confidit Abbas Daniel suo discipulo. Oremus nos quoque, ut veniamus ad mensuram Abbatis Athanasii et Abbatis Andronici, precibus omnium Sanctorum Christi: cui gloria et potentia simul cum Patre et Sancto Spiritu, nunc et semper et in secula seculorum, Amen.

Laus.): " si virgo obierit, reliquae virgines, cum eam ad sepulturam concinnaverint, efferunt, et eam ponunt ad ripam fluminis. Trajicientes autem fratres cum palmis et ramis olivae et psalmodia eam transmittunt et in suis monumentis sepeliunt.

* Monasteria duo, pro viris unum, alterum feminis, interfluente Nilo distincta, condiderat S. Pacomius in superiori Thebaide. *Decimum-octavum* appellabant, quod 18 milliaribus Alexandriâ distabat, in quo plures annos degit S. Athanasia.

** Nota vigentem jamtum apud eos Monachos ritum *Septimae* et *Trigesimae* pro Defunctis.

MARTYRIUM

SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE

ET SOCIORUM EJUS.

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE

CITATUR AUTEM HAEC HISTORIA IN SYNODO FLORENTINA

§ 1. Olim quidem fides sita erat in figuris et aenigmatibus, et nube umbrae tecta erat lux veritatis. Postquam autem nostrae salutis magnum peractum fuit mysterium, et qui finxit singulatim corda nostra, suae benignitatis in nos misericordiâ, citra peccatum natus est sicut nos; et alia subiit, quae sunt humanae imbecillitatis, ut ego primam reciperem nobilitatem; et postremo condemnatus fuit morte Crucis: et, ne dicam singula (sunt enim multa intermedia oeconomiae carnis susceptae mysteria), finem accepit corporeus adventus: incipit clara manifestatio veritatis; et in coelum ascendit meus Christus, et ad sedem paternam revertitur; et, qui ex ipso procedit Spiritum demittit discipulis, ut essent duces gentium infidelium. Per quem beatus quoque Paulus ex umbra deductus fuit ad veritatem. Tunc, tunc is, zelo Christi pèrcitus, quemadmodum ipse captus fuit ad pietatem, ita etiam orbem terrae ad se studebat attrahere, et Christo per fidem conjungere. Et ut ea omittam, quae ab ipso Amphipoli facta sunt, et in Thessalia, et omnibus in locis, in quibus ejus sermo, perinde ac quaedam sagèna, multos venatus est ad pietatem; eorum solum meminero, quae Athenis facta sunt, per quae ab Apostolo ipso magnus quoque captus fuit Dionysius: qui patriam quidem claram, et parentes claros consecutus, ad magnam pervenit gloriam. Nam justi quidem erant, si ulli ex Atheniensibus, ne dicam soli, ita ut justitia insigne illis esset, aequi amicis, mansueti hospitibus, benigni in familiares, et vera bonitas erat eis bonitas, non ostentatio, quae habet improbitatem magna ex parte insidiantem: immo quidam apertus animae foetus, et character internae affectionis.

§ 2. Postquam autem fuit Paulus Athenis, et congressus cum Epicureis et Stoicis, qui Pythàgorae dogmata sectabantur, instabat operi, nempe ut eos abduceret a dogmatibus impietatis, et traduceret ad pietatem, et everteret templa simulacrorum, et persuaderet Atheniensibus, fore ut resurgerent in ultimo die

judicii, et darent poenas eorum quae fecissent; ii, ut qui essent aliis affecti superstitiosius, et in multas divisi essent opiniones, aggrediebantur eum subsannare, vocantes eum annunciatorem novorum quorumdam daemoniorum. Ne autem ab eis appeteretur sola subsannatione, sed molestum etiam aliquid sustineret, dans rationem eorum quae ab ipso praedicabantur, apprehendentes eum duxerunt in Areopàgum, qui tunc quidem erat locus congregationis, et Athenarum erat adhuc judicium. Nam etsi tunc Romani in omnes obtinerent Imperium, Athenienses tamen et Lacedaemonios sui juris dimiserant. Cum eum ergo adduxissent in illorum conspectum, qui et propter sedium altitudinem, et, quae evacuatur, sapientiam, se magnifice circumspiciebant; et simul eorum quae fiebant, auditores et judices praesidebant, quorum unus etiam erat Dionysius, cujus et in dicendo, et judicando praecipuae erant partes: « Quaenam est haec nova, quae a te dicitur, doctrina, *Paulo dixerunt*, sapièntiaque et ingeniosa decreta? Et quis est Jesus Deus et homo, et in ligno vitae dator et judex, a quo in jus vocatur quilibet redditurus rationem? Quaedam enim nova et aliena deferes ad aures nostras? Volumus ergo scire, quid haec sibi volunt, et quo tendunt (*Actor.* XVII). »

§ **3**. Ille autem res eorum primum extollens et laudans, ne insuetis et alienis verbis irritarentur (Iram enim, ait ille (*Prov.* XV), avertit, se submittens, responsio): « Viri, *inquit*, Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Transiens enim, et adspiciens ea quae colitis, invèni etiam aram, in qua inscriptum erat, IGNOTO DEO. Quem ergo ignorantes colitis, eum annuncio vobis: si eum forte contrectaveritis, et inveneritis; *etsi non sit longe ab unoquoque vestrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.*» Haec cum illi audiissent, quoniam gravibus sententiis plena erat oratio, tamquam sono tonitru essent obstupefacti, elingues et muti evàserant. Cum autem vix tandem dixissent, « Audiemus te postridie: » eum dimiserunt e judicio. Egreditur ergo Paulus, non inanibus, ut vulgo dicitur, manibus, sed secum accepto, qui eum sequebatur, Praeside, et classis sophistarum principe, hoc magno, inquam, Dionysio *. De quo, tamquam quispiam victor Olympicus, aut dux exercitus, suae linguae erexit trophaeum, et hunc fructum collegit ex oratione quam habuit ad Athenienses. Iis enim, quae de Jesu dicebantur a praecone veritatis, cum a se prius visam in tempore passionis innovationem sibiipsi explicuisset luminarium, et hanc humanam despexisset sapientiam, sectatur verbum veritatis, et adjungitur Apostolo; et regenerationis lavacro consummatus, fit simul discipulus, et praeco Christi, qui est primus doctor veritatis.

§ **4**. Et cum primas fidei exercitationes et disciplinas a beato percepisset Hieròtheo, et in verbo, et in vita ab eo docetur, et

* Anno a X. J. nativitate, circiter 49.

Sancti Spiritus communionem ab eo consequitur. Deinde ascensiones in corde suo disponens, philosophatur veritatem; quaerit cum veritate, de anima, de corpore, ac de substantia rerum gerendarum; mortificat omnia membra sua quae sunt super terram, carni multas leges constituens ad obediendum spiritui; docet aures auscultare quae divina, et quae sunt de Deo audienda; iis autem quae sunt extra ea, divinum metum inexorabilem adhibet janitorem; et totum oculum traducit ad veritatem contemplandam. Quod autem ad linguam pertinet, etsi non in iis in quibus oportebat, olim edocta fuerat, philosophice tamen et attice, multaque cum diligentia erudita erat. Itaque, brevi, Dionysius (o miraculum) superat omnes qui praecesserant; et cum potestatem non suffuratus esset, nec rapuisset, sed per gradus transiisset inferiores, et pulcre pasci didicisset, ad superiora mox pervènit, et pascit postea cum experientia; et cum modeste parère didicisset, imperat modestius; et cum docuisset cum veritate, obiissetque omnes boni ordinis partes, tandem ei mandato * Athenarum pontificatu, clavis praesidet Ecclesiae, ostenditque suum generosum animum, et pugnat pro grege; expellitque bestias, et ejus quod morbo laborat, curam gerit, et quod longe est remotum, reducit; et, ut semel dicam, sicut ejus magister, omnibus fit omnia. Cum sic autem docuisset, et de Trinitatis divinitate disseruisset, tractat de supernis virtutibus.

§ 5. Cum vero ad tantam pervenisset gratiam, ut quando Deiparae, quod Deum suscepit, corporis emigravit spiritus, simul adesset cum Apostolis, qui per spiritum et nubem ad hanc sacram accesserant sepulturam, non amplius existimavit oportere una civitate, nempe Athenis, circumscribere tales opes gratiae; sed volens multiplicare talentum, et sequi sui magistri vestigia, relictis Athenis, et terrâ, et mari multa passus gravia, nec tamen ab eis retardatus, sed supernarum rerum contemplatione, inferis omnibus superatis, ad regiam urbem pervenit Romam; et accedit quidem ad Clementem, qui tunc sedem tenebat Apostolicam, quique a magno Petro fuerat edoctus, et cui ab illo fuerat credita Sedes. Ad eum ergo accèdit Dionysius, et cum ei suum exposuisset Evangelium, et opus sacri ministerii, ei, ut qui esset iisdem moribus et sententiâ, communicasset, ipse eum adhortatur, ut transeat ad partes Occidentales. Cum ex iis ergo qui eum sequebantur, ministris per vicos et civitates alios alibi distribuisset, et salutare Dei Evangelium jussisset praedicare, ipseque Rusticum et Eleutherium, illum quidem chrismate sacerdotii, hunc autem, nempe Eleutherium, honestatum diaconatu, accepisset adjutores, non secus ac magnus Apostolus Silvanum et Timòtheum, et ad Gallos venisset Occidentales, non solum verbis doctrinae, sed etiam signorum operibus fungebatur munere Apostolatus, medius

* Hoc factum esse anno 52 circiter eruditi affirmant.

apparens iis qui in unaquaque civitate conveniebant, et de pietate verba faciens sine intermissione, et inducens auditores ad agnitionem ejus, qui ipsos creavit.

§ 6. Cum sic ergo veritatis verbum praedicaretur, et divina quidem fides confirmaretur, amoveretur autem omnis fraus daemonum, quemdam ex iis qui cum eo versabantur, inclytum, inquam, Lucianum, qui etiam presbyteri dignitate erat ornatus (eum enim sequebantur multi ex iis qui virtutem amplectebantur: simile enim, ut dicitur, simili delectatur), misit ad civitatem insulae Belbecansis, praedicaturum pietatem; ipse vero, simul cum Rustico, et Eleutherio, ingressus interiorem Galliam, cum hoc responsum habuisset ab Angelo, venit in civitatem quae dicitur Parisii, ut cum in ea verbum seminasset pietatis, et redimitus esset coronâ martyrii, cum fiducia sisteretur coram Deo Agonotheta, quod quidem est summum eorum quae desiderantur. Cum ergo venisset ad hanc Parisiorum civitatem, et eam invenisset plenam incredulitate: quae eorum quidem, quae in ipsa erant pulcritudine et excellentia civitatibus magnis erat longe inferior, impietate autem adeo erat omnibus superior, ut ne possent quidem cum ea conferri, undique ab immanibus occupata habitatoribus, et tamquam vallo aliquo valde munita eorum crudelitate, et eam opponens, tamquam aliquod aliud praesidium. Adde quod cum omnium fructuum esset fertilissima, et abundaret maxima rerum omnium copiâ, cives suos magis incitabat ad vitia. Cum in hanc ergo sic affectam venisset civitatem, obibat perscrutans, si quem locum aptum inveniret ad quietem. Quod autem quaerebat consecutus, pro viribus statim templum habuit; et ut qui in regione aliena esset hospes et advena, et multos haberet adversarios propter diversitatem opinionis, excitat oratorium et templum, quod plane erat salus animarum. Nam cum maximam piorum multitudinem in eo congregasset, et puros sacrificatores Deo exhibuisset, sanctum gregem, ut semel dicam, templum effecit; cujus ipse erat pastor, non mercenarius, quemlibet, qui errabat incredulitate, veritatis fistulâ ad fidem rèvocans, et eos qui errore aegrotabant, curans salutaribus medicamentis Scripturarum; eos autem qui jam erant contriti, doctrinâ alligans, et ad veram ducens sanitatem. Sed ut certa nobis viâ procedat oratio, hoc quoque ejus admirabile, ut ex illius Epistolis sciri potest, narrabo.

§ 7. Dionysio erant quidem alii quoque ministri; unus autem ex iis erat etiam Demophilus, qui civis erat Atheniensis, habituque et vitâ monachus. Monachatum autem ei imposuerant purae et sacris initiantes manus Dionysii: apud quem hoc ipse prius ministerio functus erat, ut praeesset januis templi. Is, cum aliquando vidisset suum presbyterum, quemdam impium atque peccatorem ad poenitentiam conversum, illique procidentem,

misericorditer excepisse, calcibus quidem reverenter accedentem, peccatorumque remedia verecunde quaerentem, adstans exturbavit, ac contra disciplinae ordinem rejecit; sacerdotem autem optimum non vèritus est lacerare conviciis, miserabilem eum dicens, qui impium justificasset. Ac tandem, *Exi*, inquiens sacerdoti, *cum similibus tuis*, contra fas omne irrupit in adyta, et sancta sanctorum profanare ausus est. Caeterum pontifici Dionysio, tamquam magnum quid effecisset ad virtutem, describit quod factum fuerat, susque deque jactans in illa audaci epistola, quod Deum ultus esset, quodque sancta, cum violanda essent, summa curâ ac diligentiâ servavit, atque illibata custodivit. Quid ergo ille? Num, ut vulgus solet, fuit animo perturbatus? aut reputatus est vel parum quid omnino mutavisse de ea bonitate, quae ei coaluerat? Hoc minime dici potest. Neque enim facto ultus est eum qui peccaverat: sed facto et sermone salutari erudiit, quae simul ad virtutem et omnem moderationem informat et componit, illam scribens Epistolam, et exemplum mansuetudinis Aaron, David, et alios adducens. Cujus ut omittam aliam ad bonum exhortationem, meminero certe visionis quam ei narrat, ut quae sancto Carpo apparuerit. Sic autem se habet ad verbum:

§ **8**. « Cum aliquando in Cretam venissem, me sanctus hospitio excepit Carpus *, vir, si ullus alius, propter maximam mentis puritatem, ad Dei contemplationem aptissimus. Is nunquam aggrediebatur sanctam mysteriorum celebrationem, nisi in precibus quae illam praecedunt, ei prius appareret sacra et benevola visio. Ipsum igitur (ut referebat) infidelis quispiam aliquando molestiâ affecit. Molestia autem erat, quod ille quemdam ex Ecclesia traduxisset ad impietatem. Cumque ejus celebritatis, quam vulgus Hilarias vocat, dies agerentur, qui debuerat benigne, ut virum bonum decet, pro utroque precari, et Dei Salvatoris accepto auxilio, alterum quidem convertere, alterum autem bonitate vincere, et non cessare eos admonere per totam vitam, donec poenitentiae tempus superesset, et sic ipsos ad divinam deducere cognitionem, ut jam tandem et quae illis erant ambigua et obscura, patescerent, et ab iis quae praeter rationem audacter admiserant, resipiscere legitima severitate cogerentur; is, nescio quo pacto (cum intra semetipsum id antea passus non esset), tunc vehementem indignationem atque amaritudinem imbiberat animo. Et sic quidem affectus obdormiit: erat enim vespera. Circa vero mediam noctem, quo tempore consueverat ipse semper apud se ad divinos hymnos vigilare, expergiscitur quidem, et surgit, cum somnos parum quietos, et crebro interruptos, nec absque perturbatione cepisset. Stans igitur ad divinam precem et collocutionem non satis intente, irreligiose angebatur animo, et aegre

* Recensetur a Martyrol. XIII huj.

ferebat, dicens non esse justum, si vivant impii homines, qui vias Domini rectas pervertunt; et propterea Deum rogabat, ut aliquo fulgure amborum omnino vitam eriperet citra ullam misericordiam. Haec autem cum dixisset, visum esse sibi, ajebat, repente videre domum in qua stabat, prius motam, tum demum e tecto mediam in duas partes divisam, et quemdam ante se ingentis luminis rogum, eumque (videbatur enim deinceps sub dio esse locus) e coelo ad se usque deferri. Coelum autem ipsum patere apertum conspiciebat, ejusque cardini Jesum insidère, innumerabilibus humana specie ei assistentibus Angelis. Et haec quidem vidisse, cum superne adspiceret, et se esse admiratum memorabat. Ubi vero ad inferiora deflexit obtutus, ipsum quoque solum, instar vasti ac tenebrosi cujusdam profundi discissum se vidisse, ajebat; atque illos viros, quibus male erat precatus, ante se ad os illius profundae voraginis stare trementes, et miserabiles, ut qui mox a pedum suorum instabilitate mergendi viderentur. Inferne autem serpentes e voragine prorepere cernebat, et circa illorum infelicium pedes ita instabiles ac nutantes, aliquando quidem in globum colligi, et ingravari una atque pertrahere; aliquando vero dentibus et caudis, ore, gutture, linguis ac toto corporis motu, vim immensi pavoris incutere, ut qui modis omnibus deorsum illos praecipitare molirentur. Fuisse autem et viros quosdam in medio, qui miseros simul aggrediebantur, una exagitantes, trudentes, atque pulsantes. Videbantur autem illi jam esse casuri, partim quidem inviti, partim autem sua sponte, cum a malo sensim et cogerentur simul, et inducerentur. Dicebat vero Carpus, se, dum deorsum adspiceret, fuisse laetatum, atque superiora neglexisse, graviter et indigne ferentem, quod nondum illi cecidissent. Et cum saepius eo desiderii ferretur impetu, illosque et ipse niteretur impellere, semperque frustra moliretur, aegerrime tulisse, et eos esse execratum. Cum ecce vix tandem revocatis ad superna luminibus, vidit coelum, sicuti et prius adspexerat; Jesum autem ejus, quod fiebat, misertum, e super coelesti suo throno surrexisse: et cum ad eos usque descendisset, clementissimam eis manum porrexisse; Angelosque simul opem ferentes, aliunde alium tenuisse viros. Tandem vero Jesum ipsum sibi dicentem audivit: Jam me deinceps percute; sum enim paratus saepe rursum pati pro salvandis hominibus. Et hoc est mihi gratum, modo homines in futurum peccata abominentur. Sed vide, an tibi utile sit, hanc istius profundi et cum serpentibus mansionem, Dei ac bonorum clementiumque Angelorum praeferre consortio. Haec sunt, quae ego audita, vera esse credo. »

§ **9**. Dionysius itaque in rebus omnibus erat adeo mitis, misericors, et ab ira alienus, ut quo altior evadebat factis, eo se magis modestiâ demitteret, regula factus omnibus ad virtutem, et lucerna ad deducendum ad id quod est melius. Quocirca nec

eam abscondi sub modio sivit is qui est solus auctor omnium; sed in alto ponit per virtutem: et fama protinus pervàdens, canebatur in ore omnium, in omnibus omnes vincere Dionysium. Porro autem omnes ad eum confluebant, non solum populares et forenses, sed qui erant eruditi et insignes; et qui prius laborabant insaniâ, et feris crudelius lacerabant Ecclesiam, ad illum virum venientes, et admirabilem illam et divinam linguam audientes, cordis sui molliebant duritiam, et ad veram et primam lucem accedebant per baptisma; quo magis erant inflammati ad vitium, eo ferventiorem ostendentes Christianismum: et ad summam, nihil tam erat in ore omnium, quam Dionysius. Cum ergo haec fama sic pervàderet, doctrina autem dilataretur, et fides confirmaretur evidentius, res ad saevissimum delata est Domitianum, vel, ut magis proprie dicam, Daemonianum, qui contra Deum locutus fuit iniquitatem in superbia et contemptione, et manum Deo inimicam extulit adversus fidem Christianorum.

§ **10**. Hic ergo quid machinatur? Vel potius, quid docetur a patre suo, Satana? Omnes quidem, qui, quae Christiani sentiunt, despicere, Dionysium autem solum de medio tollere, hoc sciens, quod si eum solum vicerit, omnibus fuerit superior: sin minus, omnes fore Domitiano fortiores. Postquam autem haec mente agitâsset, eum excitat irâ adversus martyrem, et furoris quaerens medicamentum, nullum aliud invenit, praeter ejus mortem. Cum itaque omnes qui ejus Imperio parebant, congregasset, eosque assumpsisset qui erant ei amentiâ similes, mittit ad quaerendum martyrem: « Et, si ei quidem, inquit, persuaseritis, ut ad nostram traducatur religionem, hoc est, quod desidero; cumque eum acceperitis vobiscum, revertimini. Sin autem adhuc permanserit in impia religione, eum morte condemnate. » Illi autem cum haec audiissent ab Imperatore, et furore accenderentur qui in eis habitabat, et ad res gerendas acres videri vellent ei qui miserat, postquam venerunt in Galliam, tamquam ferae quaedam irruunt; et cum omnem, quae circumcirca sita erat, conturbassent regionem, corrumpunt simpliciores, ut docerent, ubinam beatus Dionysius versaretur. Postquam autem audiverunt eum versari in civitate Parisiorum, illuc veniunt. Deinde percontantes de rebus Christianorum, inveniunt fidei doctrinam esse dispersam per totam civitatem; de miraculis martyris fiunt certiores, quod omnes scilicet, qui male se haberent, curasset; et ideo incredulorum ad eum confluxisse catervam, et se adjunxisse vero Dei cultui; et quod omnis Gallia, quae multis prius gravibus vitiis servierat, et factis, quinetiam subjecta erat cultui simulacrorum, collum suum ex his subtractum, doctrinâ Dionysii, subjunxit jugo Christi.

§ **11**. Cum ergo haec, et multa alia facta esse, ad eorum venisset cognitionem, et Christi gregem augeri, et suos deos vidissent

habitos despectui, et sua mysteria contemni, et inclinatam esse impietatem, magis accenduntur, et rogant ubinam habitaret, qui eorum erat auctor; et repente in beatum irruentes Dionysium, eum simul ligant cum iis qui cum ipso erant, in ore divinam adhuc habentem doctrinam; et praesident, rabiem et furorem spirantes ad examinationem. Ingreditur ergo vir generosus simul cum Rustico et Eleutherio, mente firma ac stabili, et libero animo, perinde ac si vocaretur ad festum, non ad certamen. Arroganter igitur et aspere, ut eum perterrefacerent statim in principio, ei dicunt: « Tu es, o execrandum caput, qui nostros deos nihili facis, et contendis de medio nostram tollere religionem? Responde ergo, quod sit tuum genus, quae te tulerit patria, et quod tuum studium. » Ille autem, amore in Christum ei addente animum, et faciente eum confidentiorem: « Ego quidem, inquit, o vos, ut et genus, et patriam omittam in praesentia, me Christi servum esse confiteor, et eum solum, et Patrem, qui caret principio, et coaeternum ejus colo Spiritum. Aufugi autem a vestro errore, validissimus (in meo enim Christo habeo fiduciam) vestrorum deorum oppugnator, Christianorumque, ad virtutem exhortator promptissimus. Ad haec facite, si quid est vobis imperatum. » Videntes autem malevoli, sancti constantiam cum prudentia conjunctam, iram mutant in adulationem, et, « Ne tuam, o Dionysi, dicunt, canitiem affeceris contumeliâ, neque caros sodales morti acerbae tradideris; pare recte consulentibus, et Imperatoris potentiam, per nos te rogantem, revereri persuadearis; o care et bone Dionysi, diis nostris sacrificare persuadearis, et eris cum tuis primus eorum qui sunt sub Imperio. » Ille autem: « Vester, inquit, hic error est pejor priore, si putetis fore, ut me, aut meorum aliquem seducatis. Hoc enim sciatis, quod nos non honores, non contumeliae, non blanditiae, non tormenta, neque aliquid aliud omnino separabit a Christo. »

§ **12**. Deinceps ergo cum non possent persuadere, deposita personâ et simulatione, cum irâ magis efferbuissent, et e cathedra furiose, et mente quodammodo emota surrexissent: « A vobis, o amentes, Dionysio dicunt, et iis qui cum ipso erant, dii contemnuntur; et Imperator irridetur; et artibus magicis, perinde ac miraculis, eos qui ejus parent Imperio, ab eo abducitis, et ad vestras partes traducitis? » Sancti autem (similes eis fiant qui ipsos colunt), eis una voce dixerunt: « Nos autem non magicis artibus, ut dicitis, sed Dei nostri, et vivifici ejus Spiritus invocatione et operatione, caecis visum, mutis sermonem, claudis ingressum, et daemoniacis praebemus curationem. Quorum ne sibi quidem possunt vestri dii quicquam praebere, ut qui sint ligna et lapides. Os enim habent, et non loquuntur; oculos, et non vident; aures, et non audiunt. Unum hoc solum vobis efficiunt; accendunt ignem, qui numquam desinet. » Adversus haec cum

non possent Tyranni contradicere, torve et insane eos adspicientes, strictis gladiis, se parant ad caedem. et cum, tamquam signo dato, eos eduxissent extra civitatem, vinctos ducunt ad quoddam cacùmen, et tradunt lictoribus, ut eos interficiant. Interea autem petunt Sancti tempus precandi, et flectunt genua. Tum sacrosanctus Christi martyr Dionysius, sublatis in coelum oculis: « Domine Deus omnipotens, Fili, inquit, Unigenite, et Sancte Spiritus, sancta Trinitas principio carens, et in quam non cadit divisio, suscipe servorum tuorum in pace animas, quoniam propter te morte afficimur. » Et cum Sancti *Amen* acclamassent, conversus ad lictores: « Facite, inquit, quod fuit vobis imperatum. » Illi autem primum quidem beati Dionysii, deinde Rustici et Eleutherii caput amputant.

§ **13**. Sed nec in hoc quidem (o Dionysi) Is, qui propter nos passus est, fuit oblitus ejus, qui propter ipsum moritur: sed miraculum etiam ostendit in amputatione. Etenim cum suum caput tamquam aliquod praemium Martyr suis accepisset manibus, transit ad locum idoneum. Ferebat ergo ipse caput in manibus, tamquam aliquod trophaeum, a divina omnino portatus gratia; neque prius dimisit, quam mulieri divinâ quadam omnino occurrens providentiâ, in illius manibus deposuit, veluti quemdam thesaurum. Jacebant autem neglecta sanctorum martyrum veneranda corpora, feris et avibus ad edendum exposita, et nec justa quidem sepulturae consecuta. Lictores autem ne hactenus quidem irasci desierunt; sed etiam in ipsas furunt reliquias, statuentes eas in maris profundum projicere, ne vel inanimatae efficerent miracula, et ideo attraherent multos ad agnitionem. Quod etiam, ut ei visum erat, factum esset, nisi hoc malum consilium ad effectum deduci Deus prohibuisset. Nam cum sensisset eorum consilium eá quae pretiosum Martyris caput acceperat, cui nomen erat Catulla, mentem suam communicat fidelibus, ut Deo gratam et acceptam. Et cum splendidam et lautam apparasset mensam, lictorès accipit convivio. Interim, vero dum ii convivium inìbant apud mulierem, quidam ex fidelibus accipiunt Martyrum reliquias, et eas abscondunt. Deinde, finito convivio, cum eam rem deprehendissent lictores, ira valde erant pèrciti; sed fervorem irae sedarunt munera, et vehementem furorem dissolvit mulier pecuniâ. Cum illi autem recessissent, in quadam domo deponit Catulla Martyrum reliquias, tertio mensis Octobris, miraculis affatim profluentibus, perinde ac aliquo fonte pulcre et suaviter manante. Non multum temporis intercessit, et convenientes Christiani, templum gloriosis excitant victoribus, et in ipso eorum pretiosas deponunt reliquias: ad gloriam Dei Patris, et Domini nostri Jesu Christi: quem decet honor et adoratio, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA S. LUDOVICI BERTRANDI

CONF. ORD. PRAEDICATORUM

PER BULLAM CANONIZATIONIS A CLEMENTE PAPA DECIMO ANNO MDCLXXI CELEBRATAE DESCRIPTA

Flor. sec. XVI — Nat. Hispanus.

Clemens episcopus servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

PROOEMIUM. Coeli terraeque Conditor ab ipso mundi exordio usque ad haec nostra tempora, in quibus seculorum fines devenisse creduntur, nusquam per singulas aetates tamquam per horas distributas operarios in vineam suam mittere destitit, qui, pondus diei et aestus portantes, labore, sudore ac sanguine illam irrigarent, et omnium coelestium virtutum ac aeternae vitae fructibus germinare eam facerent, donec, juxta divina Scripturarum oracula, ex omnibus, gentibus, tribubus, populis et linguis, a solis ortus cardine usque ad terrarum limites, omnes ad coenam Agni providi congregati in regno coelesti vinum novissimum biberent, quod Dei sapientia Electis suis miscère consuevit. In excolendâ sanctae Crucis vite, omni curâ potissimum insudarunt in operibus diversi, in virtute uniformes, ut etiam per regna et provincias nostris majoribus antea ignotas ita innotuerit ejus virtus ac vigor in totius orbis victoriâ, ipsiusque de mundi principe triumphus, ut jam tremendum illud cunctis potestatibus nomen, quod est super omne nomen, sibi jam barbaras nationes subegerit, et in nomine Jesu omne genu flectatur, ac omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloriâ est Dei Patris. Plures hujusmodi et strenuos operarios continuata serie catholicae Ecclesiae Praedicatorum Ordo ministrare non destitit, inter quos novissime egregius Dei servus, Ludovicus Bertrandus, mirifice claruit, qui ardentissimâ in ipsum Deum et proximum charitate flagrans, ceterarum virtutum excellentiâ, prophetiae dono et apostolico ministerio coruscus, omnium linguarum laudibus merito celebratur, cujus pietas et devotio adhuc in ipsâ tenerâ aetate effulsit, quibus et mundi contemptum et religiosi statûs perfectionem jungens, veteranis professoribus admirationi et exemplo fuit. Postmodum ad occidentales Indos evangelicus praedicator missus, plurimos ad Christi fidem adduxit. Apostolicis etiam signis, charismatibus et auctoritate decoratus, et cunctis virtutibus fulgens, inventus est dignus, qui super excelsum candelabrum in sanctâ Ecclesiâ collocaretur, ut ceteris, qui in domo Dei sunt, ejus radii elucescant.

Rationi et aequitati convenit, ut praeclarus hic Dei famulus, qui pro ejus gloriâ et animarum salute multos maximosque labores et aerumnas pertulit, cujus nomen Deus ipse gloriosum effecit, a nobis quoque, qui ejus vices in terris (licet immeriti) gerimus, honorabilis ubique reddatur. Hunc igitur, ut merito in Ecclesiâ militante populus fidelis et plebs Deo dicata, Sanctorum fastis adscribi plenius agnoscat, ejus praeclara gesta et eximia virtutum ornamenta tamquam praecellentia ad imitandum proponenda duximus, ut Christi nomine decorati, gesta sua ad ejus exemplum in Dei gloriam conformantes, eum in opportunitatibus et tribulationibus advocatum apud Deum Patrem omnipotentem habere mereantur. Atque ut christifidelium ora promptius in divinis laudibus exultent et pietatis fervor erga tantum Jesu Christi Servum magis in dies excitetur, ejus admirandam et omni laude dignam in terris peractam vitam in primis exponere et brevi inclusam eloquio patentem reddere decrevimus.

§ 1. Valentiae * igitur in Hispaniâ Tarraconensi, ex piis, honestis, catholicisque parentibus Joanne Ludovico Bertrando et Joanna Anna Exarch, editus est in lucem Ludovicus anno Dominicae salutis MDXXVI, kalendis Januarii, et ibidem in parochiali S. Stephani ecclesiâ, eodemque fonte, quo olim sanctus Vincentius Ferrerius in Christo renatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum, cui Ludovicus carnali prosapiâ junctus erat, communi etiam regenerationis propinquitate attingeret. Infans a parentibus, eidem sancto Vincentio mire devotis, pie honesteque educatus necnon optimis moribus ita imbutus fuit, ut neque in illâ tenerâ aetate defuerint argumenta futurae sanctitatis; vagientis enim ac plorantis lacrymae nullâ re sisti certius poterant, quam Sanctorum imaginibus ejus conspectui oblatis, quarum ad intuitum domi et in templo mirifice gestiebat.

§ 2. Crescente aetate, crevit pariter virtutum amor et erga res divinas pronus affectus. Vix pueritiae limen attigerat, quando notatus fuit crebro ad solitudinem cubiculi sese recipere, ut, geniculans, prolixae orationi incumberet. Illic Dominum in se loquentem audiens, suimet corpusculi robustus domitor evasit; illic, spretâ delicati cubilis mollitie, aut humo aut duro in ligno modicum somnum capiebat; illic jejuniis victuique parcissimo corpus assuescere docuit, ac variis poenitentiae austeritatibus extenuare coepit. Exinde, frequentando gymnasio et litterarum studiis addictus, non minus prava consortia, nugas atque illecebras, quam otii laxamenta velut bonarum artium aerugines et virtutum pestes cautissimâ sedulitate jugiter evitavit. In simplicitate cordis sui, quaesivit Dominum et invenit illum; in ecclesiis enim et maxime Ordinis Praedicatorum saepissime orationi

* Nobilissima urbs, archiepiscopali sede et studiorum universitate decorata. Ibi Alexander VI et Coelestinus III, Summi Pontifices, in lucem prodiêre.

vacans, morabatur; sacris etiam lectionibus divinisque colloquiis mentem reficiens, invènit quem diligebat anima ejus; sanctissimae Eucharistiae frequenti, humili et occultâ sumptione delectatus, in Dei ac proximi amorem totus exarsit; xenodochia magna charitate visitans, pauperibus totâ animi sui demissione inserviebat.

§ 3. Ut Domini consilium de relinquendis domo fratribus et parentibus perfectius impleret, erèmi desiderio clam domo aufùgit, sed specioso pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis seculi fugam auspicatus, primo clericalem admisit habitum, mox vero, non sine magnâ cum domesticis luctâ, Ordini S. Dominici nomen dedit in conventu Praedicatorum Valentino, et religionis habitu suscepto, praeclara sancti Vincentii Ferrerii, ejusdem familiae celeberrimi alumni, vestigia sibi sequenda proposuit. Ejus exemplo, in omnium virtutum genere proficiens, genitoris querelas et blanditias invicto animo superavit; et, tirocinii anno expleto (in quo regularis militiae praeclara dedit indicia), solemnia religiosae professionis vota emisit, postquam multis magnisque virtutum incrementis vitam, quam ad eum usque diem integerrimam egerat, cumulavit. Sacros ordines, peracto novitiatu, suscepit; et ad sacrum presbyteratus ordinem promotus, paulo post, novitiorum magister, raro exemplo, eligitur; quod munus cum pluribus annis magnâ cum laude exercuisset, vicarius conventus de Albayda. deinde prior S. Honuphrii fuit designatus; demum conventui Valentiae praefuit, in quibus ceteris fratribus non tam praelatione, quam virtute et exemplo semper praeivit.

§ 4. Inter cetera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervènit, summum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicae passionis mysteria magno cum fervore et mentis jubilo recolendo. His post meridiem contemplandis beatissimae Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his coelestium illustrationum commerciis persaepe visus est non solum spiritu rapi in ecstasim, sed et corpore a terrâ sublevari et luculentis splendoribus conspicue circumfundi. Erga sanctissimum altaris Sacramentum miro ex intimis praecordiis ardore flagrabat, sciens hoc esse pulcrum et optimum electorum frumentum ac vinum germinans virgines. Propterea familiares ad ejus sumptionis vel saltem visitationis frequentiam vehementer hortabatur; sacrum missae sacrificium celebraturus, angelicae puritatis candorem aemulari cupiens, quantâvis carnis mortificatione et mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus nunquam satis paratus videbatur esse. A sacrificando impeditus, sacrâ Eucharistiâ reficiebatur, ut jugiter Christum in se manentem haberet, et in eo ipse quoque assidue maneret.

§ 5. Ut cum Patre luminum jugis esset conversatio sua, mirâ simplicitate in omnibus semper se gessit, magnâ tamen cum

prudentiâ, qua praeditus erat. Humilitati sic addictus fuit, ut in sui nihili cognitione et vili existimatione perpetuo moraretur. Se omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum praedicans, omnibus subesse satagebat, ab ipsis novitiis de suis defectibus admoneri non solum gaudens, sed etiam saepe imperans, se ipsum perturbantem omnia ac solum Judae proditoris ac daemonum consortio dignum appellans, innumeris aliis se ipsum probris et conviciis onerabat. Summo moerore, cum honorifice aut tractaretur aut exciperetur, afficiebatur, ita, ut, procumbens in genua, ne manibus suis oscula figerent, deprecaretur, ac paternitatis titulo prior se honorari inhibuerit. Si quem laesisse suâ moestitiâ aut aliter, timuisset, genuflexus veniam poscebat. Concionatoribus etiam ipsis, quos instruxerat, ministrum se jungebat, nec ullius quamvis ineruditum sermonem despexit. In ipsis favoribus coelestibus et divinis revelationibus mirifice humilitatis spiritum custodivit. Timore judiciorum Dei perculsus, se in infernum demergi sibi ipsi videbatur; cui timorem filialem, a Deo precibus et poenis obtentum, jungens, moestus et pavidus continuo apparebat. Eumdem profundae humilitatis spiritum in sibi subditorum cordibus superior existens inferre studuit, dicere solitus religiosum perfectionis cupidum debere spernere se, spernere nullum, spernere mundum, et spernere se sperni. In his unumquemque sic proficere debere dicebat, ut quantâvis virtute et meritis clarus esset, nunquam tamen de se praesumeret, aut se alicui praeferret.

§ 6. Magnis aestuavit charitatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquae extinguere potuerunt; unde et zelo Dei ardens urebatur, si qui contra Dei praecepta moliri aut videret aut audiret. Quin et sermones ejus ut faces ardebant, nihil de seculi vanitate mixtum continentes, sed vel ad Dei famulatum vel ad poenitentiam et peccatorum detestationem directi erant. Frequens fuit in sacrae Scripturae sententiis aut Sanctorum gestis enarrandis; magno fervore exaggerans horrendum esse incidere in manus Dei viventis et irati. Hinc plures re ipsâ experti sunt ab ejus conversatione novis semper in Dei servitute fervoribus excitatos recessisse. Cum nobilis quidam communem vitiorum objurgationem ad se singulariter credidisset a beato Ludovico directam, mortem, quam ei comminatus fuerat nisi dicta in suggestu revocaret, viriliter renuenti, stricto in eum sclopo intentat; illico in Crucifixum mirabili transformatione sclopus mutatur, ipso aggressore, miraculi vi prostrato ac veniam enixe petente; beatusque Ludovicus, suae humilitati consulens, plus timens laudantem populum quam sclopum, suo socio Christophoro de Mora praecepit, signans in ejus pectore crucem, ut prodigium celaret, usque dum annis triginta transactis interrogatus pànderet veritatem.

§ 7. Usque adeo ardebat in eo martyrii desiderium, ut in

tremendi sacrificii elevatione cum S. Petro martyre ex intimis praecordiis divinam Majestatem exoraret: *Da mihi, Domine, ut pro te moriar, quemadmodum pro me mori voluisti.* In prospectu etiam imaginis sancti Vincentii martyris eisdem poenis et suppliciis quibus ipse certavit et vicit, affici vehementer optavit. Audiens poenas quibus pro fide Christi suâ aetate aliqui gloriose diem clauserant extremum, ex profundo cordis in jubilo erumpens, eis cum similibus victoriis totis visceribus se socium jungi cupiebat.

§ 8. Eàdem charitate etiam erga proximum ardens, animarum solatia et progressus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confessionibus audiendis, pro aliorum culpis expiandis, duris se flagellis caedens, quibus mulierem honestae (quoad seculum) conditionis, cujus peccandi consuetudinem, Deo revelante, noverat, revocavit. Adolescentula etiam ne caderet, orationibus et poenis a Deo obtinuit. Pestis tempore quoscumque mendicos obvios habuisset ad conventum S. Annae Albaydae quamquam inopiâ laborantem, ubi tunc munus agebat superioris, reficiendos adducebat, dicere solitus Deum nunquam sibi fideliter servientibus deesse. In vias et montes procedens, peste extinctos sepulturâ donabat. In xenodochiis et domibus infirmos saepe invisens, eorum plurimos, imponens eis manus, et pro eis deprecans, sanitati restituit: inter quos, non sine evidenti miraculo, religiosus vir Franciscus Allemanus, jam morti proximus, a beato Ludovico de recuperandâ valetudine certior factus, paulo post omnino liber convaluit. In sedandis odiis et reconciliandis animis magnopere etiam hujus viri charitas enituit, in carcere etiam detentis aut morte addictis, ope et auxilio non deerat, quorum plures e miseriis et injustis vexationibus miro modo et suaviter liberavit.

§ 9. His Dei et proximi amoris ardoribus incensus, in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit, ut Indorum animas Deo lucraretur. A quo nec amicorum vel fratrum, aut sororum artibus, precibus vel lacrymis dimoveri potuit; omnibus enim magnâ cum animi submissione non sine fletibus valedicens, pedestre iter occidentalem Indiam versus arripuit, et Hispalim Novam * ingressus, omnibus aedificationi, solatio et auxilio in opportunitatibus fuit. In qua sui Ordinis religiosum a cadente ponderosâ trochleâ gravissime laesum, vulnere aquâ loto, sic sanitati pristinae restituit, ut postridie, mirantibus cunctis, ne vestigium quidem cicatricis apparuerit. Appulit ad Carthagenae portum, ibique in conventu S. Josephi sui Ordinis habitavit; et inde ad diversos Indorum populos missus evangelizavit, incolentibus scilicet Tubaram, Cipacòam, Paulatum, Monpoix, Sertam, S. Marthae, Turcarum, Tenerifem et aliis; ibique plura et mirabilia perpetravit. Orationibus a Deo obtinuit ut linguâ suâ hispanâ, in qua natus erat, evangelizando, absque interprete intelligeretur ab Indis.

* *Siviglia.*

Vigilias, sitim, famem, aestum et frigora in hoc apostolico ministerio ferens, semper pedes incedens, et saepe aeger, cursum suum cum Apostolo consummare gestiebat. Socium quandòque habuit rudem moribus, cui non sine miraculo mortale vulnus in capite curaverat; quin etiam praeter exspectationem, ut ei subveniret, apparuit arbor pomifera, fonsque ad radicem scaturivit, ut illum recrearet et convivaret; qui postea eum inurbane dèserens, misere, sicut ei vir Dei praedixerat, reliquum vitae tempus et finem consumpsit. Visus est etiam saepe in itinere, a viâ secèdens, flagellis se caedere. Pluries obvias habuit tigres aut alias feras, quae signo crucis ab eo mites redditae, itinerantibus illaesis relictis, alio iter arripiebant.

§ **10**. Carthagenae concionator deputatus in Quadragesima, ut ei mos erat, visus fuit duriora corda emollire et auditores nonnisi compunctos et amare flentes dimittere. Rapiebat audientium mentes, neque enim hominis sed angeli spiritum verba ejus redolebant. Contumeliis propter haec a carnalibus ac etiam probris et irrisionibus appetitus, gaudebat quod pro nomine Jesu talia pati dignus haberetur.

§ **11**. Tubaram a superiore missus, ut gentes illas Dei cognitione imbueret et sanctae Ecclesiae sacramentis initiaret, omnibus illius loci infidelibus, orationibus, jejuniis, flagellationibus et aliis poenis, a Domino conversionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipsius Dominus noster exequi dignatus est. Daemonem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit et ululantem abire coëgit. Infantem (qui fuit primus quem sacro fonte abluit), ab Indo quamvis idololatra delatum, Michaëlem appellavit, ipsomet Indo palam testante se ab angelo Domini admonitum consecuturum eum cum baptismo salutem aeternam, et ad hoc ipsum beatum Ludovicum a Deo illuc directum fuisse. Idolorum etiam tuguria succendi curavit, et tanta sanctitatis ejus fama apud barbaras illas gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes in quemdam ministrum (solâ praesentiâ tumultum sedando) detinuerit. Publicum etiam ibi adulterum quamvis potentem acriter reprehendit; a quo postea armis valide invasus, mirantibus cunctis, telo in terram cadente, incolumis et intrepidus evasit. Nec ab hominibus solum, sed etiam a daemonibus in illarum gentium conversionibus plurima pertulit, praesertim apud quemdam veteranum idolorum sacerdotem morti proximum, quem sacro baptismate initiavit, et ad ipsorum immundorum spirituum infestatione, fixo apud illum sanctae crucis signo, liberavit. Jacobum Raphaëlem Frances ex eo loco praevidit naufragum futurum, quem propterea per diem et binas noctes natantem et beatissimae Virginis Ss. Rosarii patrocinium assidue implorantem, salvum ad litus recepit; ubi eum propterea cum subsidiis victus et vestitus exspectaverat, et a mortis instantis faucibus eripuit.

§ **12**. Ab ipsis Indis visus fuit a terrâ in ecstasi elevatus, quem postmodum summâ veneratione coluerunt, et abeuntem amare defleverunt; crediturque populum illum ejus intercessione in Christi Domini fide adhuc perseverare, ad cujus hospitium in oratorium commutatum etiam nunc et Indi et Hispani ad divina beneficia ejus patrocinio impetranda accurrunt. His similia in oppidis Cipacoë et Peluati egit, ubi etiam, evangelicam paupertatem servans, laetus in rerum summâ inopiâ et volens vitam degebat, ac orationibus praeter spem optatos obtinuit imbres, et Cinagam fluvium prae aquarum redundantiâ impervium, signans cruce aquas, prout voluit, transegit. Cadentes etiam circum undique pluviae, illo beatissimam Virginem de Rosario pie invocante, nec ipsum nec socios attigerunt. Sub monte S. Marthae Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis praedicationibus ad fidem conversâ, baptizavit. Et non procul inde potentissimum venenum sibi ab idolorum sacrificulo propinatum èbibens, post quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus seu parvis serpentibus stomacho ejectis, ac incolumis magno praesentium stupore perduravit.

§ **13**. Daemones, visibiliter gentibus illis apparentes, signo crucis et miris modis saepe fugavit, quibus plures alios ad fidem adduxit. In oppido Monpoix visi sunt ei genuflexo assistere sancti doctores Ambrosius et Thomas de Aquino. In insulâ S. Thomae, dum furentes pagani, arreptis lapidibus, viro sancto necem intentant, monitus ut fugeret, constantissime renuit, solàque divini verbi efficaciâ ducentos ex aggressoribus jugo Christi subjecit. Quemdam ex Pegionis proceribus de salutiferae Crucis arcano mysterio doceri cupientem repentino miraculo convertit; nam arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus, conspicuam figuram crucis rudi cortici mirabiliter impressit, eoque ostento tum illi tum aliis baptismum in fide vivificae crucis persuasit.

§ **14**. Sane vir iste apostolicus non solum juxta promissionem S. Evangelii, quod praedicabat, in nomine Domini nostri Jesu Christi daemonia totis regionibus ejecit, serpentes infernales visibiliter incolis minaces abstulit, ac linguis novis inter gentes locutus est, verum etiam pluries in testimonium Fidei mortiferum quid bibens innoxie discrimen vitae superavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem, suâ zonâ praecingi jussam, unâ cum prole ab interitu liberavit, ipsamque jam puerperam, cum marito, propinquis, ac domesticis, lavacro sacri baptismatis ab infidelitate mundavit. Navigans cum aliis in flumine a Magdalena nuncupato, irruente tempestate, navi eversâ, cunctisque in aquâ immersis, orans emersionem et incolumitatem obtinuit. Pristinam valetudinem pluribus reddidisse, et defunctam ad vitam Ss. Rosarii applicatione revocasse compertum fuit.

§ **15**. Videns, nec impedire aut ferre valens angustias, quibus,

ut plurimum, violenter a praefectis quibusdam etiam vulneribus et caede Indi opprimebantur, obedientiâ obtenta, in Hispanias rediit; cumque in mari navis periclitaretur, rogatus a navigantibus, tumentes undas tamdiu cruce signavit, donec, optatâ tranquillitate redditâ, omnes ad portum Hispali incolumes pervenerunt. In conventu S. Honuphrii post reditum ab Indis, ex obedientiâ praefuit, quem aere alieno gravatum et inopiâ ex annorum sterilitate ortâ laborantem invenit, et omnibus satisfaciens, religiosis nunquam in aliquo ex consuetis defuit. Quin et plurimis egenis miserabilibusque personis large eleemosynas suppeditavit, quandoque etiam Deo illorum necessitates revelante, et mirabiliter ei pecunias ministrante. Quin et in aedificio ad honorem S. Crucis constructo ostendit regente Domino servis ejus nihil deesse. In coenobio Valentiae superiorum jussu, licet invitus, prior constitutus, in cellâ sancti Vincentii Ferrerii règimen eidem Sancto commendans, ab imagine ipsius, coram qua prostratus orabat, se inclinante, meruit amplexu honorari atque elevari. Mortificationes, cruentas disciplinas, frequentiam chori et summam abstinentiam, quibus se exercebat, nec concionando nec regendo dimisit. Ut studiorum cursus exacte perficerentur accurate invigilavit, cupiens suos subditos semper in sanctis aut eruditis exercitiis occupatos, quorum e claustro exitum, nisi urgente necessitate, non permisit. Ostio sui cubiculi magnis characteribus inscribi voluit: *Si hominibus placerem, servus Dei non essem* (*Gal.* I, 10). Ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo prudentis consilia, fratris familiaritatem, patris benignitatem, viri sancti perfectionem et omnium virtutum compendium invenerit.

§ **16**. Contigit ei ibi videre animam cujusdam sui olim poenitentis (qui eumdem Beatum verbo laeserat) testantem, Deum nolle eam ad gloriam admittere, nisi culpam ipso dimittente et pro eâ celebrante; quo facto, sequenti nocte illam in Sanctorum gloriâ conspexit. Aliis etiam beatorum in aeternâ felicitate regnantium et maxime sanctorum sui patriarchae Dominici et Francisci, quin et ipsius Christi Domini visionibus recreatus fuit, sibique omnia sua peccata dimissa fuisse audivit. Saetabi (vulgo Xativa) a primoribus civitatis rogatus pro concionibus in proxima Quadragesimâ apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus pressum et naturaliter impotentem se agnosceret, a Deo et velle et cursum integrum quadragesimalium concionum perficere obtinuit. Gubernatori Valentiae, Jacobo Ferrerio, indictis ei quibusdam precibus, scripturarum, de quarum amissione summopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit.

§ **17**. Spiritu etiam prophetico ita mirifice claruit ut in plurimas res futuras, cum et spiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines et mortes, quam circa animarum

profectus et mores, saepissime pronunciavit. Nam et sanctae Teresiae a Jesu suam Excalceatorum claustralium tunc fundatam Congregationem brevi inter illustriores sanctae Ecclesiae religiones (ut reipsa evenit) connumerandam esse praedixit. Tribus regularibus diversos ipsorum successus et fines, prout contigerunt, pronunciavit. Virum nobilem, injuria praelatum quemdam vexantem, ultionem Domini brevi exsperturum fore dixit, quod mors ejus repentina a Domino revelante ei notum fuisse demonstravit. Arcana etiam plurima, tam in rebus corporeis quam secretis cordium latentia, nuda et aperta fuisse oculis mentis ipsius a Deo illustratae (stupentibus omnibus) rerum eventus óstensa fuisse indicarunt, atque in hoc dono penetrandi secreta cordium valde singularis ac admirandus fuit. Alia quoque quamplura, naturaliter ignota, tam clare, distincte et ordinate, prout erant aut acta aut cogitata, enarravit, ut solum Deo revelante haec illi innotuisse compertum fuerit.

§ **18**. Virtus ejus in toto decursu vitae a Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut assiduis passionibus tolerandis magna illi patientia opus fuerit; in complexione enim ipsius satis delicatâ non solum potentia visiva parum valens et auditus imperfectus inerat, sed etiam horribili ulcere in crure per multos annos et vertigine capitis vehementer cruciabatur. Quin et viscerum pravis affectionibus et aliis occultis infirmitatibus, maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace probavit illum Dominus, animo sic invicto omnia tolerante, ut frequenter ex ejus ore verba doctoris sanctae Ecclesiae Augustini resonarent: *Domine hic ure, hic seca, hic, non parcas, ut in aeternum parcas.* Ubi primum convalescebat, ad mortificationis et observantiae communis exercitia revertebatur, cunctis se oblectationibus et convalescentium levaminibus sponte privans, aliis infirmis oblata sibi fercula cuncta partiebatur; quin et saxo decumbens sub linteaminibus posito corpus torquere consueverat, dicens arctam esse viam quae ducit ad vitam.

§ **19**. Sic infirmando fortior semper redditus, agnovit sibi instare adimpletionem divini promissi, quod olim in festo sanctae Catharinae virginis et martyris obtinuerat, quando ex medio magnae lucis sponsum ei fuit tandem ex his tenebris in lucem illam aeternam, quae lucet sanctis Dei in perpetuas aeternitates, migrandum esse. Nam inter labores concionum morbo ingravescente, febribus decubuit, et suscepturus pro viatico sanctissimae Eucharistiae sacramentum, devotissime non sine multis lacrymis sanctae fidei catholicae accuratam professionem emisit; imploravit etiam ferventissime Domini nostri Jesu Christi auxilium et sanctissimae Virginis Deiparae patrocinium, necnon aliorum Sanctorum, et praecipue sui Ordinis, expressoque nomine sancti Vincentii Ferrerii, subjunxit: *Pater mi, currus Israël et aurìga ejus.*

§ **20**. Enixe petiit a circumstantibus ut simul cum eo Dominum deprecarentur ne mortis sententiam revocaret, et Joanni Boil, moerenti de gravi suae filiae infirmitate, eam tunc non migraturam a vitâ vere praedixit. Remittente postmodum paulisper vi morbi, non sine labore ad sacrum celebrandum surgebat. Iterum ingravescente infirmitate, assistentem et saepissime ministrantem, non sine magnâ suâ confusione et animi demissione, habuit Joannem a Ribèra, patriarcham Antiochenum, tum archiepiscopum Valentinum, qui, dum in cruciatibus ipsum ad resignationem in divinae voluntatis beneplacitum hortatur, audivit illum dicentem se poenas illas quibusvis mundi hujus terrenis bonis pluris facere et cariores habere. Ab his cruciatibus, quantumvis vehementibus, nec detineri aut retardari potuit quin per singulos dies per binas horas consuetae orationi vacaret, et saepe sacrâ exomologèsi se purificans, divino altaris èpulo reficiebatur, aliisque infirmis horum sacramentorum frequentiam suadebat, saepe rèpetens haec divina mysteria non solum animae, sed etiam corporis, ut plurimum, salutem operari.

§ **21**. Concentus musicos in eâ aegritudine audiens, totus elevatus in Deum solvebatur in lacrymas. Denique, variis remediis et morbi vicissitudinibus ex animo toleratis, appropinquante S. Dionysii festivitate, quâ die ante annum se moriturum esse praedixerat, plures occurrerunt certatim cupientes ab eo benedici, vel suis rosariis ejus linteamina attingi. Inter hos filius ducis Gandiae genuflexus, et pedes ejus lacrymabundus osculatus, benedictionem devote et singultiens praestolabatur, quod vir Dei, se quidem maximum peccatorem cum sancto Paulo dictans, et mente ad nihilum suum conversus, humillime praestitit. Hoc etiam divinitus sorori Angelae a Guglione virgini religiosae Ordinis sancti Francisci in perpetuâ clausurâ degenti concessum fuit, dum ex corde optabat praesentialiter Christi Domini servum venerari; illico enim (ministerio creditur angelico) ante ejus pedes constituta et voti compos facta, suae cellae iterum miraculose reddita fuit. Cupiebat interim Ludovicus dissolvi et esse cum Christo, nec aliter quam aut sanctissimi altaris sacramenti quotidiana sumptione, aut cum Crucifixi imagine colloquiis suas moras solabatur. Feriâ sextâ ante obitum, referenti diem veneris esse, *Benedictus Deus* (respondit ille), *adhuc quatuor supersunt dies*. Frequenti coelesti sancti Vincentii Ferrerii visitatione, quem a teneris annis summâ veneratione, et imitatione colere studuerat, recreabatur.

§ **22**. Biduo ante decessum e vitâ, sacram olei infirmorum unctionem devote petiit, et singulis orationibus respondens, seque sanctis orationibus et mortificationis exercitiis muniens, sanctissimi Crucifixi imaginem frequentibus osculis venerans et orans, in die festo S. Dionysii, ut saepe praedixerat, horâ quindecimâ,

vacans, morabatur; sacris etiam lectionibus divinisque colloquiis mentem reficiens, invènit quem diligebat anima ejus; sanctissimae Eucharistiae frequenti, humili et occultâ sumptione delectatus, in Dei ac proximi amorem totus exarsit; xenodochia magna charitate visitans, pauperibus totâ animi sui demissione inserviebat.

§ 3. Ut Domini consilium de relinquendis domo fratribus et parentibus perfectius impleret, erèmi desiderio clam domo aufùgit, sed specioso pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis seculi fugam auspicatus, primo clericalem admisit habitum, mox vero, non sine magnâ cum domesticis luctâ, Ordini S. Dominici nomen dedit in conventu Praedicatorum Valentino, et religionis habitu suscepto, praeclara sancti Vincentii Ferrerii, ejusdem familiae celeberrimi alumni, vestigia sibi sequenda proposuit. Ejus exemplo, in omnium virtutum genere proficiens, genitoris querelas et blanditias invicto animo superavit; et, tirocinii anno expleto (in quo regularis militiae praeclara dedit indicia), solemnia religiosae professionis vota emisit, postquam multis magnisque virtutum incrementis vitam, quam ad eum usque diem integerrimam egerat, cumulavit. Sacros ordines, peracto novitiatu, suscepit; et ad sacrum presbyteratus ordinem promotus, paulo post, novitiorum magister, raro exemplo, eligitur; quod munus cum pluribus annis magnâ cum laude exercuisset, vicarius conventus de Albayda. deinde prior S. Honuphrii fuit designatus; demum conventui Valentiae praefuit, in quibus ceteris fratribus non tam praelatione, quam virtute et exemplo semper praeivit.

§ 4. Inter cetera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervènit, summum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicae passionis mysteria magno cum fervore et mentis jubilo recolendo. His post meridiem contemplandis beatissimae Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his coelestium illustrationum commerciis persaepe visus est non solum spiritu rapi in ecstasim, sed et corpore a terrâ sublevari et luculentis splendoribus conspicue circumfundi. Erga sanctissimum altaris Sacramentum miro ex intimis praecordiis ardore flagrabat, sciens hoc esse pulcrum et optimum electorum frumentum ac vinum germinans virgines. Propterea familiares ad ejus sumptionis vel saltem visitationis frequentiam vehementer hortabatur; sacrum missae sacrificium celebraturus, angelicae puritatis candorem aemulari cupiens, quantâvis carnis mortificatione et mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus nunquam satis paratus videbatur esse. A sacrificando impeditus, sacrâ Eucharistiâ reficiebatur, ut jugiter Christum in se manentem haberet, et in eo ipse quoque assidue maneret.

§ 5. Ut cum Patre luminum jugis esset conversatio sua, mirâ simplicitate in omnibus semper se gessit, magnâ tamen cum

prudentià, qua praeditus erat. Humilitati sic addictus fuit, ut in sui nihili cognitione et vili existimatione perpetuo moraretur. Se omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum praedicans, omnibus subesse satagebat, ab ipsis novitiis de suis defectibus admoneri non solum gaudens, sed etiam saepe imperans, se ipsum perturbantem omnia ac solum Judae proditoris ac daemonum consortio dignum appellans, innumeris aliis se ipsum probris et conviciis onerabat. Summo moerore, cum honorifice aut tractaretur aut exciperetur, afficiebatur, ita, ut, procumbens in genua, ne manibus suis oscula figerent, deprecaretur, ac paternitatis titulo prior se honorari inhibuerit. Si quem laesisse suâ moestitià aut aliter, timuisset, genuflexus veniam poscebat. Concionatoribus etiam ipsis, quos instruxerat, ministrum se jungebat, nec ullius quamvis ineruditum sermonem despexit. In ipsis favoribus coelestibus et divinis revelationibus mirifice humilitatis spiritum custodivit. Timore judiciorum Dei perculsus, se in infernum demergi sibi ipsi videbatur; cui timorem filialem, a Deo precibus et poenis obtentum, jungens, moestus et pavidus continuo apparebat. Eumdem profundae humilitatis spiritum in sibi subditorum cordibus superior existens inferre studuit, dicere solitus religiosum perfectionis cupidum debere spernere se, spernere nullum, spernere mundum, et spernere se sperni. In his unumquemque sic proficere debere dicebat, ut quantâvis virtute et meritis clarus esset, nunquam tamen de se praesumeret, aut se alicui praeferret.

§ 6. Magnis aestuavit charitatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquae extinguere potuerunt; unde et zelo Dei ardens urebatur, si qui contra Dei praecepta moliri aut videret aut audiret. Quin et sermones ejus ut faces ardebant, nihil de seculi vanitate mixtum continentes, sed vel ad Dei famulatum vel ad poenitentiam et peccatorum detestationem directi erant. Frequens fuit in sacrae Scripturae sententiis aut Sanctorum gestis enarrandis; magno fervore exaggerans horrendum esse incidere in manus Dei viventis et irati. Hinc plures re ipsâ experti sunt ab ejus conversatione novis semper in Dei servitute fervoribus excitatos recessisse. Cum nobilis quidam communem vitiorum objurgationem ad se singulariter credidisset a beato Ludovico directam, mortem, quam ei comminatus fuerat nisi dicta in suggestu revocaret, viriliter renuenti, stricto in eum sclopo intentat; illico in Crucifixum mirabili transformatione sclopus mutatur, ipso aggressore, miraculi vi prostrato ac veniam enixe petente; beatusque Ludovicus, suae humilitati consulens, plus timens laudantem populum quam sclopum, suo socio Christophoro de Mora praecepit, signans in ejus pectore crucem, ut prodigium celaret, usque dum annis triginta transactis interrogatus pànderet veritatem.

§ 7. Usque adeo ardebat in eo martyrii desiderium, ut in

tremendi sacrificii elevatione cum S. Petro martyre ex intimis praecordiis divinam Majestatem exoraret: *Da mihi, Domine, ut pro te moriar, quemadmodum pro me mori voluisti.* In prospectu etiam imaginis sancti Vincentii martyris eisdem poenis et suppliciis quibus ipse certavit et vicit, affici vehementer optavit. Audiens poenas quibus pro fide Christi suâ aetate aliqui gloriose diem clauserant extremum, ex profundo cordis in jubilo erumpens, eis cum similibus victoriis totis visceribus se socium jungi cupiebat.

§ 8. Eàdem charitate etiam erga proximum ardens, animarum solatia et progressus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confessionibus audiendis, pro aliorum culpis expiandis, duris se flagellis caedens, quibus mulierem honestae (quoad seculum) conditionis, cujus peccandi consuetudinem, Deo revelante, noverat, revocavit. Adolescentula etiam ne caderet, orationibus et poenis a Deo obtinuit. Pestis tempore quoscumque mendicos obvios habuisset ad conventum S. Annae Albaydae quamquam inopiâ laborantem, ubi tunc munus agebat superioris, reficiendos adducebat, dicere solitus Deum nunquam sibi fideliter servientibus deesse. In vias et montes procedens, peste extinctos sepulturâ donabat. In xenodochiis et domibus infirmos saepe invisens, eorum plurimos, imponens eis manus, et pro eis deprecans, sanitati restituit: inter quos, non sine evidenti miraculo, religiosus vir Franciscus Allemanus, jam morti proximus, a beato Ludovico de recuperandâ valetudine certior factus, paulo post omnino liber convaluit. In sedandis odiis et reconciliandis animis magnopere etiam hujus viri charitas enituit, in carcere etiam detentis aut morte addictis, ope et auxilio non deerat, quorum plures e miseriis et injustis vexationibus miro modo et suaviter liberavit.

§ 9. His Dei et proximi amoris ardoribus incensus, in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit, ut Indorum animas Deo lucraretur. A quo nec amicorum vel fratrum, aut sororum artibus, precibus vel lacrymis dimoveri potuit; omnibus enim magnâ cum animi submissione non sine fletibus valedicens, pedestre iter occidentalem Indiam versus arripuit, et Hispalim Novam * ingressus, omnibus aedificationi, solatio et auxilio in opportunitatibus fuit. In qua sui Ordinis religiosum a cadente ponderosâ trochleâ gravissime laesum, vulnere aquâ loto, sic sanitati pristinae restituit, ut postridie, mirantibus cunctis, ne vestigium quidem cicatricis apparuerit. Appulit ad Carthagenae portum, ibique in conventu S. Josephi sui Ordinis habitavit; et inde ad diversos Indorum populos missus evangelizavit, incolentibus scilicet Tubaram, Cipacòam, Paulatum, Monpoix, Sertam, S. Marthae, Turcarum, Tenerifem et aliis; ibique plura et mirabilia perpetravit. Orationibus a Deo obtinuit ut linguâ suâ hispanâ, in qua natus erat, evangelizando, absque interprete intelligeretur ab Indis.

* *Siviglia.*

Vigilias, sitim, famem, aestum et frìgora in hoc apostolico ministerio ferens, semper pedes incedens, et saepe aeger, cursum suum cum Apostolo consummare gestiebat. Socium quandòque habuit rudem moribus, cui non sine miraculo mortale vulnus in capite curaverat; quin etiam praeter exspectationem, ut ei subveniret, apparuit arbor pomifera, fonsque ad radicem scaturivit, ut illum recrearet et convivaret; qui postea eum inurbane dèserens, misere, sicut ei vir Dei praedixerat, reliquum vitae tempus et finem consumpsit. Visus est etiam saepe in itinere, a viâ secèdens, flagellis se caedere. Pluries obvias habuit tigres aut alias feras, quae signo crucis ab eo mites redditae, itinerantibus illaesis relictis, alio iter arripiebant.

§ **10**. Carthagenae concionator deputatus in Quadragesima, ut ei mos erat, visus fuit duriora corda emollire et auditores nonnisi compunctos et amare flentes dimittere. Rapiebat audientium mentes, neque enim hominis sed angeli spiritum verba ejus redolebant. Contumeliis propter haec a carnalibus ac etiam probris et irrisionibus appetitus, gaudebat quod pro nomine Jesu talia pati dignus haberetur.

§ **11**. Tubaram a superiore missus, ut gentes illas Dei cognitione imbueret et sanctae Ecclesiae sacramentis initiaret, omnibus illius loci infidelibus, orationibus, jejuniis, flagellationibus et aliis poenis, a Domino conversionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipsius Dominus noster exequi dignatus est. Daemonem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit et ululantem abire coëgit. Infantem (qui fuit primus quem sacro fonte abluit), ab Indo quamvis idololatra delatum, Michaëlem appellavit, ipsomet Indo palam testante se ab angelo Domini admonitum consecuturum eum cum baptismo salutem aeternam, et ad hoc ipsum beatum Ludovicum a Deo illuc directum fuisse. Idolorum etiam tuguria succendi curavit, et tanta sanctitatis ejus fama apud barbaras illas gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes in quemdam ministrum (solâ praesentiâ tumultum sedando) detinuerit. Publicum etiam ibi adulterum quamvis potentem acriter reprehendit; a quo postea armis valide invasus, mirantibus cunctis, telo in terram cadente, incolumis et intrepidus evasit. Nec ab hominibus solum, sed etiam a daemonibus in illarum gentium conversionibus plurima pertulit, praesertim apud quemdam veteranum idolorum sacerdotem morti proximum, quem sacro baptismate initiavit, et ad ipsorum immundorum spirituum infestatione, fixo apud illum sanctae crucis signo, liberavit. Jacobum Raphaëlem Frances ex eo loco praevidit naufragum futurum, quem propterea per diem et binas noctes natantem et beatissimae Virginis Ss. Rosarii patrocinium assidue implorantem, salvum ad litus recepit; ubi eum propterea cum subsidiis victus et vestitus exspectaverat, et a mortis instantis faucibus eripuit.

§ **12**. Ab ipsis Indis visus fuit a terrâ in ecstasi elevatus, quem postmodum summâ veneratione coluerunt, et abeuntem amare defleverunt; crediturque populum illum ejus intercessione in Christi Domini fide adhuc perseverare, ad cujus hospitium in oratorium commutatum etiam nunc et Indi et Hispani ad divina beneficia ejus patrocinio impetranda accurrunt. His similia in oppidis Cipacoë et Peluati egit, ubi etiam, evangelicam paupertatem servans, laetus in rerum summâ inopiâ et volens vitam degebat, ac orationibus praeter spem optatos obtinuit imbres, et Cinagam fluvium prae aquarum redundantiâ impervium, signans cruce aquas, prout voluit, transegit. Cadentes etiam circum undique pluviae, illo beatissimam Virginem de Rosario pie invocante, nec ipsum nec socios attigerunt. Sub monte S. Marthae Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis praedicationibus ad fidem conversâ, baptizavit. Et non procul inde potentissimum venenum sibi ab idolorum sacrificulo propinatum èbibens, post quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus seu parvis serpentibus stomacho ejectis, ac incolumis magno praesentium stupore perduravit.

§ **13**. Daemones, visibiliter gentibus illis apparentes, signo crucis et miris modis saepe fugavit, quibus plures alios ad fidem adduxit. In oppido Monpoix visi sunt ei genuflexo assistere sancti doctores Ambrosius et Thomas de Aquino. In insulâ S. Thomae, dum furentes pagani, arreptis lapidibus, viro sancto necem intentant, monitus ut fugeret, constantissime renuit, solàque divini verbi efficaciâ ducentos ex aggressoribus jugo Christi subjecit. Quemdam ex Pegionis proceribus de salutiferae Crucis arcano mysterio doceri cupientem repentino miraculo convertit; nam arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus, conspicuam figuram crucis rudi cortici mirabiliter impressit, eoque ostento tum illi tum aliis baptismum in fide vivificae crucis persuasit.

§ **14**. Sane vir iste apostolicus non solum juxta promissionem S. Evangelii, quod praedicabat, in nomine Domini nostri Jesu Christi daemonia totis regionibus ejecit, serpentes infernales visibiliter incolis minaces abstulit, ac linguis novis inter gentes locutus est, verum etiam pluries in testimonium Fidei mortiferum quid bibens innoxie discrimen vitae superavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem, suâ zonâ praecingi jussam, unâ cum prole ab interitu liberavit, ipsamque jam puerperam, cum marito, propinquis, ac domesticis, lavacro sacri baptismatis ab infidelitate mundavit. Navigans cum aliis in flumine a Magdalena nuncupato, irruente tempestate, navi eversâ, cunctisque in aquâ immersis, orans emersionem et incolumitatem obtinuit. Pristinam valetudinem pluribus reddidisse, et defunctam ad vitam Ss. Rosarii applicatione revocasse compertum fuit.

§ **15**. Videns, nec impedire aut ferre valens angustias, quibus,

ut plurimum, violenter a praefectis quibusdam etiam vulneribus et caede Indi opprimebantur, obedientiâ obtenta, in Hispanias rediit; cumque in mari navis periclitaretur, rogatus a navigantibus, tumentes undas tamdiu cruce signavit, donec, optatâ tranquillitate redditâ, omnes ad portum Hispali incolumes pervenerunt. In conventu S. Honuphrii post reditum ab Indis, ex obedientiâ praefuit, quem aere alieno gravatum et inopiâ ex annorum sterilitate ortâ laborantem invenit, et omnibus satisfaciens, religiosis nunquam in aliquo ex consuetis defuit. Quin et plurimis egenis miserabilibusque personis large eleemosynas suppeditavit, quandoque etiam Deo illorum necessitates revelante, et mirabiliter ei pecunias ministrante. Quin et in aedificio ad honorem S. Crucis constructo ostendit regente Domino servis ejus nihil deesse. In coenobio Valentiae superiorum jussu, licet invitus, prior constitutus, in cellâ sancti Vincentii Ferrerii règimen eidem Sancto commendans, ab imagine ipsius, coram qua prostratus orabat, se inclinante, meruit amplexu honorari atque elevari. Mortificationes, cruentas disciplinas, frequentiam chori et summam abstinentiam, quibus se exercebat, nec concionando nec regendo dimisit. Ut studiorum cursus exacte perficerentur accurate invigilavit, cupiens suos subditos semper in sanctis aut eruditis exercitiis occupatos, quorum e claustro exitum, nisi urgente necessitate, non permisit. Ostio sui cubiculi magnis characteribus inscribi voluit: *Si hominibus placerem, servus Dei non essem* (*Gal.* I, 10). Ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo prudentis consilia, fratris familiaritatem, patris benignitatem, viri sancti perfectionem et omnium virtutum compendium invenerit.

§ **16**. Contigit ei ibi videre animam cujusdam sui olim poenitentis (qui eumdem Beatum verbo laeserat) testantem, Deum nolle eam ad gloriam admittere, nisi culpam ipso dimittente et pro eâ celebrante; quo facto, sequenti nocte illam in Sanctorum gloriâ conspexit. Aliis etiam beatorum in aeternâ felicitate regnantium et maxime sanctorum sui patriarchae Dominici et Francisci, quin et ipsius Christi Domini visionibus recreatus fuit, sibique omnia sua peccata dimissa fuisse audivit. Saetabi (vulgo Xativa) a primoribus civitatis rogatus pro concionibus in proxima Quadragesimâ apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus pressum et naturaliter impotentem se agnosceret, a Deo et velle et cursum integrum quadragesimalium concionum perficere obtinuit. Gubernatori Valentiae, Jacobo Ferrerio, indictis ei quibusdam precibus, scripturarum, de quarum amissione summopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit.

§ **17**. Spiritu etiam prophetico ita mirifice claruit ut in plurimas res futuras, cum et spiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines et mortes, quam circa animarum

profectus et mores, saepissime pronunciavit. Nam et sanctae Teresiae a Jesu suam Excalceatorum claustralium tunc fundatam Congregationem brevi inter illustriores sanctae Ecclesiae religiones (ut reipsa evenit) connumerandam esse praedixit. Tribus regularibus diversos ipsorum successus et fines, prout contigerunt, pronunciavit. Virum nobilem, injuria praelatum quemdam vexantem, ultionem Domini brevi exsperturum fore dixit, quod mors ejus repentina a Domino revelante ei notum fuisse demonstravit. Arcana etiam plurima, tam in rebus corporeis quam secretis cordium latentia, nuda et aperta fuisse oculis mentis ipsius a Deo illustratae (stupentibus omnibus) rerum eventus ostensa fuisse indicarunt, atque in hoc dono penetrandi secreta cordium valde singularis ac admirandus fuit. Alia quoque quamplura, naturaliter ignota, tam clare, distincte et ordinate, prout erant aut acta aut cogitata, enarravit, ut solum Deo revelante haec illi innotuisse compertum fuerit.

§ **18**. Virtus ejus in toto decursu vitae a Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut assiduis passionibus tolerandis magna illi patientia opus fuerit; in complexione enim ipsius satis delicatâ non solum potentia visiva parum valens et auditus imperfectus inerat, sed etiam horribili ulcere in crure per multos annos et vertigine capitis vehementer cruciabatur. Quin et viscerum pravis affectionibus et aliis occultis infirmitatibus, maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace probavit illum Dominus, animo sic invicto omnia tolerante, ut frequenter ex ejus ore verba doctoris sanctae Ecclesiae Augustini resonarent: *Domine hic ure, hic seca, hic, non parcas, ut in aeternum parcas.* Ubi primum convalescebat, ad mortificationis et observantiae communis exercitia revertebatur, cunctis se oblectationibus et convalescentium levaminibus sponte privans, aliis infirmis oblata sibi fercula cuncta partiebatur; quin et saxo decumbens sub linteaminibus posito corpus torquere consueverat, dicens arctam esse viam quae ducit ad vitam.

§ **19**. Sic infirmando fortior semper redditus, agnovit sibi instare adimpletionem divini promissi, quod olim in festo sanctae Catharinae virginis et martyris obtinuerat, quando ex medio magnae lucis sponsum ei fuit tandem ex his tenebris in lucem illam aeternam, quae lucet sanctis Dei in perpetuas aeternitates, migrandum esse. Nam inter labores concionum morbo ingravescente, febribus decubuit, et suscepturus pro viatico sanctissimae Eucharistiae sacramentum, devotissime non sine multis lacrymis sanctae fidei catholicae accuratam professionem emisit; imploravit etiam ferventissime Domini nostri Jesu Christi auxilium et sanctissimae Virginis Deiparae patrocinium, necnon aliorum Sanctorum, et praecipue sui Ordinis, expressoque nomine sancti Vincentii Ferrerii, subjunxit: *Pater mi, currus Israël et aurìga ejus.*

§ **20**. Enixe petiit a circumstantibus ut simul cum eo Dominum deprecarentur ne mortis sententiam revocaret, et Joanni Boil, moerenti de gravi suae filiae infirmitate, eam tunc non migraturam a vitâ vere praedixit. Remittente postmodum paulisper vi morbi, non sine labore ad sacrum celebrandum surgebat. Iterum ingravescente infirmitate, assistentem et saepissime ministrantem, non sine magnâ suâ confusione et animi demissione, habuit Joannem a Ribèra, patriarcham Antiochenum, tum archiepiscopum Valentinum, qui, dum in cruciatibus ipsum ad resignationem in divinae voluntatis beneplacitum hortatur, audivit illum dicentem se poenas illas quibusvis mundi hujus terrenis bonis pluris facere et cariores habere. Ab his cruciatibus, quantumvis vehementibus, nec detineri aut retardari potuit quin per singulos dies per binas horas consuetae orationi vacaret, et saepe sacrâ exomologèsi se purificans, divino altaris èpulo reficiebatur, aliisque infirmis horum sacramentorum frequentiam suadebat, saepe rèpetens haec divina mysteria non solum animae, sed etiam corporis, ut plurimum, salutem operari.

§ **21**. Concentus musicos in eâ aegritudine audiens, totus elevatus in Deum solvebatur in lacrymas. Denique, variis remediis et morbi vicissitudinibus ex animo toleratis, appropinquante S. Dionysii festivitate, quâ die ante annum se moriturum esse praedixerat, plures occurrerunt certatim cupientes ab eo benedici, vel suis rosariis ejus linteamina attingi. Inter hos filius ducis Gandiae genuflexus, et pedes ejus lacrymabundus osculatus, benedictionem devote et singultiens praestolabatur, quod vir Dei, se quidem maximum peccatorem cum sancto Paulo dictans, et mente ad nihilum suum conversus, humillime praestitit. Hoc etiam divinitus sorori Angelae a Guglione virgini religiosae Ordinis sancti Francisci in perpetuâ clausurâ degenti concessum fuit, dum ex corde optabat praesentialiter Christi Domini servum venerari; illico enim (ministerio creditur angelico) ante ejus pedes constituta et voti compos facta, suae cellae iterum miraculose reddita fuit. Cupiebat interim Ludovicus dissolvi et esse cum Christo, nec aliter quam aut sanctissimi altaris sacramenti quotidiana sumptione, aut cum Crucifixi imagine colloquiis suas moras solabatur. Feriâ sextâ ante obitum, referenti diem veneris esse, *Benedictus Deus* (respondit ille), *adhuc quatuor supersunt dies.* Frequenti coelesti sancti Vincentii Ferrerii visitatione, quem a teneris annis summâ veneratione, et imitatione colere studuerat, recreabatur.

§ **22**. Biduo ante decessum e vitâ, sacram olei infirmorum unctionem devote petiit, et singulis orationibus respondens, seque sanctis orationibus et mortificationis exercitiis muniens, sanctissimi Crucifixi imaginem frequentibus osculis venerans et orans, in die festo S. Dionysii, ut saepe praedixerat, horâ quindecimâ,

sentiens se paulatim deficere, assistentem ex more patriarcham pro impetrandâ benedictione et sancti Evangelii lectione precatus est. Quod amantissimus antistes uberrime lacrymans praestitit. Cumque commendationis animae juxta sui Ordinis ritum preces persolverentur, ad illa verba: « ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam regni coelestis, praestante Domino nostro Jesu Christo, » spiritum suum in manus Patris vinculis carnis absolutum commendavit, VII idus Octobris, anno reparatae salutis MDLXXXI, aetatis suae LV; eoque temporis momento visa est ex ejus ore lux instar fulguris rectâ in coelos evibrata totam cellam illuminare, et supra conventum divina claritas fulsit. Quin et in ecclesiâ pluries militiae coelestis armonici concentus a diversis auditi sunt, et pluribus aliis signis servi sui gloriam omnipotens Deus notam fecit, quibus publica populi veneratio successit, Ludovicum undique Sanctum proclamantis, et certatim coronis ac rosariis sacrum corporis pignus attingere tentantis: misericordiam enim a Domino ac divina quaecumque beneficia se obtenturos omnes sperabant, si eum apud divinam clementiam protectorem et advocatum obtinere digni forent.

§ **23**. His accessit Altissimi erga suum servum assistentia; ita ut ejus suffragantibus meritis, et vivens, et post obitum, populis in necessitatibus per opera mira et prodigia, quibus ipse Deus in Sanctis suis mirabilis dignoscitur, protector et adjutor semper extiterit. Ex processibus enim confectis, et ad Urbem transmissis, ac aliis auctoritate apostolicâ beatificationis et canonizationis ejus causam respicientibus, Congregatio Sacrorum Rituum censuit constare, non solum de illorum validitate et de famâ sanctitatis, deque virtutibus theologicis et cardinalibus in gradu heroico, verum etiam concludentes probationes continere insignium miraculorum ejusdem tam viventis quam defuncti.

§ **24**. Cum enim esset prior Albaydae, pastoribus accendentibus ignem, ventorum vi irruente, et flammâ succrescente, jam ardentibus arboribus in vineis et frutetis, magnum excitandum esse ad destructionem ignem timebatur, non sine magno conventus detrimento. Accurrit vir Dei, et elevatis oculis in coelum, signo crucis flammam benedixit, quae illico evanuit, ac si nunquam ibi fuisset; eaedem arbores, laesae exiguâ solum lineâ in signum miraculi apparente, immunes ab adustione visae sunt remanere; Moncàdae in domo Josephi a Campo neptis hospitis Speranza Assentia dicta ab exitiali strumâ in collo afflicta cum foetore horrendo ex ulceribus manante, non solum circumstantibus sed etiam ipsimet infirmae intolerabili, facto signo Crucis super parte affectâ, et linguâ linitâ a dicto beato Ludovico veluti a sensibus alienato, et facie ejus luce fulgidâ remanente, statim aegra convaluit.

§ **25**. Cadaver ipsius quadam veluti chrystallinâ puritate sic

nituit, ut adstantes in ejus virgineâ carne, velut in limpidissimo speculo, suosmet vultus fuerint conspicati; toto etiam corpore suavissimus odor erumpens non solum proxime vicinos, sed longius dissitos mirificae peregrinae fragrantiae oblectamento adhalavit. Sex circiter mensibus loco humido ac stillicidiis obnoxio sepultum jacuerat sancti viri cadaver, quando extractum ut decentiori tumulo inferretur, integrum incorruptumque, solis vestibus undique putrefactis, repertum est, iterumque mirabili suaveolentiâ circumstantes implevit. Ursulae Soler filia erat, cui immanes capitis dolores omnes capillitium radicitus abstulerant. Medicamentum, quod magis obfuturum ab omnibus timebatur, petitum a lampade quae coram beati viri sepulcro ardebat; hujus oleo perunctum caput puellae, non solum abactis penitus doloribus, integram valetudinem, sed et capillos recuperavit; quaedam puella oculis orbata, ad fontem loci Ruzafa, e quo Beatus bibere solebat, lotis oculis, pristinum eorum usum recuperavit; Gaspar Ramirez caecus ad tumulum Sancti novenam pèragens, ultimàque die oculos sepulcro cum fide applicans, profluvium crocei humoris emisit ab oculis, ac subito caecitatis suae caliginem laetus abstersit... Isabella Joanna Salon cum plurimis annis graviter ulceroso quodam abscessu torqueretur, attacta feretro quod Sancti cadaver gestaverat, perfectae sanitatis beneficio potita est... Anna Monfort, cui paralysis usum membrorum prorsus ademerat, et morbi violentia situm oris foedissime distorserat, haustu aquae ex eodem Ruzafae fonte, ac invocato S. Ludovici nomine, tum ipsa valetudini, tum os priori situi restitutum fuit... Hieronymae Capell filiolus, rupto peritoneo, forasque extrusis intestinis, jugiter èjulans et sanguinem vomens, ubi tandem a matre ad fontem Ruzafae pannis in eo madefactis incinctus fuit, integre sanus domum reportatur... Cum in conventu S. Honuphrii priorem agens, reficiendae religiosorum communitati panes deesse adverteret, Christi in deserto providentiam imitatus, septem fragmenta, quae solum domi superfuerant, arripuit, eaque solo benedictionis impendio sic multiplicavit, ut non tantum in primâ mensâ fratribus triginta et amplius in prandium abunde suffecerint, sed etiam reliquos in secundâ mensâ congrue saturaverint; Joanni de Pedevera domestico Valentini archiepiscopi famulo delapsum ex alto pondus gravissimum ita utrumque crus diffregerat, ut per novem menses aliter quam grallis innixus moveri non potuerit. In his aegerrime usque ad sancti viri sepulcrum accèdens, fusâ oratione, confestim in pedes exiliit, grallisque inibi relictis, domum incolumis repedavit...

§ **26**. His aliisque non paucis virtutibus ac signis permotus felicis recordationis Paulus Pp. V, servum Dei Ludovicum catalogo Beatorum adscripsit. Exinde aliis deductis approbatisque miraculis; Clemens IX decrevit posse tuto deveniri ad solemnem dicti

Beati canonizationem. Quapropter ejus vitae sanctissimae meritis exigentibus, cum jam nihil deesset eorum quae, ad hanc sacrosanctam functionem necessario ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum* decretorum praescripto agenda et servanda requirebantur, justum et debitum esse censentes, ut, quos Deus honorat in coelis, nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris, hodie * in sacrosanctâ basilicâ B. Petri Principis Apostolorum... Ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem sanctae fidei catholicae et christianae religionis augmentum..... auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium, B. Ludovicum Bertrandum Sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum eum catalogo adscripsimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus: statuentes ab Ecclesiâ universali quolibet anno die x Octobris memoriam ejus inter sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione rècoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

§ **27**. Aequum igitur est nos gratias agere et laudare Deum Patrem omnipotentem, qui servum suum benedixit in omni benedictione spirituali ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et dedit illum universis christifidelibus tamquam fulgentem lucem in hac nocte peccatorum et tribulationum nostrarum, ut Ecclesiae pacem et tranquillitatem, principibus christianis optatam concordiam, et infidelibus a viâ salutis errantibus lumen veritatis obtineant. Adeamus igitur cum fiduciâ ad thronum divinae pietatis, ore et opere supplicantes ut S. Ludovicus universo christiano populo prosit meritis et exemplis, precibus adsit ac patrocinio, et in tempore iracundiae fiat reconciliatio.

* 12 apr. 1671.

VITA S. GISLENI

MONACHI INSTITUTI SANCTI BASILII

INCERTO QUIDEM AUCTORE,
SED TAMEN BONA FIDE, UT APPARET, CONSCRIPTA,
ALIQUANTO TAMEN VERBOSIUS:
ATQUE EA CAUSA PER F. LAUR. SURIUM SUCCINCTIUS REDDITA

Floruit sec. VII — Nat. Graecus *.

§ **1**. Egregius Christi confessor Gislenus, a Graecis Christianis parentibus feliciter ortus, a Deo peculiariter electus, et vineae Dominicae ab ipsis incunabulis divinitus est cultor fidissimus praedestinatus. Ejus adhuc pueri singulari pietate permoti parentes, operae pretium sibi facturi videbantur, si eum Athenis curarent accurate litteris erudiri. Scholae igitur admotus, ferventer orabat Dominum, ut sui spiritus gratiam ipsi adspiraret, quae ipsum ab omni servaret errore, et per justitiae rectum planumque iter deduceret. Non despexit Deus preces pueri, sed dedit illi sedium suarum assistricem sapientiam, quae circuit quaerens dignos se. Porro disciplinis liberalium artium perfecte institutus, ne malitia mutaret intellectum ejus, e seculi periculosissimis fluctibus se subduxit; atque intra monasterii claustra inclusus, optatissimum se salutis portum attigisse laetatus est. Atque aliquamdiu illic sancti Basilii instituto vivens, optima quaeque consectabatur, ita ut fratribus ejus monasterii virtutum egregia de se exempla praeberet, firmae fidei, charitatis non fictae, multae humilitatis (quae ei virtus familiaris admodum erat), jucundae et alacris obedientiae, profusae benevolentiae, magnae abstinentiae, multarum vigiliarum. Omnibus quoque affabilis erat. Atque ita factum est, ut Deo omnia moderante, quo posset aliorum infirmis curandis animis idoneus adhiberi medicus, ad Ecclesiasticos ordines gradatim promoveretur. Denique sacerdotio initiatus, et jam inter Deum et homines quasi sequester quidam constitutus, vinum et oleum infundebat in mentium vulnera, spem divinae misericordiae cum judicii divini timore omnibus praedicans. Interim multâ animi vigilantiâ sibiipsi semper intentus, id summopere secum pertractabat, quo pacto per omnia posset oculis placere omnia videntis Dei.

§ **2**. Quadam autem nocte precibus et divinae contemplationi solito ferventius insistens, cum post multas preces defatigato

* Sunt tamen qui, Gisleni nomen graecam originem minime sapere existimantes, Sanctum Francorum vel Belgarum nationi adscribunt.

somnus obrepisset, vidit Angelum sibi apparentem, et blandissimo vultu dicentem: « Ne mundi procellosis fluctibus agiteris, posthabito natali solo, Apostolicis triumphis celebrem invise Romam; atque illic tibi ostendetur, quid te oporteat facere.» Ille ad se reversus, quid ea visione didicisset, nulli prorsus indicare voluit; sed honesto stipatus comitatu, et curam omnem sui atque suorum in Deum rejiciens, iter ingressus est, cum beatis patriarchis exiens e terra et cognatione sua, cum quibus etiam in coelis gloria et honore jam coronatus est. Ubi Romam venit, beatissimorum Apostolorum, Ecclesiae principum, limina petiit, eaque largo piarum lacrymarum imbre infudit, inenarrabiles Domino gemitus et suspiria offerens, magno utique ad omnes rarae pietatis exemplo. Perlustravit vero etiam beatorum Martyrum et Confessorum venerabiles memorias, in alteris rosarum, in alteris liliorum suavi odore animum oblectans. Apparuit autem ei aulae coelestis Janitor post solis occasum, aitque ad eum: « Est pagus, qui ab amne * praeterfluente, Hainau, appellatur. Ibi tuae habitationi noveris divinitus destinatum locum illum, quem incolae Ursidungum vocant, ab ursa, cum catulis illic deprehensa. Tu illic meo et fratris mei Pauli nomini elegans oratorium condes, nostrisque patrociniis reverenter consecrandum curabis. Cumque multas ibi Domino lucratus eris animas, beato fine illic claudes vitam, et in coelis cum Angelis aeternum laetaberis. » Hac visione exhilaratus vir sanctus, laudes et grates egit Deo, atque e comitum turba non nisi duos sibi retinens, Lambertum et Bellirium, nudus nudum secuturus Salvatorem, ad locum sibi ab Apostolo indicatum properavit.

§ **3**. In eo itinere perlustranti sacra monasteria, urbes et castella, dictum est de amantissimo Christi confessore, Amando, cujus celeberrima fama gratissimo sanctitatis odore Ecclesiam compleverat, et animas hominum mire afficiebat. Valde igitur sitiens eum videre, et cum eo colloqui, obnixe rogat Dominum, ut praestet sibi copiam ejus sanctis colloquiis perfruendi. Venit inde ad beatum virum, exponit ei causas itineris sui, petit ab eo salutare consilium; atque, ejus benedictione percepta, profectus est, venitque ad montem, quem Castrilocum ** vocant. Cumque putaret eum esse locum sibi a Domino promissum, coepit extirpare arbusta, ut posset illic templum construere, aptum Christo servituris. Per id tempus Brachbantus (sic enim auctor Brabantiam nominat) Dagoberto *** Regi jucundas exhibebat venationes. Ejus canes quandoque immanem insectantes ursam, coëgerunt eam fuga sibi consulere. Venit igitur ad beatum eremicolam Gislenum, et sub ejus tunica, quam propter laborem ad arboris

* Flumen Haine, a quo Hainaut (lat. *Hannonia*) nomen ducit.
** Nunc *Mons* in Hannonia.
*** Dagobertus ex communi eruditorum sententia jam pridem e vivis excesserat.

ramum suspenderat, tamquam defensionem expetens, sese defessa reponit, et nihil jam reformidans, secura quiescit. Stant procul canes, nec latratus edunt ullos, sed caudarum molli agitatione blandiri videntur. Ea re commoti venatores, ministri Regis, contumeliose et impie proscindunt virum Dei et discipulos ejus, ajuntque eos magicis imbutos artibus, dignos qui Regis judicio poenas luant. O miram rerum commutationem! Fera bellua quodam humanitatis sensu affecta videtur, et homines in belluas transisse. At vir mitissimus Gislenus nil ea verborum petulantia permotus: « Ego, inquit, superni Regis fultus praesidio, Regis terreni minas non pertimesco. » Interea Dagobertus Rex venit cum familiaribus suis, audiensque quid accidisset, ait ad virum Dei: « Quis es tu, aut unde, qui canes nostros nescio qua arte debilitare ausus es?» Respondit ille: « Ego natione Graecus sum, patria Atheniensis, nomine Gislenus, religione fidelis Christianus. Nec noceo cuiquam malis artibus, nec quicquam alienae rei concupisco; solum autem Deum diligo, cujus, licet indignus, sacerdos sum.» Tum Rex animadvertens esse eum virum sanctum ac plane Angelicum, relicta fera, et a tanto sacerdote accepta benedictione, abiit cum suis, laudans Deum, qui est mirabilis in sanctis suis.

§ 4. Viro autem beato in suum opus incumbente, surrexit ursa, et, arrepta sporta, in qua erant sacrae vestes, in quibus vir Dei sacrificare solebat, pedetentim abscessit. Cernens id vir beatus, indigne tulit; sed nesciens quid faceret, more suo totum se contulit ad obsecrandum Deum: « Domine Deus, inquit, qui es omnium bonorum largitor, si gratum est majestati tuae, ut tibi serviam, qui has mihi vestes dedisti, tu eas restitue. » His dictis, correpto scipione, bestiam sequitur: sed, viae ignarus, nescit quo tendendum sit. Mox adest aquila, antecedit eumdem, et recto itinere perducit ad campum, ubi erant pastores, qui se dicerent vidisse ursam ferentem vestem quamdam; ostenduntque ei locum dumosum mireque condensum, ubi ursa suos solebat catulos nutrire, et ea causâ Ursidungus dicebatur. Mox eo properat vir sanctus, et lustrato dumeto, inter catulorum complexus reperit vestimentum, Deo conservante, nihil laesum aut contaminatum. Laetatur igitur se recta perductum eo, quo jussus esset proficisci. Deinde praecepit belluae in Christi nomine, ut neminem laedens, quam primum recedat, et alibi locum opportunum sibi captet. Paret illa, et confestim abscedens, postea illic visa non est. Ecce obèdit servo Dei bestia ferocissima; et homo rationis particeps, sui creatoris et redemptoris jussa contemnit. Obiter autem hic animadvertendum est, bruta animantia tum hominum obtemperare voluntati, cum homines ad imaginem Dei conditi, a veritatis via non aberrant. Caeterum vir beatus locum a Deo ipsi monstratum repurgat, et magno Christi amore fervens, ut jussus

erat coelitus, in beatorum Petri et Pauli Apostolorum honorem, templum aedificat, Cellam Apostolorum illud vocans. In ea vero Cella ipse porro secum habitavit, et humanam fugiens laudem, mundo se celavit, vixitque Deo, atterens corpus suum fame et frigore, semper degens in cilicio et cinere, sciens quod per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei.

§ **5**. Ea tempestate, Cameracensis * Ecclesia Autberto praesule sanctissimo gaudebat, et tanti viri meritis in coelum usque sese porrigebat, ejus fidei ceu lucis columnae innitens, in ea spe et charitate fundata. Is praeclarus Episcopus, comperta beati Gisleni sanctitate, jubet eum ocyus ad se venire, probare volens, utrum ex Deo spiritus esset. Non cunctatur Gislenus, sed humiliter se dans itineri, ubi ad pagum, quem rustice Resinum vocant, accessit, nocte imminente, humanissime acceptus est hospitio a quodam ingenuo paupere, qui etiam obnixe eum rogavit, ut revertens ad ipsum diverteret. Postquam ad Episcopum Autbertum venit, jussus est dicere genus suum, et rationem susceptae peregrinationis. Tum ille paucis expediens: « Natione, inquit, sum Graecus, religione Christianus, professione monachus, sacerdotum minimus. In Gallias veni, cupiens habitare in loco, quem Ursidungum vocarunt, ibique templum construere in honorem Petri et Pauli Apostolorum, ut divinitus jussus sum. Idque ut ex oris tui sententia fieret, decreveram quidem copiae impetrandae et consilii expetendi causa ad tuam accedere sanctitatem, sed prudentia tua meam ignaviam antevertit. » Cernens beatus Autbertus multam in sancto viro apparere virtutem et religionem, sanctis sermonibus confirmato, et supernae benedictionis munere aucto, facit copiam recedendi, et ea, quae Apostolus mandarat, exequendi. Abit ille, cupiensque ad amicam redire solitudinem, nocte ejus cursum retardante, repetit hospitium supradictum, et hospes nitidas ei àpparat aedes. Discumbente autem illo, hospes ad ejus vestigia advolutus, rogat humiliter, ut divinam imploret misericordiam pro ipsius uxore, ob partus difficultatem jam pene moriente. Respondet vir sanctus: « Facessat dolor omnis: geminum tibi suppeditat gaudium, uxor incolumis, et infans vagiens.» Mox vir fidelis se confert ad conjugem, videt vera esse quae dixerat Gislenus; revertens, laudes promit Deo: rursusque ad pedes sancti viri se abjiciens, orat ut infantem natum baptizare, et sacro chrismate ungere, et sibi filium asciscere dignetur. Non se ad haec difficilem praebet vir Dei, perpetuo sitiens animarum salutem; omnibusque peractis, cum hospite suo iter prosequitur. Ubi autem Ursidungum venere, animadvertens sancti viri hospes locum illum commodum esse Christo servientibus, quicquid Resini juris habere videbatur, beatissimis Apostolis, terrae principibus, donavit.

§ **6**. Cum autem Deo et hominibus carus Amandus Episcopus,

* *Cambrai.*

quem, cogente Dagoberto et pontificibus, triennio fere invitum tenuerat Trajectensis * Episcopatus, visitandi et consolandi gratia veniret ad beatum Gislenum, et ab eo honorifice susceptus, more suo optimis sermonibus eorum qui aderant, animos recreasset, jamque ab illis deduceretur Elnonem proficiscens, beatus Gislenus multo coepit moerore affici, quod vir sanctus nihil alimoniae illic accepisset. Sed cum nihil haberet, quod ei apponeret, seque humiliter apud illum excusaret, stantibus illis ad fluvium Hainau ubi navis exspectabat sanctum Episcopum, piscis ingens in terram exiliit. Orta illic tum pia contentio est, sancto Amando tantum Dei munus beati Gisleni precibus adscribente, contra vero beato Gisleno id sancti Amandi meritis tribuente. Mox Episcopus a fratribus ad monasterium reducitur, et ei mensa praeparatur. Sumpto cibo, recessit miraculorum gloriâ illustris Amandus Episcopus. Porro beato Gisleno templum inchoatum absolvere cupiente, Dagobertus Rex illac iter facturus erat. Id ubi rescivit vir Dei, honorifice ei obviam processit, precibus eum Domino commendans. Eum vero Rex clementer resalutavit, et exosculatum rogavit, ut pro peccatis ipsius Dominum deprecaretur: divinoque instinctu permotus, Hornutum et Ursidungum Christo et servo ejus Gisleno cum omnibus eo pertinentibus largitus est. Inde autem recessit, et Gislenus tantis auctus beneficiis, in Dei cultum studio ardentiori incubuit, gratias illi agens.

§ 7. Absoluta autem oratorii structura, rogante beato Gisleno, sanctissimi Pontifices Amandus et Autbertus, in honorem Apostolorum more ecclesiastico illud celeberrime dedicarunt. Ea dedicatione peractâ, populo salutari praedicatione pasto, et in fide corroborato, impensaque Episcopali benedictione, quisque ad sua reversus est. In iis quidam Comes illustris Malgarius. praedicantibus Episcopis, corde compunctus est, et fallacissimo mundo nuncium remittens, Autberti Episcopi manibus tonsus est, et in Alto monte monasticum indutus habitum inclusus, sancte vixit usque ad obitum suum. Ejus uxore caste in seculari habitu degente, et filio praedia strenue gubernante, beatus Gislenus a Domino admonitus est, ut eam inviseret, et ea quae ad animae salutem pertinent, diligenter ei inculcaret, doceretque eam mundum contemnere, solum Christum concupiscere, quem amare, et ejus praeceptis obedire, revera vivere est. Fecit Gislenus alacriter, ut erat jussus, sitientique animae aeternae vitae pocula abunde obtulit: quibus Waldetrudis (sic enim vocabatur) sobrie inebriata, totam se ad virtutis et bonorum operum studia accommodavit. Sed cum necdum haberet cellam, in qua sub monastica disciplina corpus suum maceraret, interim circa frequens ministerium cum Martha occupabatur: viditque nocte quadam beatum Gaugericum in visione sibi calicem vini cum fragmine panis blande ac comiter

* Trajectum Mosae, idest Maestricht. — De S. Amando *vide* Surium, Vol. II, pag. 159.

offerentem, dicentemque: « Age quod agis, operare quod operaris: placent enim Deo et nobis opera tua.» Ea visione admodum exhilarata, ferventer orabat Dominum, ut Spiritus Sancti adspirante gratià, illo praeclaro calice ejus sitiens anima inebriari mereretur, de quo Propheta dicit sponso coelesti : « Calix tuus inebrians quam praeclarus est (*Ps.* 22).» Indicavit vero eam visionem coelestis verbi seminatori Gisleno, ejus interpretationem ab eo nosse volens. At sanctus vir intelligens, quid ea sibi vellet visio, ut prudens medicus et servus fidelis, poculum salutis necdum satis firmae menti, et quasi de visione glorianti statim praebuit, ita dicens: « Quandoquidem in visione audisti placere te Deo, oportet sane, ut omnia tui corporis membra coelesti subdantur sponso, ejusque solius amplectendo pulcritudinem, vilescant oculis tuis ea quae sunt in mundo, ut carnem mortificando, et spiritu ambulando merearis effici membrum corporis Christi. Ut igitur vivens videaris jam mortua, ea quae tibi ex bonis temporariis supersunt, pauperes et paregrini in illa caelesti domo recondant, ut, vocante Domino, audias illam vocem suavissimam : *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv). Ubi tum omnia centuplo auctiora recipies, quae jam hic pro Christi nomine expendisti. Non cesset igitur neque pes, neque manus a bono opere : aderit enim fidus remunerator, redditurus unicuique propriam mercedem secundum suum laborem. »

§ 8. Hac visionis interpretatione pius religiosae matronae animus valde accensus est, totamque se illa ad Dominum convertens, « Fiat, *inquit*, misericordia tua, Domine, ut consoletur me secundum eloquium servi tui; veniantque super me miserationes tuae, et vivam. » Deinde prosternens se ad sancti viri pedes, oravit, ut locus aliquis sibi pararetur, divino servitio accommodus. Tum vir Dei indicavit ei Castrilocum, dicens eum ab omni aeternitate divinitus illi esse destinatum, ubi, ut ex coelesti visione didicerat, ejus institutione animae sanctae irent de virtute in virtutem, ut videre possint Deum deorum in Sion. Is locus placuit beatae Waldetrudi, et quod ipsi esset indicatus, gratias egit Christo, et fideli servo ejus, Gisleno. Erat adhuc incultus ille locus, et cum toto animo cuperet in monasterio degere, misit ad Hildulphum virum eximium*, qui ejus neptem habebat in matrimonio, orans ut in Castriloco cellulam ipsi construeret, in qua posset, toto a se mundo excluso, uni Deo vacare. Hildulphus mox venit ad eum locum, et quia non ignorabat alieni eum juris esse, a legitimis possessoribus illum emit, et ibi excelsam construxit domum, in qua Waldetrudis Christi famula habitaret. Sed illa nihil sublime appetens, multum abhorruit conspecta domo, cogitans mundi Opificem in angusto collocatum praesepio, non

* Praefectus regius, admirabilis sanctitatis religionisque vir.

habuisse ubi caput suum reclinaret. Itaque pius Dominus, ejus humilitatem probans, proximâ nocte domum illam evertit. Illico perlatum est ad Hildulphum, omnem operam et impensas ejus, collapsa domo, periisse. Contristatus ille hac re, putabat tali opere se indignum fuisse. Sed tandem in se reversus, et a sancto sacerdote Gisleno ruinae causam edoctus, cito rediit, et humiliorem curavit domum in montis latere aedificandam, simulque oratorium in honorem Petri et Pauli Apostolorum : ubi beata Waldetrudis cum ejusdem instituti religiosis feminis caste et humiliter vixit, et, beato Gisleno hortante, Cameracum profecta, a sancto Autberto Episcopo sacrum accepit velamen, quod est innocentis vitae symbolum. Ac deinceps, quoad vixit, sanctis virtutibus operam dedit, et alias illic degentes docuit calcare mundi hujus vanitatem, cunctisque sanctitatis speculum et norma salutis fuit.

§ **9**. Pergebat interim beatus Gislenus verbi Dei jactare semina, cupiens omnes ab hujus mundi amore abducere, et adjungere Christo. Et opportune sane ad beatam Waldetrudem accessit, saluberrime eam admonens, ut memor Scripturae dicentis: *Qui audit, dicat, Veni* (*Apoc.* XXII), sororem suam Aldegundem Deo lucrari conaretur, atque etiam filias suas Aldetrudem et Madelbertam consecrare Agno illi, qui est candidus vèllere innocentiae, rubicundus passione, electus ex millibus sanctorum, Ecclesia teste. Non surda aure id accipit Waldetrudis, hortatur Aldegundem, sanctus pater Gislenus docet eam, Aldegundis virgumcula Christi totam se confert ad Domini sui famulatum, in Malbodiensi coenobio, quod ipsa condidit ex bonis suis haereditariis, sponso suo serviens, qui pascitur inter lilia nivei pudoris. Atque illic constructo oratorio, et aliis necessariis officinis atque domiciliis, sub umbra Dilecti, quem desiderabat, sedit, et fructus illius dulces gutturi ejus. Denique amore languentem introduxit in cellam vinariam, ordinavitque in ea charitatem. His vero aliisque sanctitatis studiis de die in diem ad meliora progrediens, omnibus visa est lucerna lucens et ardens. Venit postea ei in mentem, ut sororem suam Waldetrudem in monte Castriloco inviseret: quam cum vidisset multis hujus vitae rebus necessariis egere, ejus miserta inopiae, oravit, ut apud ipsam in castro Malbodiensi maneret, ubi major tum familiae, tum bonorum omnium copia esse videbatur. At beata Waldetrudis, cui Christus erat vivere, et mori lucrum: «Haec, *inquit*, soror, requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam divinâ disponente misericordia, elegi eam. Qui enim promisit se futurum cum fidelibus suis usque in finem seculi, non patietur me ex inopia periculose laborare, cum etiam propheta dicat se senuisse, nec vidisse justum derelictum. Tibi autem, soror mea, Christus retribuat pro tua erga me benigna voluntate, idemque praestet, ut quandoque in

ejus mereamur amplexus castissimos admitti, cui tu te virginem consecrasti. » Denique, post mutuos de disciplinis coelestibus sermones, dulciaque aeternae vitae colloquia, Aldegundis Malbodium reversa est.

§ **10**. Per id tempus egregius Christi confessor, Amandus, omnium bonorum fructu repletus, feliciter migravit ad Dominum. Qua autem hora decessit, eâ beata Aldegundis, vigiliis et hymnis ante altare beatissimae Matris Dei vacans, extra se rapta est, et ab Angelo per amoena jucundissimae habitationis loca deducta, vidit senem virum cygneo capite reverendum, sacerdotalibus, iisque praeclaris vestibus indutum, baculum manu tenentem ad superna proficisci, turbamque copiosam albatorum, ante et post eum iter habere. Cumque requisita, quis ille esset, nescire se diceret, Angelus ei dixit: « Amabilis Deo, Amandus, excessit e vita, et quia dignum se praebuit antistitem, et bonae voluntatis atque sanctarum virtutum studiis divinae majestati se sacrificium obtulit, tam gloriosus nunc ad gaudia Domini sui proficiscitur; turba autem albatorum, quam vides, ii sunt, qui ejus praedicatione conversi, ad illius imitationem se accommodarunt, et digni censentur, qui in sanctorum consortium admittantur. Quos etiam eo, quod pastor illis idoneus fuerit, in regno sanctorum et in terra viventium princeps modis omnibus gratiosus antecedet.» Eam visionem nulli e puellis cum ipsa manentibus revelare voluit Aldegundis, sed, misso ocyus nuntio, rogavit beatum Gislenum, ut cum Waldetrude ad ipsam veniret. Illis venientibus occurrit obviam sancta virgo in loco, qui Memrini nomen habet, et post amicam salutationem, de rebus coelestibus inter se conferebant; atque inter caetera, beato Gisleno visionem suam Aldegundis exposuit, exspectans ejus de illa sententiam, quippe qui quoddam Spiritus Sancti sacrarium esse videretur. At ille alta trahens suspiria, ita ait: « Quandoquidem et transitum et remunerationem tanti praesulis, virgo Christi, videre meruisti, unâ hac re, duo tibi a Domino indicata noveris, ut sine intermissione bonis operibus intenta sis, et certum habeas, brevi te quoque ea praemia a fideli remuneratore percepturam, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Itaque si te morbus occupaverit, Deo semper gratias agas, qui quos diligit, corripit. » Deinde cum sancta virgo in Dei servitio fideliter perseveraret, cancri morbus ejus dexteram mammillam corripuit: qui ejus carnem tenerrimam mire excrucians, animae sordes omnes ad purum excoxit. Illa vero in doloribus semper gratias agebat Deo, suâ patientiâ, fidelium animos ad bene agendum inflammans. »

§ **11**. Porro beatus Gislenus cum Waldetrude reversus est. Cumque ad pagum Framejas * venissent, atque illic parum

* Videtur locum fuisse apud *Mons*.

residerent, sancta Waldetrudis quamdam ejus partem beato Gisleno donavit. Crebro deinde mutuis sese tum verbis, tum scriptis ad meliora adhortabantur. At ubi curva senectus et iter longum non sinebant eos invicem invisere, communi sententia statuerunt, ut in pago Quatermone in honorem sancti Quintini martyris oratorium conderetur, ubi interdum possent inter se de coelesti patria rebusque divinis còlloqui, mutuoque sese in Domino confirmare. Extructum oratorium beatissimis Apostolis Petro et Paulo Waldetrudis assignavit, ut pauperes ibi reficerentur. Eo pariter solebant interdum convenire beatus Gislenus et illa, de rebus divinis et coelestibus colloquentes. Crescebat interim in beato viro cum aetate vitae sanctimonia, ita ut totius justitiae et integritatis de se omnibus exempta praeberet, essetque Christi bonus odor in omni loco, virtutum suavissimis odoribus implens Ecclesiam Dei. Sentiens autem adventare obitus sui tempus, indicavit suis, se propediem e vita decessurum. Erat hoc illorum auribus tristissimum nuncium, sicut testabantur lacrymae, ab eorum oculis manantes. Sed illis flentibus, et Dominum deprecantibus, sacramento Eucharistiae vir Dei sese communivit, febreque correptus, inter discipulorum expiravit manus *, cum beatis Angelis in coelum proficiscens: ubi stolâ immortalitatis donatus est a Christo, cui vivens indefessam exhibuerat servitutem. Corpus ejus in beatorum Petri et Pauli Apostolorum ecclesia, quam ipse extruxerat, humatum est; ubi sacris ejus meritis morbidi omnes sanitatem recipiunt, gratias agentes praepotenti Deo, qui vivit et regnat in infinita secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM

SANCTORUM EULAMPII ET EULAMPIAE

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE

Passi sunt ineunte seculo IV — Nicomedienses.

§ 1. Jam Dei cognitione totum orbem pervadente, et Salvatore quidem Christo Jesu, qui solus est Deus noster, suos Martyres confirmante ac corroborante; maligno autem et bonis infesto daemone suos ad impietatem incitante famulos: adolescens quidam Eulampius dictus, genere insignis, eleganti specie, et qui bona ac clara noscebatur esse natus patria, nempe Nicomedia, et erat ornatus operibus pietatis, cum nollet habitare in tabernaculis

* Sub annum, ut verosimile est, 681, vel non multo post.

peccatorum; et divinum Christi nomen videre tam impudenter irrideri, ac subsannari non ferendum esse censeret, relicta urbis habitatione, amplectitur solitudinem. Et cum vitae abstinentia, et secessu internum hominem expurgâsset, et zelo sicut magnus Elias refertam omnino haberet animam, relictâ pariter solitudine, descendit ad habitandum in civitate.

§ 2. Cum autem ad Imperatorias * constitutiones intendisset oculos, quae supra portas proscriptae erant omnibus, valde ridens talem conatum, fuit ab impiis deprehensus protinus, et statim, vinctus, fuit conjectus in custodiam, tamquam aliqua praeda sistendus coram Judice. Postquam autem, quod factum fuerat, delatum fuit ad aures magistratuum, jussit Judex eum duci ad tribunal. Et protinus adspiciens ad eum qui ductus fuerat, cum propter teneram aetatem sperasset fore, ut virum espugnaret fortissimum: « Quaenam est, inquit, tanta tua, quae dicitur, amentia, quae etiam prope effecit, ut deduceret ad asperitatem, nisi ipsa, quae fuit conspecta species, persuasisset rem non ita se habere: est enim omnino alienum, et non consentaneum, hanc liberalem formam, et apertum characterem nobilitatis, facta aggredi tam audacia. Ecce ergo tibi proponitur multitudo deorum, quae diversis operationibus et invocationibus sibi affatim còmparat venerationem. Ipsum quoque templum est tibi apertum; sanguine autem conspersa cernuntur altaria; publicum festum celebratur; et parata sunt quaecumque conveniunt sacrificio. Et tibi ergo optime consules, et nobis rem gratam facies, si deos colueris, et eis sacrificaveris. »

§ 3. Martyr autem Spiritu Sancto totus repletus, cum se signo Crucis, veluti quibusdam armis muniisset: « Vana sunt, respondit, o Praeses, quae a te proponuntur. Neque enim ex rebus externis, et quae minime fuerint in potestate alicujus, metienda est pietas, quae aperte est boni instituti, et in nostri liberi arbitrii sita est potestate. Atque, si quidem fieri non potest (ne te non velle dicam), ut ad unum et trinum omnium adspicias principium, ab eorum saltem, quae producta fuerunt bono ordine, disce Deum universorum. Sin autem deorum praefers multitudinem, per quos simpliciores deducis ad barathrum interitus, at ego quidem nec ea quae tu dicis, audire sustineo, neque in animum induco, ut talibus delecter sacrificiis, ut qui sim praeditus anima participe rationis, et supernum mundum aperte properem: soli autem naturâ Deo, et qui non est adspectabilis, sacrificabo sacrificium laudis, et ipsi reddam vota mea coram toto populo ejus. » His sic dictis, Tyrannus depositâ persona lenitatis, jubet quidem exui Martyrem, et humi extensum, vehementer verberari.

§ 4. Postquam autem Martyr generose et fortiter restitit tormentis, et nec tantillum quidem fuit mutatus, acerbitatem supplicii Judex

* Imperabat tunc temporis Maximianus.

auget, eumque nervis caedi tenuissimis imperat crudeliter. Qui cum nive spissius Martyris corpori infligerentur, affectis partibus afferebant magnum sensum doloris. Sed sic quoque Martyr nihil visus est remisisse se de sua animi magnitudine, aut de sua fide in Christum Dominum nostrum aliquid relaxasse. Hinc frequentes, et se invicem consequentes tormentorum species, tamquam fluctus, erumpebant in Martyrem. Statim enim conversus est Tyrannus ad inveniendum aliud supplicium; et ligno appendens indomitam statuam, consumebat carnes lacerationibus; et ad medullas et ossa usque subibat dolor; et principales partes corporis attingebat. Martyr autem precibus tormentum contemperans, et sui Agonothétae auxilium invocans, non magis censebatur pati, quam, alio patiente, ipse esse spectator. Postquam autem satis decertavit adversus dilacerationes, et universum discerptum corpus propositum fuit adspectu tetrum, daemones quidem, ut par erat, moerebant, Deus autem e superis exultabat propter suum coronâ redimitum athletam. Judex deinde cernens se esse superatum, cum nec verbis posset persuadere patienti, nec blanditiis, nec ullis aliis rationibus, procedit ad tale tormentum, quod si vel solum ad aures perveniat, potest conturbare ac confundere mentem et cogitationem. Tenuibus enim loris peduum et manuum adstrictos digitos jubet violenter circumtrahi: quod ei intolerandum reddebat cruciatum. Nam cum confringerentur articuli, et violenta extensione quodammodo striderent, contigit athletam prope morte affici, quod compages omnium membrorum corporis a sua sede et ordine dimoverentur: adeo ut propter ingentem dolorem ad misericordiam traherentur etiam inanima.

§ **5**. Sed Tyrannus quidem cum non potuisset factis persuadere, ad persuadendum verbis rursus se confert, personâ disputationis suam tegens impotentiam. Et primum quidem, ut qui esset superstitiosius affectus in suam religionem, lacerabat divinam Verbi carnis susceptionem, ejusque perpessiones et ipsam Crucem; et quaecumque sunt signa nostrae salutis, ea scandali ducebat offensiones. Posthaec proferebat etiam fabricam elementorum, ut quae esset quidem dulcis et amabilis, et ad fruendum proposita hominibus, et quod nollet ne valde quidem caecus, quae ex ea oritur, privari voluptate. Martyr autem (erat enim vera plenus sapientia) contra afferebat illius deorum imbecillitatem et effeminationem, quae inter se invicem fuerunt, pugnas et seditiones, et quod volutarentur in corporis affectionibus; et quod nihil eorum quae producta sunt, ex se ortum habeat, et sit sine principio, sed statim referatur ad primam et efficientem causam, et omnipotentem; et quod qui haec relinquit, ad eorum transit opificem, eorum quae fluunt et non stant, habitationem perpetua et stabili habitatione, ineffabilique, et quae non desinit, voluptate commutans. His veris Martyris verbis Tyrannus attonitus,

et ad iram ac furorem accensus intolerabilem, processit omnino ad omne genus tormenta, lectumque ferreum protinus jubet accendi. Qui cum fuisset accensus, jubet in eo extendi Martyrem. Ille autem cum signo Crucis se munisset, toto corpore fuit extensus. Et statim, cum carnes quidem ignitum ferrum attigissent, consumebantur, et dissolvebantur, et in saniem, ulceraque et vulnera mutabantur. Quinetiam nonnulla membra in cinerem conversa, praebebant videndam nudam ossium conjunctionem. Ipse vero tormenta fortiter tolerans, tamquam in molli quodam strato recumbens, ei agebat gratias, pro quo haec sustinebat.

§ 6. Cum autem Martyrem nulla caperet satietas earum, quas pro Christo sustinebat perpessionum, sed zelo fidei adhuc magis incitaretur, non esse tolerandum arbitratus, verum quidem Deum universi irrideri, vanitatem autem imbecillitatis simulacrorum ab iis qui tunc dominatum obtinebant, celebrari laudibus, et magnifieri, generosum quiddam et juvenile excogitat, dignumque ejus animi magnitudine. Nam cum verbis simulasset se assentiri simulacris, et ea ratione fucum fecisset Tyranno, cum quadam pompa a multis stipatus satellitibus, venit in templum idolorum, partim quidem propter repentinam Martyris mutationem iis laetantibus qui erant socii impietatis, partim autem omnino exspectantibus id quod erat eventurum. Martyr autem, valde misertus insipientiae eorum qui adorabant, ad unam insignem imaginem ad dexteram positam prope accedens, cum esset usus solis precibus et verbis, cum auctoritate imperii, eam humi protinus dejecit, et in pulverem comminuit. Quod quidem cum vidisset populus qui aderat, et imbecillitatem eorum quae adorabantur, simul cognovissent et condemnassent, deponunt protinus deceptionem, et amplectuntur pietatem, Deum potentem, et solum praedicantes, quem nuper ignorantes habebant ludibrio. Fitque eis Martyr causa salutis, a quibus, cum prius stulti essent, praeco esse stultitiae putabatur.

§ 7. Haec cum essent Praesidi irae materia et occasio, aliud quid novi incidens, magis conturbavit, et ad iram concitavit intolerandam. Quaedam enim adolescentula, quae nuper ex virginalibus thalamis processerat, et ausa erat venire in conspectum virorum, cum se admiscuisset multitudini, et athletam fratrem esse agnovisset, accedens in medium theatrum, eum complexa, statim docebat signa generis, se eosdem videlicet nosse parentes, eodem utero esse editos, ac eadem suxisse ubera. Deinde revocabat in mentem parentum benevolentiam, et cohabitationem, et hujusmodi alia signa; et postremo dicebat se velle esse participem ejusdem fidei et religionis, et communiter cum fratre easdem subire perpessiones. Haec ergo infelicem quidem Tyrannum implebant dubitatione: spectatores autem eorum, quae fiebant, provocabant ad pietatem. Caeterum ille protinus, cum esset

sceleratus, se ad sceleratas convertit cogitationes; et propter affectionem corporis consuetudinis, non autem propter sanguinis conjunctionem, Christique desiderium, existimabat eam adhaerere Martyri. Torve itaque et ferociter eam intuens : « Quid sibi, inquit, o mulier, vult hoc tuum commentum, et quomodo propter insaniam in hunc adolescentem, mutasti religionem ? Sed resipisce ab hac circumfusa caligine tuae affectionis, et placa invictorum deorum clementiam. Quî fit enim, quod tu tam repente sis mutata, ut ab hac luce suavissima, et ab iis quae sunt in vita jucunda, discedas ; praestigiatori autem juveni adhaerescas, et impudenti vultu ad nostrum te sistas tribunal, simulantem cognationem, et traducentem consuetudinem ad fraternam unionem ? Verumenimvero nostrum tribunal non irridebis, nec Imperatores habebis ludibrio. Testor deos omnes, et nostri tribunalis benignitatem et clementiam, tibi nihil amplius futurum, quam Eulampio, nisi quod sis pejoribus tormentis subjicienda. »

§ 8. Ad haec Martyr masculino spiritu et audacia apte respondit : « Audi, dicens, o Judex, et cognosce meum, ut se habet, scopum ac institutum. Sum Christi ancilla. Christus est mihi vita, et animae exultatio. Eum amo, ei studeo sacrificari. Pro eo et ignem para, et duc bestias, et rotas èxpedi, et extringe enses, et excogita omne aliud tormentum , ut scias me non esse tam ignavi et pusilli animi. Hoc, quod pro pietate suscipitur certamen, ad finem usque decertabo et pèragam, et meipsam tradam ad omne genus supplicii, ut scias me esse ejus sororem, et fraterne èadem, quae ille sentit, sentire, qui tua tormenta non formidavit, et ea, quae colis, simulacra diruit. Porro autem rursus quoque tibi dico, ne adspiciens ad muliebris sexus imbecillitatem, speres aliquid indignum nostra mente : neque aetatis mollitiem putes tuis inventis facile posse decipi. Qui enim nos ad divinum suum erexit amorem, et nos armavit ad bellum contra te gerendum et diabolum, ipse et praebebit vires, et clarissimam efficiet victoriam. »

§ 9. His Martyr linguâ liberâ aperte dicens adversus Tyrannum , colaphos genis crudeliter impactos accepit , et fuit ejus vultus vehementer contusus. Mutata est autem ejus formae gratia, et extinctum fuit vocis instrumentum, inflictis continenter colaphis. Ad haec habebat quidem fratrem eam confirmantem , et incitantem, et audaciorem reddentem ad certamina. Erat autem ipsa quoque virilis, quoad ejus fieri poterat, et generosis cogitationibus imbecillitatem naturae reficiebat. Sed haec non erant omnino Praesidi tolerabilia, videnti et meram Sanctorum loquendi libertatem, et minime cedentem tolerantiam. Unde etiam rursus nova excogitantur tormenta ; lebesque protinus paratus fuit bulliens, ut Martyres exciperet. In quem Eulampius quidem confidenter est ingressus : Eulampia autem (ita enim appellabatur et

ipsa) tamquam caligans, ut quae esset naturâ mollior, et a maligno impelleretur ad timiditatem, labascebat *. Sed frater, qui idem erat socius certaminis, ab imo emergens, tamquam et aliquo convivio et requie, vocabat sororem, et ei addebat animum, et hortabatur ut ingrederetur lebetem, dicens: « Nihil extimescas, solum attendens id quod videtur, et non ad Deum oculos animae defigens, cui et communiter credidimus, et a quo maximam invènimus remunerationem. Si enim hanc bullientem aquam solum attigeris, ab ipso magnum senties auxilium, cujus ego tuus frater sum testis, qui sic tibi cernor impatibilis, et nihil doloris sentiens. »

§ **10**. His persuasa, Eulampia, et omnino acquiescens ejus suasionibus, protinus prompto et alacri animo ingressa est lebètem. Deinde etiam communiter spiritu exultantes, laeti susceperunt supplicium; et protinus lebes evasit frigidus, et nihil mali passos continuit Martyres. Neque vero eousque constitit res admirabilis: sed etiam non paucos ex iis qui circumstabant, induxit ad pietatem. Porro autem ipsum quoque Tyrannum, etsi non pure traxit ad verum Dei cultum, illius tamen labefecit cogitationem, et fecit dubitare de sua religione. Aethiops tamen non fuit dealbatus, et cancer recte ingredi non didicit. Cum enim vincerent quidem athletae, vinceretur autem impius, eos a se invicem et a fide in Christum non valens distrahere, redit rursus ad consueta, et armatur denuo adversus solum Martyrem; et jubet ei excindi pupillas oculorum is qui cordis caecutiebat oculis, et illum magis cruciare procurans, et machinans, ut ejus sororis per hoc frangeretur audacia. Sed in hoc quoque fuit convictus, vana et inania moliri adversus Christi servos.

§ **11**. Postridie autem jubet Martyrem Eulampiam sublime suspendi capillis. Est autem hoc gravissimum supplicium; sed Christi ancillae deliciis suavius existimabatur. Unde etiam ei preces admiscens, dicebat: « Ago tibi gratias, Deus meus et creator, quod me tuam ancillam dignatus sis pro te susceptis ornare tormentis. » Cum autem per omne genus supplicii oporteret athletas pervadere, etiamsi tamquam tela infantium reputabantur, quae eis inferebantur, fornacem accendi jubet Praeses, illa Chaldaica nihilo inferiorem: et ad eam ducta est materia quae erat alitura sic accensam, lictoribus omne studium ad hoc conferentibus. Cum autem flamma esset adeo in altum sublata, ut etiam eos qui procul cernebant, stupefaceret, jubet Judex adduci Martyres, et trudi in medium fornacem. Adducti sunt ergo Martyres: divinus quidem Eulampius, propterea quod fuerant ei eruti oculi, a quibusdam portatus; generosa autem Eulampia cum magna

* Timor hic tenerrimae Virginis in animo ad acerbissimi tormenti conspectum, officere nihil ipsius sanctitati potest, quum naturae potius imbecillitati quam liberae voluntati sit adscribendus.

accurrens audacia, tamquam thalamum, non fornacem, ingressura. Cum autem igni fuissent traditi, flamma eos nihil laesit; sed statim, instar absidis, incurvata, et diligenter cavens ne medium interciperet, tamquam in jucundissimo thalamo athletas continebat, et naturae suae ardorem in auram irrorantem convertebat. Martyres vero tamquam in prato roscido et amoeno chorèas agentes, illud descriptum et divinitus edoctum, puerorum, inquam, canebant canticum.

§ **12**. Ad haec rursus Tyrannus et magis dubitabat, et hoc prodigio plane evaserat solutus et imbecillis, et redactus erat ad extremam consilii inopiam. Deinde cum omnem spem penitus abjecisset, in athletas ultimum statuit supplicium, nempe ut vitam finirent gladio. Protinus ergo vincti abducuntur ad mortem. Et Martyr quidem cum prompto et alacri animo subiisset gladio consummationem, in coelos coronatus extollitur; ejus autem soror et socia certaminum, etiam ante gladium consummatur, propositoque et ànimi instituto fit perfecta Martyr. Hoc autem non ab re providit Dei sapientia, sed ut corpus mundum, et a vitiorum consuetudine intactum, manus immundae non tangerent, atque ut sua spe impii frustrarentur, cum ab eo inferendo excidissent supplicio, per quod putabant se punituros Martyrem. Haec sunt invictorum Christi Martyrum certamina: et hic est optandus finis insignium Athletarum. Illos bearunt quidem omnes virtutes intelligentes, benedixerunt Patriarchae, laudarunt Apostoli et Martyres, ut ei pares in laboribus, et aequales in confessione, sacrosanctum acceperunt additamentum. Ipse autem Agonotheta et Dominus, pro quo pati constituerunt, et quem coram hominibus martyrice confessi sunt, ipse, inquam, coram Patre eos praeconio honoravit, sicut est pollicitus, gloriaeque et regni coelorum socios fecit: quoniam eum decet omnis gloria, honor et adoratio in secula seculorum, Amen.

HISTORIOLA

S. CERBONII EPISC. POPULONIENSIS

PER D. GREGORIUM PAPAM SCRIPTA, *Lib. 3, Dialog., Cap. 11.*

Floruit seculo VI — Afer.

§ 1. Vir vitae venerabilis Cerbonius, Populonii * Episcopus, magnam diebus nostris sanctitatis suae probationem dedit. Nam cum hospitalitatis studio valde esset intentus, die quadam transeuntes milites hospitio suscepit: quos, Gotthis supervenientibus abscondit, eorumque vitam ab illorum nequitia abscondendo servavit. Quod dum Gotthorum Regi perfido Totilae nunciatum fuisset, crudelitatis immanissimae vesania succensus, hunc ad locum, qui octavo urbis hujus ** milliario Merulis dicitur, ubi tunc ipse cum exercitu sedebat, jussit duci, eumque in spectaculo populi ursis ad devorandum projici. Cumque idem Rex perfidus in ipso quoque spectaculo consedisset ad inspiciendum mortem Episcopi, magna populi turba confluxit. Tunc Episcopus in medium deductus est, atque ad ejus mortem immanissimus ursus exquisitus: qui dum humana membra crudeliter carperet, saevi Regis animum satiaret. Dimissus itaque ursus ex cavea est; qui accensus et concitus Episcopum petiit: sed subito suae ferocitatis oblitus, deflexâ cervice, submissoque humiliter capite, lambere Episcopi pedes coepit: ut patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei, et ferina corda essent hominum, et quasi humana bestiarum. Tunc populus, qui ad spectaculum venerat mortis, magno clamore versus est in admirationem venerationis. Tunc ad ejus reverentiam colendam Rex ipse permotus est. Quippe cum quo superno judicio actum erat, ut qui Deum sequi prius in custodienda vita Episcopi noluit, saltem ad mansuetudinem bestiam sequeretur. Cui rei hi qui tunc praesentes fuerunt, adhuc nonnulli supersunt, eamque cum omni illic populo se vidisse testantur.

§ 2. De quo etiam Viro aliud quoque miraculum, Venantio Lunensi Episcopo narrante, cognovi. In ea namque Populonii ecclesia, cui praeerat, sepulcrum sibi praeparavit. Sed cum Longobardorum gens in Italiam veniens cuncta vastasset, ad Helbam insulam recessit. Qui ingruente aegritudine ad mortem veniens, clericis suis sibique obsequentibus praecepit, dicens: « In sepulcro

* Perantiqua Hetruriae urbs, cujus ruinae adhuc conspiciuntur.
** Nimirum Romae, anno, ut videtur, 546.

meo, quod mihi praeparavi Populonii, me ponite.» Cui illi cum dicerent: *Corpus tuum illuc qualiter reducere possumus, qui a Longobardis teneri loca eadem, et ubique eos illic discurrere scimus?* Ipse respondit: « Reducite me securi; nolite metuere; sed festine sepelire me curate: moxque ut sepultum fuerit corpus meum, ex eodem loco sub omni festinatione recedite. » Defuncti igitur corpus imposuerunt navi. Cumque Populonium tenderent, collectis in aëre nubibus, immensa nimis pluvia erùpit. Sed ut patesceret omnibus, cujus Viri corpus navis illa portaret, per illud maris spatium, quod ab Helba insula usque Populonium duodecim milliaribus distat, circa utraque navis latera procellosa valde pluvia descendit; et in navem eamdem una pluviae gutta non cecidit. Pervenerunt itaque ad locum clerici, et sepulturae tradiderunt corpus sacerdotis sui. Cujus praecepta servantes, ad navem sub festinatione reversi sunt. Quam mox ut intrare potuerunt, in eumdem locum, ubi Vir Domini sepultus fuerat, Longobardorum dux crudelissimus Gummar advènit. Ex cujus adventu Virum Dei habuisse spiritum prophetiae claruit: quia ministros suos a sepulturae suae loco sub festinatione discedere praecepit.

VITA ET ACTUS S. PAULINI

EPISC. EBORACENSIS ET DEINDE RHOFENSIS

B. GREGORII PP. DISCIPULI

PER VEN. BEDAM DESCRIPTA, *Lib. 2, Hist. Eccl. gentis Anglorum.*

Obiit anno 644 — Nat. Italus.

§ **1**. Gens Nordan-Humbrorum, hoc est, ea natio Anglorum, quae ad Aquilonarem Humbri * fluminis plagam habitabat, cum Rege suo Eduino ** verbum fidei, praedicante Paulino (beati Gregorii discipulo), primum accepit. Cui videlicet Regi in auspicium suscipiendae fidei, et regni coelestis, potestas etiam terreni creverat imperii, ita ut (quod nemo Anglorum ante eum fecit) omnes Britanniae fines, qua vel ipsorum, vel Britonum provinciae habitabantur, sub ditione acceperit. Quin et Mevanias insulas ***, sicut et supra docuimus, imperio subjugavit Anglorum. Quarum prior, quae ad Austrum est, et situ amplior, et frugum proventu atque ubertate felicior, nongentorum sexaginta milliarium

* Anglice *Humber*. ** Is Sanctorum numero adscriptus fuit.
*** Quae inter Hiberniam et Britanniam sitae sunt.

mensuram, juxta aestimationem Anglorum; secunda, trecentorum et ultra, spatium tenet.

§ 2. Huic autem genti occasio fuit percipiendae fidei, quod praefatus Rex ejus, cognatione junctus est Regi Cantuariorum, accepta in conjugem Edelburga, filia Edelberti * Regis, quae alio nomine Tate vocabatur. Hujus consortium cum primo ipse missis procis a fratre ejus Eadbaldo, qui tunc regno Cantuariorum praeerat, peteret; responsum est, non esse licitum, Christianam virginem pagano in conjugium dari, ne fides et sacramenta coelestis Regis, consortio profanarentur Regis, qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus. Quae dum Eduino verba nuntii referrent, promisit se nihil omnimodis contrarium Christianae fidei, quam virgo colebat, esse facturum: quin potius permissurum, ut fidem cultumque suae religionis cum omnibus qui secum venissent, viris, sive feminis, sacerdotibus seu ministris, more Christiano servaret. Neque abnegavit, se etiam eamdem subiturum esse religionem, si tamen examinata a prudentibus, sanctior ac Deo dignior posset inveniri. Itaque promittitur virgo atque Eduino mittitur, et juxta quod dispositum fuerat, ordinatur Episcopus, vir Deo dilectus, Paulinus, qui cum illa veniret, eamque et comites ejus, ne paganorum possent societate pollui, quotidiana exhortatione, et sacramentorum coelestium celebratione confirmaret.

§ 3. Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Justo ** archiepiscopo sub die duodecimo Calendarum Augusti, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quinto. Et sic cum praefata virgine ad regem Eduinum, quasi comes copulae carnalis advenit. Sed ipse potius toto animo intendens, ut gentem, quam adibat, ad agnitionem veritatis advocans juxta vocem Apostoli, uni viro virginem castam exhiberet Christo: cum in provinciam venisset, laboravit multum, ut et eos qui secum venerant, ne a fide deficerent, Domino adjuvante, contineret, et aliquos, si forte posset, de paganis ad fidei gratiam praedicando converteret. Sed sicut Apostolus ait, quamvis multo tempore, illo laborante in Verbo, Deus seculi hujus excaecavit mentes infidelium, ne eis fulgèret illuminatio Evangelii gloriae Christi.

§ 4. Anno autem sequenti venit in provinciam quidam sicarius, vocabulo Eumer, missus a Rege Occidentalium Saxonum, nomine Cuichelmo, sperans se regem Eduinum regno simul et vita privaturum, qui habebat sicam bicipitem toxicatam, ut si ferri vulnus minus ad mortem Regis sufficeret, peste juvaretur veneni. Pervenit autem ad Regem primo die Paschae juxta amnem Doroventionem, ubi tunc erat villa regalis. Intravitque quasi nuntium

* S. Edelbertus, vel Ethelbertus, Cantianorum et Anglo-Saxonum Rex, die 24 februarii ab Ecclesia colitur.
** Sanctus et ipse. Erat autem Archiepiscopus Cantuariae, anglice *Canterbury*.

domini sui referens; et cum simulatam legationem ore astuto volveret, exsurrexit repente, et evaginatâ sub veste sicâ, impetum fecit in Regem. Quod cum videret Lilla, minister Regis amicissimus, non habens scutum ad manum, quo Regem a nece defenderet, mox interposuit corpus suum ante ictum pungentis. Sed tanta vi hostis ferrum infixit, ut per corpus militis occisi etiam Regem vulneraret. Qui cum mox gladiis impeteretur, in ipso tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Fordheri, sicâ nefandâ peremit.

§ 5. Eàdem autem nocte sacrosancta Dominicae paschae, pepererat Regina filiam Regi, cui nomen Eanfled. Cumque idem Rex, praesente Paulino episcopo, gratias ageret diis suis pro nata sibi filia, e contra Episcopus gratias coepit agere Domino Christo, Regique adstruere, quod ipse precibus suis apud illum obtinuerit, ut Regina sospes et absque dolore gravi sobolem procrearet. Cujus verbis delectatus Rex, promisit se abrenunciatis idòlis, Christo serviturum, si vitam sibi et victoriam donaret pugnanti adversus Regem, a quo homicida ille, qui eum vulneraverat, missus fuerat; et in pignus promissionis implendae, eamdem filiam suam Christo consecrandam Paulino Episcopo assignavit. Quae baptizata est in die sancto Pentecostes, prima de gente Nordan-Humbrorum cum duodecim aliis de familia ejus. Quo tempore curatus a vulnere sibi pridem inflicto Rex, collecto exercitu, venit adversus Regem Occidentalium Saxonum, ac bello ìnito, universos, quos in necem suam conspirasse didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reversus, non statim et inconsulte sacramenta fidei Christianae percipere voluit; quamvis nec idòlis ultra servivit, ex quo se Christo serviturum esse promiserat. Verum primo diligentius ex eo tempore et ab ipso venerabili Viro Paulino rationem fidei ediscere, et cum suis primatibus, quos sapientiores noverat, curavit conferre, quid de his agendum arbitrarentur. Sed et ipse, cum esset vir naturâ sagacissimus, saepe diu solus residens, ore quidem tacito, sed in intimis cordis multa secum colloquens, quid sibi esset faciendum, quae religio servanda, tractabat.

§ 6. Quo tempore exhortatorias ad fidem litteras a Pontifice Sedis Apostolicae Bonifacio accepit, quarum ista est forma: Exemplar Epistolae beatissimi et Apostolici Papae urbis Romanae Ecclesiae Bonifacii, directae viro glorioso Eduino Regi Anglorum.

« Viro glorioso Eduino Regi Anglorum, Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Licet summae divinitatis potentia, humanae locutionis officiis explanari non valeat, quippe quae sui magnitudine ita invisibili atque investigabili aeternitate consistit, ut eam nulla ingenii sagacitas, quanta sit, comprehendere disserereque sufficiat: quia tamen ejus humanitas ad insinuationem sui, reseratis cordis januis, quae de semetipsa proferentur,

secreta humanis mentibus inspiratione clementer infudit, ad annuntiandam vobis plenitudinem fidei Christianae, sacerdotalem curavimus sollicitudinem praerogare: ut perinde Christi Evangelium, quod Salvator noster omnibus praecepit gentibus praedicari, vestris quoque sensibus inserentes, salutis vestrae remedia propinquaremus. Supernae igitur majestatis clementia, quae cuncta solo verbo praeceptionis suae condidit et creavit, coelum videlicet et terram, mare et omnia quae in eis sunt, dispositis ordinibus, quibus subsisterent, coaeterni verbi sui consilio, et Sancti Spiritus unitate dispensans, hominem ad imaginem et similitudinem suam, ex limo terrae plasmatum, constituit; eique tantam praemii praerogativam indulsit, ut eum cunctis praeponeret, atque servato termino praeceptionis suae, aeternitatis subsistentia praemuniret. Hunc ergo Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, qui est individua Trinitas, ab ortu solis usque ad occasum, humanum genus, quippe ut creatorem omnium atque factorem suum, salutifera confessione fidei veneratur et colit. Cui etiam summitates imperii, rerumque potestates submissae sunt: quia ejus dispositione omnium praelatio regnorum conceditur. Ejus ergo bonitatis misericordia, totius creaturae suae salvandae causa, etiam in extremitate terrae positarum gentium corda frigida, Sancti Spiritus fervore, in sui quoque agnitionem mirabiliter est dignata succendere. Quae enim in gloriosi filii nostri Audubaldi Regis, gentiumque ei suppositarum illustratione, clementia Redemptoris fuerit operata, plenius ex vicinitate locorum vestram gloriam conjicimus cognovisse. Ejus ergo mirabile donum et in vobis certa spe coelesti longanimitate conferri confidimus: cum profecto gloriosam conjugem vestram, quae vestri corporis pars esse dignoscitur, aeternitatis praemio per sacri baptismatis regenerationem illuminatam agnovimus. Unde praesenti stylo gloriosius vos adhortandos cum omni affectu intimae charitatis curavimus: quatenus, abominatis idolis, eorumque cultu, spretisque fanorum fatuitatibus, et auguriorum deceptibilibus blandimentis, credatis in Deum Patrem omnipotentem, ejusque Filium Jesum Christum, et Spiritum Sanctum: ut credentes, a diabolicae captivitatis nexibus, sanctae et individuae Trinitatis cooperante potentia, absoluti, aeternae vitae possitis esse participes. Quanta autem reatitudinis culpa teneantur adstricti hi, qui idolatriarum perniciosissimam superstitionem colentes, amplectuntur, eorum quos colunt, exempla perditionis insinuant. Unde de eis per Psalmistam dicitur: *Omnes dii gentium, daemonia: Dominus autem coelos fecit* (*Ps.* 95). Et iterum: *Oculos habent, et non vident: aures habent, et non audiunt: nares habent, et non odorabunt: manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt. Similes ergo efficiuntur his qui spem suae confidentiae ponunt in eis* (*Ps.* 113). Quomodo enim juvandi

quemlibet possunt habere virtutem hi, qui ex corruptibili materia, inferiorum etiam, suppositorumque tibi manibus construuntur: quibus videlicet artificium humanum accommodans, eis inanimatam membrorum similitudinem contulisti: qui nisi a te moti fuerint, ambulare non poterunt: sed tamquam lapis in uno loco positus, ita constructi, nihilque intelligentiae habentes, ipsaque insensibilitate òbruti, nullam neque laedendi, neque juvandi facultatem adepti sunt? Qua ergo mentis deceptione eos deos, quibus vosipsi imaginem corporis tradidistis, colentes sequamini, judicio discreto reperire non possumus. Unde oportet vos suscepto signo sanctae Crucis, per quam humanum genus redemptum est, execrando diabolicae versutiae supplantationem, qui divinae bonitatis operibus invidus aemulusque consistit, a cordibus vestris abjicere, injectisque manibus hos, quos eatenus materiae compage vobis deos fabricastis, confringendos diminuendosque summopere procurare. Ipsa enim eorum dissolutio, corruptioque, quae nunquam viventem spiritum habuit, nec sensibilitatem a suis factoribus potuit quolibet modo suscipere, vobis patenter insinuet, quod nihil erat, quod eatenus colebatis, dum profecto meliores vos, qui spiritum viventem a Domino percepistis, eorum constructione nihilominus existatis: quippe quos Deus omnipotens ex primi hominis, quem plasmavit, cognatione deductos per secula, innumerabilibus propaginibus pullulare constituit. Accedite ergo ad agnitionem ejus, qui vos creavit, qui in vobis vitae insufflavit spiritum, qui pro vestra redemptione Filium suum Unigenitum misit, ut vos ab originali peccato eriperet, et ereptos de potestate diabolicae nequitiae, coelestibus praemiis muneraret. Suscipite verba praedicatorum, et Evangelium Christi, quod vobis annunciant, quatenus credentes, sicut saepius dictum est, in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum ejus Filium, et in Spiritum Sanctum, inseparabilem Trinitatem, fugatis daemoniorum sensibus, expulsâque a vobis sollicitudine venenosi et deceptibilis hostis, per aquam et Spiritum Sanctum renati, ei, cui credideritis, in splendore gloriae sempiternae cohabitare ejus opitulatione et munificentia valeatis. Praeterea benedictione protectoris vestri, beati Petri Apostolorum principis vobis direximus, id est, camisiam cum ornatura in auro una, et lena Ancyriana una. Quod petimus; ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum. »

§ 7. Ad conjugem quoque ejus Edelburgam, hujusmodi litteras idem Pontifex misit. Exemplar Epistolae beatissimi et Apostolici Bonifacii Papae urbis Romae, directae Edelburgae Reginae Eduini Regis.

« Dominae gloriosae, filiae Edelburgae Reginae, Bonifacius Episcopus, servus servorum Dei. Redemptoris nostri benignitas

humano generi, quod pretiosi sanguinis sui effusione a vinculis diabolicae captivitatis eripuit, multâ providentiâ, quibus salvaretur, propinavit remedia: quatenus sui nominis agnitione, diverso modo, gentibus innotescente, creatorem suum suscepto Christianae fidei agnoscerent sacramento: quod quidem in vestrae gloriae sensibus coelesti collatum munere mystica purgationis vestrae regeneratio patenter innuit. Magno ergo largitatis Dominicae beneficio mens nostra gaudio exultavit, quod scintillam orthodoxae religionis in vestri dignatus est conversione succendere. Ex qua re non solum gloriosi conjugis vestri, immo totius gentis suppositae vobis intelligentiam in amorem sui facilius inflammaret. Didicimus namque referentibus his, qui ad nos, gloriosi filii nostri Audubaldi regis laudabilem conversionem nunciantes, pervenerunt, quod etiam vestra gloria, Christianae fidei suscepto mirabili sacramento, piis et Deo placitis jugiter operibus enitescat: ab idolorum etiam cultu, seu fanorum, auguriorumque illecebris se diligenter abstineat, et ita in amore Redemptoris sui immutilata devotione persistens invigilet, ut ad dilatandam Christianam fidem incessabiliter non desistat operam commodare. Cumque de glorioso conjuge vestro paterna charitas sollicite perquisisset, cognovimus, quod eatenus abominandis idolis serviens, ad suscipiendam vocem praedicatorum, suam distulerit obedientiam exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo congesta est ab eo, quod pars corporis vestri, ab agnitione summae et individuae Trinitatis remansit extranea. Unde paternis officiis vestrae gloriosae Christianitati nostram commonitionem non distulimus conferendam, adhortantes, quatenus divinae inspirationis imbuta, subsidiis, importune et opportune agendum non differas, ut et ipse, Salvatoris nostri Domini Jesu Christi cooperante potentia, Christianorum numero copuletur, ut perinde intemeratae societatis foedere jura teneas maritalis consortii. Scriptum namque est: *Erunt duo in carne una.* Quomodo ergo unitas vobis conjunctionis inesse dici poterit, si a vestrae fidei splendore, interpositis detestabilis erroris tenebris, remanserit ille alienus? Unde orationi continuo insistens, a longanimitate coelestis clementiae, illuminationis illius beneficia impetrare non desinas: ut videlicet, quos copulatio carnalis affectus unum quodammodo corpus exhibuisse monstratur, hos quoque unitas fidei etiam post hujus vitae transitum, in perpetua societate conservet. Insiste ergo, gloriosa filia, et summis conatibus duritiam cordis ipsius, religiosa divinorum praeceptorum insinuatione mollire summopere dematura, infundens sensibus ejus, quantum sit praeclarum, quod credendo suscepisti mysterium, quantumve sit admirabile, quod renata praemium consequi meruisti. Frigiditatem cordis ipsius, Sancti Spiritus annunciatione succende: quatenus, amoto torpore perniciosissimi cultus, divinae fidei calor ejus

intelligentiam tuarum adhortationum frequentatione succendat: ut profecto sacrae Scripturae testimonium per te expletum indubitanter perclareat: *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem* (I. *Cor.* VII). Ad hoc enim misericordiam Dominicae pietatis consecuta es, ut fructum fidei creditorumque tibi beneficiorum, redemptori tuo multiplicem resignares. Quod equidem, suffragante praesidio benignitatis ipsius, ut explere valeas, assiduis non desistimus precibus postulare. His ergo praemissis, paternae vobis dilectionis exhibentes officia, hortamur, ut nos (repertâ portitoris occasione) de his quae per vos superna potentia in conversione conjugis vestri, summissaeque vobis gentis dignata fuerit operari, propere reveletis: quatenus sollicitudo nostra, quae de vestra vestrorumque omnium animae salute optabilia desideranter exspectat, vobis annunciantibus relevetur: illustrationemque divinae propitiationis in vobis diffusam opulentius cognoscentes, hilari confessione largitori omnium bonorum Deo, et beato Petro Apostolorum principi uberes merito gratias exsolvamus. Praeterea benedictionem protectoris vestri beati Petri Apostolorum principis vobis direximus, id est, speculum argenteum, et pectinem eburneum inauratum. Quod petimus ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum.

§ 8. Haec quidem memoratus Papa Bonifacius de Regis Eduini, ac gentis ipsius salute sollicitus, litteris agebat. Sed et oraculum coeleste, quod illi quondam exsulanti apud Redualdum Regem Anglorum, pietas divina revelare dignata est, non minimum ad suscipienda vel intelligenda doctrinae monita salutaris, sensum juvit illius. Cum ergo videret Paulinus difficulter posse sublimitatem animi regalis ad humilitatem viae salutaris, et suscipiendum mysterium vivificae Crucis inclinari, ac pro salute illius simul et gentis, cui praeerat, et verbo exhortationis apud homines, et apud divinam pietatem verbo deprecationis ageret; tandem, ut verisimile videtur, didicit in spiritu, quod vel quale esset oraculum Regi quondam coelitus ostensum. Nec exinde distulit, quin continuo Regem admoneret, explere votum, quod in oraculo sibi exhibito se facturum promiserat, si temporis illius aerumnis exemptus, ad regni fastigia perveniret. Erat autem oraculum hujusmodi.

§ 9. Cum, persequente illum Edelfrido, qui ante eum regnavit, per diversa occultus loca vel regna, multo annorum tempore profugus vagaretur, tandem venit ad Regem Redualdum, obsecrans ut vitam suam a tanti persecutoris insidiis tutando servaret. Qui libenter eum suscipiens, promisit se, quae petebat, esse facturum. At postquam Edelfridus in hac eum provincia apparuisse, et apud Regem illius familiariter cum sociis habitare cognovit, misit nuncios, qui Redualdo pecuniam multam pro nece ejus offerrent: neque aliquid profecit. Misit secundo, misit

tertio, et copiosiora argenti dona offerens, et bellum illi, si contemneretur, indicens. Qui vel minis fractus, vel corruptus muneribus, cessit deprecanti, et sive occidere se Eduinum, seu legatariis tradere promisit. Quod ubi fidelissimus quidam amicus illius animadvertit, intravit cubiculum, quo dormire disponebat (erat autem prima hora noctis), et evocatum foras, quid erga eum agere Rex promisisset, edocuit, et insuper adjecit: « Si ergo vis, hac ipsâ horâ educam te de hac provincia, et in ea loca te introducam, ubi nunquam te vel Redualdus vel Edelfridus invenire valeant.» Qui ait: «Gratias quidem ago benevolentiae tuae: non tamen hoc facere possum, quod suggeris, ut pactum, quod cum tanto Rege inii, ipse primus irritum faciam, cum ille mihi nihil mali fecerit, nihil adhuc inimicitiarum intulerit; quin potius, si moriturus sum, ille me magis, quam ignobilior quisquam morti tradat: quo enim nunc fugiam, qui per omnes Britanniae provincias tot annorum temporumque curriculis vagabundus, hostium vitabam insidias? »

§ **10**. Abeunte igitur amico, remansit Eduinus solus foris, residensque moestus ante palatium, multis coepit cogitationum aestibus affici, quid ageret, quove pedem verteret, nescius. Cumque diu tacitis mentis angoribus, et caeco carperetur igni, vidit subito intempestae noctis silentio, appropinquantem sibi hominem vultus habitusque incogniti: quem videns ut ignotum et inopinatum, non parum expavit. At ille accedens, salutavit eum, et interrogavit, quare illa hora caeteris quiescentibus, et alto sopore pressis, solus ipse moestus in lapide pervigil sederet. At ille vicissim sciscitabatur, quid ad eum pertineret, utrum ipse intus, an fortis noctem transigeret. Qui respondens, ait: « Ne me aestimes tuae moestitiae, et insomniorum, et forinsecae ac solitariae sessionis causam nescire. Scio enim certissime, qui es, et quare moeres, et quae ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi, quid mercedis dare velles ei, qui his te moeroribus absolvat, et Redualdo suadeat, ut nec ipse tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hostibus perimendum tradat? » Qui cum se omnia, quae posset, huic tali pro mercede beneficii daturum esse responderet, adjecit: « Quod si etiam te Regem futurum, extinctis hostibus, in veritate promittat, ita ut non solum omnes progenitores tuos, sed et omnes, qui ante te Reges in gente Anglorum fuerant, potestate transcendas? » At Eduinus constantior interrogando factus, non dubitabat promittere, quin ei, qui tanta sibi beneficia donaret, dignis ipse gratiarum actionibus responderet. Tum ille tertio: « Si autem, inquit, is qui tibi tanta taliaque dona veraciter adventura praedixerit, etiam consilium tibi tuae salutis ac vitae melius atque utilius, quam aliquis de tuis parentibus aut cognatis unquam audivit, ostendere poterit: num ei obtemperare, et monita ejus salutaria suscipere consentis? »

Nec distulit Eduinus, quin continuo polliceretur, se in omnibus secuturum doctrinam illius, qui se tot ac tantis calamitatibus ereptum, ad regni apicem proveheret. Quo accepto responso, confestim is qui loquebatur cum eo, imposuit dexteram suam capiti ejus, dicens: « Cum ergo tibi signum hoc advenerit, memento hujus temporis ac loquelae nostrae, et ea quae promittis, tunc adimplere ne differas. » Et his dictis, ut fertur, repente disparuit, ut intelligeret non hominem esse qui sibi apparuisset, sed spiritum. Et cum regius juvenis solus adhuc ibidem sederet, gavisus quidem de collata sibi pia ac benigna consolatione, sed multum sollicitus, ac mente sedula cogitans, quis esset ille, vel unde veniret, qui haec sibi loqueretur.

§ **11**. Venit autem praefatus amicus illius, laetoque vultu salutans eum: « Surge, inquit, intra; et sopitis ac relictis curarum anxietatibus, quieti membra simul et animum compone; quia mutatum est cor Regis, nec tibi aliquid mali facere, sed fidem potius pollicitam servare disponit. Postquam enim cogitationem suam, de qua tibi ante dixi, Reginae in secreto revelavit, revocavit eum ab illa intentione, àdmonens quia nulla ratione conveniat tanto Regi, amicum suum optimum in necessitate positum, auro vendere, neque fidem suam, quae omnibus ornamentis pretiosior est, amore pecuniae perdere. » Quid plura? Fecit Rex, ut dictum est, nec solum exsulem nunciis hostilibus non tradidit, sed etiam eum, ut in regnum perveniret, adjuvit. Nam mox redeuntibus domum nunciis, exercitum ad debellandum Edelfridum collegit copiosum; eumque sibi occurrentem cum exercitu multum impari (non enim dederat illi spatium, quo totum suum congregaret atque adunaret exercitum), occidit in finibus gentis Merciorum, ad orientalem plagam amnis qui vocatur Idle. In quo certamine et filius Redualdi, vocabulo Regenheri, occisus est. Ac sic Eduinus, juxta oraculum, quod acceperat, non tantum Regis sibi infesti insidias vitavit, verumetiam eidem perempto in regni gloriam successit.

§ **12**. Cum ergo, praedicante verbum Dei Paulino, Rex credere differret, et per aliquod tempus, ut diximus, horis competentibus solitarius sederet, et quid agendum sibi esset, quaeve religio sequenda, sedulus secum ipse scrutari consuesset, ingrediens ad eum quadam die vir Dei, imposuit dexteram capiti ejus, et an hoc signum agnosceret, requisivit. Qui cum tremens ad pedes ejus procidere vellet, levavit eum, et quasi familiari voce affatus: « Ecce, inquit, hostium manus, quos timuisti, Domino donante, evasisti. Ecce regnum, quod desiderasti, ipso largiente, percepisti. Memento ut tertium, quod promisisti, facere non differas, suscipiendo fidem ejus, et praecepta servando, qui te et a temporalibus adversis eripuit, et temporalis regni honore sublimavit. Et si deinceps voluntati ejus, quam per me tibi praedicat,

obsecundare volueris, etiam a perpetuis malorum tormentis te liberans, aeterni secum regni in coelis faciet esse participem. » Quibus auditis, Rex, suscipere quidem se fidem, quam docebat, et velle et debere respondebat; verum adhuc cum amicis, principibus et consiliariis suis sese de hoc collaturum esse dicebat, ut si et illi eadem cum eo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitae Christo consecrarentur. Et annuente Paulino, fecit, ut dixerat. Habito enim cum sapientibus consilio, sciscitabatur singulatim ab omnibus, qualis sibi doctrina haec eatenus inaudita, et novus divinitatis, qui praedicabatur, cultus videretur. Cui primus pontificum ipsius Coifi, continuo respondit: « Tu vide, Rex, quale sit hoc, quod nobis praedicatur: ego tibi verissime, quod certum didici, profiteor, quia nihil omnino virtutis habet, nihil utilitatis religio illa, quam hucusque tenuimus. Nullus enim tuorum studiosius quam ego, culturae deorum nostrorum se subdidit, et nihilominus multi sunt, qui ampliora a te beneficia, quam ego, et majores accipiunt dignitates, magisque prosperantur in omnibus, quae agenda vel acquirenda disponunt. Si autem dii aliquid valerent, me potius juvare vellent, qui illis impensius servire curavi. Unde restat, ut si ea, quae nunc nobis nova praedicantur, meliora esse et fortiora, habita examinatione, perspexeris, absque ullo cunctamine suscipere illa festinemus. » Cujus suasioni verbisque prudentibus alius optimatum tribuens assensum, continuo subdidit.

§ 13. « Talis, inquiens, mihi videtur, Rex, vita hominum praesens in terris, ad comparationem ejus, quod nobis incertum est, temporis, quale cum, te residente ad coenam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio, et calido effecto coenaculo, furentibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium pluviarum vel nivium, adveniens unus passerum, domum citissime pervolaverit: qui cum per unum ostium ingrediens, mox per aliud exierit, ipso quidem tempore, quo intus est, hiemis tempestate non tangitur: sed tamen parvissimo serenitatis momento excurso, mox de hieme in hiemem regrediens, tuis oculis elabitur. Ita haec vita hominum ad modicum appàret: quid autem sequatur, quidve praecesserit, prorsus ignoramus. Unde si haec nova doctrina certius aliquid attulit, merito sequenda esse videtur. » His similia et caeteri majores natu, ac Regis consiliarii, divinitus admoniti, prosequebantur. Adjecit autem Coifi, quia vellet ipsum Paulinum diligentius audire de Deo, quem praedicabat verbum facientem. Quod cum, jubente Rege, faceret, exclamavit, auditis ejus sermonibus, dicens: « Jam olim intellexeram nihil esse, quod colebamus: quia videlicet quanto studiosius in eo cultu veritatem quaerebam, tanto minus inveniebam. Nunc autem aperte profiteor, quia in hac praedicatione veritas datur illa, quae nobis vitae, salutis ac beatitudinis aeterna

dona valet tribuere. Unde suggero, Rex, ut templa et altaria, quae sine fructu utilitatis sacravimus, ocyus anathemati et igni tradamus. » Quid plura? Praebuit palam assensum evangelizandi beato Paulino Rex, et, abrenunciata idololatria, fidem se Christi suscipere confessus est.

§ 14. Cumque a praefato Pontifice sacrorum suorum quaereret, quis aras et fana idolorum cum septis, quibus erant circumdata, primus profanare deberet; ille respondit: « Ego. Quis enim ea, quae per stultitiam colui, ad exemplum omnium aptius, quam ipse per sapientiam mihi a Deo vero donatam destruam? » Statimque, abjecta superstitione vanitatis, rogavit sibi Regem arma dare, et equum emissarium, quem ascendens, ad idola destruenda veniret. Non enim licuerat Pontificem sacrorum vel arma ferre, vel in equo sedere. Accinctus ergo gladio, accepit lanceam in manu, et ascendens emissarium Regis, pergebat ad idola. Quod adspiciens vulgus, existimabat eum insanire. Nec distulit ille mox, ut appropiabat ad fanum, profanare illud, injecta in eo lanceâ, quam tenebat; multumque gavisus de agnitione veri Dei cultus, jussit sociis destruere, ac succendere fanum cum omnibus septis suis. Ostenditur autem locus ille quondam idolorum, non longe ab Eboràco *, ad Orientem ultra amnem Dorventionem, et vocatur hodie Gotmundin Gahan; ubi Pontifex ille, inspirante Deo vero, polluit ac destruxit eas, quas ipse sacraverat, aras. Igitur accepit Rex Eduinus, cum cunctis gentis suae nobilibus ac plebe perplurima, fidem et lavacrum sanctae regenerationis, anno regni sui undecimo, qui est annus Dominicae incarnationis sexcentesimus vigesimus septimus: ab adventu vero Anglorum in Britanniam, anno circiter centesimo octogesimo. Baptizatus est autem Eboràci die sancto Paschae, pridie Iduum Aprilis, in Ecclesia sancti Petri Apostoli, quam idem ipse de ligno, cum catechizaretur, atque ad percipiendum Baptisma imbueretur, citato opere, construxit. In qua etiam civitate ipsi doctori atque antistiti Paulino sedem Episcopatus donavit.

§ 15. Mox autem, ut baptisma consecutus est, curavit, docente eodem Paulino, majorem ipso in loco et augustiorem de lapide fabricare basilicam, in cujus medio ipsum, quod prius fecerat, oratorium includeretur. Praeparatis ergo fundamentis in gyro prioris oratorii per quadrum coepit aedificare basilicam. Sed priusquam altitudo parietis esset consummata, Rex ipse impia nece occisus, opus idem successori suo Oswaldo perficiendum reliquit. Paulinus autem ex eo tempore sex annis continuis, id est, usque ad finem imperii Regis illius, verbum Dei, annuente ac favente ipso, in ea provincia praedicabat; credebantque et baptizabantur, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam. In quibus erant Osfridus et Eadfridus, filii Regis Eduini, qui ambo

* Anglice, York, Angliae secunda metropolis.

ei exsuli nati sunt de Quenburga filia Cearli Regis Merciorum. Baptizati sunt tempore sequenti et alii liberi ejus, de Edelburga Regina progeniti, Edilhim et Ediltridis filia, et alter filius Buscfrea: quorum primi, albati adhuc, rapti sunt de hac vita, et Eboràci in ecclesia sepulti. Baptizatus est et Iffi filius Osfridi, sed et alii nobiles et egregii viri non pauci.

§ **16**. Tantus autem fertur tunc fuisse fervor fidei ac desiderium lavacri salutaris genti Nord-Humbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum Rege et Regina in regiam villam, quae vocatur Adregin, trigintasex diebus ibidem cum eis catechizandi et baptizandi officio deditus, moraretur: quibus diebus cunctis a mane usque ad vesperam nil aliud ageret, quam confluentem eo de cunctis viculis ac locis plebem, Christi verbo salutis instruere, atque instructam in fluvio Gleni, qui proximus erat, lavacro remissionis abluere. Haec villa tempore sequentium Regum deserta, et alia pro illa est facta in loco, qui vocatur Melmin. Haec quidem in provincia Berniciorum: sed et in provincia Deirorum, ubi saepius manere cum Rege solebat, baptizabat in fluvio Sualva, qui vicum juxta Cataractam praeterfluit. Nondum enim oratoria vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi Ecclesiae poterant aedificari. Attamen in campo Dono, ubi tunc etiam villa regia erat, fecit basilicam, quam postmodum pagani, a quibus Eduinus Rex occisus est, cum tota eadem villa succenderunt. Pro qua Reges posteriores fecere sibi villam in regione, quae vocatur Loidis. Evasit autem ignem altare, quia lapideum erat, et servatur adhuc in monasterio reverendissimi Abbatis et presbyteri Trunwulsi, quod est in silva Elmete. Tantam autem devotionem Eduinus erga cultum veritatis habuit, ut etiam Regi Orientalium Anglorum Carpualdo, filio Redualdi, persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem et sacramenta Christi cum sua provincia suscipere. Et quidem pater ejus Reduald jamdudum in Cantio sacramentis Christianae fidei imbutus est, sed frustra. Nam rediens domum, ab uxore sua et quibusdam perversis doctoribus seductus est, atque a sinceritate fidei depravatus, habuit posteriora pejora prioribus: ita ut in morem antiquorum Samaritanorum, et Christo servire videretur, et diis quibus antea serviebat, atque in eodem fano et altare haberet ad sacrificium Christi, et arulam ad victimas daemoniorum. Quod videlicet fanum Rex ejusdem provinciae Alduulff (qui nostra aetate fuit), usque ad suum tempus perdurasse, et se in pueritia vidisse testatur.

§ **17**. Erat autem praefatus Rex Reduald natu nobilis, quamlibet actu ignobilis, filius Tytilli, cujus pater fuit Vulfa, a quo Reges Anglorum Orientalium Vulffingas appellant. Verum Carpuald non multo post, quam fidem accepit, tempore occisus est a viro gentili, nomine Richberto, et exinde tribus annis provincia in errore versata est, donec accepit regnum ejusdem frater

Carpualdi Sibertus, vir per omnia doctissimus atque Christianissimus. Qui vivente adhuc fratre, cum exsularet in Gallia, fidei sacramentis imbutus est. Quorum participem mox ubi regnare coepit, totam suam provinciam facere curavit. Cujus studiis gloriosissime favit Felix Episcopus, qui de Burgundiorum partibus, ubi ortus et ordinatus erat, cum venisset ad Honorium Archiepiscopum, eique indicasset desiderium suum, misit eum ad praedicandum verbum vitae praefatae nationi Anglorum. Nec vota ipsius in cassum cecidere: quin potius fructum in ea multiplicem credentium populorum pius agri spiritualis cultor invenit. Siquidem totam illam provinciam juxta sui nominis sacramentum, a longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem et opera justitiae, ac perpetuae felicitatis dona perduxit. Accepitque sedem Episcopatus in civitate Dummock, et cum decem et septem annis eidem provinciae pontificali regimine praefuisset ibidem in pace vitam finivit.

§ **18**. Praedicabat autem Paulinus verbum etiam provinciae Lindisi, quae est prima ad meridianam Humbri fluminis ripam, pertingens usque ad mare; Praefectumque Lindocolinae civitatis, cui nomen erat Blecca, primum cum domo sua convertit ad Dominum. In qua videlicet civitate, et ecclesiam operis egregii de lapide fecit, cujus tecto vel longa incuria, vel hostili manu dejecto, parietes hactenus stare videntur: et omnibus annis aliqua miracula sanitatum in eodem loco solent ad utilitatem eorum, qui fideliter quaerunt, ostendi. In qua ecclesia Paulinus, transeunte ad Christum Justo, Honorium * pro eo consecravit Episcopum, ut in sequentibus suo loco dicemus. De hujus fide provinciae narravit mihi presbyter et abbas quidam, vir veracissimus de monasterio Peartan, vocabulo Deda, retulisse sibi quendam seniorum, baptizatum se fuisse die media a Paulino Episcopo, praesente Rege Eduino, et multam populi turbam in fluvio Trehenta juxta civitatem quae lingua Anglorum. Trovulfingacestir vocatur. Qui etiam effigiem ejusdem Paulini referre est solitus, quod esset longae staturae, paululum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naso adunco, pertenui, venerabilis simul et terribilis adspectu. Habuit autem secum in ministerio et Jacobum Diaconum, virum utique industrium ac nobilem in Christo et in Ecclesia, qui ad nostra usque tempora permansit.

§ **19**. Tanta autem eo tempore pax in Britannia, quaquaversum imperium Regis Eduini pervenerat, fuisse perhibetur, ut (sicut usque hodie in proverbio dicitur) etiamsi mulier una cum recens nato parvulo vellet totam perambulare insulam a mari ad mare, nullo se laedente, valeret. Tantum quoque Rex idem utilitati suae gentis consuluit, ut plerisque in locis, ubi fontes lucidos juxta publicos varium transitus conspexit, ibi ob refrigerium

* Hic sacro altarium cultu fruitur.

viantium, erectis stipitibus aereos caucos * suspendi juberet: neque hos quisquam, nisi ad usum necessarium, contingere prae magnitudine vel timoris ejus auderet, vel amoris vellet. Tantum vero excellentiae in regno habuit, ut non solum in pugna ante illum vexilla gestarentur, sed et tempore pacis equitantem inter civitates, sive villas, aut provincias suas cum ministris, semper antecedere signifer consuevisset: necnon et incedente illo ubilibet per platèas, illud genus vexilli, quod Romani Tufam, Angli vero appellant Thuuf, ante eum ferri solebat.

§ **20**. Quo tempore praesulatum sedis Apostolicae Honorius, Bonifacii successor, habebat: qui ubi gentem Nord-Humbrorum cum suo Rege ad fidem confessionemque Christi, Paulino evangelizante, conversam esse didicit, misit eidem Paulino pallium, misit et Regi Eduino litteras exhortatorias, paterna illum charitate accendens, ut in fide veritatis, quam acceperat, persistere semper ac proficere curaret. Quarum videlicet litterarum iste est ordo.

« Domino excellentissimo, atque praecellentissimo filio Eduino, Regi Anglorum, Honorius Episcopus, servus servorum Dei, salutem. Ita Christianitatis vestrae integritas circa conditoris sui cultum, fidei est ardore succensa, ut longe lateque resplendeat, et in omni mundo annunciata, vestri operis multipliciter referat fructum. Sic enim vos Reges esse cognoscitis, dum Regem et Creatorem vestrum orthodoxa praedicatione edocti, Deum venerando colitis, eique, quod humana valet conditio, mentis vestrae sinceram devotionem exsolvitis. Quid Deo nostro aliud offerre valebimus, nisi ut in bonis actibus persistentes, ipsumque Auctorem humani generis confitentes, eum colere, eique vota nostra reddere festinemus? Et ideo, excellentissime fili, paterna vos charitate, qua convenit, exhortamur, ut hoc, quod vos divina misericordia ad suam gratiam vocare dignata est, sollicita intentione, et assiduis orationibus servare omnimodo festinetis: ut qui vos in praesenti seculo ex omni errore absolutos, ad agnitionem sui nominis est dignatus perducere, et coelestis patriae vobis praeparet mansionem. Praedicatoris igitur vestri, domini mei Apostolicae memoriae Gregorii lectione frequenter occupati, prae oculis affectum doctrinae ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit, habetote: quatenus ejus oratio, et regnum vestrum, populumque augeat, et vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repraesentet. Ea vero, quae a nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, haec pro fidei vestrae sinceritate, quae nobis multimoda relatione per praesentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo attribuere illis sine ulla dilatione providimus, et duo pallia utrisque Metropolitanis, id est, Honorio et Paulino, direximus; ut, dum quis eorum de hoc seculo ad Auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum

* Illa vox, ut notat Cangius in *Glossario*, pateram seu vas ad aquam hauriendam significat.

Episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestrae charitatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatiis, quae inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestrae nostrum concursum, et justa vestra desideria praeberemus. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. »

§ 21. Cum autem Eduinus decem et septem annis genti Anglorum simul et Britonum gloriosissime praeesset, e quibus etiam sex ipse, ut diximus, Christi regno militavit, rebellavit adversus eum Carduella Rex Britonum, auxilium praebente illi Penda, viro strenuissimo, de regio genere Merciorum, qui et ipse ex eo tempore gentis ejusdem regno annis vigintiduobus varia sorte praefuit. Et conserto gravi proelio in campo, qui vocatur Hethfelth, occisus est Eduinus die quarto Iduum Octobris, anno Dominicae Incarnationis sexcentesimo trigesimotertio, cum esset annorum quadragintaocto, ejusque totus vel interemptus, vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello ante illum unus filius ejus Osfrid, juvenis bellicosus, cecidit: alter Eadfrid, necessitate cogente, ad Pendam Regem transfugit; et ab eo postmodum, regnante Oswaldo, contra fidem jurisjurandi peremptus est.

§ 22. Quo tempore maxima est facta strages in Ecclesia, vel gente Nord-Humbrorum, maxime quod unus ex ducibus, a quibus acta est, paganus: alter, quia barbarus, erat pagano saevior. Siquidem Penda cum omni Merciorum gente idòlis deditus, et Christiani erat nominis ignarus. At vero Carduella, quamvis nomen et professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, ut nec sexui quidem muliebri, vel innocuae parvulorum parceret aetati, quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Britanniae finibus erasurum se esse deliberans. Sed nec religioni Christianae, quae apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris: quippe cum usque hodie moris sit Britonum, fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare, quam paganis. Allatum est autem caput Eduini Regis Eboràcum, et illatum postea ecclesiae beati Petri Apostoli, quam ipse coepit, sed successor ejus Oswald perfecit, ut supra docuimus. Positum est autem in porticu sancti Papae Gregorii, a cujus ipse discipulis verbum vitae susceperat.

§ 23. Turbatis itaque rebus Nord-Humbrorum hujus articulo cladis, cum nihil alicubi praesidii nisi in fuga esse videretur, Paulinus, assumpta secum Edelburga Regina, quam pridem adduxerat, rediit Cantium navigio, atque ab Honorio Archiepiscopo et Rege Edulbaldo multum honorifice susceptus est. Venit autem illuc duce Baasso, milite Regis Eduini fortissimo, habens secum Heanfredam filiam, et Vulcfream filium Eduini, necnon et Iffi

filium Osfridi filii ejus: quos postea mater, metu Edboldi et Oswaldi Regum, misit in Galliam nutriendos Regi Decberto: ibique ambo infantia defuncti, et juxta honorem vel regiis pueris, vel innocentibus Christi congruum, in ecclesia sepulti sunt. Attulit quoque secum vasa pretiosa Eduini Regis perplura, in quibus et Crucem magnam auream, et calicem aureum, consecratum ad ministerium altaris: quae hactenus in ecclesia Cantii conservata monstrantur.

§ **21.** Quo in tempore, Rhofensis * ecclesia pastorem minime habebat, eo quod Romanus, praesul illius, ad Honorium Papam a Justo Archiepiscopo legatarius missus, absorptus fuerat fluctibus Italici maris; ac per hoc curam illius praefatus Paulinus, invitatione Honorii Antistitis, et Eadbaldi Regis, suscepit ac tenuit, usque dum et ipse suo tempore ad caelestia regna cum gloriosi fructu laboris ascendit. In qua ecclesia moriens, pallium quoque, quod a Romano Papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in ecclesia sua Eboràci Jacobum Diaconum, virum utique Ecclesiasticum et sanctum, qui multo ex hinc tempore in ecclesia manens, magnas antiquo hosti praedas docendo et baptizando eripuit. Cujus nomine vicus, in quo maxime solebat habitare juxta Catarectam, usque hodie cognominatur. Qui, quoniam cantandi in ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace in provincia, et crescente numero fidelium, etiam magister ecclesiasticae cantionis, juxta morem Romanorum seu Cantuariorum, multis coepit existere. Et ipse senex, et plenus dierum, juxta Scripturas, patrum viam secutus est. Anno autem ab Incarnatione Domini sexcentesimo quadragesimo quarto, reverendissimus Pater Paulinus transiit ad Dominum sexto Iduum Octobris; qui decem et novem annos, et viginti unum dies episcopatum tenuit, sepultusque est in Secretario B. Apostoli Andreae, quod rex Edilbertus a fundamentis in eadem Rhofi civitate construxit. In cujus locum Honorius archiepiscopus ordinavit Itamar, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vitâ et eruditione antecessoribus suis aequandum.

* Roffa, idest Rochester, urbs est Angliae meridionalis in Cantio (Kent).

MARTYRIUM

SANCTORUM TARACHI, PROBI ET ANDRONICI

UT HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE.

Passi sunt probab. anno 304 — Nat. Asiani.

§ 1. Diocletianus tenens Romanorum imperium, vir, qui errori cultus daemonum erat mirum in modum addictus, volebat quemlibet Christianum abjurare pietatem, veramque religionem, litteris et edictis per universum orbem terrae spargens hanc impiam vanitatem. Eâ de causa multis quidem ex fidelibus labefactabatur animus; alii autem, metu tormentorum, quorum minae fuerant intentatae, in solitudinibus latebant et montibus. Piis enim ubique erant tensa retia et laquei. Tunc vero fortissimi Christi milites, qui tres quidem erant numero, et genere solo et differentia patriae dividebantur. (Taracho enim primo Martyrum, patria erat urbs Claudii Caesaris *; Probo vero, quae ad Orientem sita est, Pamphylia **; Andronico autem, aetate tertio, insignis metropolis Ephesiorum ***); in Deum autem charitate et fide, unum esse aperte cognoscebantur: cum vel solum versari cum impiis, reputassent esse abnegare pietatem, seipsos separantes a communi multitudine, tacite, et per se alebant suum in Christum desiderium. Caeterum vel ipsam vitam non putabant vitalem, nisi essent Christi passionum propter Christum participes. Scopus autem erat eis suae ad Deum orationis, a martyrio minime excidere, et non facere Christi jacturam, quem pro omnibus habere delegerant.

§ 2. Cum versarentur in his beati Athletae, mittitur in partes illas quidam Praeses ab Imperatore, nomine Maximus, vir, qui ad extremam processerat in daemonibus colendis superstitionem, et cujus crudelitas jactabatur vulgi testimonio. Is, cum ad Tarsensium **** venisset civitatem, protinus ad examinationem sedit in excelso tribunali judicans, aut certamen potius parans longe difficillimum. Illi autem assistebat magna multitudo lictorum, qui illius nutibus et gestibus se prompte parituros esse significabant. Cum ergo iis qui tunc erant cultores daemonum, Martyres

* Scilicet *Claudiopolis*, in Isauria (provincia in Asia Minore).

** Provincia in Asia Minore, cujus non exigua pars nunc constituit regionem, quae *Anatolia* vocatur.

*** Celeberrima et perillustris urbs Asiae Minoris, a Plinio *Asiae lumen* nuncupata. Ibi Concilium oecumenicum ad impiam Nestorii haeresim condemnandam, anno 431, celebratum fuit. A Turcis capta anno 1283, vocatur nunc *Aja-Soluk*.

**** Ciliciae metropolis, S. Pauli Apostoli ortu clarissima semperque memoranda.

propter veram religionem evasissent manifesti, et jam comprehensi fuissent, ii, quibus hoc incumbebat officium, judici de illis significârunt. Ipse autem vetuit quidem eos sisti communiter, sed singulatim potius introducens, eos examinabat, maligno hoc agens consilio, et cogitans fore, ut invictos sic facilius expugnaret. Et primus quidem, videlicet aetate, Tarachus, in medium accedens, cum rogatus esset, quisnam vocaretur, seipsum confessus est esse Christianum, intrepide dicens injusto judici: « Quod tu, tamquam crimen, persèqueris, hoc est mihi ornamentum, et nomen proprium. Quoniam vero id quoque, quod a parentibus mihi fuit impositum, vis scire, vocor Tarachus. Cum autem essem miles, inferne abnegavi militare, quoniam arma nostra, qui sumus Christiani, non sunt carnalia, sed Deo potentia (ut dicit Paulus) ad destructionem adversarii. Fac ergo quod velis; ero enim tibi per Deum, qui est in me, stimulus et perturbatio. Et nec me senectutis et canorum admoneas, qui sum juvenis animi alacritate; neque quod inconsiderate, et praeter rationem fit a tuis Imperatoribus, id voces legem patriam. Unus est enim noster et verus pater, Deus, qui nos etiam produxit ad essentiam. Tui vero dii cum sint ligna et lapides, sunt abominationes. Talia sunt quae a tuo Imperatore coluntur simulacra. »

§ 3. His accendens iram judicis, ut qui diis insultaret, et Imperatoribus, in maxillis protinus subiit injuriam: deinde etiam in collo multis horis fuit verberatus. Quod spectaculum ne poterant quidem ferre ii qui aderant: quo circa aggrediebantur etiam admonere, ut stulte loqui, sicut eis videbatur, desisteret. Quibus Martyr scite admodum et apposite: « Cum sexaginta, inquit, totos sex annos diligenter hanc stultam exercuerim locutionem, horâ unâ, quod tam longo tempore est acquisitum expellam? Nequaquam per hoc, quod pro pietate suscipio certamen, et per meam in Christum verum Deum fiduciam, neque si nobis alius minetur Maximus hoc longe gravior et importunior. Harum Martyris vocum libertatem non ferens iniquus judex; jubet ipsum virgis caedi crudeliter. Cum autem post plagas maneret animo immobilis, gravioribus quam prius ferreis adstrictus vinculis, abductus est in carcerem.

§ 4. Deinde is quoque, qui erat secundus aetate, productus est ad tribunal. Ille autem citra moram, et paucis dixit omnia, ne differret pati. « Divinâ quidem, inquiens, et praecipuâ appellatione vocor Christianus, humanâ autem Probus. Sum Thrax genere, homo privatus, Imperatorum et tuas adversus veram religionem voces, o judex, execrans, et vestram maxime amicitiam, ut quae a Deo disjungit: magno enim pretio emi esse Christianum, ut qui omnes quas habebam, facultates, quae erant non paucae, contempserim, propter mandatum Spiritus.» Quae cum dixisset, alligatus et extensus accepit bovillorum nervorum ictus, vel nive cadente

crebriores. Et cum terra irrigaretur sanguine, et stuperent qui circumstabant, et ad eum clamarent: « Vide hunc fluxum maxime terribilem, et tibi parce; » Martyr, ad eos intuens, « Quo qui certant, inquit, unguntur, oleum aut unguentum, hunc sanguinem reputo; et ideo ad certamina evado alacrior. » Deinde etiam in ventre rursus similiter verberatus, cum terram abundantiori sanguine fecisset purpuream: « Christe, fer mihi opem, » solum est elocutus. Et cum dixisset Praeses: « Si tibi opem ferret, te liberaret ab omnibus his tormentis; » sapienter admodum respondit Vir justus: « Non quaero non pati, sed fortiter ac constanter ferre perpessiones. Nemo enim ex iis qui decertant, si fuerit sanae mentis, petierit auferri a certaminibus, quibus assequitur coronam et praemia. Verum te latet, o judex, me et valde fuisse exauditum, et mihi datum fuisse auxilium. Tua namque contemno tormenta, non victus ab iis per quae putasti te me esse victurum, et ex acerbissimis corporis doloribus animum nactus robustiorem. » Cum his simul cessisset, et eum dimisisset judex, eum quidem ferro vinciri, et in carcerem abduci jubet, et extendi in quatuor foraminibus ligni, ad torquendum constructi.

§ **5**. Post quem tertius fuit introductus Andronicus, corpore quidem juvenis, iis autem, qui prius decertârunt, ingenio aequalis, et perfectus. Quamobrem et constantiam, et dicendi libertatem, et eamdem ostendit orationem, se Christianum vocans, et Christi servum. Cum autem post interrogationem jussus esset se non stulte gerere, sed sacrificare, alieniore simul et veriore modo respondit judici: « Recte, o Maxime, dicens, certamina nostra nominasses stultitiam, si spe frustrarentur. Si quis autem adspexerit ad spem et remunerationem. quam Verbum promisit salutare, ipse quoque omnino dicet cum Paulo: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad gloriam revelandam in nobis*» (*Rom.*VIII). Ille autem morsus hac philosophiâ Martyris, cum vellet ostendere verba nihil aliud esse, quam verba, invenit res ipsas eis ferre testimonium, et ea confirmare. Nam cum jussisset eum suspendi in ligno, imperat ut ferro ejus imprimerentur tibiae; deinde, ut ejus latera pungerentur stimulis acutissimis, et sale adfricarentur, et testis lacerarentur: hoc moliens, ut deficeret Athleta dolorum acerbitate. Sed ille dicebat salem reddere corpus firmum ac solidum, ut posset sufficere reliquis certaminibus. Quamobrem rursus defessus is qui puniebat, jussit eum quoque similiter custodiri in carcere.

§ **6**. Cum igitur horum trium fortissimorum Virorum hanc pulcherrimam sumpsisset experientiam, rursus eos singulatim, priori quoque tunc utens ordine, produxit ad tribunal. Rursusque assistens Tarachus cum maxima dicendi libertate, Praesidem, Imperatores, ipsorumque deos esse maxime imbecillos arguit fortissime. Unde etiam corpus confringitur lapidibus, et ignem manibus

accipit non pusillo et abjecto animo. Deinde sublimis praecepsque suspensus, ex fumo nares acerbissime permeante excipit tormentum. Quin etiam huic rei tam gravi adjungentes accessionem, cum aceti, et salis, et acerrimorum seminum mixtionibus facta esset acrior temperatio, quod hinc fuerat contemperatum, per illius nares crudelissime percòlant. Ille autem hoc intolerandum tormentum fortiter ferens, et ignem quidem frigidum, si cum igne aeterno conferatur, reputans, dulcem autem illam acerbam qualitatem, sic rursus ferro vinctus conjicitur in carcerem.

§ 7. Secundus post eum Probus sistitur ante judicem, ridiculos quidem illius deos ludificans ex iis quae Graeci de ipsis fabulantur; Imperatores autem, ut qui ex aequo nefaria simul facerent, et juberent. Verberatus vero ipse quoque in os, et hoc tormento veluti exultans et exiliens, condemnatur stare super ferrum candens. Cum autem hoc tormentum videretur potius laetitiâ, quam molestiâ afficere Martyrem, jubet judex ferrum magis candefieri, et super id quamprimum imponi Athletam, et ex negligentia ministrorum, non ex divino auxilio, existimans esse Martyris fortitudinem. Illud autem frigidum vocabat Athleta, et judicis inventa, tamquam stulti irridebat. At in dorso plagas is qui irridebatur, contra furiose imponit; jubetque ei tonderi comam, et carbones ignis immitti in tempora, et linguam extrahi, ut amputaretur. Martyr autem, cum prius judici dixisset: « Est mihi lingua, quae non potest exscindi, et alioqui immortalis, quam audit Deus, qui etiam se vocem sanguinis dixit audire clamantem; » eam protinus porrexit. Quam cum ille secari fecisset, eum transmisit in carcerem.

§ 8. Cum vero ad divinum transiisset Andronicum, et experientiâ persuasum habuisset, quod omne genus tormenti esset apud eum inefficax, conversus est ad deceptionem, et ei dixit: « Gere te hac in re sapienter, et sacrifica, priusquam gravissimum, et cui nullum erit remedium, quippiam patiaris. Quid enim commodi acceperunt amici tui ex vana sua constantia, qui tandem post multa tormenta conversi didicerunt, quod sibi expediebat, et deos coluerunt? » Ad haec autem Christi Martyr: « Si mihi quidem, inquit, persuasisti, illos quoque credo fuisse persuasos. Sin autem ego non sum persuasus (absit enim, ut ego unquam ita a me discedam, et adeo insaniam), habeo meam sententiam pignus illorum constantiae. Una est enim in omnibus pia cogitatio, quoniam omnes quoque unum sumus in Christo Jesu. » His Tyrannus rursus ira pèrcitus, minatus est se eum in intolerabilia conjecturum tormenta. Et statim duris simul nervis vehementer est flagellatus, et perpetua plaga factus per totum corpus. Tunc ridens, dixit Athleta: « Falsa fuerunt, o judex, ea quae es minatus, cum nòn potueris aliquid novi

excogitare ad superandum potens, sed rursus circa paria versèris supplicia. » Existimans itaque judex se sanctum majori dolore affecturum, jubet plurimum muriae effundi in plagas illius. Ei autem dicit Martyr: « Etiamsi acrem salem jubes meis plagis inspergi malo animo, scias tamen te non ideo acriorem mihi inferre dolorem, sed reddere meum corpum alienum a putredine. Nam ipse quoque vides, quod cum sit totus vulneratus a prioribus plagis, alius nunc appareo, ne minimam quidem notam in me ferens, Christi mei virtute mutatus admirabiliter. »

§ **9**. His verbis, veluti quodam stimulo, punctus judex, saeviebat in ministros, nec poterat contineri. Existimabat enim medicos latenter ingressos, curam gessisse Martyrum. Ipsis autem sua capita amputanda porrigentibus, si quid tale factum fuerit deprehensum, illorum defensionem arbitratus sui accusationem, judex gravius angebatur, non ferens videre vim veritatis, cui ipsi inimici ferebant testimonium. Quamobrem in minas desinens (quod solum, quid agant nescientibus, relinquitur confugium), jubet eum conjici in carcerem, reliquum certamen reservans in diem sequentem. Quaenam ergo sunt deinceps consecuta? Congregatur rursus aliud theatrum hominibus frequentissimum; et tertio sedens judex in excelso tribunali, duxit Martyres ad tormenta, veluti in orbem chorèam circumagentes. Et cum nulla prius praetermisisset aut illiberalem assentationem, aut obscuram calliditatem, neque proficeret, egressus est ad modum belluinum, et ejus plane, qui caedem spirat; et singulis tormentis, tamquam quaedam fera agrestis, sanctorum carnes mandidit: ut qui Tarachi quidem capitis pellem excoriaverit, et id ardentibus carbonibus consperserit, et aures novacula execuerit, et labra mutilaverit; Probo autem oculos effoderit et vinum arae cruore permixtum, ori ejus infuderit, et involuntariâ hac participatione hoc maxime tyrannicum invenerit supplicium. Cum autem carnes execrandis pollutas sacrificiis in os tertii injecisset, et vinum inquinatorum libaminum admittere coëgisset, postremo oculos ei jubet effòdi. Cum omnium autem similiter mamillas, latera, tibias et digitorum intermedia candentibus verubus transfixisset, et ad ossa usque combussisset; vidisset autem omnia convicta, et periisse machinas suppliciorum, Probo et Andronico carnium in ara sacrificatarum, et profanorum libaminum gustum miser irridens exprobrabat.

§ **10**. Tunc Andrònicus, valde ridens illius amentiam, respondit pro se, Proboque: « Post multa tua inventa, et illos omne genus cruciatus, abjectis armis, te fatèris esse victum. Si hoc enim pluris faciebas, non decertare, ut expugnares nostrum liberum animi arbitrium, et converteres ad id, quod tibi videbatur; sed solum, nobis invìtis, ori admovere sacrificium, et videri vincere, oportebat te hoc facere ab initio, ut cito liberareris a

negotiis. Quoniam autem cupiebas nostram vincere cogitationem per traductionem a vera religione ad impietatem, propterea a te universus fuit in nos consumptus labor. Est vero animae certamen martyrium, per labores corporis intermedios. Caeterum didicimus a nostro Deo non timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed si quid tibi videmur peccavisse, quod in os nostrum, nobis invitis, injectum sit aliquid carnis in ara immolatae, et cultus idolorum nos criminis insimulas, labra quoque adime, ut quae tua libamina, licet invita, tetigerint. Sumus enim parati ad omnia, si exceperis, sacrificare daemonibus, aut aliquid aliud facere ex iis quae sunt prohibita. Bestias vero minans, nequaquam nos terres. Nihil enim habebis tua anima agrestius, adversus quam ab initio decertavimus. » Audivit haec judex; et tunc quidem Athletas transmittit in carcerem, eorum corpora bestiis exedenda recondens. Crastino autem die in theatrum, quod erat extra civitatem, jubet praeclaros fortesque portari Sanctos, qui amplius non poterant ingredi. Positi autem in medio semimortui, mutilati, privati membris, quae se videnda offerunt, et per quae homo cognoscitur, consumptique sectionibus et exustionibus, ostenderunt se esse integros et perfectos, ut qui participem rationis et internum hominem, qui factus fuit ad sui Creatoris imaginem, quique jussus fuit praeesse bestiis, et reptilibus universae terrae, absolutum haberent, et nulla re defectum. Emissae enim bestiae, sancta corpora nequaquam tetigerunt.

§ 11. Maximus autem valde indignabatur; qui minatus mortem ei qui curam gerebat bestiarum, fecit emitti ursum crudelissimum, qui, caeteris praeteritis, ivit ad sanctum Andronicum, et àssidens, vulnerum saniem lambebat linguâ. Sanctus autem suum caput subjiciens ejus dentibus, contendebat ad iram provocare, studens a fera devorari, et desiderans ad Christum resolutionem. Ille autem simul cum eo qui vim afferebat, huc et illuc circumagebatur, et cum eo videbatur ludere, et agrestis naturae erat quodammodo oblitus. Quem qui erat a ratione vere alienus judex, ratione magis, quam rationis egestate, usum non sine Dei numine, condemnat ut interficiatur, illius opus esse credens id quod factum fuerat, non autem Dei qui facit mirabilia. Post haec agrestis quaedam et immanis leaena emissa est in Sanctos. Quae cum totum theatrum maximo rugitu terrefecisset, et pernici cursu ad Martyres accessisset, suum quidem refrenat impetum, pròcidit autem ad pedes Sanctorum. Tarachus autem cum sanctam manum extendisset, et partim quidem pilis, partim vero aure apprehendisset, ad se trahebat. Illa autem cum placidae ovis instar, contrectari non renuisset, ad portam postea accurrit, et infixit dentes tabulis, et per vim conabatur egredi: nec prius dimisit, quam clamasset populus, jubens eam foras exire. Haec

autem et his similia nemo putarit non credenda, legens epistolam, quam scripsit ad Romanos divinus Ignatius. Sic enim habet *: « Me juverint bestiae mihi paratae, quas etiam opto in me inveniri promptas. Quibus blandiar, ut me breviter devorent. Quod si etiam nolint, ego eis vim afferam. »

§ **12**. Hinc Maximus animi dubius, planeque nesciens quid ageret, cum videret sanctos Martyres per omnia resplendère, et haberi in admiratione, eos morte condemnat. Qui cum tamquam rem desideratam, hanc extremam accepissent sententiam, truncatis capitibus, coronati migrant ad veram vitam, fruituri praemiis immortalitatis, et ea, quae est illic, beatitudine. Sed invidus quidem, et sceleratus judex, nobis invidens Sanctorum reliquias, jubet corpora Martyrum profanis admisceri corporibus, quae fuerant interfecta a gladiatoribus, decem militibus mandans, ut ea servarent. Deus autem rerum admirabilium, convivantibus custodibus, cum jam rogum accendissent, magna vi repente cadentium imbrium, et ingenti terraemotu, rogum quidem extinxit, custodes autem vertit in fugam. Cumque cum aliis permixta essent Sanctorum corpora, et ignorarentur propter tenebras, stella lucidissima e coelo terram illustrans, et stans super unumquodque corpus, praebuit lucem ad ea agnoscenda, illam forte stellam imitans, quae in Christi ortu secundum carnem, Magos ex Perside evocavit et deduxit. Haec autem facta sunt, cum quidam fideles in monte genibus flexis Dominum supplices rogarent, ne privarentur dono Sanctorum membrorum, quae propter ejus gloriam supra modum decertârunt. Ea vero descendentes sustulerunt; et summo studio propter metum Praesidis, in monte in petra concava condiderunt, glorificantes sanctissimum nomen Christi Dei nostri: quoniam eum decet omnis gloria cum Patre principii experte, et Sancto Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

* In Epistola S. Ignatii ad Romanos.

VITA S. GUMMARI

PRAECLARI CONFESSORIS

AUCTORE, NI FALLOR, THEOBALDO. NAM CODEX NOMEN AUCTORIS NON HABET, CUM TAMEN CONSTET GUMMARI VITAM SCRIPSISSE THEOBALDUM AD SIGERUM LERENSEM PRAEPOSITUM. EST GRAVIS HISTORIA. AUCTOR COPIOSUS EST: ALIQUOT LOCIS STYLUM MODICE CORREXIMUS, QUIBUSDAM SUPERFLUIS OMISSIS.

Floruit seculo VIII — Nat. Belga.

§ 1. Sanctus Gummarus, praeclara stirpe ortus, apud Emblehem *, Riensis provinciae vicum, natus est et enutritus. Qui sanctis pollens exordiis, sanctioribusque postmodum insistens studiis, sanctissimo fine cursum vitae consummavit. Nam a cunabulis mancipatus Deo, tantum crescebat fide et virtutibus, quantum corpore et aetate. Avertens enim se a vanitate et ludis, ad coelum suspirabat, illic patriam suam esse affirmans. Et quid me multa de principio sanctitatis ejus dicere attinet? Lenis erat sermone, constans in bono opere, humilitate submissus, pietate sive benignitate profusus, vigiliis et jejuniis castigans corpus suum, in praestandis eleemosynis largus ac liberalis. O virum sanctum, qui ad tantum perfectionis culmen absque scientia litterarum pertigerit! Non enim habuerat magistros, nec legere scripturas didicerat: legem vero Dei, scriptam in tabulis carnalibus circumferebat; magistrumque habebat, quem et metuebat, Deum.

§ 2. Igitur cum bonorum operum flores sanctus Gummarus emitteret, ad aulam Regis perductus est a parentibus suis: dignus quidem, ut regni principibus interesset, et negotia regni procuraret. Pipinus eo tempore regni habenas moderabatur; et ab illo quidem Gummarus susceptus est, sed mallet utique Deo servire, quam Regi: mallet privatus vivere, quam in aula versari. Cogitabat enim sese quasi procul a litore abductum in procellas et turbines seculi, in quo tumultuantur vitiorum cunei, ubi superbia regnat, avaritia sollicitat, invidia mordet, luxuria fervescit et ardet, caeteraque vitiorum acies hominem oppugnat. Sed voluntati Dei resistere quis potest? Ille eum in sublime voluit elevare, cujus in Evangelio vox ista est: *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* v). Pro sua vero industria non

* In dioecesi Antverpiensi, italice *Anversa.*

solum Regi gratus et acceptus, sed etiam cunctis optimatibus ejus carissimus fuit. Sermo ejus sapientia conditus erat: omnia opera ejus Deo et hominibus placebant.

§ 3. Nec multum temporis defluxit, et magna praefectura honoratus est. Ita Deus, quos vult, vivificat; qui arbitrio suo et occulto judicio alios humiliat, et alios sublimat. Sicut Joseph quondam de vinculis et carcere ad gratiam Pharaonis et principatum Aegypti provexit; ita nunc ab Riensi provincia sanctum Gummarum eduxit, et in palatio magnifice exaltatum, regia familiaritate honoravit. Providit ille, ne Aegyptus fame interiret; providebat iste, quantum poterat, ne justitiae penuriâ pupillos, viduas et orphanos gravaret. Per omnia benedictus Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

§ 4. Libet nunc breviter recitare de sancto Gummaro rem quidem exiguam, sed magnae pietatis plenam. Non ullâ incitante libidine, sed cogente Rege, uxorem duxerat Guuinmariam, longe a suis moribus discrepantem. Nam quantum ille humanitate et misericordia, tantum illa crudelitate redundabat. Cum ergo jussu Regis ad expeditionem * se pararet, domus suae totiusque familiae curam potestatemque ei reliquit, admonens, ut erga subjectos multâ uteretur mansuetudine; et sic profectus est. Sed illa quadam belluina feritate post ejus abscessum coepit saevire in suos, falso illis quasdam affingens culpas, et eos negligentiae insimulans, quod debita non persolverent; contemnebat eorum servitia, tamquam qui nulli essent usui, nec ullius pretii eos reprobabat. Atque sub hoc praetextu auferebat eis boves eorum et omnem possessiunculam, nihil eis relinquens praeter paupertatem et laborem, vitamque cum summa miseria conjunctam. Cumque nihilo minus absque ulla clementia exigeret tantumdem ab illis, quantum antea consueverat, illi bobus spoliati, instar jumentorum, colla jugo supponentes, trahebant plaustra onusta usque ad domum illius, gementes atque dolentes. At vide nunc animum non feminae, sed immanis belluae. Rebus omnibus spoliatos, etiam duris affligit verberibus, et capillos illorum tonderi jubet.

§ 5. Annis vero novem exactis, cum dimissus a militia rediret exercitus, sanctus quoque Gummarus remeavit ad sua. Et ecce apud rivulum, qui dicitur Diepennorch, quemdam e servis suis videt trahentem plaustrum, eumdemque dire caesum, toto rasum capite, et misere lacrymantem. Ad quem cum propius accessisset, motus pietate, « Quis te, inquit, frater, in tantum afflixit? Quis tibi caput rasit? Quaenam est lacrymarum et tanti causa moeroris? » Sed cum ille nihil responderet, dominae suae crudelitatem reformidans, multis minis ab eo tandem extorsit, ut rei veritatem

* Pipinus tunc temporis bellum egit cum Saracenis, Longobardis et Aquitanis.

explicaret. Tum ille vir pius, audiens tantam uxoris suae saevitiam, ab imo pectore suspirans, jussit illum secum reverti. Nolentem reverti prae timore, vi coëgit, dixitque ad omnes qui illic aderant: « Ingressus domum, jubebo mihi potum adferri. Quod si illa potum vituperaverit nos contra eum laudemus, ut pudore afficiatur. » Inde domum intranti occurrit tota familia, ejulant et clamitant omnes, se graviter caesos, injuste spoliatos, modis omnibus miserabiliter vexatos. Ille hoc videns, animo conturbatus est, et versus ad uxorem: « Conturbet te Deus, inquit, sicut alios perturbâsti. Oportebat bonum operari ad omnes, maxime ad domesticos fidei. Sive enim servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus. Parce ergo servis tuis, pone modum saevitiae tue. » Eademque hora jussit pecus omne e pastu reduci, et singulis quod suum erat restitui. Deinde cum sedisset quasi sitibundus, potum afferri praecepit. Et cum, cervisiâ allatâ, ab omnibus ex ordine biberetur, femina illa, more suo, nequiter illam vituperabat. Sed sanctus Gummarus, et omnes qui cum illo venerant, egregie eam efferebant, atque ita mulierem pudore affectam tacere compulerunt. Post haec convivium lautum et copiosum apparari jussit, tam servos quam liberos ad illud invitans; et cum omnium animos paterna consolatione recreasset, exhilaratos a se dimisit in domos suas. Atque hoc humanitatis exemplum ille sanctus vir posteris suis reliquit.

§ 6. Porro sanctus Gummarus magis magisque Deo intendere, sanctioribusque in dies studiis vacare conabatur, sicut etiam omnium bonorum interest, ut de virtute in virtutem proficiscantur. Animum itaque ultra terrena et caduca èrigens toto desiderio coelestibus inhiabat, ut videret Deum deorum in Sion. Igitur in sancto ejus pectore an non tibi videtur versari consilium Dei? « Hactenus, inquit, militavimus Regi terreno; deinceps militandum est Regi Regum Christo. Parum est, pro labore praesentis militiae capere praemia peritura; optimum vero, sanctitate vitae dona promereri sempiterna. Despiciendus est mundus iste, qui tamen alioqui fugit a nobis, et omnis gloria ejus instar foeni marcescit. In castra ergo summi Imperatoris devotus miles venio; hunc sequor, hunc diligo, hunc constanti perseverantia per fidem observo. » Itaque commèndans se Deo, cum nonnullis e vicinis suis Romam profectus est.

§ 7. Adverte hic, Lector, jucundum novumque miraculum. Primo suscepti itineris die, non longe a domo sua progressus, fixit tentorium juxta fluvium Netam, arboremque pulcherrimam illic stantem, quod ad fulciendum tentorium esset necessaria, jussit succidi. Mox adest loci illius possessor rusticus, planeque iracundus in omnes invehitur, nullique parcens, cunctos incusat; versusque ad sanctum Gummarum, multa verborum asperitate eum vexans, « Cur, inquit, agrum meum pervasisti? En hic

jumenta et tentoria vestra : ita vobis aliena vendicatis tamquam propria. Omnia depascitis, omnia concultatis, omnia prosternitis. Quid mihi et tibi, Gummare? Quid mali tibi feci? Neque te offendi, neque quemquam tuorum laesi. Quod si nulla in me culpa haeret, quid ita innocentem cònteris? Et ut caetera damna praeteream, hoc unum praecipue doleo, quod arborem hanc, quam ipse plantavi, quam tot annis servavi, succìdi voluisti. » Respondit placido vultu sanctus Gummarus : « Agnosco peccatum meum : sed si injuriam irrogavi, ita ut par est, satisfaciam tibi. Aut praecisam arborem restituam, aut justum ejus pretium persolvam. Saltem hac nocte, obsecro, quiesce. » Vix multis precibus adduci potuit rusticus, ut usque mane sileret. Illo autem abeunte, cum intempesta nocte omnes sopor et silentium obtineret, S. Gummarus ad consuetum praesidium et solita orationis arma confugit: « Domine, inquit, tu refugium factus es nobis, adjutor optimus in tribulatione. Ne avertas faciem tuam a clamore meo, ne claudas aures tuas ad preces nostras. Quod si ego, Domine, exaudiri non mereor, saltem eos qui mecum sunt, attende. Si vero adeo peccatis nostris praegravamur omnes, ut non adscendant ad te preces nostrae, fac propter temetipsum, Domine, cujus nec benignitas habet finem, nec dona mensuram. Reveletur hominibus gloria tua, praedicetur ab incredulis nomen tuum ; ut sciant quaenam sit una fides nostra, et ut non deserat sperantes in se majestas tua. Tu ergo, Domine, qui de nihilo omnia condidisti qui die tertio herbas, arbores et virgulta de terra produxisti ; restitue arborem; ut prius integram, et aufer a servis tuis, quam ignoranter incurrimus, contumeliam. » Ita cum orasset juxta arborem prostratus, surgens collegit arborem, eamque zona sua colligavit. Res mira, et venturae generationis memoria digna. Adeo consolidata est arbor illa, ac si nihil prorsus antea caesa fuisset; atque etiamnum in eodem loco illam sanam videmus, sola vestigia circumligatae zonae retinentem in gloriam Dei, et laudem servi ejus. Mane rediit rusticus, ut conventum erat, hesternâ adhuc irâ tumidus, et pro damno accepto jurgia repetens. At S. Gummarus blandis verbis et jucundo vultu eum compescens, manu ejus apprehensa, perduxit ad arborem, eamque inviolatam ostendens : « Ecce, ait, fili, arborem quam tantopere dolebas praecisam. Adhibuit Deus solatium dolori tuo, abstulit angorem cordis tui. Gratias age omnium largitori Deo, cujus benignitate munus memorabile percepisti. » Cernens rusticus tantum miraculum, qui prius impatienter tumultuatus erat, divina inspiratione compunctus, ait : « Virtus Dei haec est. Non est humani operis, ut arbor succisa, exiguae noctis spatio in pristinum consurgat statum. Arbor haec, quam hoc miraculo tibi dedicasti, deinceps mea non erit. Hanc ego tibi do, et quicquid hoc in loco mihi haereditarium est, ejus ego te volo perpetuum et stabilem esse possessorem. » Ab

illa die firma inter illos inita est amicitia, et post mutua oscula et amplexus pacifice discesserunt.

§ 8. Eadem nocte, quae prima fuit itineris sui, beatus vir in tentorio suo quiescebat. Apparuit autem ei in visione Angelus Domini supra tentorium in columbae specie, aitque ad eum: « O Gummare, esto vigil. Ego enim nuncius a Deo missus sum, ut tibi aperiam mandata ejus. Disposuisti quidem Romam ire, et orationes * Apostolorum Petri et Pauli visitare. Sed Deus ubique praesens est, et bonos et malos in omni loco contemplantur oculi ejus, novitque Dominus qui sunt ejus. Tu autem, hoc itinere omisso, audi attentius quid ille mandet tibi. Haud procul abest locus, circumfluente amne conclusus, arboribusque consitus. Ex eo arbores extirpabis, et oratorium ibi condes. Hic tibi viventi sedes, hic defuncto erit requies. Nam cum ex hac vita in coetus sanctorum fueris assumptus, hic tui artus pausabunt. Interim constanti animo esto, et bonis operibus vigilanter insiste, certissime sciens, quia ad consortium Angelorum pervenies, et sempiternae vitae praemia pro labore temporali percipies. » Post haec egressus, vidit Vir sanctus in apice tentorii Angelum in specie columbae, mirabili spendore rutilantis, et gratias egit Deo; transiensque flumen, et in locum illum ingressus, coepit caedere et extirpare arbores et frutices, nec cessavit, donec planities amoenissima effecta est. Excisas autem arbores in flumen conjecit, quarum tanta congeries est; ut etiamnum videatur aedificiorum culmina aequare; et ubi hactenus fuerant ovium ferarumque domicilia, jam hominum commodissima habitatio est.

§ 9. Sed age locum illum paucis describamus. Nomen huic villae antiquum, Nivesdunt: quod mutatum, vulgus Ledonem appellavit. Haec uno a latere respicit Taxandriam, ab altero Riensem provinciam. Sed inter hanc et villam amnis Neta medius interfluit, qui eam suo ambitu complectens, ab utraque separat. Quae in fluxu ejus flexuoso tamquam insula consistens, utrinque pontem habet, altero venientes admittens, altero exeuntes emittens. Amnis iste Neta **, maris accessu crescendo, implet alveum suum; recessu maris imminuitur. Dulces ad potandum aquas semper habet, sub quibus alit immensam piscium copiam. Progressus autem, praeterfluit casas in ripis ejus extructas, prata irrigat, fecundat arva, per umbrosas labitur silvas. Si quis in medio stans ejus insulae, oculos circumferat, jucundo spectaculo ejus animus oblectatur. Adspicitur enim ultra amnem planities lata et ampla, floribus et pascuis uberrimis ornata. In circuitu ingens silva cernitur, in longum et latum diffuse sese porrigens. Illic glandiferae arbores, illic pascua, ibi ferarum cubilia, usuique hominum multum necessaria. Quid de agrorum adjacentium fertilitate dicam? Illos prae caeteris laudo, quia coluntur illi quidem

* Videlicet, *oratoria*.

** Oritur in Brabantiae confinio.

cum labore, sed maxime redundant ubertate. In ea igitur regione locus hic situs, habet in medio sui ecclesiam lapidibus extructam, et decenter perornatam ; in qua S. Gummari reliquiae asservantur quae sunt totius patriae munimentum, liberatio hominum, spes benigna, laus jucunda, salus certissima.

§ **10**. Sed nunc ad institutum revertamur opus. Sanctus Gummarus, postquam arbores, spineta et frutices extirpavit, ecclesiam illic in honorem S. Petri condidit, atque in ea jugiter orationibus invigilans, ad supernam beatorum spirituum civitatem ardenter suspirabat, oculos interiores nequaquam ad vanitatem retorquens, sciens scriptum esse : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX). Sanctorum vero gesta scrutabatur, et ad eorum exempla vitam conformabat suam. Praecepta Dei auribus audiebat, opere exequebatur : dicit enim Scriptura : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*ad Rom.* II). Quoties autem visum illi fuit ad villam suam Emblehem reverti, eundo vel redeundo nullum sentiebat laborem : parvo enim intervallo inde aberat. Considerate, hic, fratres, temporalem hujus viri militiam. Apud Emblehem activam exercebat vitam, nudis porrigens indumenta, esurientibus escam, aegrotorum gerens curam, peregrinos excipiens hospitio, pupillos defendens, viduas protegens, et id genus bonis operibus insistens. Quoties autem a terrenis animo ad coelestia sublato, soli Conditori per contemplationem intendere voluit, ad locum oratorii sui recurrebat.

§ **11**. Silendum vero non est, quam praeclara virtute S. Gummarus emicuerit. Nam messis tempore, cum exirent homines undique in agros, ait illi uxor sua : « En alii ad messem properant : quid nos desidia torpemus ? » Exivit ergo cum familia in agros ; cumque instarent operi, nimius jam mediâ die solis aestus erat. Petierunt itaque paulisper dimitti, ut ardorem sitis extinguerent. Sed mulier truculenta nullam coepti operis intermissionem fieri sinebat ; immo delassatos urgebat minis et acerbis sermonibus. Cumque jam prae labore et siti deficerent, sanctus Gummarus venit in agrum. Cui occurrerunt omnes, et ad pedes ejus procidentes, lacrymabundi dixerunt : « Ecce, pater, deficimus. Labor iste in tanto solis fervore intolerabilis est, et nos siti perimus. Rogavimus dominam nostram, ut concederet nobis paulisper respirare, et haustu aquae nos refocillare, sed prorsus renuit. Miserere ergo saltem tu, pater, et serva nos. » Iis verbis commotus, ait uxori : « O pectus ferreum et perversa mens, cur non flècteris misericordiâ ? Nihil tibi nobiscum rei sit quae talem geris animum. Recede hinc, invisa Deo, hominibus odiosa. » Illa mox recessit, reprehensionem ejus parvipendens. At vir sanctus fodit baculo terram, et eruperunt aquae largissimae : quas omnes illi alacriter hauserunt, magis praesenti miraculo, quam potu

refecti. Hodieque manat fons ibidem, ut sit praeclarae virtutis testimonium.

§ **12**. Porro uxor beati viri, domum, ut diximus, regressa, nimio ardore periclitari coepit. Ultrix enim impietatis ejus, sitis, eam vexabat, quae paulo ante familiam sitientem refocillari non permiserat; et justo Dei judicio, quae per commiserationem sentire noluit, quantum sitis alios affligeret, cruciatum illum intolerandae sitis in se translatum male experta est. Dicit enim Dominus in Evangelio: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII). Nec potuit ardorem illum aqua extinguere: immo aqua, vi et natura sua amissa, in ejus pectore sitim nutriebat. Sentiens igitur illa sibi mortem imminère, per nuncium deprecata est Gummari clementiam. Ille autem animadvertens divina ultione eam cruciari, et incidisse in laqueum, quem aliis tetenderat, noluit malum pro malo reddere; sed domum veniens, eamque propemodum animam efflare cernens, signo sanctae Crucis consignavit eam, et potum sua manu porrexit. Et statim quidem corpore revaluit, sed animum tamen non mutavit.

§ **13**. Alio tempore, cum apud Lenchem familia ejus meteret in agro, secundâ feriâ, femina quaedam infantulum suum pannis obvolutum, in manipulo collocavit, ut dormiret, atque inde ad laborem recessit. Ubi obdormivit puer, còluber per os in ventrem ejus irrepsit. Interim superveniens S. Gummarus, videt infantem dormientem, et ab ore ejus caudam còlubri extantem. Mox igitur caudam perfodiens, retrahit serpentem; convocansque familiam, « Quae est, inquit, mater hujus pueri? » Illa prae timore tacente, ait ad eam: « Cur huc infantem attulisti? Cur non potius domi eum reliquisti? Sed gratias age Deo: en quanto ab hoste eripui eum. Quod adhuc vivit, donum Dei est. Caput et totum fere corpus suum coluber intulerat in ventrem ejus, vix cauda ab ore prominente. » Cunctis vero stupentibus, ad virgam suspendit serpentem. Dicente autem matre infantis, sine matre non esse tutos infantes, vir pius misericordiâ motus, omnibus suis eam praefixit legem, ut quaecumque mulier lactentem parvulum haberet, secundis feriis ab omni servitio esset immunis. Ita ille imitabatur Christum, dicentem: *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI).

§ **14**. Eodem tempore fuit Rumoldus vir sanctus *, divinâ gratiâ plenus, qui vitia penitus mortificans, ad virtutum culmina in dies contendebat. Non die, non nocte a bono vacabat opere; sed carnem suam jejuniis et vigiliis attenuans, orationibus assiduis incumbens, Apostolicum nitebatur implere mandatum: *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram* (*ad Coloss.* III); et illud: *Sine intermissione orate* (1. *ad Thess.* V). Ita virtutibus cunctis munitus,

* S. Rumoldus, Mechliniae (ital. *Malines*) apostolus.

ubicumque aliquem bonae conversationis esse noverat, cum illo cupiebat de vita aeterna conferre, et sanctae Scripturae ferculis pinguescere. Audiens igitur de S. Gummaro, videre illum summopere desiderabat. Gummarus quoque, ejus famâ compertâ, non minori ejus videndi desiderio tenebatur. Cumque tandem convenissent duo illa clarissima ejus provinciae luminaria, non de vanis et caducis habuere sermonem, sed mutua exhortatione se instruentes, jam coelestis vitae dulcedinem degustabant. Loquebantur inter se, quam multae sint insidiae daemonum; quae arma adversus eas Deus nobis contulerit; quae supplicia reprobis, quae praemia justis parata sint; quam sit haec vita brevis, quam aerumnis plena; quae certamina Sancti pertulerint, quas in coelis coronas acceperint. Haec et id genus alia multa de Scripturis divinis in medium proferentes, etiam auditorum animos rigabant. Quando autem a se recessuri erant, diem et locum constituebant, ad quem rursus pariter convenirent: quo quidem die in loco qui dicitur Stadeki, sibi occurrerunt, utique manu gestantes virgam avidam. Ubi cum more suo spiritalibus se vicissim epulis refecissent, eum locum, ut qui medio esset itinere, et aequali spatio ab utriusque habitatione distaret, elegerunt; placuitque illis ex instinctu divino, ut singulis annis cum totius populi frequentia illic convenirent cum crucibus, et thecis, et Sanctorum reliquiis, Missasque pro communi salute celebrarent. Quod cum ita constituissent, uterque projecit virgam suam : quae in vicinae quercus trunco consistentes, in momento viruerunt, floresque et folia protulerunt, quemadmodum testantur multi. Hoc vero tam evidenti signo Deus declarare voluit, illud sibi placere consilium, talemque conventum sibi gratissimum fore.

§ **15**. Tandem adveniente tempore, quo emeritum militem suum Gummarum Christus ad coronam evocare constituerat, morbo fatigari coepit, sensitque diem suae resolutionis adesse. Nec vero quicquam timuit mori, quod plerique omnes timent; sed erat de praemio securus, sciens cui a primis aetatis initiis sese devovisset, cui hucusque militasset, ad quem etiam se sperabat cum victoria abiturum ex hoc mundo. Postquam ergo, morbo correptus, vir Dei, in villa sua decubuit, cursum mortalis vitae absolvit quinto Idus Octobris *, sanctamque animam per manus Angelorum in supernas transmisit sedes: ubi nunc fruitur perenni vitâ gloriosus Domini confessor, laetaturque in coelestium civium contubernia se introductum. Sed et sacer ille chorus gaudet numerum suum tanti civis accessione adauctum.

* Annus quo S. Gummarus ad immortalem vitam migraverit, incertissimus est. Aliquibus videtur fuisse 775.

HISTORIA BREVIS

S. WILFRIDI EPISC. EBORACENSIS *

EX *Hist. Ecclesiast. gentis Anglorum*, BEDAE PRESBYTERI.

Mortuus est anno 709 — Anglus.

§ 1. Interea Rex Alchfrid misit Wilfridum presbyterum ad Regem Galliarum, qui eum sibi suisque consecrari faceret Episcopum. At ille misit illum ordinandum ad Agilbertum, qui, relicta Britannia, Parisiacae civitatis factus erat Episcopus, et consecratus est magno cum honore ab ipso, convenientibus plurimis Episcopis in vico regio, qui vocatur, in Compendio. Veniens quoque in Britanniam Wilfridus, jam Episcopus factus, et ipse perplura catholicae observationis moderamina Ecclesiis Anglorum suâ doctrinâ contulit. Unde factum est, ut, crescente per dies institutione catholica, Scoti omnes, qui inter Anglos morabantur, aut his manus darent, aut suam redirent ad patriam.

§ 2. Anno Dominicae incarnationis sexcentesimo septuagesimo octavo, qui est annus imperii Regis Ecgfridi octavus, apparuit mense Augusto stella, quae dicitur Cometa, et tribus mensibus pèrmanens, matutinis horis oriebatur, excelsam radiantis flammae quasi columnam praeferens. Quo etiam anno, ortâ inter ipsum Regem Ecgfridum et reverendissimum Antistitem Wilfridum dissensione, pulsus est idem Antistes a sede sui Episcopatus. Pulsus est autem ab Episcopatu suo Wilfridus, et multa diu loca pervagatus, Romam adiit, dein Britanniam rediit. Etsi propter inimicitias memorati Regis, in patriam sive parochiam suam recipi non potuit, non tamen ab evangelizandi potuit ministerio cohiberi. Siquidem divertens ad provinciam Australium Saxonum, quae post Cantuarios ad Austrum et ad Occidentem usque ad Occidentales Saxones pertingit, habens terram familiarum septem millium, et eo adhuc tempore paganis cultibus serviebat, huic verbum fidei et lavacrum salutis ministrabat. Erat autem Rex gentis illius Edilwach, non multo ante baptizatus in provincia Merciorum, praesente ac suggerente Rege Vulhere: a quo etiam, egressus de fonte, filii loco susceptus est, in cujus signum adoptionis, duas illi provincias donavit, Vectam videlicet insulam **, et Meavarorum provinciam in gente Occidentalium Saxonum. Itaque Episcopus, concedente, immo multum gaudente, Rege, primos provinciae Duces ac milites sacrosancto fonte abluebat.

* Angl. *York*. ** Angl. *Wigth*.

Verum presbyteri, Eappa et Padda et Bruchelin et Oidda, caeteram plebem vel tunc, vel tempore sequente, baptizabant. Porro Regina, nomine Ebba, in sua insula, id est, Vicciorum provincia, fuerat baptizata. Erat autem filia Eanfridi, fratris Eanheri, qui ambo cum suo populo Christiani fuere. Caeterum tota provincia Australium Saxonum, divini nominis et fidei erat ignara.

§ 3. Erat autem ibi monachus quidam de natione Scotorum, vocabulo Dicul, habens monasteriolum permodicum in loco, qui vocatur Bosanham, silvis et mari circumdatum, et in eo fratres quinque sive sex, in humili et paupere vitâ Domino famulantes. Sed provincialium nullus, eorum vel vitam aemulari, vel praedicationem curabat audire. Evangelizans autem genti Episcopus Wilfridus, non solum eam ab aerumna perpetuae damnationis, verum et a clade temporalis interitus eripuit. Siquidem tribus annis ante adventum ejus in provinciam, nulla illis in locis pluvia ceciderat, unde et fames acerbissima plebem invadens, impia nece prostravit. Denique fertur, quia saepe quadraginta simul aut quinquaginta homines inediâ macerati, procederent ad praecipitium aliquod sive ripam maris, et junctis misere manibus, pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus absorbendi, deciderent. Verum ipso die, quo baptisma fidei gens suscepit illa, descendit pluvia serena et copiosa, refloruit terra, rediitque viridantibus arvis annus laetus et frùgifer. Sicque, abjecta prisca superstitione, exsufflata idololatria, cor omnium et caro omnium exultaverunt in Deum vivum; intelligentes eum, qui verus est Deus, et interioribus se bonis, et exterioribus coelesti gratia ditasse.

§ 4. Nam et Antistes cum venisset in provinciam, tantamque ibi famis poenam videret, docuit eos piscando victum quaerere. Namque mare et flumina eorum piscibus abundabant, sed piscandi peritia genti nulla, nisi ad anguillas tantum, inerat. Collectis ergo undecumque retibus anguillaribus, homines Antistitis miserunt in mare, et divinâ se juvante gratiâ, mox cepere pisces diversi generis trecentos: quibus trifariam divisis, centum pauperibus dederunt, centum his a quibus retia acceperunt, centum in suos usus habebant. Quo beneficio multum Antistes cor omnium in suum divertit amorem, et libentius, eo praedicante, coelestia sperare coeperunt, cujus ministerio temporalia bona sumpserunt. Quo tempore Rex Edilwach donavit reverendissimo Antistiti Wilfrido terram octogintaseptem familiarum, ubi suos homines, qui exsules vagabantur, recipere posset, vocabulo Seoleseu, quod dicitur Latine, Insula vituli marini. Est autem locus ille undique mari circumdatus, praeter ab Occidente, unde habet ingressum amplitudinis quasi jactus fundae: qualis locus a Latinis peninsula, a Graecis solet Chersonesus vocari. Hunc ergo locum cum accepisset Episcopus Wilfridus, fundavit ibi

monasterium, ac regulari vitâ instituit, maxime ex his quos secum adduxerat fratribus, quod usque hodie successores ejus tenere noscuntur. Nam ipse illis in partibus annos quinque, id est, usque ad mortem Ecgfridi Regis, merito omnis honorabilis officium Episcopatus et verbo exercebat, et opere. Et quoniam illi Rex cum praefata loci possessione omnes, qui ibidem erant, facultates cum agris et hominibus donavit, omnes fide Christi institutos unda baptismalis abluit. Inter quos, servos et ancillas ducentos quinquaginta, quos omnes non solum baptizando a servitute daemoniaca salvavit, sed etiam libertatem donando, humanae jugo servitutis absolvit.

§ 5. Anno autem imperii Hofredi quarto, Coënredus, qui regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto praefuerat, nobilius multo sceptra regni reliquit. Nam venit Romam, ibique attonsus, Pontificatum habente Constantino, ac monachus factus, ad limina Apostolorum, in precibus, jejuniis et eleemosynis usque ad diem permansit ultimum: succedente in regnum Coënredo filio Edilredi, qui ante ipsum Coënredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illo et filius Sigheri, Regis Orientalium Saxonum, vocabulo Offa, juvenis amantissimae aetatis et venustatis, totique suae genti ad tenenda servandaque regni sceptra exoptatissimus. Qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos et patriam propter Christum et propter Evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, et in seculo venturo vitam aeternam. Et ipse ergo, ubi ad loca sancta Romam pervenerat, attonsus, et in monachico vitam habitu complens, ad visionem beatorum Apostolorum in coelis diu desideratam pervenit. Eodem sane anno, quo hi Britanniam reliquere, Antistes eximius Wilfridus post quadraginta et quinque annos accepti Episcopatus, diem clausit extremum in provincia, quae vocatur Fundalum, corpusque ejus loculo inditum, perlatum est in monasterium ipsius, quod dicitur in Hripum *, et juxta honorem tanto pontifici congruum, in ecclesia beati Apostoli Petri sepultum. De cujus statu vitaque (ut ad priora repedantes, paucis quae gesta sunt, memoremus), cum esset puer bonae idolis, atque aetatem moribus transiens, ita se modeste et circumspecte in omnibus gerebat, ut merito a majoribus quasi unus ex ipsis amaretur et veneraretur. Ubi vero quartumdecimum aetatis contigit annum, monasticam seculari vitam praetulit. Quod ubi patri suo narravit (jam enim mater obierat), libenter ejus votis ac desideriis coelestibus annuit, eumque coeptis insistere salutaribus jussit. Venit ergo ad insulam Lindisfarnensem, ibique monachorum famulatui se contradens, diligenter ea quae monasticae castitatis ac pietatis erant, et discere curabat et agere. Et quia acris erat ingenii, didicit citissime psalmos et aliquot codices, necdum quidem attonsus, verum his

* Anglice *Rippon*, parum longe a York.

quae tonsura majora sunt, virtutibus humilitatis et obedientiae non mediocriter insignitus. Propter quod et a senioribus, et coaetaneis suis justo colebatur affectu. In quo videlicet monasterio cum aliquot annos Deo serviret, animadvertit paulatim adolescens animi sagacis, minime perfectam esse virtutis viam quae tradebatur a Scotis; proposuitque animo venire Romam, et qui apud sedem Apostolicam ritus Ecclesiastici, sive monasteriales servarentur, videre. Quod cum fratribus referret, laudaverunt ejus propositum, eumque id, quod mente disposuerat, perficere suadebant. At ille confestim veniens ad Reginam Eanfledam, cui notus erat, cujusque consilio et suffragiis praefato fuerat monasterio sociatus, indicavit ei, desiderium sibi inesse beatorum Apostolorum limina visitandi.

§ 6. Quae delectata bono adolescentis proposito, misit eum in Cantiam ad Regem Erconbertum, qui erat filius avunculi sui, postulans ut eum honorifice Romam transmitteret. Quo tempore ibi gradum Archiepiscopatus Honorius, unus ex discipulis beati Papae Gregorii, vir in rebus ecclesiasticis sublimiter instructus, servabat. Ubi cum aliquandiu demoratus adolescens animi vivacis, diligenter his quae inspiciebat, discendis operam daret, supervenit illo alius adolescens, nomine Biscop, cognomento Benedictus, de nobilibus Anglorum, cupiens et ipse Romam venire, cujus supra meminimus. Hujus ergo comitatui Rex sociavit Wilfridum, utque illum secum Romam perduceret, jussit. Qui cum Lugdunum pervenissent, Wilfridus a Delfino, civitatis Episcopo, ibi retentus est; Benedictus coeptum iter graviter Romam usque complevit. Delectabatur enim Antistes prudentiâ verborum juvenis, gratiâ venusti vultus, alacritate actionis, et constantia ac maturitate cogitationis. Unde et omnia, quae necesse habebat, abundanter ipsi cum sociis suis, quamdiu secum erant, donabat; et insuper offerebat, ut, si vellet, partem Galliarum non minimam, illi regendam committeret, ac filiam fratris sui virginem, illi conjugem daret, eumque ipse loco adoptivi haberet. At ille gratias agens pietati, quam erga eum, cum esset peregrinus, habere dignaretur, respondit, propositum se magis alterius conversationis habere, atque ideo, patriâ relictâ, Romam iter agere coepisse. Quibus auditis, Antistes misit eum Romam, dato duce itineris, et cunctis simul, quae necessitas poscebat itineris, largiter subministratis, obsecrans sedulo, ut cum in patriam reverteretur, per se iter facere meminisset.

§ 7. Veniens vero Wilfridus Romam, et orationibus ac meditationi rerum Ecclesiasticarum, ut animo proposuerat, quotidianâ mancipatus instantiâ, pervènit ad amicitiam viri sanctissimi ac doctissimi, Bonifacii videlicet Archidiaconi, qui etiam consiliarius erat Apostolici Papae. Cujus magisterio quatuor Evangeliorum libros ex ordine didicit, computum Paschae rationabilem, et alia

multa quae in patria nequiverat, Ecclesiasticis disciplinis accommoda, eodem magistro tradente, percepit. Et cum menses aliquot ibi studiis occupatus felicibus exegisset, rediit ad Delfinum in Galliam, et tres annos apud ipsum commoratus, attonsus est ab eo, et in tanto habitus amore, ut haeredem sibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, Antistes crudeli morte praereptus est; et Wilfridus ad suae potius, hoc est, Anglorum, gentis Episcopatum reservatus. Namque Brunechilda Regina, missis militibus, Episcopum jussit interfici: quem ad locum quidem, quo decollandus erat, sequutus est Wilfridus, clericus illius, desiderans cum eo, tametsi ipso multum prohibente, pariter occumbere. Sed hunc ubi peregrinum atque oriundum de natione Anglorum cognovere carnifices, pepercere illi, neque eum trucidare cum suo voluere pontifice. At ille in Britanniam veniens, conjunctus est amicitiis Aldfridi Regis, qui catholicas Ecclesiae regulas sequi semper et amare didicerat. Unde et illi, quia catholicum eum esse comperit, mox donavit terram decem familiarum in loco, qui dicitur Staford, et non multo post monasterium triginta familiarum, in loco, qui vocatur in Hriphum, quem videlicet locum dederat pridem ad construendum inibi monasterium his qui Scotos sequebantur. Verum quia illi postmodum, optione data, maluerunt loco cedere, quam Pascha catholicum, caeterosque ritus canonicos, juxta Romanae ac Apostolicae Ecclesiae consuetudinem recipere, dedit hoc illi, quem melioribus imbutum disciplinis ac moribus vidit. Quo in tempore ad jussionem praefati Regis, presbyter ordinatus est in eodem monasterio ab Agilberto, Episcopo Gevissorum *, desiderante Rege, ut vir tantae eruditionis ac religionis, sibi specialiter individuo comitatu sacerdos esset ac doctor. Quem non multo post, detectâ et eliminatâ (ut supra docuimus) Scotorum sectâ, in Galliam mittens cum consilio atque consensu patris sui Oswi, Episcopum sibi rogavit ordinari, cum esset annorum circiter triginta, eodem Agilberto tunc Episcopatum agente Parisiacae civitatis. Cum quo et alii undecim Episcopi ad dedicationem Antistitis convenientes, multum honorifice ministerium impleverunt.

§ 8. Quo adhuc in transmarinis partibus demorante, consecratus est in Episcopatum Eboraci **, jubente Rege Oswi, Ceadda vir sanctus: qui tribus annis Ecclesiam sublimiter regens, dehinc ad curam monasterii sui, quod est in Lestinga, secessit: accipiente Wilfrido Episcopatum totius Nordan-Humbrorum provinciae. Qui deinde, regnante Ecgfrido, pulsus est Episcopatu, et alii sunt pro illo consecrati Antistites quorum supra meminimus. Romam itaque iturus, et coram Apostolico Papa causam dicturus, ubi navem conscendit, flante favonio, pulsus est in Frisiam, et honorifice susceptus a Barbaris, ac Rege illorum Aldgislo,

* Angl. *Wessex*. ** Angl. *York*.

praedicabat eis Christum, et multa eorum millia verbo veritatis instituens, a peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit. Et quod postmodum Wilbrordus, reverendissimus Christi pontifex, in magna devotione complevit, ipse primus ibi opus Evangelicum coepit. Ibi ergo hiemem cum nova Dei plebe feliciter exigens, sic denique Romam veniendi iter repetiit. Ubi postquam causa ejus ventilata est, praesente Agathone Papa, et pluribus Episcopis, universorum judicio absque crimine accusatus fuisse, et Episcopatu esse dignus, inventus est. Quo in tempore, idem Papa Agatho cum synodum congregaret Romae centum vigintiquinque Episcoporum adversus eos qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant *, vocari jussit et Wilfridum, atque inter Episcopos consedentem, dicere fidem suam, simul et provinciae sive insulae, de qua venerat. Cumque catholicus fide cum suis esset inventus, placuit hoc inter caetera ejusdem synodi gestis inseri; scriptumque est hoc modo: *Wilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis civitatis, Apostolicam Sedem de sua causa appellans, et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et cum aliis centum vigintiquinque coëpiscopis in synodo in judicii sede constitutus, pro omni Aquilonari parte Britanniae et Hiberniae insulis, quae ab Anglorum et Britonum, necnon et Scotorum et Pictorum gentibus incoluntur, veram et catholicam fidem confessus est, et cum subscriptione sua corroboravit.*

§ 9. Post haec reversus in Britanniam, provinciam Australium Saxonum ab idololatriae ritibus ad fidem Christi convertit. Vectae quoque insulae verbi ministros destinavit, et secundo anno Aldfridi, qui post Ecgfridum regnavit, sedem suam et Episcopatum, ipso Rege invitante, recepit. Sed post quinque annos denuo accusatus, ab eodem ipso Rege, et plurimis Episcopis, praesulatu pulsus est. Veniensque Romam, cum praesentibus accusatoribus acciperet locum se defendendi, consedentibus Episcopis pluribus cum Apostolico Papa Joanne **, omnium judicio probatum est, accusatores ejus nonnulla in parte falsas contra eum esse machinatos calumnias; scriptumque est a praefato Papa Regibus Anglorum Edelredo et Aldfrido, ut eum in Episcopatum suum, eo quod injuste fuerit condemnatus, facerent recipi. Juvit autem causam absolutionis ejus, lectio synodi beatae memoriae Papae Agathonis, quae quondam, ipso praesente in Urbe, atque in eodem concilio inter Episcopos residente, ut praediximus, acta est. Cum ergo causâ exigente, synodus eadem coram nobilibus et frequentia populi, jubente Apostolico Papa, diebus aliquot legeretur, ventum est ad locum, ubi scriptum erat: *Wilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis civitatis, Apostolicam Sedem de*

* Concilium vero oecumenicum (sextum) ubi duarum naturarum, duarumque voluntatum in Jesu Christo dogma solemnissime declaratum atque sancitum fuit, Constantinopoli, anno 680, ab ipso Summo Pontifice, Agathone, fuit congregatum.

** Joannes VII.

sua causa appellans. et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et caetera quae supra posuimus. Quod, ubi lectum est, stupor apprehendit audientes, et silente lectore, coeperunt alterutrum requirere, quis esset ille Wilfridus Episcopus. Tum Bonifacius, consiliarius Apostolici Papae, et alii perplures, qui cum temporibus Agathonis Papae ibi viderunt, dicebant ipsum esse Episcopum, qui nuper Romam accusatus a suis, atque ab Apostolica Sede judicandus advenerat. Qui jamdudum, inquiunt, aeque accusatus, huc adveniens, mox auditâ ac dijudicatâ causâ et controversiâ utriusque partis, a beatae memoriae Papa Agathone probatus est contra fas a suo Episcopatu repulsus, et tanti apud eum habitus est, ut ipsum in concilio, quod congregaverat, Episcoporum, quasi virum incorruptae fidei et animi probi, residere praeciperet. Quibus auditis, dicebant omnes una cum ipso Pontifice, virum tantae auctoritatis, qui per quadraginta prope annos Episcopatu fungebatur, nequaquam damnari debere, sed ad integrum culpis accusationum absolutum, in patriam cum honore reverti.

§ **10**. Qui cum in Britanniam remeans, in Galliarum partes devenisset, tactus est infirmitate repentina, et ea crescente, adeo pressus, ut equo vehi non posset, sed manibus ministrorum portaretur in grabato. Sic delatus in civitatem Meldum * Galliae, quatuor diebus ac noctibus quasi mortuus jacebat, halitu tantum pertenui, quia viveret, demonstrans. Cumque ita sine cibo et potu, sine voce et auditu quatriduo perseveraret, quintâ demum illucescente die, quasi de gravi expergefactus somno, exsurgens resedit, apertisque oculis, vidit circa se choros psallentium simul et flentium fratrum; ac modicum suspirans, interrogavit, ubi esset Acca presbyter; qui statim vocatus, intravit; et videns eum melius habentem, ac loqui jam valentem, flexis genibus, gratias egit Deo cum omnibus, qui aderant, fratribus. Et cum parum consedissent, ac de supernis judiciis trepidi aliquantum fabulari coepissent, jussit pontifex caeteros ad horam egredi, et ad Accam presbyterum ita loqui exorsus est: « Visio mihi modo tremenda apparuit, quam te audire ac silentio tegere volo, donec sciam quid de me fieri velit Deus. Adstitit enim mihi quidam candido praeclarus habitu, dicens se Michaëlem esse Archangelum, et ob hoc, inquit, missus sum, ut te a morte revocem. Donavit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lacrymas discipulorum et fratrum tuorum, et per intercessionem suae Beatae Genitricis, semperque Virginis, Mariae. Quapropter dico tibi, quia modo quidem ab infirmitate hac sanaberis: sed paratus esto, quia post quadriennium revertens, visitabo te. In patriam vero perveniens, maximam possessionum tuarum, quae tibi ablatae sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis. »

* *Meaux.*

§ 11. Convaluit igitur Episcopus, cunctis gaudentibus, et Deo gratias agentibus, coeptoque itinere, in Britanniam venit. Lectis autem Epistolis, quas ab Apostolico Papa adduxerat Bertwaldus Archiepiscopus, et Edilredus quondam Rex, tunc autem Abbas, libentissime faverunt. Qui videlicet Edilredus àccitum ad se Coënredum, quem pro se regem fecerat, amicum Episcopo fieri petiit, et impetravit; sed Aldfridus Nordan-Humbrorum Rex, eum suscipere contempsit, nec longo post tempore superfuit. Unde factum est, ut, regnante Osredo, filio ejus, mox, synodo facta juxta fluvium Niddin, post aliquantum utriusque partis conflictum, tandem cunctis faventibus, in praesulatum sit suae receptus Ecclesiae. Sicque quatuor annis usque ad diem obitus sui vitam duxit in pace. Defunctus est autem quarto Idus Octobris in monasterio suo, quod habebat in provincia Undalum, sub regimine Cudbaldi Abbatis, et ministerio fratrum perlatus in suum monasterium primum, quod dicitur in Hripum, positus est in ecclesia beati Apostoli Petri, juxta altare ad Austrum, ut supra docuimus, et hoc de illo Epitaphium est scriptum:

Wilfrid hic magnus requiescit corpore praesul,
Hanc Domino qui aulam, ductus pietatis amore,
Fecit, et eximio sacravit nomine Petri;
Cui claves coeli Christus dedit arbiter orbis,
Atque auro ac Tyrio devotus vestiit ostro.
Quinetiam sublime Crucis radiante metallo.
Hic posuit tropheum: necnon et quatuor auro
Scribi Evangelii praecepit in ordine libros,
Ac thecam e rutilo his condignam condidit auro.
Paschalis qui etiam solemnia tempora cursus,
Catholici ad justum correxit dogma Canonis,
Quem statuere patres: dubioque errore remoto,
Certa suae genti ostendit moderamina ritus.
Inque locis istis monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis, cavit quae regula patrum,
Sedulus instituit, multisque domique forisque,
Jactatus nimium per tempora longa periclis,
Quindecies ternos postquam egit Episcopus annos,
Transiit, et gaudens coelestia regna petivit.
Dona Jesu, ut grex pastoris calle sequatur.

MARTYRIUM

SS. FAUSTI, JANUARII ET MARTIALIS

AUCTORE LUCIO MARINEO SICULO

REGIO HISTOR. *De rebus Hispaniae*, LIBRO QUINTO.

Martyrio coronati, verosim. ante annum 312 — Hispani.

§ 1. Olim cum praeses Eugenius Cordubam * venisset, ei Faustus, Januarius et Martialis occurrerunt dicentes: « Quid tibi vis, Eugeni, qui Dei servis mavis invidère quam credere? » Tunc Eugenius, ira percitus, dixit: « O infelices homines, quid vos esse vultis? » Faustus respondit: « Nos Christiani sumus, Christum fatentes, qui Dominus unus est. per quem omnia et nos per ipsum facti sumus. » Eugenius dixit: « Unde vobis est haec tam desperata societas? » Faustus respondit: « Desperatio in nobis non est, nisi in te solo, qui nos Deum negare frustra compellis. »

§ 2. Hoc cum dixisset Faustus, magis iratus Praeses: « Imponite, dixit, Faustum in eculeo, qui tam irreverenter mihi respondit. » Tunc Januarius Fausto dixit: « O carissime, tu pro nobis hoc pateris, qui meritis peccatorum nostrorum te socium esse voluisti. » Cui Faustus respondit: « Societas nostra, Januari, mansit in terra semper, et in perpetuum manebit in caelo. » Hoc cum audisset Eugenius, admiratus dixit: « Quae est ista nunc allocutio vestra, quod tam impie voluistis respondere mihi? » Januarius dixit: « Nobis confessio Christi, et nulla impietas est. » Tunc Eugenius, ad Martialem conversus, dixit: « Vides istorum animi dementiam, qua te in societatem suam contraxerunt: noli maleficis istis et impiis te credere. » Cui Martialis dixit: « Solus Deus immortalis est, qui coelum fecit et terram, ipse pro tuis malis operibus te puniet. »

§ 3. Quod audiens Eugenius: « Et hic, inquit, ponatur in eculeo. » Quod cum fieri vidisset Martialis: « O beata, dixit, immortalitas gloriae Christi, qua nos tibi frater Fauste sociasti. » Tum dixit Eugenius satellitibus suis: « Torquete eos donec adorent deos nostros. » Faustus autem dum torqueretur: « Difficile est, inquit, tibi, et patri tuo, qui diabolus est, nos a paternis legibus, ad mortalitatem tuam convertere. » Propter quod Eugenius dixit: « Abscindantur ei nares et auriculae, supercilia radantur, dentesque

* Italice *Cordova*, urbs episcopali sede exornata, atque horum, et aliorum plurimorum Martyrum qui, seculo nono a Mauris necati sunt, sanguine illustrata.

mandibulae superioris evellantur. » Quod cum factum esset, Faustus Deo gratias agens, magis hilaris factus est. Eugenius Januario dicebat: « Videsne, Januari, quanta tormenta passus fuerit Faustus, dum deceptus opinione sua, pertinaciter imperio meo parère recusat? » Januarius autem dixit: « Impietas ista et pertinacia Fausti in me maneat, et ejus vinculum charitatis. » Ad cujus verba dixit Eugenius: « Auferantur et huic quae illi praecepimus. » Dumque torqueretur Januarius, Eugenius praeses Martialem sic alloquitur: « Vides Martialis sociorum tuorum dementiam, et quae illis mala venerunt? Tu igitur consule tibi, teque disjunge ab illorum mala consuetudine, pravaque voluntate. » Martialis autem dixit: « Consolatio mea Deus est, quem ipsi magna voce testantur, ideoque confitendus et laudandus est Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. »

§ 4. Tunc Eugenius, majori furore succensus, jussit eos igne comburi. Cumque perducti fuissent ad locum suae passionis, sic uno spiritu plebem Christi alloqui coeperunt, dicentes: « Vos carissimi mei, et Christi fideles, nolite credere huic diabolo inimico, sed agnoscite vos ad Dei similitudinem et imaginem esse factos. Illum igitur adorate, et illum benedicite qui auctor est omnium; non, ut isti dicunt, adoretis opera manuum ipsorum quoniam ligna et petra, aurum et argentum sunt, opera manuum hominum. Vos itaque contemnentes hujus injuriam, et confidentes in Jesu Christo, soli Deo sine cessatione quotidie referte laudes. » Et cum ducerent eos lictores, per quorum manus fuerant cruciati, coeperunt eos igni compellere, simulque traditi flammis, exultantes tradiderunt Deo spiritum.

S. EDUARDI REGIS VITA

AUCTORE EALREDO ANGLO,

MONACHO ET ABBATE IN RHIEVALLE CISTERCIENS. ORDINIS.

FLORUIT IS EALREDUS ANNO DOMINI MCLXIV.

Ad coelest. patriam evolavit anno 1066 — E regia stirpe Sàxonum.

§ 1. Gloriosi ac Deo dilecti regis Eduardi vitam litteris tradituri, ex verbis beatissimi Petri Apostolorum principis sumamus exordium; qui Centurionis vocationem admirans, ait: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* x). In omni enim gente, ordine, gradu et dignitate novit

Dominus, qui sunt ejus, et miseretur cui voluerit, et misericordiam praestat, in quem sibi placuerit. Neque enim ex sui ipsius natura, vel paupertas praestat, vel adimunt divitiae sanctitatem; nec perfectum obscuritas, nec reprobum claritas facit; nec claudit libertas, nec reserat servitus paradisum. Primus patriarcha Abraham et dives scribitur, et perfectus, cujus fides admirabilis et obedientia inimitabilis in rerum omnium copia praedicatur. Joseph, dominus Aegypti constitutus a rege, universo orbi praebuit castitatis exemplum. Sanctus Job qualis in divitiis fuerit, earum probavit ademptio: quem morbus corporis, tentatio uxoris, amicorum exprobratio, spectabili patientiâ reddidit clariorem. Rex David, quo nemo ditior, sed nemo et sanctior, quo nullus sublimior, sed humilior nullus, et inter thesauros innumeros sepelitur, et inter Dei amicos caeteris gratior computatur. Nemo proinde miretur, si noster Eduardus et rex dicatur, et sanctus: quem cernimus et in divitiis egenum, et in deliciis sobrium, in purpura humilem, et sub corona aurea mundi contemptorem.

§ 2. Cum enim rex Ethelredus ex filia comitis Thoreti filium suscepisset Edmundum *, cognomento Ferreum latus, ex regina autem Emma Alfredum: beatus Eduardus, intra viscera materna conclusus, praefertur utrique agente eo, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, qui dominatur in regno hominum, et cuicumque voluerit, dat illud. Fit enim coram rege magnus pròcerum et episcoporum conventus, et quia jam futurae cladis indicia saeva processerant, agitur inter eos de regni statu tractatus. Alti vero Edmundum ob invictissimum robur corporis aestimant praeferendum, alii ob virtutem Nortmannorum Alfredum promovendum tutius arbitrantur. Sed futurorum omnium praescius, prioris brevissimam vitam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum, universorum vota convertit. Utero adhuc clauditur, et in regem puer eligitur: non natus, natis praefertur; et quem necdum terra susceperat, terrae dominus designatur; et laeti pròceres sacramentum fidelitatis illi jurant, qui utrum nasceretur, ignorant. Paulo itaque post nativitatem sancti Eduardi irruentibus in Angliam barbaris, et maximam insulae portionem caede incendioque vastantibus, regina cum filiis in Nortmanniam transposita est. Vivebat in avita domo inter pueros puer, immunis tamen a vitiis, quibus aetas illa solet implicari. Castus erat corpore, sermone rarus, simplex actu, et purus affectu. Frequentare ecclesiam dulce habuit, crebrius orationibus incumbere, sacris Missarum interesse solemniis, visitandis monasteriis operam dare, et quos sanctiores sciebat, sibi monachos in amicitiam copulare.

§ 3. Saeviebat interim gladius hostilis in Anglia, caedibus et

* Edmundum II, *Côte de fer*.

rapinis omnia replebantur: ubique luctus, clamor et desolatio. Incenduntur ecclesiae, monasteria devastantur, sacerdotes a suis sedibus fugati, in locis desertis communem miseriam deplorantes delitescebant. Inter quos vir venerabilis Britwaldus Wintoniensis episcopus, coenobium Glastoniense moerens ac tristis ingressus, orationibus vacabat et psalmis. Qui cum aliquando pro regni plebisque liberatione preces lacrymasque profunderet, quasi in haec verba prorumpens, ait: « Et tu, Domine, usquequo? Usquequo avertis faciem tuam? oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae? Sanctos tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, et non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Scio, Domine, scio, quia omnia quae fecisti nobis, in vero judicio fecisti. Sed nunquid in aeternum projiciet Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Eritne, Domine Deus meus, eritne finis horum mirabilium? aut in aeternum tuus in nos mucro desaeviet, et percuties usque ad internecionem? » Inter preces tandem et lacrymas fatigatum sopor suavis excepit, videtque per somnium, beatum Petrum in eminentiori loco constitutum, et ante eum praeclari vultus in forma decenti, regalibus insignis amictum Eduardum. Quem cum propriis manibus Apostolus consecrasset et unxisset in regem, monita salutis adjecit: praecipueque caelibem vitam commendans, quot esset annis regnaturus aperuit. Obstupefactus praesul tanti miraculi novitate, petit sibi a Sancto hujus visionis mysterium revelari. De statu insuper regni, et de instantis periculi fine Apostolicum exegit oraculum. Tunc placido vultu intuitus intuentem se, ait: « Domini, o praesul, est regnum, et ipse dominabitur in filiis hominum. Ipse transfert regna et mutat imperia, et propter peccata populi regnare facit hypocritam. Peccatum peccavit populus tuus Domino, et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Erit enim, cum dormieris cum patribus tuis, visitabit Dominus populum suum, et faciet Dominus redemptionem plebis suae. Elegit enim sibi virum secundum cor suum, qui faciat omnes voluntates suas, qui, me opitulante, regnum adeptus Anglorum, Danico furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo, gratus hominibus, terribilis hostibus, amabilis civibus, utilis Ecclesiae, laudabilemque vitam sancto fine concludet. » Quae omnia in beato Eduardo completa, rei exitus comprobavit. Cum autem Episcopus de posteritate Eduardi quaereret, respondit sanctus Petrus: « Regnum Anglorum, regnum Dei est. Post istum providebit regem ad placitum suum. »

§ 4. Stabat adhuc spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus ejus, externisque malis accessit civilis discordia, adeo ut quis cui mentis suae secreta committeret, nesciretur. Plena erat proditoribus insula; nusquam tuta fides, nusquam sine suspicione

multa quae in patria nequiverat, Ecclesiasticis disciplinis accommoda, eodem magistro tradente, percepit. Et cum menses aliquot ibi studiis occupatus felicibus exegisset, rediit ad Delfinum in Galliam, et tres annos apud ipsum commoratus, attonsus est ab eo, et in tanto habitus amore, ut haeredem sibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, Antistes crudeli morte praeereptus est; et Wilfridus ad suae potius, hoc est, Anglorum, gentis Episcopatum reservatus. Namque Brunechilda Regina, missis militibus, Episcopum jussit interfici: quem ad locum quidem, quo decollandus erat, sequutus est Wilfridus, clericus illius, desiderans cum eo, tametsi ipso multum prohibente, pariter occumbere. Sed hunc ubi peregrinum atque oriundum de natione Anglorum cognovere carnifices, pepercere illi, neque eum trucidare cum suo voluere pontifice. At ille in Britanniam veniens, conjunctus est amicitiis Aldfridi Regis, qui catholicas Ecclesiae regulas sequi semper et amare didicerat. Unde et illi, quia catholicum eum esse comperit, mox donavit terram decem familiarum in loco, qui dicitur Staford, et non multo post monasterium triginta familiarum, in loco, qui vocatur in Hriphum, quem videlicet locum dederat pridem ad construendum inibi monasterium his qui Scotos sequebantur. Verum quia illi postmodum, optione data, maluerunt loco cedere, quam Pascha catholicum, caeterosque ritus canonicos, juxta Romanae ac Apostolicae Ecclesiae consuetudinem recipere, dedit hoc illi, quem melioribus imbutum disciplinis ac moribus vidit. Quo in tempore ad jussionem praefati Regis, presbyter ordinatus est in eodem monasterio ab Agilberto, Episcopo Gevissorum *, desiderante Rege, ut vir tantae eruditionis ac religionis, sibi specialiter individuo comitatu sacerdos esset ac doctor. Quem non multo post, detectâ et eliminatâ (ut supra docuimus) Scotorum sectâ, in Galliam mittens cum consilio atque consensu patris sui Oswi, Episcopum sibi rogavit ordinari, cum esset annorum circiter triginta, eodem Agilberto tunc Episcopatum agente Parisiacae civitatis. Cum quo et alii undecim Episcopi ad dedicationem Antistitis convenientes, multum honorifice ministerium impleverunt.

§ 8. Quo adhuc in transmarinis partibus demorante, consecratus est in Episcopatum Eboraci **, jubente Rege Oswi, Ceadda vir sanctus: qui tribus annis Ecclesiam sublimiter regens, dehinc ad curam monasterii sui, quod est in Lestinga, secessit: accipiente Wilfrido Episcopatum totius Nordan-Humbrorum provinciae. Qui deinde, regnante Ecgfrido, pulsus est Episcopatu, et alii sunt pro illo consecrati Antistites quorum supra meminimus. Romam itaque iturus, et coram Apostolico Papa causam dicturus, ubi navem conscendit, flante favonio, pulsus est in Frisiam, et honorifice susceptus a Barbaris, ac Rege illorum Aldgislo,

* Angl. *Wessex*. ** Angl. *York*.

praedicabat eis Christum, et multa eorum millia verbo veritatis instituens, a peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit. Et quod postmodum Wilbrordus, reverendissimus Christi pontifex, in magna devotione complevit, ipse primus ibi opus Evangelicum coepit. Ibi ergo hiemem cum nova Dei plebe feliciter exigens, sic denique Romam veniendi iter repetiit. Ubi postquam causa ejus ventilata est, praesente Agathone Papa, et pluribus Episcopis, universorum judicio absque crimine accusatus fuisse, et Episcopatu esse dignus, inventus est. Quo in tempore, idem Papa Agatho cum synodum congregaret Romae centum vigintiquinque Episcoporum adversus eos qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant *, vocari jussit et Wilfridum, atque inter Episcopos consedentem, dicere fidem suam, simul et provinciae sive insulae, de qua venerat. Cumque catholicus fide cum suis esset inventus, placuit hoc inter caetera ejusdem synodi gestis inseri; scriptumque est hoc modo: *Wilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis civitatis, Apostolicam Sedem de sua causa appellans, et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et cum aliis centum vigintiquinque coëpiscopis in synodo in judicii sede constitutus, pro omni Aquilonari parte Britanniae et Hiberniae insulis, quae ab Anglorum et Britonum, necnon et Scotorum et Pictorum gentibus incoluntur, veram et catholicam fidem confessus est, et cum subscriptione sua corroboravit.*

§ 9. Post haec reversus in Britanniam, provinciam Australium Saxonum ab idololatriae ritibus ad fidem Christi convertit. Vectae quoque insulae verbi ministros destinavit, et secundo anno Aldfridi, qui post Ecgfridum regnavit, sedem suam et Episcopatum, ipso Rege invitante, recepit. Sed post quinque annos denuo accusatus, ab eodem ipso Rege, et plurimis Episcopis, praesulatu pulsus est. Veniensque Romam, cum praesentibus accusatoribus acciperet locum se defendendi, consedentibus Episcopis pluribus cum Apostolico Papa Joanne **, omnium judicio probatum est, accusatores ejus nonnulla in parte falsas contra eum esse machinatos calumnias; scriptumque est a praefato Papa Regibus Anglorum Edelredo et Aldfrido, ut eum in Episcopatum suum, eo quod injuste fuerit condemnatus, facerent recipi. Juvit autem causam absolutionis ejus, lectio synodi beatae memoriae Papae Agathonis, quae quondam, ipso praesente in Urbe, atque in eodem concilio inter Episcopos residente, ut praediximus, acta est. Cum ergo causâ exigente, synodus eadem coram nobilibus et frequentia populi, jubente Apostolico Papa, diebus aliquot legeretur, ventum est ad locum, ubi scriptum erat: *Wilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis civitatis, Apostolicam Sedem de*

* Concilium vero oecumenicum (sextum) ubi duarum naturarum, duarumque voluntatum in Jesu Christo dogma solemnissime declaratum atque sancitum fuit, Constantinopoli, anno 680, ab ipso Summo Pontifice, Agathone, fuit congregatum.

** Joannes VII.

sua causa appellans. et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et caetera quae supra posuimus. Quod, ubi lectum est, stupor apprehendit audientes, et silente lectore, coeperunt alterutrum requirere, quis esset ille Wilfridus Episcopus. Tum Bonifacius, consiliarius Apostolici Papae, et alii perplures, qui cum temporibus Agathonis Papae ibi viderunt, dicebant ipsum esse Episcopum, qui nuper Romam accusatus a suis, atque ab Apostolica Sede judicandus advenerat. Qui jamdudum, inquiunt, aeque accusatus, huc adveniens, mox auditâ ac dijudicatâ causâ et controversiâ utriusque partis, a beatae memoriae Papa Agathone probatus est contra fas a suo Episcopatu repulsus, et tanti apud eum habitus est, ut ipsum in concilio, quod congregaverat, Episcoporum, quasi virum incorruptae fidei et animi probi, residere praeciperet. Quibus auditis, dicebant omnes una cum ipso Pontifice, virum tantae auctoritatis, qui per quadraginta prope annos Episcopatu fungebatur, nequaquam damnari debere, sed ad integrum culpis accusationum absolutum, in patriam cum honore reverti.

§ **10**. Qui cum in Britanniam remeans, in Galliarum partes devenisset, tactus est infirmitate repentina, et ea crescente, adeo pressus, ut equo vehi non posset, sed manibus ministrorum portaretur in grabato. Sic delatus in civitatem Meldum * Galliae, quatuor diebus ac noctibus quasi mortuus jacebat, halitu tantum pertenui, quia viveret, demonstrans. Cumque ita sine cibo et potu, sine voce et auditu quatriduo perseveraret, quintâ demum illucescente die, quasi de gravi expergefactus somno, exsurgens resedit, apertisque oculis, vidit circa se choros psallentium simul et flentium fratrum; ac modicum suspirans, interrogavit, ubi esset Acca presbyter; qui statim vocatus, intravit; et videns eum melius habentem, ac loqui jam valentem, flexis genibus, gratias egit Deo cum omnibus, qui aderant, fratribus. Et cum parum consedissent, ac de supernis judiciis trepidi aliquantum fabulari coepissent, jussit pontifex caeteros ad horam egredi, et ad Accam presbyterum ita loqui exorsus est: « Visio mihi modo tremenda apparuit, quam te audire ac silentio tegere volo, donec sciam quid de me fieri velit Deus. Adstitit enim mihi quidam candido praeclarus habitu, dicens se Michaëlem esse Archangelum, et ob hoc, inquit, missus sum, ut te a morte revocem. Donavit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lacrymas discipulorum et fratrum tuorum, et per intercessionem suae Beatae Genitricis, semperque Virginis, Mariae. Quapropter dico tibi, quia modo quidem ab infirmitate hac sanaberis: sed paratus esto, quia post quadriennium revertens, visitabo te. In patriam vero perveniens, maximam possessionum tuarum, quae tibi ablatae sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis. »

* *Meaux.*

§ 11. Convaluit igitur Episcopus, cunctis gaudentibus, et Deo gratias agentibus, coeptoque itinere, in Britanniam venit. Lectis autem Epistolis, quas ab Apostolico Papa adduxerat Bertwaldus Archiepiscopus, et Edilredus quondam Rex, tunc autem Abbas, libentissime faverunt. Qui videlicet Edilredus àccitum ad se Coënredum, quem pro se regem fecerat, amicum Episcopo fieri petiit, et impetravit; sed Aldfridus Nordan-Humbrorum Rex, eum suscipere contempsit, nec longo post tempore superfuit. Unde factum est, ut, regnante Osredo, filio ejus, mox, synodo facta juxta fluvium Niddin, post aliquantum utriusque partis conflictum, tandem cunctis faventibus, in praesulatum sit suae receptus Ecclesiae. Sicque quatuor annis usque ad diem obitus sui vitam duxit in pace. Defunctus est autem quarto Idus Octobris in monasterio suo, quod habebat in provincia Undalum, sub regimine Cudbaldi Abbatis, et ministerio fratrum perlatus in suum monasterium primum, quod dicitur in Hripum, positus est in ecclesia beati Apostoli Petri, juxta altare ad Austrum, ut supra docuimus, et hoc de illo Epitaphium est scriptum:

Wilfrid hic magnus requiescit corpore praesul,
Hanc Domino qui aulam, ductus pietatis amore,
Fecit, et eximio sacravit nomine Petri;
Cui claves coeli Christus dedit arbiter orbis,
Atque auro ac Tyrio devotus vestiit ostro.
Quinetiam sublime Crucis radiante metallo.
Hic posuit tropheum: necnon et quatuor auro
Scribi Evangelii praecepit in ordine libros,
Ac thecam e rutilo his condignam condidit auro.
Paschalis qui etiam solemnia tempora cursus,
Catholici ad justum correxit dogma Canonis,
Quem statuere patres: dubioque errore remoto,
Certa suae genti ostendit moderamina ritus.
Inque locis istis monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis, cavit quae regula patrum,
Sedulus instituit, multisque domique forisque,
Jactatus nimium per tempora longa periclis,
Quindecies ternos postquam egit Episcopus annos,
Transiit, et gaudens coelestia regna petivit.
Dona Jesu, ut grex pastoris calle sequatur.

MARTYRIUM

SS. FAUSTI, JANUARII ET MARTIALIS

AUCTORE LUCIO MARINEO SICULO

REGIO HISTOR. *De rebus Hispaniae*, LIBRO QUINTO.

Martyrio coronati, verosim. ante annum 312 — Hispani.

§ 1. Olim cum praeses Eugenius Cordubam * venisset, ei Faustus, Januarius et Martialis occurrerunt dicentes: « Quid tibi vis, Eugeni, qui Dei servis mavis invidère quam credere? » Tunc Eugenius, ira percitus, dixit: « O infelices homines, quid vos esse vultis? » Faustus respondit: « Nos Christiani sumus, Christum fatentes, qui Dominus unus est, per quem omnia et nos per ipsum facti sumus. » Eugenius dixit: « Unde vobis est haec tam desperata societas? » Faustus respondit: « Desperatio in nobis non est, nisi in te solo, qui nos Deum negare frustra compellis. »

§ 2. Hoc cum dixisset Faustus, magis iratus Praeses: « Imponite, dixit, Faustum in eculeo, qui tam irreverenter mihi respondit. » Tunc Januarius Fausto dixit: « O carissime, tu pro nobis hoc pateris, qui meritis peccatorum nostrorum te socium esse voluisti. » Cui Faustus respondit: « Societas nostra, Januari, mansit in terra semper, et in perpetuum manebit in caelo. » Hoc cum audisset Eugenius, admiratus dixit: « Quae est ista nunc allocutio vestra, quod tam impie voluistis respondere mihi? » Januarius dixit: « Nobis confessio Christi, et nulla impietas est. » Tunc Eugenius, ad Martialem conversus, dixit: « Vides istorum animi dementiam, qua te in societatem suam contraxerunt: noli maleficis istis et impiis te credere. » Cui Martialis dixit: « Solus Deus immortalis est, qui coelum fecit et terram, ipse pro tuis malis operibus te puniet. »

§ 3. Quod audiens Eugenius: « Et hic, inquit, ponatur in eculeo. » Quod cum fieri vidisset Martialis: « O beata, dixit, immortalitas gloriae Christi, qua nos tibi frater Fauste sociasti. » Tum dixit Eugenius satellitibus suis: « Torquete eos donec adorent deos nostros. » Faustus autem dum torqueretur: « Difficile est, inquit, tibi, et patri tuo, qui diabolus est, nos a paternis legibus, ad mortalitatem tuam convertere. » Propter quod Eugenius dixit: « Abscindantur ei nares et auriculae, supercilia radantur, dentesque

* Italice *Cordova*, urbs episcopali sede exornata, atque horum, et aliorum plurimorum Martyrum qui, seculo nono a Mauris necati sunt, sanguine illustrata.

mandibulae superioris evellantur. » Quod cum factum esset, Faustus Deo gratias agens, magis hilaris factus est. Eugenius Januario dicebat: « Videsne, Januari, quanta tormenta passus fuerit Faustus, dum deceptus opinione sua, pertinaciter imperio meo parère recusat? » Januarius autem dixit: « Impietas ista et pertinacia Fausti in me maneat, et ejus vinculum charitatis. » Ad cujus verba dixit Eugenius: « Auferantur et huic quae illi praecepimus. » Dumque torqueretur Januarius, Eugenius praeses Martialem sic alloquitur: « Vides Martialis sociorum tuorum dementiam, et quae illis mala venerunt? Tu igitur consule tibi, teque disjunge ab illorum mala consuetudine, pravaque voluntate. » Martialis autem dixit: « Consolatio mea Deus est, quem ipsi magna voce testantur, ideoque confitendus et laudandus est Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. »

§ 4. Tunc Eugenius, majori furore succensus, jussit eos igne comburi. Cumque perducti fuissent ad locum suae passionis, sic uno spiritu plebem Christi alloqui coeperunt, dicentes: « Vos carissimi mei, et Christi fideles, nolite credere huic diabolo inimico, sed agnoscite vos ad Dei similitudinem et imaginem esse factos. Illum igitur adorate, et illum benedicite qui auctor est omnium; non, ut isti dicunt, adoretis opera manuum ipsorum quoniam ligna et petra, aurum et argentum sunt, opera manuum hominum. Vos itaque contemnentes hujus injuriam, et confidentes in Jesu Christo, soli Deo sine cessatione quotidie referte laudes. » Et cum ducerent eos lictores, per quorum manus fuerant cruciati, coeperunt eos igni compellere, simulque traditi flammis, exultantes tradiderunt Deo spiritum.

S. EDUARDI REGIS VITA

AUCTORE EALREDO ANGLO,

MONACHO ET ABBATE IN RHIEVALLE CISTERCIENS. ORDINIS.

FLORUIT IS EALREDUS ANNO DOMINI MCLXIV.

Ad coelest. patriam evolavit anno 1066 — E regia stirpe Sàxonum.

§ 1. Gloriosi ac Deo dilecti regis Eduardi vitam litteris tradituri, ex verbis beatissimi Petri Apostolorum principis sumamus exordium; qui Centurionis vocationem admirans, ait: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* x). In omni enim gente, ordine, gradu et dignitate novit

Dominus, qui sunt ejus, et miseretur cui voluerit, et misericordiam praestat, in quem sibi placuerit. Neque enim ex sui ipsius natura, vel paupertas praestat, vel adimunt divitiae sanctitatem; nec perfectum obscuritas, nec reprobum claritas facit; nec claudit libertas, nec reserat servitus paradisum. Primus patriarcha Abraham et dives scribitur, et perfectus, cujus fides admirabilis et obedientia inimitabilis in rerum omnium copia praedicatur. Joseph, dominus Aegypti constitutus a rege, universo orbi praebuit castitatis exemplum. Sanctus Job qualis in divitiis fuerit, earum probavit ademptio: quem morbus corporis, tentatio uxoris, amicorum exprobratio, spectabili patientiâ reddidit clariorem. Rex David, quo nemo ditior, sed nemo et sanctior, quo nullus sublimior, sed humilior nullus, et inter thesauros innumeros sepelitur, et inter Dei amicos caeteris gratior computatur. Nemo proinde miretur, si noster Eduardus et rex dicatur, et sanctus: quem cernimus et in divitiis egenum, et in deliciis sobrium, in purpura humilem, et sub corona aurea mundi contemptorem.

§ 2. Cum enim rex Ethelredus ex filia comitis Thoreti filium suscepisset Edmundum *, cognomento Ferreum latus, ex regina autem Emma Alfredum: beatus Eduardus, intra viscera materna conclusus, praefertur utrique agente eo, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, qui dominatur in regno hominum, et cuicumque voluerit, dat illud. Fit enim coram rege magnus pròcerum et episcoporum conventus, et quià jam futurae cladis indicia saeva processerant, agitur inter eos de regni statu tractatus. Alti vero Edmundum ob invictissimum robur corporis aestimant praeferendum, alii ob virtutem Nortmannorum Alfredum promovendum tutius arbitrantur. Sed futurorum omnium praescius, prioris brevissimam vitam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum, universorum vota convertit. Utero adhuc clauditur, et in regem puer eligitur: non natus, natis praefertur; et quem necdum terra susceperat, terrae dominus designatur; et laeti pròceres sacramentum fidelitatis illi jurant, qui utrum nasceretur, ignorant. Paulo itaque post nativitatem sancti Eduardi irruentibus in Angliam barbaris, et maximam insulae portionem caede incendioque vastantibus, regina cum filiis in Nortmanniam transposita est. Vivebat in avita domo inter pueros puer, immunis tamen a vitiis, quibus aetas illa solet implicari. Castus erat corpore, sermone rarus, simplex actu, et purus affectu. Frequentare ecclesiam dulce habuit, crebrius orationibus incumbere, sacris Missarum interesse solemniis, visitandis monasteriis operam dare, et quos sanctiores sciebat, sibi monachos in amicitiam copulare.

§ 3. Saeviebat interim gladius hostilis in Anglia, caedibus et

* Edmundum II, *Côte de fer*.

rapinis omnia replebantur: ubique luctus, clamor et desolatio. Incenduntur ecclesiae, monasteria devastantur, sacerdotes a suis sedibus fugati, in locis desertis communem miseriam deplorantes delitescebant. Inter quos vir venerabilis Britwaldus Wintoniensis episcopus, coenobium Glastoniense moerens ac tristis ingressus, orationibus vacabat et psalmis. Qui cum aliquando pro regni plebisque liberatione preces lacrymasque profunderet, quasi in haec verba prorumpens, ait: « Et tu, Domine, usquequo? Usquequo avertis faciem tuam? oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae? Sanctos tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, et non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Scio, Domine, scio, quia omnia quae fecisti nobis, in vero judicio fecisti. Sed nunquid in aeternum projiciet Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Eritne, Domine Deus meus, eritne finis horum mirabilium? aut in aeternum tuus in nos mucro desaeviet, et percuties usque ad internecionem? » Inter preces tandem et lacrymas fatigatum sopor suavis excepit, videtque per somnium, beatum Petrum in eminentiori loco constitutum, et ante eum praeclari vultus in forma decenti, regalibus insignis amictum Eduardum. Quem cum propriis manibus Apostolus consecrasset et unxisset in regem, monita salutis adjecit: praecipueque caelibem vitam commendans, quot esset annis regnaturus aperuit. Obstupefactus praesul tanti miraculi novitate, petit sibi a Sancto hujus visionis mysterium revelari. De statu insuper regni, et de instantis periculi fine Apostolicum exegit oraculum. Tunc placido vultu intuitus intuentem se, ait: « Domini, o praesul, est regnum, et ipse dominabitur in filiis hominum. Ipse transfert regna et mutat imperia, et propter peccata populi regnare facit hypocritam. Peccatum peccavit populus tuus Domino, et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Erit enim, cum dormieris cum patribus tuis, visitabit Dominus populum suum, et faciet Dominus redemptionem plebis suae. Elegit enim sibi virum secundum cor suum, qui faciat omnes voluntates suas, qui, me opitulante, regnum adeptus Anglorum, Danico furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo, gratus hominibus, terribilis hostibus, amabilis civibus, utilis Ecclesiae, laudabilemque vitam sancto fine concludet. » Quae omnia in beato Eduardo completa, rei exitus comprobavit. Cum autem Episcopus de posteritate Eduardi quaereret, respondit sanctus Petrus: « Regnum Anglorum, regnum Dei est. Post istum providebit regem ad placitum suum. »

§ 4. Stabat adhuc spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus ejus, externisque malis accessit civilis discordia, adeo ut quis cui mentis suae secreta committeret, nesciretur. Plena erat proditoribus insula; nusquam tuta fides, nusquam sine suspicione

amor, sermo sine simulatione. Tandem eousque proditio civilis, et astutia processit hostilis, ut, defuncto rege Ethelredo, magna pars insulae, legitimis haeredibus abdicatis, Canuto, qui regnum invaserat, manus darent: peremptoque invictissimo rege Edmundo, etiam filios ejus, adhuc in cunis agentes, Barbaris mitterent occidendos. Alfredus demum Eduardi frater, in Angliam transvectus, inaudita crudelitate ab hostibus civibusque perimitur. Tunc Eduardus omni humano destitutus auxilio, exsul patriae, regni et honoris, vivebat; impiorum insidias timebat, et ne a suis proderetur, vel ab hostibus ad mortem emeretur, plurimum formidabat. Invento autem consilio salutari, Deo prosternitur, talia prosequendo: « Ecce, Domine, non est mihi auxilium in me, et necessarii mei recesserunt a me. Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt. Pater meus post multos labores rebus humanis excessit, fratres meos crudelitas proditorum absorbuit, nepotes in exsilium acti sunt, mater aemuli nostri nuptiis tradita est. Ita solus relictus sum, et quaerunt animam meam. Sed tibi, Domine, derelictus sum pauper; pupillo tu eris adjutor. Tu quondam Edwinum morti expositum, mirabili modo et vitae reservasti, et regno. Tu illud Angliae decus, sanctum Oswaldum ex exsule regem factum, per signum crucis reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum, et custodieris me, et reduxeris me in regnum patris mei, eris tu mihi semper in Deum, et beatus Petrus Apostolus in patronum; cujus sacratissimas reliquias in urbe Roma, te annuente, te regente, te comitante, visitaturum me promitto. » Exhinc autem factus fide robustior, spe alacrior, exspectans exspectavit Dominum.

§ **5**. Canuto autem rege rebus humanis exempto, filiis ejus immatura morte praereptis, Angli Danico jugo liberati, Eduardum in regem elegerunt, et cum maximo honore consecrari et inungi fecerunt. Tunc sacerdotes sapientiâ et sanctitate fulgebant, monasteria omni religione pollebant; agebat clerus in officio suo, populus stabat in gradu suo. Videbatur etiam terra foecundior, aër salubrior, maris unda pacatior. Reges enim et principes pro tanta rerum mutatione, admiratione perculsi, cum tanto rege foedus inire, amicitias jungere, pacem componere gavisi sunt. Sola tamen Dania adhuc spirans et anhelans caedes, Anglorum interitum minabatur. In his omnibus, vir beatus in gloriam non est elatus humanam, sed hanc sibi vivendi formam proponens, suis se domesticis praebebat aequalem, sacerdotibus humilem, plebi gratum, compatientem miseris, et largum egenis. Nulla apud eum personarum acceptio; sed judicabat in justitia pauperes, et arguebat in aequitate pro mansuetis terrae. Eratque pater orphanorum et judex viduarum. Si quicquam petebatur, praebebat: si accipiebatur, tacebat. Nullus unquam eum vidit aut inflatum superbiâ, aut irâ efferatum, aut gulâ dehonestatum. Supra humanum

enim modum pecuniae contemptor, nec in earum amissione tristior, nec in adeptione videbatur hilarior.

§ 6. Recumbente aliquando, gratia quiescendi, rege in lectulo, camerarius accessit ad thecam in qua aes regium servabatur, et reposito intus quod volebat, et illam claudere oblitus, foras egressus est. Animadvertit hoc quidam, et accedens ad thecam, pecuniam non modicam in sinum recondit, et abscedit. Reversus denuo, rege inspectante, facinus iteravit. Quod cum tertio attentasset, cernens rex in spiritu thesaurorum adesse custodem, ait : « Importune agis, o homo ; si mihi credis, tolle quod habes, et fuge; quoniam si venerit Hugolinus (hoc enim cubicularii nomen erat), nec unum tibi nummum relinquet. » Fugit ille, et vix pedem extulerat; et ecce minister regis rediens, et thesaurum ablatum reperiens, timore et tremore concutitur : angustiam cordis et furorem mentis clamor et suspiria prodiderunt. Surrexit rex, et quasi nesciens quid acciderit, perturbationis hujus causam inquirit. Quam cum didicisset, ait : « Tace : forte ille qui cepit, plus nobis indiguit. Habeat sibi : nobis sufficit, quod remansit. »

§ 7. Proceres autem terrae de successione solliciti, regem de uxore ducenda conveniunt. Stupet rex, thesauro metuens suo qui in fictili vase reconditus, facile poterat calore dissolvi. Sed quid ageret? Si obstinatus resisteret, timebat ne propositi sui proderetur dulce secretum : si suadentibus praeberet assensum, naufragium pudicitiae formidabat. Tandem importune insistentibus, cedere tutius ratus, hujusmodi verbis pudicitiam suam Domino commendabat : « Jesu bone, tua quondam misericordia tres pueros inter flammas Chaldaicas illaesos servavit. Per te Joseph, relicto pallio in manibus meretricis, cum titulo castitatis evasit. Admirabilis Susannae constantia, tua virtute de impudicis presbyteris triumphavit. Sanctae Judith castitas ab Holoferne nec laedi potuit, nec tentari. Ecce ego servus et filius ancillae tuae, qualiscumque dilector tuus et unicae matris tuae; succurre mihi, Domine, quatenus sic maritale suscipiam sacramentum, ut pudicitiae periculum non incurram. » Rege igitur procerum voluntati consensum praebente, Godwini filiam duxit in uxorem *. Erat autem Godwinus vir magnarum opum, sed astutiae singularis, regum regnique proditor : qui doctus fallere, et quaelibet dissimulare consuetus, facile populum ad cujuslibet factionis inclinabat assensum. Sed sicut spina rosam, genuit Godwinus Editham. Hanc dilecto suo praeparavit Christus Eduardo, inspirans ei ab ipsa infantia castitatis amorem, odium vitiorum, virtutis affectum. Legere, aut operari manibus, otium fugiendo, consuevit lasciviam vitare, et colloquia juvenum declinare. Convenientibus igitur in unum, rex et regina de castitate servanda paciscuntur, nec huic fidei alium, quam Deum, testem aestimant adhibendum. Fit illa conjux

* Anno 1044.

mente, non carne: ille maritus mente, non opere. Perseverat inter eos sine actu conjugali conjugalis affectus, et sine defloratione virginitatis, castae dilectionis amplexus. Diligitur ille, sed non corrumpitur: diligitur illa, nec tangitur; et quasi nova quaedam Abisag regem calefacit amore, sed non dissolvit libidine; mulcet obsequiis, sed desideriis non emollit.

§ 8. Quadam vero die Pentecostes, cum rex divinis interesset mysteriis, hora elevationis corporis Christi subito rex vultu hilarior, et erectior oculis, in risum modicum, servatâ tamen regiâ gravitate, dissolvitur. Mirari qui aderant, coeperunt; nec sine causa, cum praeter consuetudinem id ei accidisse sciebant. Peractis autem Missarum solemniis, causam risus instanter adstantes sibi exponi petunt. Ille, ut erat mirae simplicitatis, simpliciter quaerentibus, simpliciter omnia confitetur, dicens: « Convenit Danis cum rege suo antiquum facinus iterare, et quam nobis propitia divinitas largita est, infestare quietem. In percussione, quidem nostra, qua castigans castigavit nos Dominus, ignorantes Dei justitiam, et suam extollentes virtutem, dixerunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia* (*Deut.* XXXII). Quia vero Deus patribus nostris iratus, Danorum nos tradidit potestati, suis id viribus tribuentes, facile hoc ipsum et nunc fieri posse arbitrantur; nescientes quia qui percutit, ipse et sanat; et qui mortificat, ipse et vivificat; et qui ducit ad inferos, ipse et reducit. Igitur rex Daniae, coacto in unum exercitu, hodierna die ventis pro voto flantibus naves parari praecipit. Jam naves velis, et vela ventis fuerant committenda: et rex iniquus ob nimiam superbiam quasi semetipsum non sustinens, dum de scapha in navem conscendere vellet, pede lapso inter utramque, in mare corruit; et statim abyssus vallavit eum, et pelagus cooperuit caput ejus; sicque morte suâ utrumque populum, Danorum scilicet et Anglorum, a peccato pariter et periculo liberavit. Et spero in Domino Deo meo et in dulcissima Matre ejus, quod temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum. Haec sunt quae, Christo revelante, cognovi, et vidi, et risi, et gavisus sum. Risum enim mihi fecit Dominus, et quicumque audierit, corridebit mihi. » Notantur tempus et hora: mittuntur nuncii in Dania, et omnia quae beatissimo regi coelitus nunciata fuerant, vera et eàdem horâ accidisse reperta sunt.

§ 9. Succedentibus itaque prosperis, rex voti sui nequaquam oblitus, recogitans quanta sibi fecerit Dominus, quia ditavit egenum, sublimavit humilem, inglorium coronavit, parat reddere vota sua, parat sumptus, parat donaria. Vocatis autem regni proceribus, habuit cum eis de statu regni, vel de sua peregrinatione sermonem, dicens: « Non excidit vobis, quomodo irruentibus in haereditatem nostram Barbaris, facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.

Aliis namque interfectis, aliis fugatis, aliis jugo ignominiosae servitutis oppressis, nihil fere honoris, nihil gloriae nostro generi reliquerunt. Tandem, defuncto patre meo, peremptis fratribus, actis in exsilium nepotibus, et cum hostibus nostris in omnibus fortuna faveret, mihi profecto nihil spei superesse videbatur. Ego vero contra spem in spem credens, et Domini mei misericordiae me totum dedens, peregrinationem meam ad sanctorum Apostolorum limina vovi, et deinceps divinae me protectioni dispositionique commisi. Ille autem respexit in orationem meam, et non sprevit precem meam, et abstulit opprobrium meum, et restituit me in regnum patris mei. Insuper cumulatum divitiis auxit gloriâ, donis coelestibus illustravit. Ipse sine sanguine rebelles subegit, hostes subvertit, et omnia nostra amabili quadam pace composuit. Absit ut tot et tantis ejus beneficiis inveniamur ingrati; quin potius de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in justitia et veritate, faciamusque quod ait Propheta: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Ps.* 75). Decernite ergo mecum, quomodo, me peregrinante, regnum subsistat Anglorum; qua lege, qua pace, qua justitia, quo judice omnia disponantur; quis castra, urbes, privata et publica negotia procuret. Erit autem unus omnium custos et protector Deus, et pacem quam dedit, ipse servabit, nobiscum proficiscens, et rèmanens, qui et vos custodiat, et me reducat. » Tunc omnes in communi vociferantes ad regem, se non deserendos, se non exponendos gladiis, patriam hostibus non prodendam, nec pro uno, ut putabatur, bono tot admittenda pericula allegabant. Tunc rex eorum vocibus et precibus urgeri se sentiens, diu in animo fluctuabat: quia et voto supersedère periculosum, et tantorum precibus fletibusque non cèdere, inhumanum arbitrabatur. Tandem peregrinationem differens, exspectabat donec Apostolico fultus consilio, aut votum redimeret, aut impleret.

§ **10**. Demum Pontifex summus *, consideratis praemissis et diligenter discussis, regi epistolam subscripta continentem transmisit. « Leo Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio suo Eduardo Anglorum regi, salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam voluntatem tuam laudabilem et Deo gratam cognovimus, gratias agimus ei, per quem reges regnant, et principes justa decernunt. Sed quia prope est Dominus in omni loco omnibus invocantibus eum in veritate, et sancti Apostoli cum suo capite conjuncti, unus spiritus sunt, et pias preces aequaliter audiunt; et quia constat periclitari Anglicam regionem ex tua discessione, qui fraeno justitiae seditiosos ejus motus cohibes; ex auctoritate Dei et sanctorum Apostolorum absolvimus te a peccato illius voti, pro quo offensam Dei times, et ab omnibus negligentiis et iniquitatibus tuis, ea potestate usi, qua Dominus in beato Petro

* Leo Nonus.

concessit nobis, dicens: *Quaecumque solveris super terram, soluta erunt et in coelis* (*Matth.* XVI). Deinde praecipimus tibi sub nomine sanctae obedientiae et poenitentiae, ut expensas, quas ad iter istud paraveras, pauperibus èroges, et coenobium monachorum in honore sancti Petri Apostolorum principis aut novum constituas, aut vetustum emendes et augeas, et sufficientiam victualium fratribus de tuis reditibus constituas: quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, et Sanctis augeatur gloria, et tibi indulgentia. Cui loco quicquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur, ut ratum sit, Apostolica auctoritate praecipimus, et ut semper habitatio monachorum sit, et nulli laicae personae nisi regi subdatur: et quaecumque privilegia ibi constituere volueris ad honorem Dei pertinentia, concedimus et robustissima auctoritate confirmamus, et in fine fractores eorum aeterna maledictione damnamus. »

§ **11**. Responsalibus autem regis et litteris Pontificis oraculum coeleste concurrit. Erat enim vir quidam in Anglia, Deo dilectus et hominibus, qui, in specu subterraneo multis annis inclusus, suorum erat meritorum stipendiis jam vicinus. Huic Petrus Apostolus in visione noctis assistens, ait: « Rex Eduardus pro voto, quo se cum adhuc exultaret adstrinxerat, pro regni etiam pace pauperumque necessitate preceque sollicitus, Romanam Ecclesiam de omnibus credidit consulendam. Noverit ergo se mea auctoritate ab hac obligatione solutum, et de coenobio ad mei nominis honorem construendo, a summo Pontifice suscepisse mandatum. Incunctanter itaque litteris Apostolicis fidem habeat, praeceptis obediat, consiliis acquiescat. A me enim egressus est sermo, quem sibi quondam patronum elegit, viae comitem, gratiae largitorem. Est autem mihi locus in occidentali parte Londoniae a me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi propriis manibus consecravi, meâ nobilitavi praesentiâ, divinis etiam miraculis illustravi. Thorneja nomen est loci, qui quondam ob peccata populi, Barbarorum traditus est potestati, pauperrimus ex divite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc me rex praecipiente in habitaculum monachorum suscipiat reparandum, sublimandum aedificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi aliud, nisi domus Dei et porta coeli. Ibi erigenda est scala, per quam descendentes et ascendentes angeli, preces et vota hominum perferant, et deferant gratiam. Inde ascendentibus reserabo januas paradisi, ut ex officio, quod meus mihi Dominus ac Salvator injunxit, et ligatos absolvam, et absolutos suscipiam: et quam eis delictum occluserat, justificatis portam patriae coelestis aperiam. Tu autem omnia, quae audisti a me et didicisti, litteris tradens, regi mitte, ut, munere Dei duplicato, et de absolutione securior, et praecepti executione devotior, in mei autem dilectione et obsequio reperiatur propensior. » His dictis, lux cum loquente disparuit.

Scripsit itaque senex omnia audita, et Regi direxit. Eadem autem horâ, lecto Papae rescripto, beati senis apices recitantur. Tunc Rex laetus et àlacris, pecuniam quam ad peregrinationem paraverat, pauperibus distribuit, et monasterium aedificavit.

§ **12**. Tempore quo rex Ethelbertus *, qui regnavit in Cantia, praedicante beato Augustino fidei sacramenta susceperat, nepos ejus Sebertus, qui orientalibus Anglis praefuit, fidem, eodem Episcopo evangelizante, suscepit. Hic Londoniis, quae regni sui caput habebatur, intra muros ecclesiam beati Pauli fabricavit, et episcopali honore, Mellitum episcopum instituens honoravit. Extra muros vero in occidentali parte, in honore beati Petri monasterium insigne fundavit, et multis possessionibus ditavit. Nocte autem, dedicationem ejusdem ecclesiae praecedente, piscatori cuidam Thamensis ** fluvii, qui idem monasterium praeterfluit, ulteriori ripa in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promissâ mercede, transponi se ab eodem et petiit, et promeruit. Egressus autem de navicula, ecclesiam, piscatore cernente, ingreditur. Et ecce subito lux coelestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia, noctem convertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo civium supernorum ingredientium, melodiaque coelestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus quae ad ecclesiae dedicationem spectant, solemniis, redit ad piscatorem piscium piscator egregius hominum. Quem dum divini luminis fulgore perterritum, et alienatum pene sensibus reperisset, blanda consolatione reddit hominem sibi, animum rationi. Ingredientes cymbam simul uterque piscator, ait Petrus: « Nunquid pulmentarium non habes? » Et ille, « Inconsultae, inquit, lucis perfusione stupidus, et exspectatione tui detentus, nihil cepi, sed promissam a te mercedem securus exspectavi. » Ad haec Apostolus ait: « Laxa nunc retia in capturam. » Paruit imperanti piscator, et mox implevit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant ejusdem generis pisces, praeter unum mirae enormitatis esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus: « Hunc qui prae caeteris pretio et magnitudine praecellit, Mellito, ex mea parte, defer piscem, episcopo. Pro nautica vero mercede, caetera tibi tolle.

§ **13**. « Hujus generis copia abundabis in vita tua, et longo tempore post te progenies tua: tantum, ne ultra piscari audearis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis concivibus constructam in meo nomine Basilicam dedicavi, episcopalemque benedictionem meae sanctificationis auctoritate praevèni. Dic ergo pontifici, quae vidisti et audisti: tuoque sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione; suppleat, quod omisimus,

* Is regnavit in Kantia (*Kent*), anno 857; Angliae autem regno potitus est anno 860.
** Italice, *Tamigi*.

Dominici corporis et sanguinis sacrosancta mysteria; populumque sermone erudiens, notificet omnibus hunc locum me crebro visitaturum, hic me fidelium votis et precibus affuturum: sobrie vero, pie et juste in hoc seculo viventibus coeli januam reseraturum.» His dictis, confestim ab oculis ejus disparuit. Mane autem facto, episcopo Mellito ad dedicandam ecclesiam procedenti, cum pisce piscator occurrit, et omnia quae sibi mandata fuerant, pandit. Stupet antistes, reseratisque ecclesiae valvis, videt pavimentum utriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodènis crucibus inhaerere, et quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus, una cum populo Deum benedicebat, et illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quae sicut a patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro eique servientibus decimas offerebat. Unus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tamdiu artis caruit beneficio, donec confessus reatum, et ablatum restitueret, et promitteret correctionem.

§ **14**. Haec cum sanctus Eduardus relatione ac scriptis veterum didicisset, ad monasterium illud aedificiis, possessionibus et dignitatibus altius extollendum exarsit animus ejus, et pro privilegiis illius loci caeterisque causis, nuncios Romam transmisit, talem epistolam Papae deferentes: « Summo universalis ecclesiae patri Nicolao *, Eduardus gratia Dei Anglorum rex, debitam et subjectionem et obedientiam. Glorificamus Deum, quia curam habet suae electae Ecclesiae, quoniam in loco boni praedecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter justum judicamus, apud vos velut ad solidam petram acuere et probare omnes bonas actiones nostras, et vestram notitiam atque societatem in bono habere; quatenus eas donationes et privilegia, quae obtinuimus apud praedecessorem vestrum, renovetis et augeatis nobis, videlicet ut quod ille injunxerat nobis sub nomine obedientiae et poenitentiae propter votum, quod voveram ire Romam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, construere coenobium monachorum in honore apostoli Petri, ratum faciatis, et privilegia possessionum et dignitatum ejusdem loci confirmetis, renovetis et decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo et confirmo donationes et consuetudines pecuniarum, quas habet sanctus Petrus in Anglia; et ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me, et pro pace regni mei, et continuam ac solemnem memoriam instituatis totius gentis Angliae coram corporibus sanctorum Apostolorum. »

§ **15**. Rescripsit autem ei Papa in hunc modum: « Nicolaus episcopus servus servorum Dei, gloriosissimo ac piissimo, omnique

* Nicolaus II.

honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, et benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit et decoravit, erga beatum Petrum Apostolorum principem, et nobiscum habere dilectionem, et in omnibus Apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestrae nobilitati transmittimus, et per eas sanctorum Apostolorum societatem et nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui est Dominus omnium, et rex super omnia solus, ut ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris, et fratres nos, ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem obsequii nostri vobis in suo regno reconsignet, quam nobismetipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, ut ipse Deus subjiciat hostes et inimicos, qui contra vos voluerint insurgere; et confirmet vos in paterno solio et propria haereditate, ac beatus Petrus sit vobis custos et adjutor in omni tribulatione. Renovamus ergo, et confirmamus, ac augemus vobis privilegia vestra, scilicet ut absolutus sitis ab illo voto quod timebatis, et ab omnibus aliis peccatis et iniquitatibus vestris auctoritate illius, qui me, licet indignum, suae sanctae praeesse voluit Ecclesiae.

§ **16**. « Praeterea illi loco, quem sub nomine sanctae poenitentiae construendum et meliorandum suscepistis, quoniam, ut fertur, primam antiquitus consecrationem a beato Petro accepit, cujus, licet indigni, Vicarii sumus, et quia regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei et sanctorum Apostolorum atque hujus Romanae Sedis et nostra concedimus, permittimus, et solidissime confirmamus, ut amplius in perpetuum regiae constitutionis locus sit, atque repositorium regalium insignium, et habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino personae nisi regi subdantur, habeantque potestatem secundum regulam sancti Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse praeelegerit. Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio et dominatione episcopali, ut nullus Episcopus illuc introëat ordinaturus aut praecepturus aliquid, nisi ex petitione et consensu Abbatis et monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum et coemeterium mortuorum circa se, absque episcopali vel cujuslibet respectu, vel exactione; et omnia, quae ad libertatem et exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia, per nostram auctoritatem accedere possunt, hilari et promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui reges seu quicumque alii homines, vos quoque et vestri barones ad eumdem locum contulistis, et chartas, quae ex eis factae sunt, divinâ et nostrâ auctoritate roboramus, et ratas ac stabiles esse

decernimus, et infractores earum, vel invasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, aeterna maledictione cum Juda proditore damnamus, ut in beata non habeant partem resurrectione, sed a beato Petro Apostolo se judicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis, judicans duodecim tribus Israël. Vobis vero et posteris vestris regibus committimus advocationem et tuitionem ejusdem loci, et omnium totius Angliae ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio Episcoporum et Abbatum constituatis ubique quae justa sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cujus regnum et imperium non desinet, nec minuetur in seculum. »

§ **17**. Sanctus autem Eduardus tributum illud gravissimum, quod tempore patris sui classi Danicae pendebatur, et postmodum fisco regio inferebatur, regia liberalitate remisit, et ab hoc onere importabili in perpetuum Angliam absolvit. Cum enim collecta illa pecunia ante illum delata esset, diabolum super cumulum sedentem et ludentem vidit, et ne amplius exigeretur, praecepit. Cum in palatio, juxta ecclesiam beati Petri, Rex aliquando moraretur, supervenit quidam vir mirabilis, Hibernicus genere, pedis utriusque privatus officio (nervi enim in poplite contracti, ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhaeserant, immersique carnibus pedum articuli, a lumbis ejus et deorsum corpus omne perverterant. Porrectis ad terram manibus, et scamnis suppositis repebat, et factus sibimetipsi gravis, trahebat se post se). Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum : « Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec movebit te mea tanta calamitas? » Et ille : « Quid me vis facere? » Cui pauper : « Sexies, inquit, Apostolorum limina repens (ut cernis) visitavi, et sanitatem necdum promerui. Quam tamen mihi Apostolorum princeps non negavit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi novit in omnibus esse devotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi Regem adire, ut me suo sacro subvectum dorso ad ecclesiam ejus, quae palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. » Haec ubi nunciata sunt Regi, gratias agit Deo, et citatus mox aeger, accessit. Rex vero, ut spiritalis ille asinus fortis, àccubans in terminis, supposuit humeros suos ad portandum. Pendet de humero tanti principis plenus sordibus pauper, squalidis manibus, brachiisque squamosis regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii a paupere Regem delusum jocabantur, alii simplicitatem justi, fatuitatem judicabant. Cum itaque Rex paululum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidae recalescunt, emergunt a carne articuli, pedes a natibus solvuntur. Distendit homo crura, poplite jam flexibili, et sanie cum sanguine profluente, vestis regia ornatur

potius, quam foedatur. Jam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor praecepti quod susceperat, Syrenarum cantus, obturatâ aure, pertransiit; ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac beato Petro resignat, incolumemque dimisit. Suscepto autem a Rege itineris viatico, acturus gratias Deo et sancto Petro, Romam profectus est.

§ **18**. In monasterio autem beati Petri ante altare sanctae Trinitatis, Missarum solemniis sanctus Rex vice quadam cum comite Leofrico adsistebat. Et ecce speciosus ille forma prae filiis hominum Christus Jesus, in ara consistens, oculis utriusque visibiliter corporalis apparuit, sacrâque dexterâ super Regem extensâ, signum sanctae crucis eum benedicendo depinxit. At Rex, demisso capite, divinae majestatis adorabat praesentiam. Comes vero quid in animo Regis ageretur ignorans, volens Regem tantae visionis esse participem coepit velle ad ipsum usque procedere. Verum Rex quid in mente comitis volvebatur, intelligens: « Sta, inquit, Leofrice, sta; quod vides, video et ego. » Post Missam vero dixit Rex ad comitem: « Per ejus, quem vidimus, majestatem, mi Leofrice, te obtestor, ne, quoadusque vixerimus, sermo iste proferatur in publicum, ne vel nos in perniciem nostram ob favorem vulgi pulset elatio, vel fidem dèroget dictis infidelium aemulatio.» Sub faucibus autem quasi glandes mulieri cuidam succreverant, quae totam faciem deformi tumore foedantes, putrefactis sub cute humoribus, sanguinem in saniem verterant. Inde nati vermes, odorem teterrimum exalabant. Jubetur tandem in somnis adire palatium, et ex Regis manibus sperare remedium: quibus si lota, si tacta, si signata foret, meritis ejus reciperet sanitatem. Cum autem venisset ad Regem, et oraculum exposuisset, ille nec sordes cavit, nec foetorem exhorruit; sed loca tumentia manibus contrectans, et aqua lavans, signum sanctae Crucis impressit. Et subito, ruptâ cute, cum sanie vermes ebulliunt, recedit tumor, et dolor omnis abscessit.

§ **19**. Caecus quidam docetur oraculo, lumen amissum sancti Regis meritis se adepturum, si lympha, quâ manus ablueret, ipse faciem perfudisset. Cumque id cubiculario. et ille Regi retulisset, obstupuit ille plurimum indignatus: illusum phantasmatibus hominem, nihil tale de peccatore sperandum, Apostolicae id esse virtutis, nec fidem somniis adhibendam asseruit. Aqua manus lavit, et ad ecclesiam processit. Cubicularius autem caeco receptam in pelvi aquam illam tradit, cum qua oculos et faciem lavans, visum confestim percipere meruit. Civis quidam Lincolniensis, caecitate percussus, ad palatium Regis veniens, aqua lotionis manuum ejus, faciem et oculos lavat: mox tenebris diuturnis optata lux succedit. Quidam caecus Regem adire et visum ab eo percipere monitus, cubiculario, et ille rem Regi

pandit. Cui Rex: « Veniat, inquit. Quis ego sum qui contrister, et non potius exultem, si meis manibus, licet indignis, promissum beneficium homini illi pietas divina contulerit? » Vocatus est autem vir, et a Rege tactus et signatus, et inter manus ejus ab oculis utrisque ubertim sanguis effluxit, pupillas serenavit, et tumorem palpebrarum deposuit. Ed dixit homo ille: « Video te, domine mi Rex, et facies tua tamquam facies angeli, stantis ante me. » Aliâ autem vice, duo caeci, cum uno monoculo, aqua lotionis manuum sancti perfusi, visum percipere meruerunt.

§ **20**. Sedebat aliquando Rex ad mensam, et a latere ejus comes Godwinus. Hujus duo filii adhuc pueri, Haraldus et Tostius, ludebant coram eis; cumque unus ex illis amarius, quam expetebat ludi suavitas, insurrexisset in alterum, ludum vertunt in pugnam. Et ecce Haraldus vehementius in fratrem irruens, capillis ejus utramque manum inserit, prostratumque, nisi citius eriperetur, virtute superior suffocasset. Tunc Rex versus ad ducem, ait: « Nihil aliud, o Godwine, nisi simplicem in his vel ludum puerorum, vel pugnam contemplaris? » Et ille: « Nihil aliud, domine mi. » Tunc Rex dixit: « Longe aliud mea mihi mens loquitur, et his quid futurum sit pueris, per hoc mihi bellum revelatur. Emensis quippe puerilibus annis, cum in virum uterque profecerit, tandem adversus invicem livor utrumque aduret. Et primum circumventione insidiisque privatis quasi ludere videbuntur; ad ultimum fortior infirmiorem proscribet, rebellantem prosternet, et prioris mortem post modicum sequens alterius calamitas expiabit » Quae omnia sic completa, tota Anglia teste, probatur. Nam Tostius ab Haraldo fugatus, cum paulo post in regnum successisset Eduardo Haraldus, una cum rege Norwegiae Tostius prosternitur, et totus fere exercitus deletur. Eodem anno Haraldus ipse, regno spoliatus Anglorum, aut misere occubuit, aut, ut quidam putant, poenitentiae tantum servatus, evasit.

§ **21**. Godwinus cum in mensa Regi assideret, unus ministrorum in obicem aliquem uno pede immoderatius impingens, pene lapsum incurrit. Quem tamen pes alius recto gressu procedens, iterum in statum suum nihil injuriae passum erexit. De hoc eventu pluribus inter se loquentibus, et quod pes pedi subvenerit gratulantibus, comes quasi ludendo intulit: « Sic est frater fratrem adjuvans, et alter alteri in necessitate subveniens. » Et ait Rex ad ducem: « Hoc meus mihi fecisset, si Godwinus hoc permisisset. » Ad hanc vocem Godwinus expavit, et tristem praeferens vultum, ait: « Scio ego, Rex, scio; adhuc de morte fratris tui tuus me accusat animus, nec eis aestimas discredendum, qui me vel ejus, vel tuum vocant proditorem. Sed secretorum omnium conscius, Deus, judicet, et sic buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, et me servet

illaesum, sicut nec tuae proditionis reus, nec de fratris tui nece mihi conscius existo. » Cumque vir beatus buccellam manu benedicens signasset, miser ille eam ori inferens, usque in medium gutturis pertraxit. Tentat interius trahere, nec valet; tentat emittere, sed firmius haesit. Mox meatus, quibus ducebatur spiritus, obcluditur, vertuntur oculi, brachia rigescunt *. Intuetur infeliciter morientem Rex, et ultionem in eum sentiens processisse divinam, adstantes alloquitur, dicens: « Extrahite canem istum. » Et factum est ita. Hic Godwinus simplicitate Regis abutens, multa in regno contra justitiam et Deum faciebat. Cunctos fere Regis cognatos et amicos, quos de Nortmannia adduxerat, fraude sua, dolo et circumventione de patria exturbabat, credens sibi cuncta processura pro voto, si Rex, amicis nudatus, suis tantum consiliis uteretur. At Rex, cuncta dissimulans, divinis vacabat obsequiis, ultionemque Dei sibi futuram multis praedixit. Aliquando etiam ipsi Godwino idipsum non tacuit.

§ **22**. In die Dominicae resurrectionis, cum Rex ad mensam sederet, arctius solito se collegit ad se; et ponens prae oculis Deum, omnia ista mundana arbitrabatur ut stercora. Et ecce subito vultus ejus plus solito serenabatur, interiorque laetitia labia solvebat in risum; rursumque solita gravitate resumptâ, obscuriorem faciem praeferebat. Mirabantur qui adstabant; nemo tamen audebat eum interrogare quid accidisset. Mensis tandem sublatis, secutus est ad thalamum Regem dux Haraldus, cum uno Episcopo et Abbate uno; simulque Regem super hoc sermone conveniunt. Tunc ille ait: « Quantum se quisque subtraxerit vanis, tantum veris arctius adhaerebit. Ecce enim ego inter fecundos calices, et pinguia fercula, ac radiantis metalli splendorem recordatus sum Domini Dei mei, et effudi in me animam meam; dilatatoque mentis sinu, oculus interior spirituali perfusus lumine, radios profecto usque ad illam Ephesiorum civitatem mira celeritate porrexit, et usque in montem Celion progressus, sanctorum quidem Septem Dormientium, quiescentium in spelunca, proprietatem vultuum, necnon membrorum quantitatem, ac qualitatem vestium expressione manifestissima contemplatus est. Haec dum, interiorem risu significante laetitiam, corde luminoso conspicerem; subito, me cernente, a latere dextro, super quod multis quieverant annis, in sinistrum se latus virtute divina vertentes, dirum mortalibus omen hac laterum suorum mutatione signarunt. Exhinc enim surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt pestilentiae et fames, et terraemotus magni per loca. His enim septuaginta annis (tantum enim tempus in sinistro latere repausabunt) visitabit Dominus iniquitatem plebis suae, tradens eos in manus gentium, ut dominentur eis

* Comes Godwinus, cum in mensa S. Edmundi regis assideret, repentino morbo perculsus, animam efflavit anno 1054.

concessit nobis, dicens: *Quaecumque solveris super terram, soluta erunt et in coelis* (*Matth.* XVI). Deinde praecipimus tibi sub nomine sanctae obedientiae et poenitentiae, ut expensas, quas ad iter istud paraveras, pauperibus èroges, et coenobium monachorum in honore sancti Petri Apostolorum principis aut novum constituas, aut vetustum emendes et augeas, et sufficientiam victualium fratribus de tuis reditibus constituas: quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, et Sanctis augeatur gloria, et tibi indulgentia. Cui loco quicquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur, ut ratum sit, Apostolica auctoritate praecipimus, et ut semper habitatio monachorum sit, et nulli laicae personae nisi regi subdatur: et quaecumque privilegia ibi constituere volueris ad honorem Dei pertinentia, concedimus et robustissima auctoritate confirmamus, et in fine fractores eorum aeterna maledictione damnamus. »

§ **II**. Responsalibus autem regis et litteris Pontificis oraculum coeleste concurrit. Erat enim vir quidam in Anglia, Deo dilectus et hominibus, qui, in specu subterraneo multis annis inclusus, suorum erat meritorum stipendiis jam vicinus. Huic Petrus Apostolus in visione noctis assistens, ait: « Rex Eduardus pro voto, quo se cum adhuc exultaret adstrinxerat, pro regni etiam pace pauperumque necessitate preceque sollicitus, Romanam Ecclesiam de omnibus credidit consulendam. Noverit ergo se mea auctoritate ab hac obligatione solutum, et de coenobio ad mei nominis honorem construendo, a summo Pontifice suscepisse mandatum. Incunctanter itaque litteris Apostolicis fidem habeat, praeceptis obediat, consiliis acquiescat. A me enim egressus est sermo, quem sibi quondam patronum elegit, viae comitem, gratiae largitorem. Est autem mihi locus in occidentali parte Londoniae a me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi propriis manibus consecravi, meâ nobilitavi praesentiâ, divinis etiam miraculis illustravi. Thorneja nomen est loci, qui quondam ob peccata populi, Barbarorum traditus est potestati, pauperrimus ex divite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc me rex praecipiente in habitaculum monachorum suscipiat reparandum, sublimandum aedificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi aliud, nisi domus Dei et porta coeli. Ibi erigenda est scala, per quam descendentes et ascendentes angeli, preces et vota hominum perferant, et deferant gratiam. Inde ascendentibus reserabo januas paradisi, ut ex officio, quod meus mihi Dominus ac Salvator injunxit, et ligatos absolvam, et absolutos suscipiam: et quam eis delictum occluserat, justificatis portam patriae coelestis aperiam. Tu autem omnia, quae audisti a me et didicisti, litteris tradens, regi mitte, ut, munere Dei duplicato, et de absolutione securior, et praecepti executione devotior, in mei autem dilectione et obsequio reperiatur propensior. » His dictis, lux cum loquente disparuit.

Scripsit itaque senex omnia audita, et Regi direxit. Eadem autem horâ, lecto Papae rescripto, beati senis apices recitantur. Tunc Rex laetus et àlacris, pecuniam quam ad peregrinationem paraverat, pauperibus distribuit, et monasterium aedificavit.

§ **12**. Tempore quo rex Ethelbertus *, qui regnavit in Cantia, praedicante beato Augustino fidei sacramenta susceperat, nepos ejus Sebertus, qui orientalibus Anglis praefuit, fidem, eodem Episcopo evangelizante, suscepit. Hic Londoniis, quae regni sui caput habebatur, intra muros ecclesiam beati Pauli fabricavit, et episcopali honore, Mellitum episcopum instituens honoravit. Extra muros vero in occidentali parte, in honore beati Petri monasterium insigne fundavit, et multis possessionibus ditavit. Nocte autem, dedicationem ejusdem ecclesiae praecedente, piscatori cuidam Thamensis ** fluvii, qui idem monasterium praeterfluit, ulteriori ripa in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promissâ mercede, transponi se ab eodem et petiit, et promeruit. Egressus autem de navicula, ecclesiam, piscatore cernente, ingreditur. Et ecce subito lux coelestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia, noctem convertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo civium supernorum ingredientium, melodiaque coelestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus quae ad ecclesiae dedicationem spectant, solemniis, redit ad piscatorem piscium piscator egregius hominum. Quem dum divini luminis fulgore perterritum, et alienatum pene sensibus reperisset, blanda consolatione reddit hominem sibi, animum rationi. Ingredientes cymbam simul uterque piscator, ait Petrus: « Nunquid pulmentarium non habes? » Et ille, « Inconsultae, inquit, lucis perfusione stupidus, et exspectatione tui detentus, nihil cepi, sed promissam a te mercedem securus exspectavi. » Ad haec Apostolus ait: « Laxa nunc retia in capturam. » Paruit imperanti piscator, et mox implevit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant ejusdem generis pisces, praeter unum mirae enormitatis esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus: « Hunc qui prae caeteris pretio et magnitudine praecellit, Mellito, ex mea parte, defer piscem, episcopo. Pro nautica vero mercede, caetera tibi tolle.

§ **13**. « Hujus generis copia abundabis in vita tua, et longo tempore post te progenies tua: tantum, ne ultra piscari audearis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis concivibus constructam in meo nomine Basilicam dedicavi, episcopalemque benedictionem meae sanctificationis auctoritate praevèni. Dic ergo pontifici, quae vidisti et audisti: tuoque sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione; suppleat, quod omisimus,

* Is regnavit in Kantia (*Kent*), anno 857; Angliae autem regno potitus est anno 860.
** Italice, *Tamigi*.

Dominici corporis et sanguinis sacrosancta mysteria: populumque sermone erudiens, notificet omnibus hunc locum me crebro visitaturum, hic me fidelium votis et precibus affuturum: sobrie vero, pie et juste in hoc seculo viventibus coeli januam reseraturum. » His dictis, confestim ab oculis ejus disparuit. Mane autem facto, episcopo Mellito ad dedicandam ecclesiam procedenti, cum pisce piscator occurrit, et omnia quae sibi mandata fuerant, pandit. Stupet antistes, reseratisque ecclesiae valvis, videt pavimentum utriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodènis crucibus inhaerere, et quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus, una cum populo Deum benedicebat, et illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quae sicut a patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro eique servientibus decimas offerebat. Unus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tamdiu artis caruit beneficio, donec confessus reatum, et ablatum restitueret, et promitteret correctionem.

§ **14**. Haec cum sanctus Eduardus relatione ac scriptis veterum didicisset, ad monasterium illud aedificiis, possessionibus et dignitatibus altius extollendum exarsit animus ejus, et pro privilegiis illius loci caeterisque causis, nuncios Romam transmisit, talem epistolam Papae deferentes: « Summo universalis ecclesiae patri Nicolao *, Eduardus gratia Dei Anglorum rex, debitam et subjectionem et obedientiam. Glorificamus Deum, quia curam habet suae electae Ecclesiae, quoniam in loco boni praedecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter justum judicamus, apud vos velut ad solidam petram acuere et probare omnes bonas actiones nostras, et vestram notitiam atque societatem in bono habere; quatenus eas donationes et privilegia, quae obtinuimus apud praedecessorem vestrum, renovetis et augeatis nobis, videlicet ut quod ille injunxerat nobis sub nomine obedientiae et poenitentiae propter votum, quod voveram ire Romam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, construere coenobium monachorum in honore apostoli Petri, ratum faciatis, et privilegia possessionum et dignitatum ejusdem loci confirmetis, renovetis et decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo et confirmo donationes et consuetudines pecuniarum, quas habet sanctus Petrus in Anglia; et ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me, et pro pace regni mei, et continuam ac solemnem memoriam instituatis totius gentis Angliae coram corporibus sanctorum Apostolorum. »

§ **15**. Rescripsit autem ei Papa in hunc modum: « Nicolaus episcopus servus servorum Dei, gloriosissimo ac piissimo, omnique

* Nicolaus II.

honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, et benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit et decoravit, erga beatum Petrum Apostolorum principem, et nobiscum habere dilectionem, et in omnibus Apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestrae nobilitati transmittimus, et per eas sanctorum Apostolorum societatem et nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui est Dominus omnium, et rex super omnia solus, ut ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris, et fratres nos, ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem obsequii nostri vobis in suo regno reconsignet, quam nobismetipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, ut ipse Deus subjiciat hostes et inimicos, qui contra vos voluerint insurgere; et confirmet vos in paterno solio et propria haereditate, ac beatus Petrus sit vobis custos et adjutor in omni tribulatione. Renovamus ergo, et confirmamus, ac augemus vobis privilegia vestra, scilicet ut absolutus sitis ab illo voto quod timebatis, et ab omnibus aliis peccatis et iniquitatibus vestris auctoritate illius, qui me, licet indignum, suae sanctae praeesse voluit Ecclesiae.

§ **16**. « Praeterea illi loco, quem sub nomine sanctae poenitentiae construendum et meliorandum suscepistis, quoniam, ut fertur, primam antiquitus consecrationem a beato Petro accepit, cujus, licet indigni, Vicarii sumus, et quia regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei et sanctorum Apostolorum atque hujus Romanae Sedis et nostra concedimus, permittimus, et solidissime confirmamus, ut amplius in perpetuum regiae constitutionis locus sit, atque repositorium regalium insignium, et habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino personae nisi regi subdantur, habeantque potestatem secundum regulam sancti Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse praeelegerit. Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio et dominatione episcopali, ut nullus Episcopus illuc introëat ordinaturus aut praecepturus aliquid, nisi ex petitione et consensu Abbatis et monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum et coemeterium mortuorum circa se, absque episcopali vel cujuslibet respectu, vel exactione; et omnia, quae ad libertatem et exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia, per nostram auctoritatem accedere possunt, hilari et promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui reges seu quicumque alii homines, vos quoque et vestri barones ad eumdem locum contulistis, et chartas, quae ex eis factae sunt, divinâ et nostrâ auctoritate roboramus, et ratas ac stabiles esse

decernimus, et infractores earum, vel invasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, aeterna maledictione cum Juda proditore damnamus, ut in beata non habeant partem resurrectione, sed a beato Petro Apostolo se judicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis, judicans duodecim tribus Israël. Vobis vero et posteris vestris regibus committimus advocationem et tuitionem ejusdem loci, et omnium totius Angliae ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio Episcoporum et Abbatum constituatis ubique quae justa sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cujus regnum et imperium non desinet, nec minuetur in seculum. »

§ **17**. Sanctus autem Eduardus tributum illud gravissimum, quod tempore patris sui classi Danicae pendebatur, et postmodum fisco regio inferebatur, regia liberalitate remisit, et ab hoc onere importabili in perpetuum Angliam absolvit. Cum enim collecta illa pecunia ante illum delata esset, diabolum super cumulum sedentem et ludentem vidit, et ne amplius exigeretur, praecepit. Cum in palatio, juxta ecclesiam beati Petri, Rex aliquando moraretur, supervenit quidam vir mirabilis, Hibernicus genere, pedis utriusque privatus officio (nervi enim in poplite contracti, ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhaeserant, immersique carnibus pedum articuli, a lumbis ejus et deorsum corpus omne perverterant. Porrectis ad terram manibus, et scamnis suppositis repebat, et factus sibimetipsi gravis, trahebat se post se). Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum : « Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec movebit te mea tanta calamitas? » Et ille : « Quid me vis facere? » Cui pauper : « Sexies, inquit, Apostolorum limina repens (ut cernis) visitavi, et sanitatem necdum promerui. Quam tamen mihi Apostolorum princeps non negavit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi novit in omnibus esse devotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi Regem adire, ut me suo sacro subvectum dorso ad ecclesiam ejus, quae palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. » Haec ubi nunciata sunt Regi, gratias agit Deo, et citatus mox aeger, accessit. Rex vero, ut spiritalis ille asinus fortis, àccubans in terminis, supposuit humeros suos ad portandum. Pendet de humero tanti principis plenus sordibus pauper, squalidis manibus, brachiisque squamosis regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii a paupere Regem delusum jocabantur, alii simplicitatem justi, fatuitatem judicabant. Cum itaque Rex paululum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidae recalescunt, emergunt a carne articuli, pedes a natibus solvuntur. Distendit homo crura, poplite jam flexibili, et sanie cum sanguine profluente, vestis regia ornatur

potius, quam foedatur. Jam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor praecepti quod susceperat, Syrenarum cantus, obturatâ aure, pertransiit; ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac beato Petro resignat, incolumemque dimisit. Suscepto autem a Rege itineris viatico, acturus gratias Deo et sancto Petro, Romam profectus est.

§ **18**. In monasterio autem beati Petri ante altare sanctae Trinitatis, Missarum solemniis sanctus Rex vice quadam cum comite Leofrico adsistebat. Et ecce speciosus ille forma prae filiis hominum Christus Jesus, in ara consistens, oculis utriusque visibiliter corporalis apparuit, sacrâque dexterâ super Regem extensâ, signum sanctae crucis eum benedicendo depinxit. At Rex, demisso capite, divinae majestatis adorabat praesentiam. Comes vero quid in animo Regis ageretur ignorans, volens Regem tantae visionis esse participem coepit velle ad ipsum usque procedere. Verum Rex quid in mente comitis volvebatur, intelligens: « Sta, inquit, Leofrice, sta; quod vides, video et ego. » Post Missam vero dixit Rex ad comitem: « Per ejus, quem vidimus, majestatem, mi Leofrice, te obtestor, ne, quoadusque vixerimus, sermo iste proferatur in publicum, ne vel nos in perniciem nostram ob favorem vulgi pulset elatio, vel fidem dèroget dictis infidelium aemulatio.» Sub faucibus autem quasi glandes mulieri cuidam succreverant, quae totam faciem deformi tumore foedantes, putrefactis sub cute humoribus, sanguinem in saniem verterant. Inde nati vermes, odorem teterrimum exalabant. Jubetur tandem in somnis adire palatium, et ex Regis manibus sperare remedium: quibus si lota, si tacta, si signata foret, meritis ejus reciperet sanitatem. Cum autem venisset ad Regem, et oraculum exposuisset, ille nec sordes cavit, nec foetorem exhorruit; sed loca tumentia manibus contrectans, et aqua lavans, signum sanctae Crucis impressit. Et subito, ruptâ cute, cum sanie vermes ebulliunt, recedit tumor, et dolor omnis abscessit.

§ **19**. Caecus quidam docetur oraculo, lumen amissum sancti Regis meritis se adepturum, si lympha, quâ manus ablueret, ipse faciem perfudisset. Cumque id cubiculario. et ille Regi retulisset, obstupuit ille plurimum indignatus: illusum phantasmatibus hominem, nihil tale de peccatore sperandum, Apostolicae id esse virtutis, nec fidem somniis adhibendam asseruit. Aqua manus lavit, et ad ecclesiam processit. Cubicularius autem caeco receptam in pelvi aquam illam tradit, cum qua oculos et faciem lavans, visum confestim percipere meruit. Civis quidam Lincolniensis, caecitate percussus, ad palatium Regis veniens, aqua lotionis manuum ejus, faciem et oculos lavat: mox tenebris diuturnis optata lux succedit. Quidam caecus Regem adire et visum ab eo percipere monitus, cubiculario, et ille rem Regi

pandit. Cui Rex: « Veniat, inquit. Quis ego sum qui contrister, et non potius exultem, si meis manibus, licet indignis, promissum beneficium homini illi pietas divina contulerit? » Vocatus est autem vir, et a Rege tactus et signatus, et inter manus ejus ab oculis utrisque ubertim sanguis effluxit, pupillas serenavit, et tumorem palpebrarum deposuit. Ed dixit homo ille: « Video te, domine mi Rex, et facies tua tamquam facies angeli, stantis ante me. » Aliâ autem vice, duo caeci, cum uno monoculo, aqua lotionis manuum sancti perfusi, visum percipere meruerunt.

§ **20**. Sedebat aliquando Rex ad mensam, et a latere ejus comes Godwinus. Hujus duo filii adhuc pueri, Haraldus et Tostius, ludebant coram eis; cumque unus ex illis amarius, quam expetebat ludi suavitas, insurrexisset in alterum, ludum vertunt in pugnam. Et ecce Haraldus vehementius in fratrem irruens, capillis ejus utramque manum inserit, prostratumque, nisi citius eriperetur, virtute superior suffocasset. Tunc Rex versus ad ducem, ait: « Nihil aliud, o Godwine, nisi simplicem in his vel ludum puerorum, vel pugnam contemplaris? » Et ille: « Nihil aliud, domine mi. » Tunc Rex dixit: « Longe aliud mea mihi mens loquitur, et his quid futurum sit pueris, per hoc mihi bellum revelatur. Emensis quippe puerilibus annis, cum in virum uterque profecerit, tandem adversus invicem livor utrumque aduret. Et primum circumventione insidiisque privatis quasi ludere videbuntur; ad ultimum fortior infirmiorem proscribet, rebellantem prosternet, et prioris mortem post modicum sequens alterius calamitas expiabit » Quae omnia sic completa, tota Anglia teste, probatur. Nam Tostius ab Haraldo fugatus, cum paulo post in regnum successisset Eduardo Haraldus, una cum rege Norwegiae Tostius prosternitur, et totus fere exercitus deletur. Eodem anno Haraldus ipse, regno spoliatus Anglorum, aut misere occubuit, aut, ut quidam putant, poenitentiae tantum servatus, evasit.

§ **21**. Godwinus cum in mensa Regi assideret, unus ministrorum in obicem aliquem uno pede immoderatius impingens, pene lapsum incurrit. Quem tamen pes alius recto gressu procedens, iterum in statum suum nihil injuriae passum erexit. De hoc eventu pluribus inter se loquentibus, et quod pes pedi subvenerit gratulantibus, comes quasi ludendo intulit: « Sic est frater fratrem adjuvans, et alter alteri in necessitate subveniens. » Et ait Rex ad ducem: « Hoc meus mihi fecisset, si Godwinus hoc permisisset. » Ad hanc vocem Godwinus expavit, et tristem praeferens vultum, ait: « Scio ego, Rex, scio; adhuc de morte fratris tui tuus me accusat animus, nec eis aestimas discredendum, qui me vel ejus, vel tuum vocant proditorem. Sed secretorum omnium conscius, Deus, judicet, et sic buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, et me servet

illaesum, sicut nec tuae proditionis reus, nec de fratris tui nece mihi conscius existo. » Cumque vir beatus buccellam manu benedicens signasset, miser ille eam ori inferens, usque in medium gutturis pertraxit. Tentat interius trahere, nec valet; tentat emittere, sed firmius haesit. Mox meatus, quibus ducebatur spiritus, obcluditur, vertuntur oculi, brachia rigescunt *. Intuetur infeliciter morientem Rex, et ultionem in eum sentiens processisse divinam, adstantes alloquitur, dicens: « Extrahite canem istum. » Et factum est ita. Hic Godwinus simplicitate Regis abutens, multa in regno contra justitiam et Deum faciebat. Cunctos fere Regis cognatos et amicos, quos de Nortmannia adduxerat, fraude sua, dolo et circumventione de patria exturbabat, credens sibi cuncta processura pro voto, si Rex, amicis nudatus, suis tantum consiliis uteretur. At Rex, cuncta dissimulans, divinis vacabat obsequiis, ultionemque Dei sibi futuram multis praedixit. Aliquando etiam ipsi Godwino idipsum non tacuit.

§ 22. In die Dominicae resurrectionis, cum Rex ad mensam sederet, arctius solito se collegit ad se; et ponens prae oculis Deum, omnia ista mundana arbitrabatur ut stercora. Et ecce subito vultus ejus plus solito serenabatur, interiorque laetitia labia solvebat in risum; rursumque solita gravitate resumptâ, obscuriorem faciem praeferebat. Mirabantur qui adstabant; nemo tamen audebat eum interrogare quid accidisset. Mensis tandem sublatis, secutus est ad thalamum Regem dux Haraldus, cum uno Episcopo et Abbate uno; simulque Regem super hoc sermone conveniunt. Tunc ille ait: « Quantum se quisque subtraxerit vanis, tantum veris arctius adhaerebit. Ecce enim ego inter fecundos calices, et pinguia fercula, ac radiantis metalli splendorem recordatus sum Domini Dei mei, et effudi in me animam meam; dilatatoque mentis sinu, oculus interior spirituali perfusus lumine, radios profecto usque ad illam Ephesiorum civitatem mira celeritate porrexit, et usque in montem Celion progressus, sanctorum quidem Septem Dormientium, quiescentium in spelunca, proprietatem vultuum, necnon membrorum quantitatem, ac qualitatem vestium expressione manifestissima contemplatus est. Haec dum, interiorem risu significante laetitiam, corde luminoso conspicerem; subito, me cernente, a latere dextro, super quod multis quieverant annis, in sinistrum se latus virtute divina vertentes, dirum mortalibus omen hac laterum suorum mutatione signarunt. Exhinc enim surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt pestilentiae et fames, et terraemotus magni per loca. His enim septuaginta annis (tantum enim tempus in sinistro latere repausabunt) visitabit Dominus iniquitatem plebis suae, tradens eos in manus gentium, ut dominentur eis

* Comes Godwinus, cum in mensa S. Edmundi regis assideret, repentino morbo perculsus, animam efflavit anno 1054.

qui oderunt illos. Inimici namque nominis Christi insurgent in Christianos, servi dominis rebellabunt, reges insidiabuntur regibus, et principibus principes, et in omnibus finibus terrae ultor injuriae Christi mucro desaeviet. » Et exposuit eis Rex vitam illorum, et nomina, et passionem, et dormitionis modum. Quibus auditis, inito consilio, ut fidem posteris facerent, ad explorandam sermonis veritatem, dux militem, clericum pontifex, abbas monachum cum litteris regiis ad Imperatorem Constantinopolitanum direxerunt. Qui omnia vera reperientes, incolumes ad Regem regressi sunt.

§ **23**. Sanctus Eduards nulli petenti in nomine sancti Joannis Evangelistae aliquid denegabat: hunc enim post Apostolorum principem arctius diligebat. Unde contigit, quod quidam peregrinus, absente camerario, in nomine sancti Joannis Evangelistae importune a Rege eleemosynam postularet. Cui Rex pretiosum annulum, cum nil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post haec, duos Anglicos, ad adorandum Salvatoris sepulcrum, Jerosolymam proficisci. Qui, die quadam, a publica strata declinantes, devia quaeque sectati sunt: et sole ruente, nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reduxit. Susceptis autem hospitio, mensa paratur; lautissimeque refecti, dant membra quieti. Mane autem facto, egressis illis de civitate, ait senex: « Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis; quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, et ego ob amorem Regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi, Joannes, qui Regem vestrum ob meritum castitatis, summa dilectione, complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denunciantes ei obitus sui instare diem: quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur agnum quocumque ierit. » His dictis, disparuit; et illi ad patriam prospere redeuntes, quae viderant et audierant, Regi seriatim retulerunt. Cum autem Rex infirmitate gravi detineretur, in mentis raptus excessum, biduo fere jacebat exanimis. Tandem quasi de gravi somno evigilans, aperuit oculos, et sedit, et assumpta parabola, ait: « Cum adolescens in Nortmannia exsularem, grata mihi semper extitit bonorum amicitia; et quicumque sacrae religionis meliores videbantur, hi mihi caeteris erant familiariores. Inter quos, duos monachos speciali quadam mihi devinxerant charitate conversationis honestas, vitae sanctitas, suavitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentius visitabam: quam dulcia faucibus meis eloquia eorum! Hos ante plurimos annos translatos ad caelum, vidi mihi paulo ante in somnis assistere: quid genti meae post obitum meum sit futurum, ex Dei mandato mihi referentes.

§ 24. « Impletam dicunt Anglorum nequitiam, et iniquitas consummata iram provocat, accelerat vindictam. Sacerdotes praevaricati sunt pactum Domini; polluto pectore et manibus inquinatis sancta contrectant. Et hi non pastores, sed mercenarii, exponunt lupis oves, non protegunt; lac et lanam quaerunt, non oves: ut detrusos ad inferos mors et pastores depascat, et oves. Sed et principes terrae infideles, socii furum, praedones patriae: quibus nec Deus timori est, nec lex honori; quibus veritas oneri, jus contemptui, crudelitas delectationi. Itaque nec praelati justitiam, nec servant subditi disciplinam. Et ecce Dominus gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum. Ostendit deinceps populo huic iram et indignationem, immissiones insuper per angelos malos, quibus traditi sunt anno uno et die uno, igne simul et gladio puniendi. Ego vero ob intentatam meae genti calamitatem dolens atque suspirans, dixi: O coelestium secretorum conscii, si conversi egerint poenitentiam, nunquid non ignoscet Deus, et relinquet post se benedictionem? Poenitentia certe prolatam Dei ore in Ninivitas suspendit sententiam; quae etiam imminentem impiissimo Achab, debitam distulit ultionem. Suadebo igitur genti meae, ut poeniteant de praeteritis, et caveant de futuris; et forte miserebitur Deus, ut non inducat super eos malum hoc grande: sed qui punire praeparavit aversos, recipiat in gratiam solita pietate conversos.

§ 25. « Nequaquam, inquiunt, hoc erit: quoniam induratum est cor populi hujus, et excaecati oculi, et aures aggravatae, ut nec audiant corripientem, nec intelligant commonentem, nec terreantur minis, nec beneficiis provocentur. His eorum verbis dum mihi major accresceret sollicitudo, dixi: Num ita in perpetuum irascetur Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Quando ergo tot tristibus laeta succedent, aut tot adversa qualis consolatio temperabit? Quale sperandum est in his malis remedium, ut sicut illinc terret et contristat futura correptio, ita hinc aliquantulum mulceat divinae miserationis promissio? Ad haec Sancti tale mihi problema proponunt: Arbor quaelibet viridis a suo trunco decisa, ad trium jugerum spatium a radice propria separetur. Quae cum, nulla hominis manu cogente, nulla urgente necessitate, ad suum reversa truncum, in antiquam radicem sese receperit, resumptoque succo rursum floruerit et fructum fecerit, tunc sperandum est aliquod in hac tribulatione solatium, et de ea quam praediximus, adversitate remedium. Haec cum dixissent, ipsi coelo, vobis ego redditus sum. » Assidebant narranti visionem regina, Robertus sacri palatii custos, dux Haraldus *, Stigandus, et qui ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus, vivente adhuc archiepiscopo Roberto, cathedram Cantuariensem invadens. Ob hoc a summo Pontifice suspensus, paulo post

* Haraldus vel Haroldus, Godwinii filius, qui S. Edmundo in regno successit.

crepuit, et effusa sunt viscera ejus. Hic ad vocem narrantis obduruit, nec terretur oraculo, nec fidem habuit prophetanti : sed potius Regem senio confectum delirare submurmurans, ridere maluit quam lugere. Caeteri vero, quibus mens sanior erat, flebant ubertim et suspirabant, qui nihil secus quam ipse dixerat, aut a sacerdotibus, aut a principibus fieri non ignorabant.

§ **26**. Quidam enim praemissam similitudinem dicunt Regem pro impossibili statuisse, illi maxime, qui totam Anglorum nobilitatem sic deperisse lugebant, ut ex ea gente nec Rex, nec Episcopus, nec Abbas, nec princeps quilibet vix in Anglia cerneretur. Mihi sane alia mens, consideranti sanctissimum virum Dunstanum, et ipsam calamitatem praedixisse, et consolationem nihilominus promisisse. Potest proinde sic non inconvenienter exponi : « Arbor haec regnum Anglorum significat, decorum gloria, deliciis divitiisque fecundum, excellentia regiae dignitatis sublime. Radix, ex qua totus honor iste processit, regium semen fuit, quod ab Alfredo, qui primus Anglorum a summo Pontifice unctus et consecratus fuerat in regem, rectâ successionis lineâ usque ad sanctum Eduardum descendit. Abscissa est arbor de trunco, quando regnum a genere regali divisum, ad aliud semen translatum est. Ad spatium trium jugerum haec facta est separatio; quia in trium temporibus Regum, nulla fuit novis cum antiquo semine regali communio. Haraldus enim successit Eduardo, Wilhelmus * Haraldo, Wilhelmus junior priori Wilhelmo. Accessit ad radicem, quando rex Henricus, in quem totum regium decus transfusum est, nulla necessitate cogente, nulla spe lucri urgente, sed ex infuso ei amoris affectu, abneptem Eduardi Mathildam duxit uxorem, semen regium Nortmannorum et Anglorum conjungens, et interveniente opere conjugali, de duobus unum faciens. Floruit sane arbor, quando de utroque semine Imperatrix Mathilda processit. Tunc vero fructum fecit, quando de ipsa Henricus exoriens, quasi lapis angularis utrumque populum copulavit. Habet nunc certe de genere Anglorum Anglia regem, habet de eadem gente Episcopos et Abbates, principes et milites, ex utriusque seminis conjunctione procreatos. Si autem alicui haec displicuerit expositio, aut ipse aliter exponat, aut aliud tempus, quo haec expleantur, exspectet. »

§ **27**. Sciens itaque Rex, quia appropinquavit hora ejus, ut transiret de hoc mundo, suum transitum mox in circuitu propalari jussit, ne mortis suae agnitione dilatâ, orationum quoque suffragia differrentur. Sicque senex, et plenus dierum ac bonorum operum, migravit ad Dominum. Obiit autem anno Domini millesimo sexagesimosexto, cum regnasset vigintitribus annis, mensibus sex, et diebus vigintiseptem, pridie Nonas Januarii : cum quo tota pariter Anglorum felicitas ruit, periit libertas, vigor omnis interiit.

* Wilhelmus (*le Conquérant, il Conquistatore*) Nortmannorum dux.

§ **28**. Interea Haraldus, filius Godwini, regnum nec jure, nec naturâ sibi debitum usurpans, malum, quod Anglis secundum sancti Regis oraculum Dominus praeparaverat, transgressione pacti cum duce Wilhelmo et fidei laesione, acceleravit. Ut autem attenuatis viribus facilius ab his quos injuste provocaverat, hostibus vinceretur, suscitavit ei Deus a parte Aquilonis inimicos, scilicet Haraldum regem Norwegiae, et Tostium fratrem suum, quem de Anglia expulerat ipse, quique tempore Regis Eduardi exsulabat in Flandria. Hi cum magna classe per Humbriam Eboracum properantes, cum exercitum Northumbrensium proelio excepissent, potiti victoriâ, magnam de obstantibus stragem dederunt. His Haraldo nunciatis, exercitum copiosum ex omnibus finibus Angliae collegit. Apparuit autem tunc sanctus Eduardus cuidam Alexi, abbati Ramesiae, viro religioso, dicens: « Vade, et dic Haraldo, ut homines qui contra jus et fas, regni hujus fines invadunt, aggrediatur secure. Ego enim ero dux et protector exercitus, quoniam justitiae gentis hujus deesse non possum. Per me enim reportabit vice hac de hoste triumphum. Et ne verbis tuis fidem deroget, secretum ei sui cordis ostende, ut cum ei, quae nullo conscio mente volvebat, edixeris non haec tuae adinventionis, sed meae promissioni, adscribat: » Nocte quidem praeterita, cum dolore femoris torqueretur, licet eum non parum urgeret imminens molestia, siluit tamen, reputans apud se, si publicaret languorem, quod suis esset contemptui, et hostibus irrisioni. Verum quia nunc ab illa peste convaluit, de meo praesumens auxilio, contra Barbaros justum bellum suscipiat, et ab imminenti periculo suos eripiat. Quod cum Abbas Haraldo reserasset, ex coelesti promissione factus audacior, in valida manu progrediens, apud Stamfordbrig hostibus occurrit. Consertoque proelio, dux uterque prosternitur, scilicet rex Norwegiae, et frater Haraldi, Tostius, et pene totus eorum exercitus deletus est.

§ **29**. Anno tricesimosexto post S. Eduardi obitum, cum corpus ejus de terra elevaretur, integrum, incorruptum et flexibile cum vestibus recentibus repertum est. Quod videns episcopus Roffensis, pilum unum devotionis desiderio accensus extrahere, sibique servare conatur. Sed ille firmius haerens, effectum mentis Episcopi et voluntatem defraudavit. Mulier quaedam in festo sancti Eduardi operibus vacans, paralysis morbo correpta, ad corpus sancti deducitur, et sanitatem pristinam se recepisse laetatur. Tres viri febre quartanâ vexati, visitato Sancti sarcophago, quasi in momento curati sunt.

DE CANON. ET TRANSL.

SANCTI EDUARDI REGIS ET CONFESSORIS

EX ANTIQUO MANUSCRIPTO CODICE *

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, aliisque Ecclesiarum Praelatis, per Angliam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Illius devotionis constantiam et fidei firmitatem, quam circa Matrem vestram sacrosanctam Romanam Ecclesiam exhibetis, diligentius attendentes, in id propositum voluntatis adducimur, ut vos sicut carissimos fratres et speciales Ecclesiae filios sincerâ charitate in Domino diligamus, propensius honoremus, et postulationes vestras, quantum cum Deo possumus, libenti animo admittamus. Inde utique fuit, quod super petitione, quam de Eduardo, glorioso quondam rege Anglorum, canonizando, et in Sanctorum cathalogo adscribendo, tam carissimus in Christo filius noster Henricus, illustris Anglorum rex, quam vosipsi nobis instantius porrexistis, sollicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quae, dum in carne mortali viveret, et post quam de praesenti seculo est assumptus, omnipotens Dominus per suam misericordiam declaravit. Visis etiam litteris antecessoris nostri, piae recordationis Innocentii papae, vestris quoque testimoniis inde receptis; quamvis negotium tam arduum et sublime non frequenter soleat, nisi in solemnibus conciliis de more concedi; de communi tamen fratrum nostrorum consilio, juxta votum et desiderium praedicti filii nostri regis, ac vestrum, corpus ipsius Confessoris ita glorificandum censuimus, et debitis praeconiis honorandum in terris, sicut eumdem Confessorem Dominus per suam gratiam glorificavit in coelis. Unde videlicet inter sanctos Confessores de caetero numeretur, qui hoc ipsum apud Deum signis meruit et virtutibus obtinere. Quia igitur decet honestatis vestrae prudentiam, eum pie colere, et toto studio venerari, quem auctoritate Apostolica venerandum vestra postulavit devotio, et colendum; universitatem vestram per Apostolica scripta monemus, et exhortamur in Domino, quatenus eum ita deinceps studeatis debitis obsequiis honorare, ut ipsius intercessionibus apud districtum Judicem mereamini veniam obtinere, et gloriosum in aeterna beatitudine praemium invenire. Datum Anagniae, 7 Idus Februarii (1161).

* Hanc Bullam contulimus cum illa, quae in Bullario Romano, a Sebast. Franco edito, habetur.

§ 1. Nunciis itaque ab Apostolica sede regressis, saepedictus Abbas, convocatis venerabilibus personis, tam Episcopis quam Abbatibus, in Ecclesia Westmonasteriensi *, primo coram omnibus recitari fecit litteras Apostolicae auctoritatis de beati Regis canonizatione; sicque, universis applaudentibus, assentientibus, et Deum magna voce laudantibus, de glorioso Domini confessore Missa solemniter celebrata est: quam tamen dominus Papa primo in Ecclesia Romana fecerat per unum de Cardinalibus honorifice, sicut dignum fuerat, decantari. Sed quia, causis exigentibus, rex ** adhuc in transmarinis partibus agebat, juxta mandatum ipsius et desiderium dilata est usque in reditum suum, et eidem servata sacri corporis revelatio. Decursis vero fere duorum annorum curriculis, rege a Nortmannia in Angliam jam regresso, cupiens Abbas susceptum negotium ad effectum perducere, et illud sacrum corpus, quod jam diu in terra latuerat, in eminentiori et honestiori loco collocare, cum rege secretum et diligentem de celebranda beati Regis translatione tractatum habuit, postulans ut bono principio manum debitae consummationis adhiberet, praesertim cum ex ejus mandato acceperit, praesentiam ipsius huic negotio esse exspectandam. Annuit rex justa poscenti, diemque certum, juxta quod utrique videbatur opportunum, indixit. Interim vero, accepto Abbas a prudentioribus viris consilio, beati corporis glebam primo secretius inspicere decrevit, ut sic expeditius ad solemnem transire posset revelationem. Sed quia opus hoc sanctum et dignum esse sciebat, suam formidans indignitatem, semel et iterum accessit et tentavit; sed toties conscia sibi mens infirmitatis suae, manum pia quadam haesitatione trepidantem retraxit. At crescente timore, crevit et devotio: crescente devotione, adfuit confidentia cum amore, qui saepe foras mittit timorem. Ex ipso itaque timore confidentior effectus, et minus timidus, tempus observavit, quo tam secretum negotium opportune tractaret.

§ 2. Quadam itaque nocte, fratribus post matutinas vigilias ad strata reversis, januis ecclesiae clausis, servientibusque laicis exclusis, remansit in ecclesia solus Abbas cum Priore, et quibusdam de fratribus ad hoc delectis, qui se ex mandato Abbatis jejuniis et orationibus ad tam sanctum opus tractandum devotius praeparaverant. Quibus omnibus albis indutis, et nudis pedibus, praemissaque oratione, et cum psalmis decantatâ litaniâ ante altare, processit ad tumulum Abbas cum Priore et duobus fratribus, caeteris ante altare in lacrymis et oratione persistentibus. Cumque lapidem, qui sarcophago superpositus fuerat, sustulissent, admotis propius lucernis, conspexerunt virum jacentem in vestitu deaurato, calceatum càligis purpureis et calceamentis pretiosis, caput et faciem cooperta mitrâ rotundâ, auro satis operose

* Anglice, *Westminster*. ** Henricus II, *Plantagenета*.

intexta; barbam etiam niveam et prolixam, modicumque crispantem, super pectus decenter ordine suo jacentem. Accitis itaque fratribus, qui in oratione ante altare remanserant, et ad tam desiderabile spectaculum admissis, facta est laetitia magna cum gratiarum actione inter illos. Non tamen adhuc stetit, nec sic quievit vehemens ille spiritus devotionis, et ardens desiderium inspiciendi, tractandi, et interius perscrutandi thesaurum illum pretiosum, quem se magna jam ex parte vidisse gratulabantur. Apponentes itaque manus debitâ cum devotione et reverentiâ, vestes, capitis operimentum, tunicam et càligas piâ quadam inquisitione tractabant, tentantes, si quam forte, sicut dictabat ratio, expetebat natura, admisissent corruptionem. Et ecce omnia ea reperiunt integritatem pristinam retinuisse: ex parte tamen obfuscatum advertunt colorem et decorem eorum, tum ex diuturna lapidis contiguitate, tum ex pulvere et caemento, quod in sarcophagi apertione introrsum ceciderat: quod tamen linteo, sicut poterant, amoventes, materiam, opus et colorem facile deprehendere potuerunt. Suppositis itaque manibus cum reverentia et timore, corpus illud gloriosum alii ad caput, alii ad pedes, quidam ad humeros et per medium levantes, et super extensum tapetum in panno serico pretioso involventes, in cista lignea ad hoc praeparatâ incluserunt, omnia quae cum eo inventa fuerant, intus relinquentes, excepto annulo aureo, quem in digito Regis inventum, Abbas propter devotionem retinuit, et ad hujus memoriam satis provide reservare decrevit.

§ 3. Adveniente itaque die, quem Rex celebrandae translationi praefixerat, omnibus paratis, quae tantae rei necessaria videbantur, veniens in ecclesiam cum magno procerum et illustrium virorum comitatu, primo cistam, in qua pretiosus ille thesaurus continebatur, recludi fecit, assistentibusque archiepiscopo Cantuariensi et Episcopis quamplurimis, Abbatibusque quoque et aliis venerabilibus personis, praesentem illam regiae personae majestatem oculis vidit, manibusque, quantum timor et reverentia permisere, tractavit, omniaque ita se habere gavisus est, sicut ei ab Abbate primo fuerat intimatum. Factâ igitur, sicut diei solemnitas expetebat, processione, pretiosoque incorrupti virginis corpore per claustrum monasterii regiis humeris praecipuorumque totius regni procerum manibus reverentissime deportato, posita est super candelabrum praeclara illa lucerna in domo Domini, ut qui ingrediuntur, lumen videant, et illuminentur ab ea. Sicque illud vas insigne castitatis, et universae virtutis domicilium in feretro pretioso, quod ei ex auro et argento construi fecerat illustris Rex et consobrinus ejus, strenuus Anglorum debellator, Wilhelmus, regiis manibus honorifice et collocatum est, laudantibus cunctis voce laetabunda et benedicentibus Deum qui in Sanctis suis semper est gloriosus, et in omnibus operibus suis mirabilis.

§ 4. Celebrata est autem translatio ista anno ab Incarnatione Domini millesimo, centesimo, sexagesimotertio, 3 Idus Octobris, die Dominica, ab excellentissimo Anglorum rege Henrico, assistentibus venerabilibus viris Thoma archiepiscopo Cantuariensi, Gileberto episcopo Londoniensi, Henrico Wintoniensi, Nigello Heliensi, Roberto Lincolniensi... et procerum, militum, caeterorumque diversi ordinis et officii innumera multitudine: summi Pontificatus arcem regente sanctissimo Papa Alexandro III hujus beneficii auctore pariter et largitore, anno ejusdem Papae IV.

MARTYRIUM

S. CALIXTI PAPAE ET SOCIORUM EJUS

UT IN ANTIQUISSIMIS MSS. CODICIBUS HABETUR, QUIBUS SUFFRAGANTUR PERVETUSTA MARTYROLOGIA.

Martyrii palmâ donati sec. III — Itali.

§ 1. Temporibus Macrini et Alexandri * Imperatorum, incendio divinitus misso, concremata est pars Capitolii a meridiano, ac intra templum Jovis cecidit manus sinistra aureae statuae ipsius Jovis et liquefacta est. Venerunt autem aruspices et sacerdotes ad Alexandrum suadentes, ut sacrificiis et odoribus dii ipsorum placarentur. Quibus auditis, eorum petitioni annuit, ac jussit offerri sacrificia. Qui dum, die Jovis, mane, aëre omnino sereno sacrificarent, mox fulmine coelitus ejecto, quatuor idolorum sacerdotes extincti sunt, ara Jovis incendio concremata, factusque est aër nubilus ac tenebrosus, ita ut omnis Romanus populus fugeret extra muros urbis. Qui cum huc illucque vagabundus dispergeretur, venerunt quidam trans Tiberim in urbem Ravennatium, et intrantes templum, audierunt in quodam coenaculo multitudinem Christianorum psallentium, inter quos erat Calixtus episcopus Urbis cum Clero suo. Audiens autem unus ex Consulibus, nomine Palmatius **, multitudinem Christianorum psallentem, indicavit id Alexandro, dicens: « Magne princeps, haec templi et sacerdotum ruina nobis accidit, quia sordescit civitas. Si ergo purificata fuerit, gaudebimus simul, et gloria culminis vestri augebitur, et Respublica nostra fulgebit. » Alexander

* Inter Macrinum et Alexandrum nihil communis interest, cum Macrinus, anno 217, post Caracallam imperaverit: Alexander vero Heliogabalo, anno 222, successerit. Sed hisce verbis tempus definitur, quo pontificatum S. Callistus gessit.
** Anno 222, consules ordinarii Heliogabalus et Alexander fuerunt. Poterat nihilominus, ut quibusdam videtur, Palmatius Alexandro substitui.

dixit: « Purificetur. Sed indica, quaeso, quae et qualis sit ista purificatio? » Respondit Palmatius: « Ut profani non sint. » Alexander dixit: « Qui sunt profani? » Respondit Palmatius: « Christiani. » Alexander ait: « Ego praecepi semel ac iterum, ut, ubicumque inventi fuerint, puniantur, aut certe offerant diis immortalibus thura. » Respondens Palmatius dixit: « Per claritatem vestram, o Imperator, dum contristarer propter haec infortunia et signa quae facta sunt, et transfugerem in regionem trans Tiberim, audivit ibidem multitudinem Christianorum psallentium, et suis vacantium incantationibus, in quodam loco. Quâ de causa, credendum certe est, id nobis nuper accidisse infortunii. » Dicit ei Alexander: « Accipe potestatem, ut ubicumque eos inveneris, aut cogas ad sacrificandum diis, aut certe exquisitis eos tormentis affligas. »

§ 2. Tunc Palmatius, accepta potestate, collectàque multitudine militum, venit trans Tiberim, ubi congregatus fuerat Christianorum grex una cum suo pastore Calixto episcopo, inter quos erat Calepodius * presbyter. Et intrantes coenaculum, irruerunt in eos decem milites, qui caecitate subito percussi sunt. Quibus Calepodius presbyter: « Quem quaeritis, inquit, filioli mei? » Illi autem vociferabantur, dicentes: « Accendite nobis luminaria et lucernas, quia obscuratus est nobis locus iste, et caligo occupavit nos. » Ait Calepodius presbyter: « Deus, qui intuetur omnia, ipse obcaecavit oculos vestros. » Illi autem palpantes descenderunt de coenaculo. Haec cum vidisset Palmatius, timore perterritus fugiens, indicavit Alexandro. Eodem die jussit Alexander, ut caeci illi satellites in ejus conspectum adducerentur, quos dum agnovisset, ait: « O cives optimi, videtis magicam artem? » Respondit Palmatius: « Si magicâ arte id factum est, ubi sunt virtutes deorum nostrorum? Jubeat itaque claritas vestra diis omnipotentibus offerri sacrificia, ne pereat populus tuus per incantationem eorum. » Praecepit ergo Imperator ut immolaretur Mercurio, et responsa cognoscerent. Exiit ergo edictum, ut omnes Romani ad Capitolium convolarent, sacrificia oblaturi, et qui Mercurii die inventi essent in suis manere aedibus, interficerentur. Statuto igitur die, adest omnis populus. Palmatius quoque cum omni domo sua intrat Capitolium cum porcis et vitulis.

§ 3. Et factum est dum occisione pecudum effunderetur sanguis, et carminibus decantandis vacarent sacerdotes, virgo templi, Juliana nomine, arrepta a daemone, clamavit, dicens: « Deus Calixti, vivus et verus est Deus, qui indignatur pollutionibus Reipublicae vestrae, et conteret Regem vestrum mortalem, quia non adoratis veritatem. » Ad hanc vocem salubriter motus Palmatius, profectus est in regionem trans Tiberim ad urbem Ravennatium,

* Colitur S. Calepodius die x maji. Vide *Surium*.

ac intrans domum, ubi congregata erat Christianorum multitudo, procubuit ad pedes S. Calixti, dicens: « Profiteor Dominum Jesum Christum verum esse Deum, quem daemones confessi sunt hodie. Per ipsum te conjuro ac deprecor, ut liberes me a cultura daemonum, et baptizes in nomine Dei quem praedicas. » Respondit ei Calixtus Episcopus: « Noli errando deridère veritatem. » At ille cum lacrymis dixit: « Non derideo, domine mi, quia vere cognovi ex caecitate militum, et responsis Julianae virginis templi, a daemonio obsessae, quod Dominus Jesus Christus, verus sit Deus. » Respondit Calepodius presbyter, et ait Episcopo: « Noli, beatissime pater, petenti baptismum denegare. » Tunc indixit ei Calixtus jejunium unius diei, ac catechizavit eum, allatamque aquam ex puteo ejusdem domus benedixit, repositoque in pelvim Palmatio dixit: « Credis ex toto corde in Deum Patrem omnipotentem, factorem omnium visibilium et invisibilium? » Respondit Palmatius: « Credo. » Deinde Episcopus: « Et in Jesum Christum Filium ejus? » Et ait: « Credo. » Iterum ait Episcopus: « Qui natus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine? » Palmatius respondit: « Credo. » Ait Episcopus: « Et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem? » Et exclamavit cum lacrymis Palmatius dicens: « Credo, domine. » Qui baptizatus, « Vere, inquit, vidi Dominum Jesum Christum lumen verum, a quo illuminatus sum. » Baptizata est et omnis domus ejus, uxor scilicet et filii ac alii promiscui sexus numero quadragrinta duo. Ab eo enim tempore, omnem suam facultatem Palmatius pauperibus distribuit, perquirens per omnem regionem ubi latitarent Christiani, iisque de facultatibus suis victum et vestitum, aliaque vitae necessaria subministrando.

§ 4. Post dies vero triginta duos requiritur Palmatius ab Alexandro: intellexerat enim quod Christianus esset, ac aliis Christo credere persuaderet. Qui cum a Torquato tribuno tentus esset, ac missus in custodiam Mamertini, jussit eum sibi praesentari, qui vinctus càtenis adductus est. Hunc cum vidisset Alexander catenatum, jussit solvi, et ait: « Sic amens factus es, Palmati, ut deseras deos, et quaeras ac colas hominem mortuum? » Palmatius vero tacuit. Ait illi rursum Alexander: « Loquere fiducialiter; ne timeas. » Respondit Palmatius, dicens: « Si datis licentiam, loquimur veritatem. » Dicit ei Alexander: « Excepta deorum injuria, loquere. » Respondens Palmatius: « Si bene advertas, inquit, non dii dicendi sunt, sed factura hominum mortalium; siquidem discernat mansuetudo vestra utrum debeant coli qui fabricantur ab hominibus? Quales enim dii sunt, vos judicate. Sed precor ego claritatem tuam, ut dicas deo tuo, ut loquatur, et cum eum interrogavero, respondeat mihi: quod dum factum fuerit, non desero deos, quos dicis? » Dicit ei Alexander: « Tu qui a cunabulis eos adorasti, quomodo nunc eos relinquis? » Respondit

Palmatius: « Hoc feci, infelix, quasi ignarus; nunc vere cognovi veritatem. Hinc deprecor Dominum Jesum Christum, ut mihi ignoscat, quia ignorans peccavi. » His auditis, subridens Alexander, tradidit eum cuidam senatori, Simplicio nomine, ejus ei curam demandans, ac monens, ut dulci sermone eum revocaret ad culturam deorum: talem enim virum, inquiens, Respublica nostra necessarium habet.

§ 5. Simplicius igitur Palmatium humaniter recepit, ac vestibus pretiosis nobiliter indutum duxit in domum suam, praecipiens uxori et majoribus familiae suae, ut omnem domum Palmatius in sua potestate haberet. Tunc ille jejuniis, orationibus ac vigiliis insistens, non cessabat cum lacrymis Deum Patrem omnipotentem et Dominum Jesum Christum Filium ejus profiteri, poenitentiam agendo de errore suo. His temporibus quidam, Felix nomine, venit ad eum, cujus uxor clinica, jam annis quatuor eà tenebatur infirmitate, qui, procidens ad pedes ejus, ait: « Confessor Domini nostri Jesu Christi, deprecare, quaeso, pro ancilla tua Blanda, uxore mea, ut elevetur de lecto doloris, ac sospitati restituatur pristinae: diu enim est ex quo, paralysi resoluta membra fatigentur, et nostra jam facultas defecit. Ego enim et eadem sacrum baptisma suscipiemus.» Hujus precibus permotus Palmatius, praesente uxore Simplicii ac omni familia multisque aliis, cecidit in terram, fusisque lacrymis orare coepit cum Felice, dicens: « Domine Deus, qui illuminasti servum tuum, et donasti mihi lumen aeternum, salva ancillam tuam Blandam, ac erige eam a lecto doloris, ut cognoscant omnes quia tu es Deus creator omnium rerum. » Eàdem autem horâ, venit Blanda pedibus suis currens, ac domum Simplicii Senatoris intrans, baptismum humiliter exorat, dicens: « Baptiza me, pater, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui tenuit manum meam et levavit me. » Tunc Felix coepit urgere Palmatium, ut baptizaretur.

§ 6. Ad ejus ergo instantiam accivit Calixtum Episcòpum Palmatius, qui veniens baptizavit Felicem cum uxore sua Blanda. Hoc viso miraculo, Simplicius Senator provolvitur ad pedes Calixti Episcopi, eidem humiliter supplicans, ut et ipsum baptizet cum omni domo sua. Tunc Episcopus fiducialiter dixit: « Congreget Dominus triticum in horreum suum: » et catechismo instructam baptizavit domum ejus, animas scilicet promiscui sexus circiter sexaginta octo. Tunc beatus Calepodius presbyter, in medium sanctorum convolans, cum gaudio exclamavit, dicens: « Gloria tibi, Domine Jesu Christe, qui dignatus es de tenebris ad lucem perducere facturam tuam ac de errore eripere: fac cum servis tuis secundum magnam misericordiam tuam. » Audiens vero Alexander quia multitudo hominum baptismum percepisset a beato Calixto Episcopo, misit exercitum militum, ac tenuit omnes

qui baptizati fuerant, praecepitque eos capitalem subire sententiam, et per diversas portas urbis Romae, capita eorum suspendi ad exemplum Christianorum. Tenuit autem et beatum Calepodium, quem fecit occidi gladio, et corpus ejus per civitatem trahi, sub diem Calendarum Maji, et tandem in Tiberim projici ante insulam Lycaoniam *. Sub hac persecutione fugit beatus Calixtus cum decem clericis suis, latitans in domo ** cujusdam Pontiani. Qui noctu conveniens piscatores, rogavit eos, ut quaererent corpus beati Calepodii. Quo invento, tradiderunt illud Calixto Episcopo. Acceptum vero cum gaudio Episcopus, linteaminibus involvit, aromatibus condiit, ac honorifice cum hymnis et laudibus sepelivit in coemeterio ejusdem, septimo Idus Maji.

§ 7. Ab eodem die coepit Alexander studiose inquirere ubi lateret Calixtus Episcopus, quem cum intellexisset manere trans Tiberim in aedibus Pontiani, juxta urbem Ravennatium, misso occulte milite, vinxit eum, praecipiens ut in eodem loco fame cruciaretur. Qui ibidem detentus per quinque dies nihil alimoniae accepit, sed jejuniis et orationibus vacans, pane depascebatur verbi Dei, ac in dies magis confortabatur. Quod audiens Alexander, jussit quotidie fustibus caedi, demandans ut si quis ad eum, ubi custodiae mancipatus erat, accederet, interficeretur. Qui cum longo dierum spatio ex squalore carceris esset maceratus, apparuit ei noctu per visionem beatus Calepodius, dicens: « Firmus ac constans esto, pater, quia corona tua jam perfecta est, ut accipias mercedem pro me. » Beatus autem Calixtus insistens orationi, non cessabat Dominum deprecari. Erat ibidem quidam miles nomine Privatus, qui ulceribus ac doloribus plenus, die noctuque gravissime cruciabatur, hic ad pedes Episcopi provolutus, rogabat auxilium sibi impendi, dicens: « Salva me, pater, ab ulceribus meis, quia credo Dominum Jesum Christum, Deum vivum et verum esse, qui Blandam ab infirmitate liberavit, et me salvare potest, quia jam diu consumor in afflictione ardoris mei. » Respondit beatus Calixtus Episcopus: « Si credideris ex toto corde, et baptizatus fueris in nomine sanctae Trinitatis, mundaberis. » Respondit Privatus: « Ego credo quia me salvabit in baptismo Dominus Jesus Christus, per manum tuam, et omnia vulnera morbosque, quibus teneor, mundabit. » Qui virtute Dei per baptismum mundatus, alta voce magnificabat Dominum, dicens: « Deus verus est et sanctus, Dominus Jesus Christus, quem praedicat Calixtus Episcopus. Omnia vero idola vana ac muta consumentur. Deus autem aeternus Dominus Jesus Christus est. »

§ 8. His auditis, Alexander, iracundiâ plenus, misit apparitores qui Privatum militem plumbatis caederent, donec deficeret. Calixtum

* Seu Tiberinam, nunc *S. Bartholomaei* dictam, ob aedem huic sacram.
** Quae postmodum conversa fuit in ecclesia S. Calisto dicata.

vero Episcopum jussit per fenestram domus praecipitari, et ligato ad collum ejus saxo in puteum demergi, et super eum rudera cumulari *. Effluxis vero septemdecim diebus, quidam ex presbyteris ejus nomine Asterius, cum clero noctu veniens, levavit corpus beati Episcopi, ac sepelivit in coemeterio Calepodii via Aurelia pridie Idus Octobris. Post dies vero sex tenuit Alexander Asterium presbyterum, quem praecepit per pontem praecipitari. Cujus corpus inventum est in Hostia, et a quibusdam Christianis sepultum in eadem civitate Hostiensi quartodecimo Calendas Novembris in pace regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

VITA

S. BURCHARDI EP. HERBIPOLENSIS

UT IN ANTIQUO MSS. EXEMPLARI HABETUR, QUOD PRAE VETUSTATE ALIQUOT LOCIS LEGI VIX POTUIT. AUCTOR EST, TAMETSI CODEX NOMEN NON HABET, EGILWARDUS, MONACHUS COENOBII S. BURCHARDI PROPE HERBIPOLIM **, TESTE TRITTHEMIO ABBATE SPANHEMENSI, IN LIBRO DE VIRIS ILLUSTRIBUS SUI ORDINIS.

Claruit seculo VIII — Nat. Anglus.

Prologus. Salvatoris mundi gratia, qui quos praedestinat, vocat, et quos vocat, justificat, verbo sui Evangelii, quod in toto orbe praedicandum promiserat, tandem in insularum numero, quae per incredulitatis errorem diu fuerant longe a salute, per industriam sui fidelis dispensatoris Gregorii ***, etiam Angliam fructiferam terram, seminis Dominici capacem factam, per universae Christianae religionis augmenta, suis doctoribus cooperante Spiritu Sancto, sibi fecit esse propinquam. Multum inde replicare non indigemus, utpote quod in Gestis Anglorum abundantissime digestum non ignoramus. Non tamen otiose praetereundum, immo pro Christi amore toto cordis acumine speculandum, qualiter a solis ortu usque ad occasum, fulgur Evangelici jubaris parens, insulas occiduas illustraverit, ut radiorum suorum splendoribus etiam nostrarum partium caligines, solem justitiae notificando, fugaverit, dum Scotia quondam bruta, nunc in Christi

* Anno probabilius 222, die XII octobris, ut *Bollandistae* censent.
** Germanice, *Wurtzbourg*, in Bavariae regno.
*** Gregorius I *Magnus*. Colitur die 12 martii. Vide *Surium*, Vol. III, pag. 121, etc.

prudentissima, nobis lumen nostrum primitivum destinavit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alamannis Gallum; Anglia vero universae Germaniae magnum Bonifacium *, et orientali Franciae primum, satisque idoneum pastorem, et quod verissime creditur, adhuc incultae nimis Ecclesiae valde necessarium speculum ** Burchardum. Quibus spiritualis militiae ducibus eximiis, cuique sui magisterii sequax adhaerebat in Deo fortis exercitus; quorum singula quia non vacat invenire vocabula, libeat eorum exemplis potius studere poenitentiae, quam nominibus. His itaque pro stamine telae propositae praetextis, Christo juvante, jam tempus exigit utcumque sub tegmen consequenter innectendum innodare, ad renovandam scilicet aeternam memoriam primi nostri Mandritae praenominati, saepiusque nominandi Burchardi Praesulis.

§ 1. Sicut diversa diversorum Patrum testantur scripta, dum Gregorianae signum plantationis, Anglorum novella germinasset, pullulasset, cresceret atque floresceret Ecclesia, semper, ut de eodem dicitur doctore, venerabile meritum ejus ibidem accepit incrementum; fructificante nimirum ejusdem gentis fide per multas temporum successiones omni religionis devotione, et fertilitate bonorum operum. Florebat interea eàdem in insula vel patriâ sub rege Christianissimo aromatica quaedam Christi boni odoris areola, nobilis utique nobilissimi Burchardi parentela; quae tam rebus, quam genere clara, divini timoris insignibus notabatur ab omnibus praeclara; seseque praecipue per id, non tantum convicaneis et contribulibus, sed et universo regno praebuit famosissimam, quod in bonis actibus nulli generationi terrae illius, se patiebatur esse secundam. Qua de re non incongrue Davidicum illud elogium divinitus ibi implebatur: *Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur* (*Ps.* 3). Ditavit quippe eos benedictio divina prole gemina nimis eximia, quae patris simul ac matris, immo totius generationis illius utique praeclara excellèret merita, Burchardo videlicet atque Swithuno, utroque coelitus sibi destinatae vel provisae cathedrae postea pontifice futuro. O quam benedictus fructus ventris matris illius, qui medicinam aeternae salutis sufficienter ministravit duabus seorsum nationibus, Angliae per indigenam suum Swithunum, Orientali nihilominus Franciae *** per advenam Burchardum! Porro antequam de ejusdem patroni nostri conversatione narrationi, cujus jam fundamenta jecimus, structuram praemeditatam superponamus, pauca quae de germano ejus comperimus, aeque sanctissimo Episcopo, silentio penitus non praetermittamus. Ex Anglia nati fratres Gotwin et Adelmar, aliique quamplures

* Vita S. Bonifacii M. habetur in *Surio*, Vol. VI, pag. 112, etc.
** Legendum forte, *speculatorem*.
*** *Francia orientalis* vocata est seculo octavo, quae postea *Franconia*.

inde huc advenientes, ajunt, B. Swithuni vitam miraculis plenam, in ecclesiis illius terrae circumquaque scriptam reperiri, quae tot tantisque virtutum doctrinaeque splenduerit miraculis, ut etiam ipsa non impotens sit testimonium commendare germanae sanctitatis. Legitur, inquiunt, apud nos idem Dei famulus a primaeva aetate cunctis Dei charismatibus, una cum litterarum disciplinis apprime imbutus, universis: insuper caelibis vitae munditiis praecipue candidatus. Et quamvis nullius se pateretur expertem videri virtutis, misericordiae tamen visceribus maxime notabatur insignis. Omnibus quidem necessitatem patientibus statim pro posse factus est *omnibus* proximus. Sed ne multis immoremur, unde pauca promisimus, quique ad alia, juxta propositum, potius festinamus, qualiter idem Dei electus, tam in practica, quam in theorica conversatione perfectus, per gradus Ecclesiasticos ad Episcopatus honorem canonice sit provectus in civitate, quae dicitur Wirziburg, et qualiter eamdem Ecclesiam doctrinis et exemplis illustraverit, utque de hujus mundi translatus angustiis, villicationis suae mercedem fidelis dispensator et prudens consecutus, in gaudium Domini sui intraverit: haec, inquam, omnia qui plenius nosse cupit, apud Ecclesiam illam, quam rexit, indagare valebit. Tradunt etiam nonnulli, hoc germanos fratres Burchardum et Swithunum, magni Bonifacii Episcopi non solum conterraneos, sed etiam carne consanguineos fuisse *.

§ 2. Venerabilis autem Burchardus tam praeclaram, tamque praecelsam suae prosapiae genealogiam haudquaquam passus est morum suorum nebulis obfuscari; sed potius ab ipsis primaevae aetatis annis, probitatis luce jam splendescere incipiens, quid, illum praeveniens misericordia Dei, in posterum in eo operatura esset omnigenis conatibus repraesentare videbatur. Traditus enim cum fuisset a religiosis parentibus, ut facile creditur, litteris imbuendus, vix eum quisquam vel nunquam reperit puerilibus addictum levitatibus; sed aut studiis liberalibus intendentem, aut ecclesiarum limina terentem, seu quibuslibet aliis bonae indiciis immorantem. Crevit etiam in eo cum corporis incremento misericordia, ut de seipso B. Job testatur; et ut ita dicam, in eleganti carnis materia, paulatim virtutum composito formabatur. Quid multa? Sic jejuniis et eleemosynis, vigiliis et orationibus non minus spirituales nequitias, quam carnis illecebras compressit, donec dudum per Spiritum Sanctum plantata, tanta in illo morum adolevit honestas, ut jam illud undique perfectum et ornatum Dei templum nil intra se caducum haberi sustineret. Hinc deliberationem, quam Christo inspirante conceperat, spiritalium virorum consilio roborabat, et contra male blandientis mundi lenocinia obfirmatâ animi sententiâ, tum divitiis et voluptatibus,

* Sed absque fundamento.

tum sibiipsi propriaeque voluntati renunciavit, nudusque nudam complexus crucem, eam post Christum quotidie bajulavit. Considerans autem in hac ipsa vitae perfectione nonnulla tentamentorum scandala sibi opponi, puta opes et delicias patriae, generis claritatem, affectus amicorum, spretorum objecta praediorum, aliasque mundi fumantis nebulas, aciem verae theoriae obnubilantes: quid de ipso fieri vellet omnipotens Deus, sibi revelari aut inspirari continuis precibus ambiebat. Tandemque spiritu consilii et fortitudinis roboratus, perpetuae peregrinationis studium modis omnibus amplecti deliberavit. Denique natali solo pro terra viventium relicto, ne quandoque illum pericula inferni invenirent, periculosos allicientis sali fluctus transfretavit, et Galliae Comatae * limitem attingens, in quodam satis humili loco, vere non habens hic manentem civitatem, sed futuram inquirens, aliquamdiu sub habitu peregrini delituit.

§ 3. Rutilabat his temporibus stella vere coelesti fulgore, a multis, quae tunc temporis videbantur, stellis differens, Winfridus, indigéna nihilo minus Angliae, qui dudum patriâ et parentibus, immo cunctis transitoriis pro Christo derelictis, ac per hoc Sancti Spiritus prae participibus suis unctus oleo, semina verbi Dei, ab Apostolica sede sibi tradita, jam Evangelicae summopere insudans agriculturae, per vastissima regnorum Germaniae deserta spargebat. Hic Domini electus, et inter suos primo per omnia laudatissimus, quemadmodum litteris Anglorum apud Ecclesiam Romanam commendatus, ejusdemque cunctarum matris Ecclesiarum contubernio sit junctus, adeo ut bonis ex factis suis, mutato nomine, per Gregorium Papam Bonifacius appellatus, et pontifex sit consecratus, atque Legatus Apostolicus in partes Germanicas destinatus, plurimum Christo populum acquisierit, Regum ac principum adeptus benevolentiam, nobilis Moguntiae metropolitanam susceperit cathedram, ipsamque postea Archiepiscopatus pallio sublimaverit, generaliaque concilia cisalpinis in Ecclesiis congregaverit, ibique multa corrigenda correxerit, sed et multiplicem prorsus quaestum Domino suo de accepto talento longo tempore villicationis suae lucratus sit; haec, inquam, multaque alia Deo digna, scituque necessaria, in plurimis, quae eleganter de eo scripta reperiuntur, diligenter investigare quisque potest. Cooperabatur utique in his omnibus huic fideli servo suo, satisque prudenti dispensatori clemens ille Paterfamilias et Dominus, in cujus manu cunctarum gentium stat salus, in cujus praedestinatione miserendi earum singulis suum disponitur tempus. De quo verissimam legimus prophetiam: immo jam non prophetiam, sed evidenter cernimus historiam: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram*, et caetera usque ad eum locum: *Et adorabunt eum omnes reges*

* Quae est *Francia* proprie dicta.

terrae, omnes gentes servient ei (*Psal.* 71). Quonam modo enim verbi seminatores, licet infatigabiliter diu sterilibus gentium cordibus nunc seminando, nunc plantando, nunc rigando insistentes, per semetipsos incrementum aliquod extorquèrent, nisi pluviae illius in virginale quondam vellus descendentis stillicidia, terras hujusmodi coelitus irrigando, fructificarent? Nam, teste Gregorio, nisi intus sit, qui doceat, sermo doctoris in vanum exterius laborat; et e contrario nulla in discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus doctor adest. Ad haec promissae ortus justitiae, pacisque nunquam posset abundantia stabiliri, nisi per ipsum, ipso mediante, qui solus est justitia et pax omni credenti. Hac etiam arte suos semper nuncios Christi misericordia praevenit, sic a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, Filio suo eidem vere pacifico dominatum pater aeternus instituit ac dilatavit, et ab aeterno usque in aeternum confirmavit. His per excessum, quamvis necessario, insertis, denuo ad beati Burchardi, a quo digressi paululum sumus, conversationem describendam stylum retrahamus.

§ 4. Igitur athleta Christi, Burchardus, pubertatis floridae tyrocinio jam fortiter contra potestates aëreas, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contraque spirituales nequitias per mortificationem membrorum, quae sunt super terram, transcurso, in hujusmodi profectibus nequaquam more quorundam sibimet placentium, in se, sed in Domino gloriabatur, dicens cum Apostolo, *Gratia Dei sum id, quod sum:* itemque: *Non ego, sed gratia Dei mecum* (1. *Cor.* XV). Ecclesiasticis insuper gradibus canonice promotus, etiam ascensiones alias in corde suo disposuit, id est, ut de virtute in virtutem, de bonis ad meliora semper provehi posset, continua mentis revolutione meditari coepit. Ad haec liberalium scientiam artium, compositionem morum, sermonum facundiam, corporis elegantiam, caeteraque Sancti Spiritus charismata perpendens non sine causa percepisse, quonam modo potissime talentum sibi creditum duplicaret, horis omnibus non cessavit sollicite tractare, sciens dictum a Domino: *Cui plus committitur, plus exigitur ab eo* (*Luc.* XII). Interea pervenit ad eum, cunctas Europae partes jam pervagata fama illius, cujus nuper mentionem fecimus, Archimandritae Bonifacii, moxque Christi bono repletus odore, et quia cum sancto sanctus, et cum electo electus esse possit, confisus, tanti viri praesentiam, tanti doctoris audientiam sitire, et ad tantae sanctitatis atque dignitatis conversationem non destitit ardenter anhelare. Accidit autem divina, quae disponit omnia suaviter, providente sapientia, dum in agro Dominico vir idem Bonifacius, per omnia Apostolicus, totis desudaret viribus, seges etiam verbi Dei multam jam in messem cresceret, praecavens venerandus heros, ne paucitas operariorum fervens opus impediret, ut quamplures cooperatores a sua patria,

quos idoneos noverat, legatis atque litteris ad excolendum novale Dominicum, quod novare jam coeperat, accersiret. Inter quos inclytus, et omni religionis testimonio nominatissimus presbyter Burchardus, ad nuptias Agni vocatus, geminae charitatis bis tincto cocco praecipue rutilabat indutus. Hoc modo semper corda probans Arbiter internus, desiderium pauperum suorum exaudivit, sic voluntatem timentium se perfecit, dum corporalem praesentiam, quam spiritualiter in alterutrum uterque sacerdos ob suum perpetuum servitium, multorumque populorum salutem, nunciis vicariis moliebatur, ipse, mediante charitate, colligabat.

§ 5. Nec mora, dum talia foris operabatur Sancti Spiritus gratia, in primo tantorum virorum conventu praesentiam suam propalare non dedignabatur per solita charismata. Nam mox post salutationem humillimam et oscula sancta, summus Christi pontifex, Bonifacius, prophetiae spiritu repletus, hujusmodi prorupit in oracula: « Gaudeamus, inquit, fratres, in Domino, qui benignitatis suae manum porrigere dignatur labori nostro, fraternâ nos consolatione frequentans, et rudibus Ecclesiae filiis novos semper eruditores ab insulis et a finibus terrae procurans. Gratias agamus ingenti ejus provisioni, qui societatem nostram ampliavit jam contubernio tanti viri. Isti proculdubio custodiendum debetur ovile Dominicum, beati Kiliani sociorumque ejus instantia collectum, doctrinis et exemplis instructum, ac martyrio consecratum. » Servus autem Christi, Burchardus, humilitatis oculum in seipsum retorquens, licet nil minus se suspicaretur auditurum, utpote qui modis omnibus subesse venerat, non praeesse; tamen humilitatem sine obedientia sterilem vel nullam esse perpendens, tandem post silentium stupore conceptum, in hujusmodi fertur responsum prorupisse: « Credo, Pater venerande, credo, quae tua proposuit auctoritas, otiose te nequaquam protulisse: me quoque si intus nosceres, scio nullatenus prosecuturum fuisse. Ego vero si ad id quod loqueris, etiam me idoneum non esse veraciter profiteor, tamen quodcumque per tuam sanctitatem mihi imponitur, oneri non obluctor. Deus enim si per te mihi misericorditer onus imponit, confido quia clementer levabit. Adsum quippe per omnia tuo parere promptus imperio: et quia hoc pro nomine Salvatoris ago, per id me salvari cum ejus gratia non ambigo. »

§ 6. Ex hoc tempore nobilissimo sanctorum virorum collegio sub magisterio summi praesulis Bonifacii consociatus Deo dignus presbyter Burchardus, coepit ab exemplis singulorum solitam suae conversationis sanctitatem veluti quibusdam pigmentis accuratissime condire, et illorum comparatione seipsum totamque transactam vitam despicere. Indeque factum est, ut pro morum honestate, vitaque in omnibus vel maxime laudabili, in brevi omnibus esset amori et honori. Contra vero ille beatus non

seipsum commendans, sed in Domino cum humilitate sibi inolita pro bono conscientiae testimonio mediocriter glorians, illam semper Psalmographi ruminare solebat sententiam: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* 113). Jamtunc novum, immo primum se Christi tyrocinium profitebatur ingressum, in frequentia scilicet tot tamque robustorum militum Christi, quorum etiam vestigiis proponebat adhaerere, quorum exemplis in montem Domini confidebat altius proculdubio se posse rèpere, si tamen ea quae retro erant, oblitus, ad anteriora perseveranter extenderetur, donec sic tandem apparens conspectui Domini cum justitia, de manifestata solis electis ejus gloria satietur. Fuerunt tandem sub magisterio praefati doctoris Apostolici Bonifacii quamplures jam ad unguem sancti viri, Lullus scilicet, ipsius postea in praesulatu successor, Willibaldus et Winnebaldus germani, Wigbertus, Sola, Eobanus et Adelharius atque Waltherus, caeterique cooperatores illius in verbo Dei, quorum vocabula, gestorum ejus liber continet, monachica sub professione degentes, tamen Ecclesiasticis ministeriis atque praedicationi pariter inservientes. Quorum, utpote spiritualium per omnia virorum, crebro tractare curabat consilio, qualiter eamdem lucernam divini Spiritus tam sufficienter accensam igne, Ecclesiae superponeret candelabro et quemadmodum ad competentem perduceret effectum, quod de sancti Kiliani martyris populo acquisitionis, superna sibi gratiâ fuerat revelatum. Tandem tot templorum Spiritus Sancti concordantium roboratus oraculis, Pipinum, qui Major domus dictus, tunc Francorum regnum sub Childerico, solo nomine Rege dispensabat, supplex adiit, eique super capitulo praesenti, sui cordis secreta revelavit. Qui clementer, more suo, piis votis annuebat; neque haec solum, sed etiam suam ac regiae dignitatis legationem sive litteras, ad Sedis Apostolicae Pontificem per eumdem praesulem destinabat. Assumpto itaque praedicto Burchardo presbytero *, nivosa praesul almus Alpium juga non sine multis transcendit periculis. Demum quoque, divinâ eum gubernante providentiâ, salvo comitum et supellectilis suae numero, moenibus praesentatur Romuleis.

§ 7. Praeerat his temporibus Romanae Ecclesiae Zacharias Pontifex, summus ovilis Dominici pastor, tam verbis quam exemplis aptissimus, ab Apostolo Petro huic Apostolico Pontificatui nullo modo incongruus. Hic amplo sinu charitatis viros ex Germaniae partibus Romam adventantes colligere solitus erat, satagens modis omnibus novellae plantationis in fide Christi gentes elicere ad expetitionem loci, qui sicut antiquitus per secularem potentiam mundi caput extiterat, ita sub Evangelicae gratiae tempore per susceptum Christi imperium, et principis Apostolorum, gentiumque doctoris martyrium ac sepulturam, in primatum

* S. Burchardus bis Romam venit, sed nunquam S. Bonifacio comes.

universalis Ecclesiae profecerat. Cum autem eidem Apostolico patri Moguntini Archipraesulis adventus innotuisset, praemeditari coepit, si quid cum tanto viro dignum Deo cooperari valeret. Audierat enim jamdudum sanctitatis ejus famam longe lateque vulgatam. Verumtamen cum ad hoc perventum esset, ut post sibi datos amplexus mutuis fruerentur colloquiis, coepit Romanus Pontifex percontari, quo rudis adhuc Germanorum fides munimine fulciretur religionis, utrum ne gentibus sub discipulatu proficientibus novae eruditionis, divini respectus lucerna semper resplendeat in augmentatione populi fidelis. Hinc beatus antistes Bonifacius, cum de his et de omnibus quae interrogatus fuerat, veram ac distinctam reddidisset rationem, in extremis fassus est hanc sibi maxime fuisse veniendi causam, uti Wirciburgense oppidum, dioecesi suae contiguum, Apostolicae auctoritatis munimento cathedram Episcopalem sortiatur. Retulit etiam venerandus heros causam ejusdem religiosae intentionis in audientia tam domini Apostolici, quam universalis, quae tunc forte congregata fuit, synodi, scilicet quod quidam sanctissimae conversationis vir Scotigena Kilianus, olim ab Apostolica sede Francis Orientalibus praedicator directus, et apud civitatem praedictam martyrio cum sociis consummatus, modo multis miraculis ad tumbam suam clarescat, et propter ipsum divini favoris indicium, Regi Francorum cunctisque suis optimatibus placere, ut ad incrementum Ecclesiae, salutemque tam nobilis provinciae, sedes Episcopalis ibidem fiat. Laudabant omnes Christiani Regis desiderium, magnificabant ad hoc benevolentiam principum, industriam praesulis, profectum Ecclesiae crescentis. Tunc Bonifacium diligenter coepit percontari primo, quaenam huic officio persona posset legari, dicens rudibus in fide plebibus minime congruere neophytum, secundum praecepta Doctoris gentium. Dehinc si adhuc de fidelium collationibus vel oblationibus Episcopio sufficerent praedia, quibus pauperum necessitas, Clericorumque sustentaretur inopia; asserens Episcopum familiae Christi dispensatorem, sibi subjectis non solum spiritualem, sed etiam victum provisurum esse carnalem. Beatus igitur Bonifacius, munificentiâ charitatis praeditus, praediorum Episcopii sui partem, Romano Pontifici complacitam, Wirceburgi Episcopio delegavit: ut futurus ibidem Episcopus, sicut consors existeret laboris Dominici, ita etiam fieret temporalis particeps sustentationis, juxta illud Apostoli: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI.) His rite peractis, a Romano Pontifice iterum persona disquiritur, quae huic officio idonea destinetur. Tum vero admirandae prudentiae vir Moguntinus antistes, omni honore dignum presbyterum Burchardum in medium deducens, coepit illum laudibus prosequi, suumque probabile testimonium illius superaddere probitati; asserens hunc ab occiduis partibus

vero Episcopum jussit per fenestram domus praecipitari, et ligato ad collum ejus saxo in puteum demergi, et super eum rudera cumulari *. Effluxis vero septemdecim diebus, quidam ex presbyteris ejus nomine Asterius, cum clero noctu veniens, levavit corpus beati Episcopi, ac sepelivit in coemeterio Calepodii via Aurelia pridie Idus Octobris. Post dies vero sex tenuit Alexander Asterium presbyterum, quem praecepit per pontem praecipitari. Cujus corpus inventum est in Hostia, et a quibusdam Christianis sepultum in eadem civitate Hostiensi quartodecimo Calendas Novembris in pace regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

VITA

S. BURCHARDI EP. HERBIPOLENSIS

UT IN ANTIQUO MSS. EXEMPLARI HABETUR, QUOD PRAE VETUSTATE ALIQUOT LOCIS LEGI VIX POTUIT. AUCTOR EST, TAMETSI CODEX NOMEN NON HABET, EGILWARDUS, MONACHUS COENOBII S. BURCHARDI PROPE HERBIPOLIM **, TESTE TRITTHEMIO ABBATE SPANHEMENSI, IN LIBRO DE VIRIS ILLUSTRIBUS SUI ORDINIS.

Claruit seculo VIII — Nat. Anglus.

Prologus. Salvatoris mundi gratia, qui quos praedestinat, vocat, et quos vocat, justificat, verbo sui Evangelii, quod in toto orbe praedicandum promiserat, tandem in insularum numero, quae per incredulitatis errorem diu fuerant longe a salute, per industriam sui fidelis dispensatoris Gregorii ***, etiam Angliam fructiferam terram, seminis Dominici capacem factam, per universae Christianae religionis augmenta, suis doctoribus cooperante Spiritu Sancto, sibi fecit esse propinquam. Multum inde replicare non indigemus, utpote quod in Gestis Anglorum abundantissime digestum non ignoramus. Non tamen otiose praetereundum, immo pro Christi amore toto cordis acumine speculandum, qualiter a solis ortu usque ad occasum, fulgur Evangelici jubaris parens, insulas occiduas illustraverit, ut radiorum suorum splendoribus etiam nostrarum partium caligines, solem justitiae notificando, fugaverit, dum Scotia quondam bruta, nunc in Christi

* Anno probabilius 222, die XII octobris, ut *Bollandistae* censent.
** Germanice, *Wurtzbourg*, in Bavariae regno.
*** Gregorius I *Magnus*. Colitur die 12 martii. Vide *Surium*, Vol. III, pag. 121, etc.

prudentissima, nobis lumen nostrum primitivum destinavit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alamannis Gallum; Anglia vero universae Germaniae magnum Bonifacium *, et orientali Franciae primum, satisque idoneum pastorem, et quod verissime creditur, adhuc incultae nimis Ecclesiae valde necessarium speculum ** Burchardum. Quibus spiritualis militiae ducibus eximiis, cuique sui magisterii sequax adhaerebat in Deo fortis exercitus; quorum singula quia non vacat invenire vocabula, libeat eorum exemplis potius studere poenitentiae, quam nominibus. His itaque pro stamine telae propositae praetextis, Christo juvante, jam tempus exigit utcumque sub tegmen consequenter innectendum innodare, ad renovandam scilicet aeternam memoriam primi nostri Mandritae praenominati, saepiusque nominandi Burchardi Praesulis.

§ 1. Sicut diversa diversorum Patrum testantur scripta, dum Gregorianae signum plantationis, Anglorum novella germinasset, pullulasset, cresceret atque floresceret Ecclesia, semper, ut de eodem dicitur doctore, venerabile meritum ejus ibidem accepit incrementum; fructificante nimirum ejusdem gentis fide per multas temporum successiones omni religionis devotione, et fertilitate bonorum operum. Florebat interea eàdem in insula vel patriâ sub rege Christianissimo aromatica quaedam Christi boni odoris areola, nobilis utique nobilissimi Burchardi parentela; quae tam rebus, quam genere clara, divini timoris insignibus notabatur ab omnibus praeclara; seseque praecipue per id, non tantum convicaneis et contribulibus, sed et universo regno praebuit famosissimam, quod in bonis actibus nulli generationi terrae illius, se patiebatur esse secundam. Qua de re non incongrue Davidicum illud elogium divinitus ibi implebatur: *Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur* (*Ps.* 3). Ditavit quippe eos benedictio divina prole gemina nimis eximia, quae patris simul ac matris, immo totius generationis illius utique praeclara excellèret merita, Burchardo videlicet atque Swithuno, utroque coelitus sibi destinatae vel provisae cathedrae postea pontifice futuro. O quam benedictus fructus ventris matris illius, qui medicinam aeternae salutis sufficienter ministravit duabus seorsum nationibus, Angliae per indigenam suum Swithunum, Orientali nihilominus Franciae *** per advenam Burchardum! Porro antequam de ejusdem patroni nostri conversatione narrationi, cujus jam fundamenta jecimus, structuram praemeditatam superponamus, pauca quae de germano ejus comperimus, aeque sanctissimo Episcopo, silentio penitus non praetermittamus. Ex Anglia nati fratres Gotwin et Adelmar, aliique quamplures

* Vita S. Bonifacii M. habetur in *Surio*, Vol. VI, pag. 112, etc.
** Legendum forte, *speculatorem*.
*** *Francia orientalis* vocata est seculo octavo, quae postea *Franconia*.

inde huc advenientes, ajunt, B. Swithuni vitam miraculis plenam, in ecclesiis illius terrae circumquaque scriptam reperiri, quae tot tantisque virtutum doctrinaeque splenduerit miraculis, ut etiam ipsa non impotens sit testimonium commendare germanae sanctitatis. Legitur, inquiunt, apud nos idem Dei famulus a primaeva aetate cunctis Dei charismatibus, una cum litterarum disciplinis apprime imbutus, universis: insuper caelibis vitae munditiis praecipue candidatus. Et quamvis nullius se pateretur expertem videri virtutis, misericordiae tamen visceribus maxime notabatur insignis. Omnibus quidem necessitatem patientibus statim pro posse factus est *omnibus* proximus. Sed ne multis immoremur, unde pauca promisimus, quique ad alia, juxta propositum, potius festinamus, qualiter idem Dei electus, tam in practica, quam in theorica conversatione perfectus, per gradus Ecclesiasticos ad Episcopatus honorem canonice sit provectus in civitate, quae dicitur Wirziburg, et qualiter eamdem Ecclesiam doctrinis et exemplis illustraverit, utque de hujus mundi translatus angustiis, villicationis suae mercedem fidelis dispensator et prudens consecutus, in gaudium Domini sui intraverit: haec, inquam, omnia qui plenius nosse cupit, apud Ecclesiam illam, quam rexit, indagare valebit. Tradunt etiam nonnulli, hoc germanos fratres Burchardum et Swithunum, magni Bonifacii Episcopi non solum conterraneos, sed etiam carne consanguineos fuisse *.

§ 2. Venerabilis autem Burchardus tam praeclaram, tamque praecelsam suae prosapiae genealogiam haudquaquam passus est morum suorum nebulis obfuscari; sed potius ab ipsis primaevae aetatis annis, probitatis luce jam splendescere incipiens, quid, illum praeveniens misericordia Dei, in posterum in eo operatura esset omnigenis conatibus repraesentare videbatur. Traditus enim cum fuisset a religiosis parentibus, ut facile creditur, litteris imbuendus, vix eum quisquam vel nunquam reperit puerilibus addictum levitatibus; sed aut studiis liberalibus intendentem, aut ecclesiarum limina terentem, seu quibuslibet aliis bonae indiciis immorantem. Crevit etiam in eo cum corporis incremento misericordia, ut de seipso B. Job testatur; et ut ita dicam, in eleganti carnis materia, paulatim virtutum composito formabatur. Quid multa? Sic jejuniis et eleemosynis, vigiliis et orationibus non minus spirituales nequitias, quam carnis illecebras compressit, donec dudum per Spiritum Sanctum plantata, tanta in illo morum adolevit honestas, ut jam illud undique perfectum et ornatum Dei templum nil intra se caducum haberi sustineret. Hinc deliberationem, quam Christo inspirante conceperat, spiritalium virorum consilio roborabat, et contra male blandientis mundi lenocinia obfirmatâ animi sententiâ, tum divitiis et voluptatibus,

* Sed absque fundamento.

tum sibiipsi propriaeque voluntati renunciavit, nudusque nudam complexus crucem, eam post Christum quotidie bajulavit. Considerans autem in hac ipsa vitae perfectione nonnulla tentamentorum scandala sibi opponi, puta opes et delicias patriae, generis claritatem, affectus amicorum, spretorum objecta praediorum, aliasque mundi fumantis nebulas, aciem verae theoriae obnubilantes: quid de ipso fieri vellet omnipotens Deus, sibi revelari aut inspirari continuis precibus ambiebat. Tandemque spiritu consilii et fortitudinis roboratus, perpetuae peregrinationis studium modis omnibus amplecti deliberavit. Denique natali solo pro terra viventium relicto, ne quandoque illum pericula inferni invenirent, periculosos allicientis sali fluctus transfretavit, et Galliae Comatae * limitem attingens, in quodam satis humili loco, vere non habens hic manentem civitatem, sed futuram inquirens, aliquamdiu sub habitu peregrini delituit.

§ 3. Rutilabat his temporibus stella vere coelesti fulgore, a multis, quae tunc temporis videbantur, stellis differens, Winfridus, indigena nihilo minus Angliae, qui dudum patriâ et parentibus, immo cunctis transitoriis pro Christo derelictis, ac per hoc Sancti Spiritus prae participibus suis unctus oleo, semina verbi Dei, ab Apostolica sede sibi tradita, jam Evangelicae summopere insudans agriculturae, per vastissima regnorum Germaniae deserta spargebat. Hic Domini electus, et inter suos primo per omnia laudatissimus, quemadmodum litteris Anglorum apud Ecclesiam Romanam commendatus, ejusdemque cunctarum matris Ecclesiarum contubernio sit junctus, adeo ut bonis ex factis suis, mutato nomine, per Gregorium Papam Bonifacius appellatus, et pontifex sit consecratus, atque Legatus Apostolicus in partes Germanicas destinatus, plurimum Christo populum acquisierit, Regum ac principum adeptus benevolentiam, nobilis Moguntiae metropolitanam susceperit cathedram, ipsamque postea Archiepiscopatus pallio sublimaverit, generaliaque concilia cisalpinis in Ecclesiis congregaverit, ibique multa corrigenda correxerit, sed et multiplicem prorsus quaestum Domino suo de accepto talento longo tempore villicationis suae lucratus sit; haec, inquam, multaque alia Deo digna, scituque necessaria, in plurimis, quae eleganter de eo scripta reperiuntur, diligenter investigare quisque potest. Cooperabatur utique in his omnibus huic fideli servo suo, satisque prudenti dispensatori clemens ille Paterfamilias et Dominus, in cujus manu cunctarum gentium stat salus, in cujus praedestinatione miserendi earum singulis suum disponitur tempus. De quo verissimam legimus prophetiam: immo jam non prophetiam, sed evidenter cernimus historiam: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram,* et caetera usque ad eum locum: *Et adorabunt eum omnes reges*

* Quae est *Francia* proprie dicta.

terrae, omnes gentes servient ei (*Psal.* 71). Quonam modo enim verbi seminatores, licet infatigabiliter diu sterilibus gentium cordibus nunc seminando, nunc plantando, nunc rigando insistentes, per semetipsos incrementum aliquod extorquèrent, nisi pluviae illius in virginale quondam vellus descendentis stillicidia, terras hujusmodi coelitus irrigando, fructificarent? Nam, teste Gregorio, nisi intus sit, qui doceat, sermo doctoris in vanum exterius laborat; et e contrario nulla in discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus doctor adest. Ad haec promissae ortus justitiae, pacisque nunquam posset abundantia stabiliri, nisi per ipsum, ipso mediante, qui solus est justitia et pax omni credenti. Hac etiam arte suos semper nuncios Christi misericordia praevenit, sic a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, Filio suo eidem vere pacifico dominatum pater aeternus instituit ac dilatavit, et ab aeterno usque in aeternum confirmavit. His per excessum, quamvis necessario, insertis, denuo ad beati Burchardi, a quo digressi paululum sumus, conversationem describendam stylum retrahamus.

§ 4. Igitur athleta Christi, Burchardus, pubertatis floridae tyrocinio jam fortiter contra potestates aëreas, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contraque spirituales nequitias per mortificationem membrorum, quae sunt super terram, transcurso, in hujusmodi profectibus nequaquam more quorundam sibimet placentium, in se, sed in Domino gloriabatur, dicens cum Apostolo, *Gratia Dei sum id, quod sum:* itemque: *Non ego, sed gratia Dei mecum* (1. *Cor.* xv). Ecclesiasticis insuper gradibus canonice promotus, etiam ascensiones alias in corde suo disposuit, id est, ut de virtute in virtutem, de bonis ad meliora semper provehi posset, continua mentis revolutione meditari coepit. Ad haec liberalium scientiam artium, compositionem morum, sermonum facundiam, corporis elegantiam, caeteraque Sancti Spiritus charismata perpendens non sine causa percepisse, quonam modo potissime talentum sibi creditum duplicaret, horis omnibus non cessavit sollicite tractare, sciens dictum a Domino: *Cui plus committitur, plus exigitur ab eo* (*Luc.* xii). Interea pervenit ad eum, cunctas Europae partes jam pervagata fama illius, cujus nuper mentionem fecimus, Archimandritae Bonifacii, moxque Christi bono repletus odore, et quia cum sancto sanctus, et cum electo electus esse possit, confisus, tanti viri praesentiam, tanti doctoris audientiam sitire, et ad tantae sanctitatis atque dignitatis conversationem non destitit ardenter anhelare. Accidit autem divina, quae disponit omnia suaviter, providente sapientia, dum in agro Dominico vir idem Bonifacius, per omnia Apostolicus, totis desudaret viribus, seges etiam verbi Dei multam jam in messem cresceret, praecavens venerandus heros, ne paucitas operariorum fervens opus impediret, ut quamplures cooperatores a sua patria,

quos idoneos noverat, legatis atque litteris ad excolendum novale Dominicum, quod novare jam coeperat, accersiret. Inter quos inclytus, et omni religionis testimonio nominatissimus presbyter Burchardus, ad nuptias Agni vocatus, geminae charitatis bis tincto cocco praecipue rutilabat indutus. Hoc modo semper corda probans Arbiter internus, desiderium pauperum suorum exaudivit, sic voluntatem timentium se perfecit, dum corporalem praesentiam, quam spiritualiter in alterutrum uterque sacerdos ob suum perpetuum servitium, multorumque populorum salutem, nunciis vicariis moliebatur, ipse, mediante charitate, colligabat.

§ 5. Nec mora, dum talia foris operabatur Sancti Spiritus gratia, in primo tantorum virorum conventu praesentiam suam propalare non dedignabatur per solita charismata. Nam mox post salutationem humillimam et oscula sancta, summus Christi pontifex, Bonifacius, prophetiae spiritu repletus, hujusmodi prorupit in oracula : « Gaudeamus, inquit, fratres, in Domino, qui benignitatis suae manum porrigere dignatur labori nostro, fraternâ nos consolatione frequentans, et rudibus Ecclesiae filiis novos semper eruditores ab insulis et a finibus terrae procurans. Gratias agamus ingenti ejus provisioni, qui societatem nostram ampliavit jam contubernio tanti viri. Isti proculdubio custodiendum debetur ovile Dominicum, beati Kiliani sociorumque ejus instantia collectum, doctrinis et exemplis instructum, ac martyrio consecratum. » Servus autem Christi, Burchardus, humilitatis oculum in seipsum retorquens, licet nil minus se suspicaretur auditurum, utpote qui modis omnibus subesse venerat, non praeesse; tamen humilitatem sine obedientia sterilem vel nullam esse perpendens, tandem post silentium stupore conceptum, in hujusmodi fertur responsum prorupisse: « Credo, Pater venerande, credo, quae tua proposuit auctoritas, otiose te nequaquam protulisse: me quoque si intus nosceres, scio nullatenus prosecuturum fuisse. Ego vero si ad id quod loqueris, etiam me idoneum non esse veraciter profiteor, tamen quodcumque per tuam sanctitatem mihi imponitur, oneri non obluctor. Deus enim si per te mihi misericorditer onus imponit, confido quia clementer levabit. Adsum quippe per omnia tuo parere promptus imperio: et quia hoc pro nomine Salvatoris ago, per id me salvari cum ejus gratia non ambigo. »

§ 6. Ex hoc tempore nobilissimo sanctorum virorum collegio sub magisterio summi praesulis Bonifacii consociatus Deo dignus presbyter Burchardus, coepit ab exemplis singulorum solitam suae conversationis sanctitatem veluti quibusdam pigmentis accuratissime condire, et illorum comparatione seipsum totamque transactam vitam despicere. Indeque factum est, ut pro morum honestate, vitaque in omnibus vel maxime laudabili, in brevi omnibus esset amori et honori. Contra vero ille beatus non

vero Episcopum jussit per fenestram domus praecipitari, et ligato ad collum ejus saxo in puteum demergi, et super eum rudera cumulari *. Effluxis vero septemdecim diebus, quidam ex presbyteris ejus nomine Asterius, cum clero noctu veniens, levavit corpus beati Episcopi, ac sepelivit in coemeterio Calepodii via Aurelia pridie Idus Octobris. Post dies vero sex tenuit Alexander Asterium presbyterum, quem praecepit per pontem praecipitari. Cujus corpus inventum est in Hostia, et a quibusdam Christianis sepultum in eadem civitate Hostiensi quartodecimo Calendas Novembris in pace regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

VITA

S. BURCHARDI EP. HERBIPOLENSIS

UT IN ANTIQUO MSS. EXEMPLARI HABETUR, QUOD PRAE VETUSTATE ALIQUOT LOCIS LEGI VIX POTUIT. AUCTOR EST, TAMETSI CODEX NOMEN NON HABET, EGILWARDUS, MONACHUS COENOBII S. BURCHARDI PROPE HERBIPOLIM **, TESTE TRITTHEMIO ABBATE SPANHEMENSI, IN LIBRO DE VIRIS ILLUSTRIBUS SUI ORDINIS.

Claruit seculo VIII — Nat. Anglus.

PROLOGUS. Salvatoris mundi gratia, qui quos praedestinat, vocat, et quos vocat, justificat, verbo sui Evangelii, quod in toto orbe praedicandum promiserat, tandem in insularum numero, quae per incredulitatis errorem diu fuerant longe a salute, per industriam sui fidelis dispensatoris Gregorii ***, etiam Angliam fructiferam terram, seminis Dominici capacem factam, per universae Christianae religionis augmenta, suis doctoribus cooperante Spiritu Sancto, sibi fecit esse propinquam. Multum inde replicare non indigemus, utpote quod in Gestis Anglorum abundantissime digestum non ignoramus. Non tamen otiose praetereundum, immo pro Christi amore toto cordis acumine speculandum, qualiter a solis ortu usque ad occasum, fulgur Evangelici jùbaris parens, insulas occiduas illustraverit, ut radiorum suorum splendoribus etiam nostrarum partium caligines, solem justitiae notificando, fugaverit, dum Scotia quondam bruta, nunc in Christo

* Anno probabilius 222, die XII octobris, ut *Bollandistae* censent.
** Germanice, *Wurtzbourg*, in Bavariae regno.
*** Gregorius I *Magnus*. Colitur die 12 martii. Vide *Surium*, Vol. III, pag. 121, etc.

prudentissima, nobis lumen nostrum primitivum destinavit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alamannis Gallum ; Anglia vero universae Germaniae magnum Bonifacium *, et orientali Franciae primum , satisque idoneum pastorem , et quod verissime creditur, adhuc incultae nimis Ecclesiae valde necessarium speculum ** Burchardum. Quibus spiritualis militiae ducibus eximiis, cuique sui magisterii sequax adhaerebat in Deo fortis exercitus ; quorum singula quia non vacat invenire vocabula, libeat eorum exemplis potius studere poenitentiae, quam nominibus. .His itaque pro stamine telae propositae praetextis, Christo juvante, jam tempus exigit utcumque sub tegmen consequenter innectendum innodare, ad renovandam scilicet aeternam memoriam primi nostri Mandritae praenominati , saepiusque nominandi Burchardi Praesulis.

§ 1. Sicut diversa diversorum Patrum testantur scripta, dum Gregorianae signum plantationis, Anglorum novella germinasset, pullulasset, cresceret atque floresceret Ecclesia , semper, ut de eodem dicitur doctore, venerabile meritum ejus ibidem accepit incrementum ; fructificante nimirum ejusdem gentis fide per multas temporum successiones omni religionis devotione, et fertilitate bonorum operum. Florebat interea eàdem in insula vel patriâ sub rege Christianissimo aromatica quaedam Christi boni odoris areola , nobilis utique nobilissimi Burchardi parentela ; quae tam rebus, quam genere clara , divini timoris insignibus notabatur ab omnibus praeclara; seseque praecipue per id, non tantum convicaneis et contribulibus, sed et universo regno praebuit famosissimam, quod in bonis actibus nulli generationi terrae illius, se patiebatur esse secundam. Qua de re non incongrue Davidicum illud elogium divinitus ibi implebatur: *Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur* (*Ps.* 3). Ditavit quippe eos benedictio divina prole gemina nimis eximia, quae patris simul ac matris, immo totius generationis illius utique praeclara excellèret merita, Burchardo videlicet atque Swithuno, utroque coelitus sibi destinatae vel provisae cathedrae postea pontifice futuro. O quam benedictus fructus ventris matris illius , qui medicinam aeternae salutis sufficienter ministravit duabus seorsum nationibus, Angliae per indigenam suum Swithunum, Orientali nihilominus Franciae *** per advenam Burchardum! Porro antequam de ejusdem patroni nostri conversatione narrationi, cujus jam fundamenta jecimus, structuram praemeditatam superponamus, pauca quae de germano ejus comperimus, aeque sanctissimo Episcopo, silentio penitus non praetermittamus. Ex Anglia nati fratres Gotwin et Adelmar , aliique quamplures

* Vita S. Bonifacii M. habetur in *Surio*, Vol. VI, pag. 112, etc.
** Legendum forte, *speculatorem*.
*** *Francia orientalis* vocata est seculo octavo, quae postea *Franconia*.

inde huc advenientes, ajunt, B. Swithuni vitam miraculis plenam, in ecclesiis illius terrae circumquaque scriptam reperiri, quae tot tantisque virtutum doctrinaeque splenduerit miraculis, ut etiam ipsa non impotens sit testimonium commendare germanae sanctitatis. Legitur, inquiunt, apud nos idem Dei famulus a primaeva aetate cunctis Dei charismatibus, una cum litterarum disciplinis apprime imbutus, universis: insuper caelibis vitae munditiis praecipue candidatus. Et quamvis nullius se pateretur expertem videri virtutis, misericordiae tamen visceribus maxime notabatur insignis. Omnibus quidem necessitatem patientibus statim pro posse factus est *omnibus* proximus. Sed ne multis immoremur, unde pauca promisimus, quique ad alia, juxta propositum, potius festinamus, qualiter idem Dei electus, tam in practica, quam in theorica conversatione perfectus, per gradus Ecclesiasticos ad Episcopatus honorem canonice sit provectus in civitate, quae dicitur Wirziburg, et qualiter eamdem Ecclesiam doctrinis et exemplis illustraverit, utque de hujus mundi translatus angustiis, villicationis suae mercedem fidelis dispensator et prudens consecutus, in gaudium Domini sui intraverit: haec, inquam, omnia qui plenius nosse cupit, apud Ecclesiam illam, quam rexit, indagare valebit. Tradunt etiam nonnulli, hoc germanos fratres Burchardum et Swithunum, magni Bonifacii Episcopi non solum conterraneos, sed etiam carne consanguineos fuisse *.

§ 2. Venerabilis autem Burchardus tam praeclaram, tamque praecelsam suae prosapiae genealogiam haudquaquam passus est morum suorum nebulis obfuscari; sed potius ab ipsis primaevae aetatis annis, probitatis luce jam splendescere incipiens, quid, illum praeveniens misericordia Dei, in posterum in eo operatura esset omnigenis conatibus repraesentare videbatur. Traditus enim cum fuisset a religiosis parentibus, ut facile creditur, litteris imbuendus, vix eum quisquam vel nunquam reperit puerilibus addictum levitatibus; sed aut studiis liberalibus intendentem, aut ecclesiarum limina terentem, seu quibuslibet aliis bonae indiciis immorantem. Crevit etiam in eo cum corporis incremento misericordia, ut de seipso B. Job testatur; et ut ita dicam, in eleganti carnis materia, paulatim virtutum composito formabatur. Quid multa? Sic jejuniis et eleemosynis, vigiliis et orationibus non minus spirituales nequitias, quam carnis illecebras compressit, donec dudum per Spiritum Sanctum plantata, tanta in illo morum adolevit honestas, ut jam illud undique perfectum et ornatum Dei templum nil intra se caducum haberi sustineret. Hinc deliberationem, quam Christo inspirante conceperat, spiritalium virorum consilio roborabat, et contra male blandientis mundi lenocinia obfirmatâ animi sententiâ, tum divitiis et voluptatibus,

* Sed absque fundamento.

tum sibiipsi propriaeque voluntati renunciavit, nudusque nudam complexus crucem, eam post Christum quotidie bajulavit. Considerans autem in hac ipsa vitae perfectione nonnulla tentamentorum scandala sibi opponi, puta opes et delicias patriae, generis claritatem, affectus amicorum, spretorum objecta praediorum, aliasque mundi fumantis nebulas, aciem verae theoriae obnubilantes: quid de ipso fieri vellet omnipotens Deus, sibi revelari aut inspirari continuis precibus ambiebat. Tandemque spiritu consilii et fortitudinis roboratus, perpetuae peregrinationis studium modis omnibus amplecti deliberavit. Denique natali solo pro terra viventium relicto, ne quandoque illum pericula inferni invenirent, periculosos allicientis sali fluctus transfretavit, et Galliae Comatae * limitem attingens, in quodam satis humili loco, vere non habens hic manentem civitatem, sed futuram inquirens, aliquamdiu sub habitu peregrini delituit.

§ 3. Rutilabat his temporibus stella vere coelesti fulgore, a multis, quae tunc temporis videbantur, stellis differens, Winfridus, indigena nihilo minus Angliae, qui dudum patriâ et parentibus, immo cunctis transitoriis pro Christo derelictis, ac per hoc Sancti Spiritus prae participibus suis unctus oleo, semina verbi Dei, ab Apostolica sede sibi tradita, jam Evangelicae summopere insudans agriculturae, per vastissima regnorum Germaniae deserta spargebat. Hic Domini electus, et inter suos primo per omnia laudatissimus, quemadmodum litteris Anglorum apud Ecclesiam Romanam commendatus, ejusdemque cunctarum matris Ecclesiarum contubernio sit junctus, adeo ut bonis ex factis suis, mutato nomine, per Gregorium Papam Bonifacius appellatus, et pontifex sit consecratus, atque Legatus Apostolicus in partes Germanicas destinatus, plurimum Christo populum acquisierit, Regum ac principum adeptus benevolentiam, nobilis Moguntiae metropolitanam susceperit cathedram, ipsamque postea Archiepiscopatus pallio sublimaverit, generaliaque concilia cisalpinis in Ecclesiis congregaverit, ibique multa corrigenda correxerit, sed et multiplicem prorsus quaestum Domino suo de accepto talento longo tempore villicationis suae lucratus sit; haec, inquam, multaque alia Deo digna, scituque necessaria, in plurimis, quae eleganter de eo scripta reperiuntur, diligenter investigare quisque potest. Cooperabatur utique in his omnibus huic fideli servo suo, satisque prudenti dispensatori clemens ille Paterfamilias et Dominus, in cujus manu cunctarum gentium stat salus, in cujus praedestinatione miserendi earum singulis suum disponitur tempus. De quo verissimam legimus prophetiam: immo jam non prophetiam, sed evidenter cernimus historiam: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram*, et caetera usque ad eum locum: *Et adorabunt eum omnes reges*

* Quae est *Francia* proprie dicta.

terrae, omnes gentes servient ei (*Psal.* 71). Quonam modo enim verbi seminatores, licet infatigabiliter diu sterilibus gentium cordibus nunc seminando, nunc plantando, nunc rigando insistentes, per semetipsos incrementum aliquod extorquèrent, nisi pluviae illius in virginale quondam vellus descendentis stillicidia, terras hujusmodi coelitus irrigando, fructificarent? Nam, teste Gregorio, nisi intus sit, qui doceat, sermo doctoris in vanum exterius laborat; et e contrario nulla in discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus doctor adest. Ad haec promissae ortus justitiae, pacisque nunquam posset abundantia stabiliri, nisi per ipsum, ipso mediante, qui solus est justitia et pax omni credenti. Hac etiam arte suos semper nuncios Christi misericordia praevenit, sic a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, Filio suo eidem vere pacifico dominatum pater aeternus instituit ac dilatavit, et ab aeterno usque in aeternum confirmavit. His per excessum, quamvis necessario, insertis, denuo ad beati Burchardi, a quo digressi paululum sumus, conversationem describendam stylum retrahamus.

§ 4. Igitur athleta Christi, Burchardus, pubertatis floridae tyrocinio jam fortiter contra potestates aëreas, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contraque spirituales nequitias per mortificationem membrorum, quae sunt super terram, transcurso, in hujusmodi profectibus nequaquam more quorundam sibimet placentium, in se, sed in Domino gloriabatur, dicens cum Apostolo, *Gratia Dei sum id, quod sum:* itemque: *Non ego, sed gratia Dei mecum* (1. *Cor.* xv). Ecclesiasticis insuper gradibus canonice promotus, etiam ascensiones alias in corde suo disposuit, id est, ut de virtute in virtutem, de bonis ad meliora semper provehi posset, continua mentis revolutione meditari coepit. Ad haec liberalium scientiam artium, compositionem morum, sermonum facundiam, corporis elegantiam, caeteraque Sancti Spiritus charismata perpendens non sine causa percepisse, quonam modo potissime talentum sibi creditum duplicaret, horis omnibus non cessavit sollicite tractare, sciens dictum a Domino: *Cui plus committitur, plus exigitur ab eo* (*Luc.* xii). Interea pervenit ad eum, cunctas Europae partes jam pervagata fama illius, cujus nuper mentionem fecimus, Archimandritae Bonifacii, moxque Christi bono repletus odore, et quia cum sancto sanctus, et cum electo electus esse possit, confisus, tanti viri praesentiam, tanti doctoris audientiam sitire, et ad tantae sanctitatis atque dignitatis conversationem non destitit ardenter anhelare. Accidit autem divina, quae disponit omnia suaviter, providente sapientia, dum in agro Dominico vir idem Bonifacius, per omnia Apostolicus, totis desudaret viribus, seges etiam verbi Dei multam jam in messem cresceret, praecavens venerandus heros, ne paucitas operariorum fervens opus impediret, ut quamplures cooperatores a sua patria,

quos idoneos noverat, legatis atque litteris ad excolendum novale Dominicum, quod novare jam coeperat, accersiret. Inter quos inclytus, et omni religionis testimonio nominatissimus presbyter Burchardus, ad nuptias Agni vocatus, geminae charitatis bis tincto cocco praecipue rutilabat indutus. Hoc modo semper corda probans Arbiter internus, desiderium pauperum suorum exaudivit, sic voluntatem timentium se perfecit, dum corporalem praesentiam, quam spiritualiter in alterutrum uterque sacerdos ob suum perpetuum servitium, multorumque populorum salutem, nunciis vicariis moliebatur, ipse, mediante charitate, colligabat.

§ **5**. Nec mora, dum talia foris operabatur Sancti Spiritus gratia, in primo tantorum virorum conventu praesentiam suam propalare non dedignabatur per solita charismata. Nam mox post salutationem humillimam et oscula sancta, summus Christi pontifex, Bonifacius, prophetiae spiritu repletus, hujusmodi prorupit in oracula : « Gaudeamus, inquit, fratres, in Domino, qui benignitatis suae manum porrigere dignatur labori nostro, fraternâ nos consolatione frequentans, et rudibus Ecclesiae filiis novos semper eruditores ab insulis et a finibus terrae procurans. Gratias agamus ingenti ejus provisioni, qui societatem nostram ampliavit jam contubernio tanti viri. Isti proculdubio custodiendum debetur ovile Dominicum, beati Kiliani sociorumque ejus instantia collectum, doctrinis et exemplis instructum, ac martyrio consecratum. » Servus autem Christi, Burchardus, humilitatis oculum in seipsum retorquens, licet nil minus se suspicaretur auditurum, utpote qui modis omnibus subesse venerat, non praeesse; tamen humilitatem sine obedientia sterilem vel nullam esse perpendens, tandem post silentium stupore conceptum, in hujusmodi fertur responsum prorupisse: « Credo, Pater venerande, credo, quae tua proposuit auctoritas, otiose te nequaquam protulisse: me quoque si intus nosceres, scio nullatenus prosecuturum fuisse. Ego vero si ad id quod loqueris, etiam me idoneum non esse veraciter profiteor, tamen quodcumque per tuam sanctitatem mihi imponitur, oneri non obluctor. Deus enim si per te mihi misericorditer onus imponit, confido quia clementer levabit. Adsum quippe per omnia tuo parere promptus imperio: et quia hoc pro nomine Salvatoris ago, per id me salvari cum ejus gratia non ambigo. »

§ **6**. Ex hoc tempore nobilissimo sanctorum virorum collegio sub magisterio summi praesulis Bonifacii consociatus Deo dignus presbyter Burchardus, coepit ab exemplis singulorum solitam suae conversationis sanctitatem veluti quibusdam pigmentis accuratissime condire, et illorum comparatione seipsum totamque transactam vitam despicere. Indeque factum est, ut pro morum honestate, vitaque in omnibus vel maxime laudabili, in brevi omnibus esset amori et honori. Contra vero ille beatus non

seipsum commendans, sed in Domino cum humilitate sibi inolita pro bono conscientiae testimonio mediocriter glorians, illam semper Psalmographi ruminare solebat sententiam: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* 113). Jamtunc novum, immo primum se Christi tyrocinium profitebatur ingressum, in frequentia scilicet tot tamque robustorum militum Christi, quorum etiam vestigiis proponebat adhaerere, quorum exemplis in montem Domini confidebat altius proculdubio se posse rèpere, si tamen ea quae retro erant, oblitus, ad anteriora perseveranter extenderetur, donec sic tandem apparens conspectui Domini cum justitia, de manifestata solis electis ejus gloria satietur. Fuerunt tandem sub magisterio praefati doctoris Apostolici Bonifacii quamplures jam ad unguem sancti viri, Lullus scilicet, ipsius postea in praesulatu successor, Willibaldus et Winnebaldus germani, Wigbertus, Sola, Eobanus et Adelharius atque Waltherus, caeterique cooperatores illius in verbo Dei, quorum vocabula, gestorum ejus liber continet, monachica sub professione degentes, tamen Ecclesiasticis ministeriis atque praedicationi pariter inservientes. Quorum, utpote spiritualium per omnia virorum, crebro tractare curabat consilio, qualiter eamdem lucernam divini Spiritus tam sufficienter accensam igne, Ecclesiae superponeret candelabro et quemadmodum ad competentem perduceret effectum, quod de sancti Kiliani martyris populo acquisitionis, superna sibi gratiâ fuerat revelatum. Tandem tot templorum Spiritus Sancti concordantium roboratus oraculis, Pipinum, qui Major domus dictus, tunc Francorum regnum sub Childerico, solo nomine Rege dispensabat, supplex adiit, eique super capitulo praesenti, sui cordis secreta revelavit. Qui clementer, more suo, piis votis annuebat; neque haec solum, sed etiam suam ac regiae dignitatis legationem sive litteras, ad Sedis Apostolicae Pontificem per eundem praesulem destinabat. Assumpto itaque praedicto Burchardo presbytero *, nivosa praesul almus Alpium juga non sine multis transcendit periculis. Demum quoque, divinâ eum gubernante providentiâ, salvo comitum et supellectilis suae numero, moenibus praesentatur Romuleis.

§ 7. Praeerat his temporibus Romanae Ecclesiae Zacharias Pontifex, summus ovilis Dominici pastor, tam verbis quam exemplis aptissimus, ab Apostolo Petro huic Apostolico Pontificatui nullo modo incongruus. Hic amplo sinu charitatis viros ex Germaniae partibus Romam adventantes colligere solitus erat, satagens modis omnibus novellae plantationis in fide Christi gentes elicere ad expetitionem loci, qui sicut antiquitus per secularem potentiam mundi caput extiterat, ita sub Evangelicae gratiae tempore per susceptum Christi imperium, et principis Apostolorum, gentiumque doctoris martyrium ac sepulturam, in primatum

* S. Burchardus bis Romam venit, sed nunquam S. Bonifacio comes.

universalis Ecclesiae profecerat. Cum autem eidem Apostolico patri Moguntini Archipraesulis adventus innotuisset, praemeditari coepit, si quid cum tanto viro dignum Deo cooperari valeret. Audierat enim jamdudum sanctitatis ejus famam longe lateque vulgatam. Verumtamen cum ad hoc perventum esset, ut post sibi datos amplexus mutuis fruerentur colloquiis, coepit Romanus Pontifex percontari, quo rudis adhuc Germanorum fides munimine fulciretur religionis, utrum ne gentibus sub discipulatu proficientibus novae eruditionis, divini respectus lucerna semper resplendeat in augmentatione populi fidelis. Hinc beatus antistes Bonifacius, cum de his et de omnibus quae interrogatus fuerat, veram ac distinctam reddidisset rationem, in extremis fassus est hanc sibi maxime fuisse veniendi causam, uti Wirciburgense oppidum, dioecesi suae contiguum, Apostolicae auctoritatis munimento cathedram Episcopalem sortiatur. Retulit etiam venerandus heros causam ejusdem religiosae intentionis in audientia tam domini Apostolici, quam universalis, quae tunc forte congregata fuit, synodi, scilicet quod quidam sanctissimae conversationis vir Scotigena Kilianus, olim ab Apostolica sede Francis Orientalibus praedicator directus, et apud civitatem praedictam martyrio cum sociis consummatus, modo multis miraculis ad tumbam suam clarescat, et propter ipsum divini favoris indicium, Regi Francorum cunctisque suis optimatibus placere, ut ad incrementum Ecclesiae, salutemque tam nobilis provinciae, sedes Episcopalis ibidem fiat. Laudabant omnes Christiani Regis desiderium, magnificabant ad hoc benevolentiam principum, industriam praesulis, profectum Ecclesiae crescentis. Tunc Bonifacium diligenter coepit percontari primo, quaenam huic officio persona posset legari, dicens rudibus in fide plebibus minime congruere neophytum, secundum praecepta Doctoris gentium. Dehinc si adhuc de fidelium collationibus vel oblationibus Episcopio sufficerent praedia, quibus pauperum necessitas, Clericorumque sustentaretur inopia; asserens Episcopum familiae Christi dispensatorem, sibi subjectis non solum spiritualem, sed etiam victum provisurum esse carnalem. Beatus igitur Bonifacius, munificentiâ charitatis praeditus, praediorum Episcopii sui partem, Romano Pontifici complacitam, Wirceburgi Episcopio delegavit: ut futurus ibidem Episcopus, sicut consors existeret laboris Dominici, ita etiam fieret temporalis particeps sustentationis, juxta illud Apostoli: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI.) His rite peractis, a Romano Pontifice iterum persona disquiritur, quae huic officio idonea destinetur. Tum vero admirandae prudentiae vir Moguntinus antistes, omni honore dignum presbyterum Burchardum in medium deducens, coepit illum laudibus prosequi, suumque probabile testimonium illius superaddere probitati; asserens hunc ab occiduis partibus

ante annos aliquot in suorum sociorum contubernium advenisse, et ex hoc nihil unquam in eo quod pontificali dignitate videretur indignum, reperisse. Ad haec Papa gloriosus, corde vultuque jam hilarior effectus: « Agamus, inquit, fratres, gratias providentiae Salvatoris nostri; quia, ut vere dicitur, a solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini. Ab occasu venisse testatur, per quem divina pietas veri solis ortum rudibus ministrabit populis. Prosequamur ergo alacriter per nostrum officium, quod divinâ credimus ordinatione dispositum; sed antea communi devotione Christi pulsemus clementiam, quatenus suam nostro ministerio porrigere dignetur dexteram. »

§ 8. Post haec, inito consilio coëpiscoporum, Cardinalium, totiusque Romani Concilii, cunctorum corda simul et ora favorabiliter concordantia sibi invenit, quatenus Wirciburgensis civitas orientalis Franciae, cathedra pontificatus insigniretur; necnon et Burchardus, tam excellentis testimonii presbyter, ibidem primus ab ipso summo sacerdote praesul ordinetur et consecretur. Quod mox ipse cum omni devotione et gaudio spirituali, tota Romana cooperante Ecclesia, festinavit adimplere, riteque peractum Apostolica auctoritate, ratis quoqùe tam secularibus, quam Ecclesiasticis adstipulationibus, canonice ac jure gentium modis omnibus curavit confirmare. Nam ubi S. Zacharias electum Burchardum, Christi chrismate propriis manibus perfusum, Christo christum Domini sati superque mysticis imprecationibus * Ecclesiastico more commendavit atque sacravit, privilegiis eum Romanae auctoritatis sufficienter contra improbitates reproborum armavit; monitis paternis, quomodo paterne novellam Christi vineam excoleret, instruxit; qualiter etiam parvam adhuc et inexercitatam naviculam inter immensos fluctus seculi gubernet, diligenter consolatione Sancti Spiritus animavit. Ad extremum litteris commendatitiis, suo nimirum sigillo more Majorum impressis, ad Principis Pipini patrocinia, cunctorumque fidelium Christi remisit; et quod omnibus his excellit, sanctorum reliquiis ad aedificationem et tutelam novae Ecclesiae copiose ditavit. Deinde uterque praesul facultatem recedendi rogant a Magistro, ejusque pedibus advoluti, benedictionis Apostolicae contra omnia tam instantis itineris discrimina, quam universa utriusque hominis in hujus seculi pelago pericula, benigno muniuntur solatio. Sic utique de cunctis, pro quibus venerat, responsis apprime certificati, proprias ad sedes redituri, cum maximo gaudio sunt iter aggressi. Quos Romanus Pontifex, non sine lacrymis paternae pietatis, hujusmodi prosecutus est vocibus et votis: « Ite, inquit, jam in pace Christi, fratres carissimi, cooperatores agri Dominici, seminatores verbi divini. Crescat et multiplicetur fructus laboris vestri, rore vel imbre nutritus Spiritus Sancti. Cavete, quaeso,

* Intellige *benedictionibus*.

ne vobis, quod absit, torpentibus vel dormientibus, in agro summi patrisfamilias zizania superseminet inimicus. Continuo intendite tempus messis, quando manipuli laborum vestrorum Dominicis condantur in horreis potius, quam fasciculi zizaniorum tradantur incendiis. Comitetur vos semper Angelicae protectionis auxilium, quo perficere possitis omni tempore susceptum sacerdotale ministerium. Suffragetur instanter et in dies vestrae sollicitudini janitor coelestis aulae, a cujus sacratissima cathedra officium suscepistis pastoralis curae. Ipsius et preces vitam vestram tueantur, qui tempore tentationis, Salvatoris tutela defensus est, ne a Satana velut triticum cribraretur.

§ **9**. Transmissâ dehinc, gratiâ Christi eos protegente, absque ullius laesionis impedimento, Alpium difficultate, Dei quoque cum laudibus et canticis spiritualibus, post longa Bavariae provinciae sive Alemanniae spatia emensa, gratos Orientalis Franciae fines attingunt, in cujus pene medio positum ad oppidum Wirceburgense perveniunt. Quibus tam inibi inhabitantium, quam ex vicinis locis multitudo hominum ingens occurrebat: nam fama praeveniens, huc illos congregaverat. Qui omnes ad fontem vitae corda sitientia Christi sacerdotibus offerebant, ac supplicibus admodum clamoribus ipsum aërem usque ad sidera, ut ita dictum sit, implebant: « Bene, inquiunt, venite, patres benedicti a Domino, venite, servi Dei excelsi, venite, laboratores animarum nostrarum; augmentate divina semina verbi, a beato Kiliano olim nobis ministrata, quo vòmere sermonum vestrorum exculta tellus nostrarum mentium, dignos queat ferre fructus fidei bonorum operum. » Quibus auditis, uterque praesul prae gaudio lacrymas fuderunt; suisque benedictionibus Christi gregem consignantes, eidem pastori pastorum tam devotas oves intimis precibus commendarunt. Inter haec, egregius Archipraesul Bonifacius, in exultatione Spiritus Sancti jam hilarior factus in auribus omnium hujusmodi benedictionis et vaticinii sermonem protulit: « Felix eris amodo Wirceburgum, et inter Germaniae non ignobilis urbes: et quamvis temporibus quarumdam civitatum postrema habearis, tamen exornata corporibus martyrum, inferior ultra non haberis. In numero Trinitatis martyribus tribus fulciris, ad suppletionem te tradis: ecce probitas jam accessit Burchardi pontificis. » Interea perventum est ad locum orationis; ubi, fusis precibus, arreptum manu novum pontificem, Romanus Legatus, id est, magnus Bonifacius, conspectibus praesentavit totius populi circumstantis. « En, inquit, nostrâ sollicitudine vobis fratres acquisitum, a Romana et Apostolica sede consecratum atque directum repraesento pontificem, necessarium novellae fidei vestrae a magistro meo Zacharia mihi commendatum exhibeo patrem. Huic non adulatorium vel fictum, sed verum et experimentis probatum in conspectu et in auribus omnium vestrum exhibeo

testimonium, idipsum nimirum, quod tam coram principe Pipino, quam coram universali sacerdotum magistro me constat perhibuisse nuper in Romano concilio, in medio fratrum nostrorum, videlicet quod meritis, scientiâ, conditione et aetate, omnimodâque conversatione, pontificali est officio dignus et idoneus, sicuti justum est ita me sentire de hujusmodi collaboratore, cui securus mei laboris impertiar onus. Neminem autem vestrum volo ignorare, filioli, causam istius, quod hodie in nomine Christi ejusque sponsae conjunctione initiamur, officii. Primus itaque fundator vestrae fidei, Kilianus, ab Apostolica vobis pastoralitate transmissus, fidem, quam verbis docuit, hoc ipso in loco martyrii testimonio comprobavit. Ecce idipsum praesentis tumuli loquitur confessio, ubi ad ejus sociorumque illius corpora, per sanitates et miracula, credulitatis vestrae divinitus exercetur die noctuque confirmatio. Haec mihi primum gratia Christi per quemdam fratrem nostrum innotescere voluit, Adelhelmum scilicet presbyterum, qui lumen oculorum, Dei judicio sibi ablatum, hic juxta glebas Martyrum, meritis eorumdem recepit. Deinde numerosis tanta sanctitudo signis in nostra dioecesi manifestata, visa est tam mihi, quam cunctis circumquaque fratribus nostris, non esse negligenda. Nunc vero virum hunc, omni honore dignum, consensu principum electum, Apostolica confirmatione consecratum, vice nostra et legatione Romana, qua fungimur, vobis hodie proprium constituimus et praesentamus Episcopum: quatenus ab hodierna die et deinceps universa sacramenta Ecclesiastica, id est, chrisma et consecrationes, poenitentiae ac indulgentiae, per hunc patrem vestrum, suosque subjectos ac successores canonice administrentur, neque haec ultra, ut prius, Moguntiae vel uspiam alibi, a nobis seu posteris nostris expetantur. Hunc vice Christi, cui credidistis, honorate. Huic Christi vobis praecepta tradenti, ac de coelis misso diligenter auscultate; ipsi etiam, utpote pro vobis in die judicii rationem reddituro, per omnia et in omnibus obedite. Decimas et oblationes, synodales conventus, festivitates et jejunia, ac quaslibet alias Christianitatis observationes, ut vere Christiani Christique cohaeredes, per ipsum vobis imposita, juxta Canonum decreta persolvite: sed et de his omnibus in illa aeterna vita mercedem aeternam a justo Judice, eodemque pio remuneratore, certissime sperate. »

§ **10**. Haec multaque his similia postquam peroravit, illico vox omnium quasi vox una in electionem et susceptionem tanti pontificis unanimiter concordavit. Tunc senior almus litteras Apostolicas Wirceburgensis Episcopatus institutionem confirmantes, plebique praesenti, necnon in futurum usque ad mundi finem ibidem Christo crediturae, consolationem abundanter exhibentes, publice recitari praecepit: sicque tam a Deo, quam ab hominibus electum antistitem Ecclesiastico more cum infinita cunctorum,

qui aderant, alacritate atque tripudio inthronizavit. Deinde plebem ad propria remittens, ipse cum magnatibus cuncta, quae jus Episcopii juxta patriae morem exigebat, per aliquot ibidem dies còmmorans, venerabiliter disponebat: id est, terminum undique novae dioecesi, prout competens videbatur, distinguebat, parochias presbyteris per singulas plebes gubernandas dividebat; et si qua praeter haec res expostulavit, una cum novitio praesule constituebat. Tandem universis, quae ad praesens negotium pertinebant, domi forisque, prout poterat, non segniter compositis, unanimi valefecit amico et coëpiscopo Burchardo: quem in propria sede relinquens, ipse Moguntiae metropoli se praesentaturus, post mutuas utriusque lacrymas, ad propria repedavit. Acta est haec nova institutio novi pontificatus apud urbem Wirceburg, anno Dominicae Incarnationis septingentesimo quinquagesimoprimo: anno vero sexagesimosecundo post passionem sanctorum Martyrum Kiliani ac sociorum ejus, quae incidit in annum Incarnationis Dominicae sexcentesimum octogesimum nonum; ad incrementum Ecclesiarum Germaniae, maximeque ad salutem totius Orientalis Franciae, auctoritate nimirum Zachariae Papae, consensu quoque Pipini junioris, Principis Franciae, mediante Bonifacio Praesule Moguntino, beato vero Burchardo, primo pontifice ad eamdem cathedram consecrato.

§ **11**. Igitur venerabilis Antistes Burchardus, qui toto ineuntis aetatis suae tempore scuto fidei protectus, galeâ salutis et loricâ justitiae indutus, ac spiritus gladio, quod est verbum Dei, armatus, contra spirituales nequitias inexpugnabilis steterat; ubi se speculatorem domus Israël in quadam Ecclesiae turri positum conspexit, sic super custodiam suam totis noctibus stare satagebat, sic vocem suam quasi tuba super montem excelsum contra gladium venientem exaltare curabat, uti ne civitates animarum sibi subjectarum, se dormitante, parcere nescius hostis irrumperet, nec caulas ovium Dominicarum lupi rapaces, sive leo circumiens invaderent, et ob hoc sanguinem pereuntium de manu ejus summus Paterfamilias postea requireret. Sedula quoque cordis anxietate coepit meditari, qualiter sibi commissas Dominicas oves verbo Dei pasceret, et in omni fidelis prudentisque dispensatoris cura tam se, quam Christi familiam regeret, ita ut in extremo superni Judicis examine, *Euge* Dominicum posset promereri. Erat autem Dei famulus eloquio valde mitis, vultu venerandus et affabilis, in vigiliis sedulus, in lectione assiduus, in eleemosynis, quantum facultas suppetebat, satis benignus et benevolus, sollicitus de commissis, providus in consiliis, in universis moribus compositus, in bonis actibus indefessus, in contemplatione prae cunctis suspensus. De tanti viri humilitate scribere quippiam, omnino superfluum fuerit, cum necdum nomen et officium Episcopale valuisset pompaticum, nisi quod ipsa, quae in

loco sepulturae ejus servatur, virga sambucea, semper nobis ad memoriam reducit humilitatis ejus exempla. Unde constat, quanto pretiosior sit coram illo, qui humilia respicit, et alta a longe cognoscit, pastor Burchardus cum sua pastorali virga modernis pastoribus, qui pascentes semetipsos, vix in ipsis baculis suis aliquâ carent pompâ. Fertur etiam, quod non minus exterioris hominis compositio divinitus sibi collato congrueret officio, videlicet cum jam aetate maturâ vèrgere coepit in senium, corpus gereret etiam ipsâ staturâ decorum. Quid plura? Dum per omnia et in omnibus officio pontificali dignus et idoneus videretur, non incongrue dicitur, quod non sine causa, sed merito ab omnibus amaretur. Quomodo enim posset non amari, quem tot charismata decorabant coelestis beneficii?

§ **12**. Adeo denique habitus est ab omnibus honorabilis, ut etiam totius regni consilio una cum Folrado Abbate, eodemque Archicapellano ad praedictum Zachariam Romanum Pontificem mitteretur. Hinc, ut altius nonnihil repetamus, solebant Franci ex antiqua Regum stirpe Reges habere, qui e Meroveo, Clodii secundi Regis eorum filio, Merovingi dicebantur; quorum genealogia usque ad Childericum tunc temporis Regem permanebat, in quo etiam deficiebat. Sed licet in illo finita posset videri, jamdudum tamen nullius vigoris erat, nec quicquam clarum in se, praeter inane Regis vocabulum praeferebat. Nam et opes et potentia regni penes palatii praefectos, qui Majores domus dicebantur, et ad quos summa imperii pertinebat, tenebant, nec aliud quicquam permittebatur Regi, quam uti regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissâ, in solio residèret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quae doctus erat aut jussus, ex sua velut potestate redderet; cum praeter inutile Regis nomen et praecarium vitae stipendium, quod ei praefectus aulae prout videbatur, exhibebat, nihil aliud possideret, quam unam et eam parvi redditus villam, in qua domum, et ex qua familiam, necessaria sibi ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucae numerositatis haberet. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod, junctis bobus, et bubulco, more rustico, agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum conventum, qui Calendis Maji ob regni utilitatem annuatim celebrabatur, ire solebat, et coram tota gente praesidens, omnesque salutans, et ab eis salutatus, debitisque obsequiis honoratus, sic domum redibat, sicque secum usque ad alium Majum domi residebat, ac regni administrationem, et omnia quae vel domi, vel foris agenda erant ac disponenda, praefectus aulae procurabat. Quo officio tunc, cum praedicti legati mittebantur, Pipinus Caroli * filius, id est, Caroli Magni pater, jam velut haereditario jure fungebantur.

* Cui est cognomen *Martelli*.

Zacharias Papa super hujusmodi negotio consultus, remandavit per Burchardum pontificem et Folradum Abbatem, melius esse vocari illum Regem, apud quem summa potestatis consisteret. Datàque auctoritate sua, Pipinum Regem constitui jussit. Qua legatione peractâ, Pipinus per auctoritatem Apostolicam, qua tam probabiles viri in audientia Primatum scriptis ac dictis deferebant, more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacii Archiepiscopi Moguntiacensis elevatus est in regni solium in Suessionum * civitate. Qui post per Stephanum ** Papam unctus in Regem et confirmatus, atque a juramento, quod Childerico Regi cum caeteris primatibus fecerat, absolutus, postea regnavit annis quindecim. Childericus vero, qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite, in monasterium missus est. Sed de his jam dixisse sufficiat, quorum nunc mentionem prorsus attingimus propter Burchardum nostrum, qui tantis negotiis strenuus omnino legatus et cooperator intererat.

§ **13**. Beatus igitur Burchardus, cum de die in diem, de virtute in virtutem, de bonis ad meliora proficere non cessaret, indeque fama ac memoria ejus cunctorum longe lateque quasi mel ora indulcoraret, anno secundo ordinationis suae tractare coepit cum comprovincialibus Episcopis, multisque viris religiosis, sed maxime cum glorioso magistro suo, metropolitano Episcopo Bonifacio; uti eorum consilio et adminiculo corpora BB. Martyrum Kiliani sociorumque ejus e loco, in quo ab infidelibus tèmere posita fuerant, levaret. Collecto denique clero ac populo, indixit jejunium, ut digni possent reperiri, a quibus sancti Martyres permitterent sua corpora moveri. Constitutâ autem die elevationis Martyrum, confluxit undique multitudo maxima populorum: alii religionis studio, alii recuperandae sanitatis desiderio, nonnulli etiam curiositate miraculorum, universi tamen convenerunt amore et veneratione Martyrum. Tunc venerabilis pontifex Burchardus cum crucibus et thuribulis, omnique apparatu Ecclesiasticae religionis ad locum sepulturae Martyrum processit, acceptoque sarculo, primus fodere coepit, subvenientibus sibi ministris, ad hoc opus antea destinatis. Sed postquam tellus egesta est, non altâ scrobe inventa sunt Martyrum corpora ita fragrantia, ut omnium circumstantium nares suavitate tanti odoris replerentur. Carnibus quippe Martyrum juxta carnis naturam in cinerem redactis, caetera, quae cum illis fuerant defossa, penitus incorrupta inventa sunt, adeo ut nec folium de libris, nec fimbria corrupta videretur de vestimentis. Illico venerandae Sanctorum reliquiae, cum maximo Cleri plebisque tripudio de terrae pulvere levantur, ac sericis reverenter involutae palliis, manibus sancti praesulis feretro, nuper ad hoc ipsum opus ornatissime praeparato, membratim componuntur; fitque denuo populi ingens concursus, et inde

* Gallice, *Soissons*, anno, ut videtur, 752.

** Hujus nominis, secundus.

constipatae multitudinis tumultu, tam Episcopi, quam Cleri quodammodo praepeditur processus. Ambiebat nempe multimodis conatibus popularis ille conventus, si quis posset manu feretrum tangere, vel transeunti succumbere, sive manibus in altum elevatis Deo gratias referre, aut econtra flexis poplitibus seu cervicibus, quicquam devotionis Christi Martyribus suppliciter impèndere. Vox una resonabat omnium, *Gloria in excelsis Deo, Laus Domino nostro Jesu Christo:* necnon *Kyrie eleison, Christe eleison,* et multa id genus. Tanta vero interim miraculorum insignia meritis Christi Martyrum coruscare videbantur, ut si qui forte aderant, qui exemplo nimirum Thomae Apostoli in fide titubarent, visis tot miraculis, solido robore credulitatis firmarentur.

§ **14**. Gloriosus autem antistes Burchardus Christi Martyribus dono dedit, immo sponsae suae Ecclesiae Wirceburgensi praedia in dotem contulit, quae dudum, cum S. Bonifacio commorans, et cum ipso palatium regale frequentans, vel parochias circuiens, conquisierat, seu pretiis in suae proprietatis jus ab ingenuis viris comparaverat. Illustres quippe Francorum et optimates, eumdem Virum in patria sua ex cunctis progenitoribus suis satis nobilitatum audientes, insuper mores illius omni religione et sapientiâ praecipuos considerantes, nonnulli de remedio animarum suarum cum tali Servo Dei tractare coeperunt, indeque res suas, si quas Domino vovebant, per manus illius tutissime consecrari vel dispensari credebant. Itaque villam quae dicitur Michelnstat, quam ei Carlomannus princeps quondam in proprium jus tradidit, ipse legitimâ investitura sanctis Martyribus confirmavit. Similiter etiam Hohenburg, multaque alia allodia, quae diversis in locis a nobilibus viris quocumque pacto susceperat, coram multis fidelibus testibus, et omnium orientalium Francorum principibus, ad eorumdem Martyrum reliquias investiebat. Insuper ad supplementum novi pontificatus, et amplificationem Ecclesiastici cultus, alimoniam quoque Cleri tam futuri, quam praesentis, regiâ munificentiâ collatum est sancto Kiliano castellum, quod Karelburg vocatur, cum fisco regali, cunctisque illo pertinentibus redditibus; ac eamdem traditionem testamento regali, necnon privilegio Apostolici praesulis metropolitanus pontifex Bonifacius, una cum principibus et comitibus, Regis Pipini legatione fungentibus, sancto Kiliano rite confirmavit, ac beato Burchardo praesenti Episcopo dotes ac decimas, suaeque Sedi contiguas ecclesias, in novam ejus parochiam conterminavit.

§ **15**. Eo tempore quaedam virgo Deo devota, natu simul et moribus nobilissima, super montem, qui nunc S. Mariae Mons, sive Wirceburg antiqua, dicitur, continentissimam cum plerisque voti ejusdem feminis degebat vitam, nomine Immina. Haec habuit patrem, filium Gosberti Ducis, Hettanum nomine: quae tam sapientissimo nihilominus consiliario cuncta cordis sui revelavit

arcana. Inter quae etiam hujusmodi subintulit labiis tremebundis elogia: « Credo, inquit, et gaudeo, pater post Christum et in Christo dilectissime, quod per tuae sanctitatis praesentiam, Dominus noster Jesus Christus neophytam hanc ecclesiam sublimare modis omnibus, ante mundi constitutionem in suae majestatis et aeternitatis praescientia proposuit, et idipsum nunc in oculis nostris manifestare coepit. Quapropter de me, prout ipse humilitatem ancillae suae respicere dignatus fuerit, pro hoc ipso precum mearum instantia, quamdiu his artibus utor, nullatenus deerit. Nec clam te, pater, esse patiar, quod jam quadraginta et uno amplius anno eumdem animae meae sponsum, cum ancillis meis quae se mecum in ejus praeparant occursum, sub ancipite carnis ac spiritus luctamine, nimis anxie praestolor: modo vero tuae paternitatis consolatione, quam tamdiu ardenter desiderabam, abunde consolata, vellem, si fieri posset, propter vitandum tumultum, quem amodo forsitan populi venientis ad fidem hoc in loco frequentia parabit, potiora quaerere secreta. Opto etenim, ceu beatus et justus ille Simeon, quia viderunt oculi mei salutare Dei, lumen videlicet gentis Israël, jam fatiscentibus membris, in pace dimitti. Est autem castellum, quod Karelburg dicitur, Ecclesiae vestrae nuper augmento per divinam gratiam collatum, sanctae nimirum Gertrudis quondam, dum pro Christi amore procul carnalem illecebram fugeret, latibulum, et ejusdem Dei famulae, et caeterarum secum conversantium antiquâ inhabitatione sanctimonialibus non inconveniens habitaculum. Quod si tuo, pater alme, consensui placuerit et industriae, monasteriolum in beneficium a te suscipiam: istam vero paternam haereditatem meam jure gentium sanctae Wirceburgensi Ecclesiae perpetua proprietate stabilem atque firmam perficiam. » Quid plura? Beatus Burchardus nactus eam optionem, id quod rogabatur, voluntarie concessit, multâque diligentiâ rataque adstipulatione coram regni principibus, et maxime Francis orientalibus, confirmavit eidem, ut venerabilis Immina Karelburg cum omnibus illo pertinentibus praediis, in beneficium usque ad vitae suae terminum possideret; Mons vero Wirceburg cum suis appenditiis, id est, praediis, redditibus et terminis, omnimodisque utilitatibus, perpetua proprietate Wirceburgensi Episcopio subjaceret.

§ **16**. Qua non tantum precaria, verum etiam traditione potestativa, legitime testibus et scriptis delegata atque roborata, virgo Christi cum suis omnibus Karelburg contulit se, ibique deinceps cum multis consodalibus Sponsi coelestis occursui vigiliis, jejuniis et orationibus, cunctisque bonis actibus se, quamdiu superfuit halitus in ea, continue praeparare non desiit. Ad extremum vero post bonum certamen certatum, cursum consummatum, et fidem servatam, justitiae coronam a justo sibi Judice repositam receptura, carnis suae, quam toties pro Christo

crucifixerat, tangitur molestiis, nec multo post ad coelestem thalamum se vocantis vocem Dilecti sui, cujus amore languerat, auribus audivit interioris hominis: *Veni de Libano, proxima mea, veni, coronaberis* (*Cant.* IV). Cui cum laetissimo respondisset affectu, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* 41): sumpto vivifici Sacramenti, Viatico, socias ad bella spiritualia, quantum valuit, viriliter ut ipsa eatenus virago fortis animavit, quibus et inter hujusmodi alloquia vale ultimum fecit; moxque sarcinulam laetabunda deposuit, et civibus juncta supernis, ad Agni Dei comitatum, palmâ virginitatis et voluntariae paupertatis martyrio pulcre decorata, migravit. Cujus venerandam corporis glebam vir Domini Burchardus in eodem Dei Genitricis templo, quondam a beata Gertrude constructo, officiose curatam, juxta altare versus Aquilonem, condignis cum exequiis, animam Christo commendans, rite recondidit. Ex tunc usque in hodiernum diem, utrumque de praenominatis castellis ex integro sancti Kiliani proprietati, sancto pontifice Burchardo providente, cessit, hocque tam auspicato procurationis illius et conquisitionis initio, novella plantatio Wirceburgensis Episcopi modis omnibus, ut est dies haec, ditari atque dilatari coepit.

§ 17. Verumtamen ut ad superiora parumper reflectamur, statim post ejusdem concambii, quod praesul Burchardus cum generosa Christi sponsa Immina fecerat, eventum, convocatis certo die tam Clero quam populo, Martyrum corpora nuper de terrae pulvere levata, cum veneratione maxima super montem saepe dictum, comitantibus populorum turbis, transportari fecit; sicque ut verum coeli animal, ante et retro oculatum, tam futura prospiciens, quam praeterita custodiens, seu praesentia communiens, investituram ejusdem possessionis patrono suo Martyri Kiliano, perpetuo stabilivit. Nam per continuum triennium ibi in basilica sanctae Dei Genitricis easdem sacratissimas reliquias indeficienti totius religionis officio, tam per seipsum, quam universum sibi adhaerentem Clerum, reverenter èxcubans custodivit. Et quia locus idem sub antiquis olim Ducibus arx et caput fuerat totius Orientalis Franciae, nuper autem ibidem prima fundamenta sunt jacta nascentis Ecclesiae, cunctis eum studiis amplificare, prout valebat, sategit; proposuitque principale illic suae sedis instituere monasterium, ubi gentis illius et provinciae primitus initiabatur salutis exordium. Cum die noctuque talia meditando, sollicitudinis anxiae saxum ingens volveret, praesertim cum asperitas montis, et arduus ascensus, atque penuria aquae iis quos illic Deo militaturos congregare disponebat, importunitatem omnimodam generarent, tandem ad solita precum solatia, atque divini consilii refugium, totam sui cordis intentionem transtulit: quatenus ipse, qui David in area Areuna locum suo tabernaculo designaverat

praedestinatum, etiam nunc nascenti suae Ecclesiae ad generandum semper novam sibi sobolem, caeterisque suis caeremoniis aptum demonstrare dignetur locum.

§ 18. Porro idem dux populi Dei, solebat cum Moyse vel Aaron pro omnibus, quibus affligebatur, sollicitudinibus, a tabernaculo divinae clementiae responsa requirere; nec hoc solum, sed etiam cum Jacob post Liae, id est, activae vitae taedium, ad Rachelis, id est theoriae amplexus recurrere: hujusmodi studiis dum aliquando vigilantius insisteret, atque vere membrum illius, de quo dicitur, *Custos, quid de nocte* (*Isaiae* XXI)? vigilias noctis super gregem sibi commissum custodiret, dicens in corde suo, non verbis, sed actibus, Super custodiam meam sum stans totis noctibus: dum, inquam, sic staret oculis ac manibus in coelum nimis intentus, subito corporalibus oculis conspicit quasi tres candelas ardentes ab eadem basilica, qua Martyrum reliquiae servabantur, per aërem quadam divina virtute deferri; quae trans flumen in loco sepulturae Martyrum demissae, post horae unius spatium super montem, unde venerant, visae sunt reverti. Intellexit per Spiritum Sanctum vir Dei, visionem ipsam sanctarum fuisse praesentiam animarum, locum suae passionis visitantium. Quod cum fratribus et plebibus retulisset, visum est omnibus, ut monasterium, quod in monte constituere disponebat, circa sepulturam Martyrum, ubi lumen coelitus descendisse conspexerat, potissimum fabricaret: quod et primum de lignea materia initiatum, post haec accuratiori lapidum structurâ per sanctum Dei pontificem ad unguem est perductum. Ubi et denuo Sanctorum corpora relàta, et in operoso sarcophago gloriose sunt recondita. In quo loco tam illorum, quam beati Burchardi meritis, novi novae sedis Episcopi, nunquam beneficia Salvatoris nostri desunt iis, quicumque credulo corde ea perquirere non desistunt. Denique Veritas quae dilectoribus suis polliceretur, *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* quod alibi tam factis quam verbis implevit, hic idem ad tumbas vel confessiones Martyrum tam corporaliter quam spiritualiter operari non desinit. Caeci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, etc. Nam, ut ubique scriptis Patrum edocemur, dum increduli scientiâ veritatis et fidei illuminantur, quid nisi caecis visus panditur? Dum divini verbi occulta nescientibus per expositorum dicta reserantur, quid nisi surdis auditus aperitur? Claudi ambulant, dum bonorum operum, viaeque rectitudinis expertes, juxta praeceptum, semitas justitiae rectosque gressus sub pedibus suis facere non dubitant. Mortui resurgunt, quoties òbruti culpis mortalibus, ad vitam aeternam capessendam afflati Spiritu Sancto, per poenitentiam expergefiunt. Hos et hujusmodi divini seminis fructus, in novali Wirceburgensis Ecclesiae succrescentes, tam beati Burchardi, pervigilis nimirum coloni, sollicitudine non

pigri, quam beati Kiliani, primi plantatoris industriae non inconvenienter adscribimus. Ideoque luce clarius constat operae pretium esse, quandoquidem utriusque meritis, si veraciter et digne membris utpote membrella congloriamur, ne terminos, quos ipsi bonis exemplis suis posuerant, et nos laude dignos approbamus, quod absit, ut filii nequam transgrediamur, sed potius exemplis eorum innitendo, confidendoque precibus, fidem dictis nostris per opera faciamus.

§ **19**. Interea sanctus Dei, quamvis, ut saepe diximus, activae vitae sollicitudinibus plurimis cum Martha nonnunquam ob incultae adhuc Dominicae vineae curam turbaretur; tamen crebro ad pedes Jesu refugium quaerere, ibique cum Maria sub alarum Christi velamento protectus, in lectionibus assiduis verbum Dei, cujus se debitorem caeteris noverat, intentius audire delectabatur, dicens intra se: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* 84). Unde cum Paulum sibi dicentem intenderet, *Labora sicut bonus miles Christi Jesu* (2. *Tim.* II), et caetera talia, nullam villicationi suae concessit otii moram, quin, ut jam diximus, aut Marthae ministeriis, aut Mariae contemplationibus invigilaret. Quapropter ejusdem exercitii sibi providere curavit officinam, exemplo scilicet beati Martini, qui separatam ab Episcopii tumultibus eadem pro causa construxerat cellam, in arcto proclivi montis saepe dicti, et allapsu Moeni fluminis, coepit instituere coenobium: quod in honore Dei Genitricis sanctique Apostoli Andreae constructum, tantâ donavit quantitate praediorum, quae duodecim fratribus Canonicis, ibidem Deo militantibus, sufficerent ad victum et vestitum. Inter quae dotalia eidem concessit monasterio praedictum montem Wirciburg cum praediis et redditibus, sicut acquisierat a praefati Ducis Hettani filia; stabilivitque donationem illam jure gentium coram cunctis provinciae primatibus, ordinatis ibidem in servitutem Domini duodecim sub Canonica vita fratribus. Ipse quoque Dei famulus, quoad vixit, locum eumdem per seipsum, utpote a secularium turbine curarum ad hujusmodi portus tranquillitatem confugiens, incoluit, et pro facultatum suarum quantitate, necessariis impensis summâque diligentiâ excolere non cessavit; forsitan ob hoc maxime, quia Spiritu Sancto praemonstrante, corporis sui reliquias praescivit ibidem quandoque condendas fore, donec alterâ stolâ, scilicet immortalitatis, indutum mortale hoc, incorruptione potiatur aeternae vitae. Recondidit etiam in eadem basilica digna cum veneratione corpus cujusdam Martyris, Magni nomine.

§ **20**. Lucebat inter haec et post haec sine intermissione lux tantae lucernae, ardentis fide et dilectione, lucentis verbo et actione, nec poterat abscondi supra candelabrum pontificalis honoris posita lampas, Salvatoris igne flammata. Unde quamplures undique confluebant ad tanti Doctoris audientiam, diversi sexus,

aetatis atque conditionis, fontem vitae quaeque sitiens anima. E quibus vir illustrissimus, nomine Gumbertus *, universâ morum ac generis nobilitate praeclarus, ejus est contubernio conjunctus: ut illius convictu atque colloquio, ceu quibusdam medicaminibus a secularis fastus tumore mollitus, quandoque summae philosophiae, quae est mundi contemptus, comprehendere posset ascensus. Verum quia qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; sic e contrario amicus stulti, efficietur similis ei: non multo post praedia sua, quibus prae cunctis hac in regione degentibus abundabat, in sancti Kiliani proprietatem delegavit, moxque, depositis armis, seculo renunciavit; sicque nudus nudam Crucem suam bajulans post Christum, coepit beatum Burchardum nullatenus deserere. Porro ex tunc perfectissime semper adhaerens vestigiis magistri bonis initiis suae conversationis, adeo laudabiles adjunxit successus, ut semper ejus conversionem cunctorum ubique sonarent ora: *Haec mutatio dexterae excelsi.* Nempe multorum ad ipsius provocabantur imitationem corda, in tantum, ut ex illo tempore plurimis donariis et oblationibus fidelium, Herbipolitana ditari non cessaret Ecclesia; donec jam ex minima et paupercula, facta est per Dei gratiam ampla et magna respublica; nondumque crescere desistit copiâ rerum, crescente nimirum numero fidelium. Cujus profectui videtur illud Apostolicum non inconvenienter aptari: *Kilianus plantavit, Burchardus rigavit: Christus autem incrementum dedit.* Sed enim vir idem egregius Gumbertus, ut olim in secularium dignitatum fascibus se probaverat strenuum, ita post conversionem in spirituali conversatione nulli se passus est inter beati Burchardi sectatores haberi secundum, ejus formam semper indeclinabiliter intendens, illud Evangelicum ruminabat frequenter: *Perfectus erit omnis, si sit sicut magister ejus.* Hic etiam post praesentis vitae cursum, bene in Christi famulatu consummatum, juxta beati Burchardi promissionem, in eodem monasterio, quod condonaverat ecclesiae Wirceburgensi, possidet sepulcrum. Ibi nonnunquam, ipso interpellante, concessa manifestant beneficia, quantum sibi profuerit, beati Burchardi secutum fuisse monita.

§ **21**. Haec itaque, licet pauca, de multis beati Burchardi virtutibus, doctrinis et exemplis, juxta facultatem pauperis ingenioli nostri digesta sufficiant, quae decerpta quidem a nonnullis antiquorum relationibus, satis simpliciter exaratis, nostras in manus devenerant. Caeterum si quis cuncta meritorum illius insignia scriptis condignis annotare tentaverit, proculdubio temporis aut ingenii defectum, materiei superabundans copia parabit. Quapropter uti post prolongati incolatus sui peregrinationem jam emeritus miles, velut cervus umbram desiderans, de morte corporis hujus liberatus, in gaudium Domini sui, pro bene

* Numeratur inter Sanctos, coliturque die 15 Julii.

aucto talento sit introductus, lassabundum nihilominus stylum ad id jam convertamus. Igitur gloriosus Antistes Domini Burchardus, postquam in vinea Domini pondus diei et aestus longanimi patientiâ, fide firmâ, spe certâ, charitate ferventissimâ, jam a mane puerilis aetatis usque ad vesperam pene decrepitae senectutis portavit, ut de beato Martino dicitur, carnis fatiscens artubus, nec minus vigore valens, quo propinquius dissolutionem sui corporis imminère praevidebat, eo magis sibi commissis ovibus luporum incursiones formidabat, frequenter illud Apostoli proloquens ad discipulos suos: « *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I); multo enim melius est: in carne autem manere, necessarium propter vos. » Tandem cum senioribus atque magnatibus Ecclesiae suae iniit consilium, quatenus per se, dum adhuc viveret, si fieri posset, successorem sibi provideret, Christi plebi satis idoneum. Mox moeror et luctus, de vicina, quasi jam praesenti patris orbitate, corda simul et ora cunctorum, ut facile creditur, implevit. Ipse vero licet illos a fletu compesceret, nihilominus tamen compassio mutuae dilectionis hoc habet proprium, ut in hujusmodi negotio faciat utrumque suum: consilio tamen et consultu illorum, misit quendam Lintfridum Comitem ad Imperatorem Carolum, rursumque alios de clero suo ad Lullum Metropolitanum, tam verbis quam litteris id agentes, quo Megingaudus per omnia vir laudabilis, aegrotanti jam jamque deficienti praesuli Burchardo, in cathedra Wirceburgensi subrogatur: ne forte, decedente pastore, novellus Christi grex ex improviso rugientis leonis incursione acrius disturbaretur.

§ 22. Legatione peracta, missi redeunt, utrique consensum referentes tam Regum et principum, quam Archiepiscopi caeterorumque Episcoporum. In quorum praesentia, convocato ad urbem Wirceburg universo Clero et populo, beatus Burchardus in medio positus, prout corporis imbecillitas permisit, hujusmodi circumstantes affatur alloquio: « Carissimi fratres et filii, audite nunc et intelligite novissimum patris vestri sermonem, intellectumque tenaci cordium vestrorum commendate decrepiti patris vestri clamorem. Scriptum est: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit* (*Psal.* 134); et rursum: *A progenie in progenies fecit misericordiam Dominus* (*Luc.* I). Voluit Dominus per gratiam, et fecit per potentiam, ut ab idolorum cultura, qua patres vestri fuerant irretiti, liberaremini, et in libertatem filiorum Dei per fidem Christi, sicut in praesentiarum cernere est, connumeremini. Fecit vero hoc a progenie in progenies, primo per beatum Kilianum, a Scotia huc in Franciam, dehinc per magistrum nostrum Bonifacium ab Anglia nihilominus ad vos, ad omnem Germaniam. Postremum tamquam abortivum ad vestram me destinavit audientiam, nequaquam dedignatus per tantillum servum suum vobis intimare voluntatem suam. Ex tunc usque nunc, ut nostis, non subterfugi, quo minus

annunciarem vobis omnem voluntatem Dei. Nunc ergo, filioli mei, quos cum Apostolo Paulo iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, tales vos fide et opere semper exhibete, ne sine causa laboraverim in vobis. Ad haec si quis vestrum aliquam contra me habuerit querelam, hanc in medium istâ horâ proferre non differat, omnem sine contradictione recepturus justitiam. En ego in hac peregrinatione, quam pro Christo susceperam, longo confectus senio, vobis, mea viscera, praeesse ulterius non valeo; verum post modicum ingrediar viam universae carnis, mercedem sperans a bono Patrefamilias qualiscumque meae servitutis. Quapropter, ut pater fidus fidelibus filiis, fidelissimum et utile consilium do, idipsum quoque ut recipiatis, admonendo rogo, rogansque fideliter admoneo, ut unum e fratribus et commilitonibus nostris per Spiritum Sanctum concordi charitatis affectu vobis electum, meae praelationis et magisterii faciatis obtinere locum; ne forte, me repente subtracto, ipsa sedis hujus ad laesionem proteletur vacatio, sive, quod periculosius est, per extraneum et minus idoneum, fiat ejus occupatio. » Ad haec dicta, cunctorum unanimiter acclamat vox populorum, nunquam ab illo fuisse lacessitum, vel injuria affectum: quin potius omnem animam tristem, ipsius consolatione semper ab angore fuisse relevatam, sicut et errantem ad viam veritatis reductam.

§ **23**. De subrogatione tamen alterius Episcopi, quam praemonuerat, sola magnatum et qui sanioris erant consilii, responsio talis erat: « Quandoquidem, inquiunt, pater amantissime, lex jam carnis exigit nos tuo jucundissimo destitui regimine, nequaquam nostrae electionis, quin potius tuae provisionis esse perpendimus, immo per inhabitantem in te Spiritum Dei, disponi summopere flagitamus, quemadmodum populo Dei, quem tot annis ad promissae aeternae haereditatis patriam deduxisti, ductor nunc alius substituatur idoneus. » Mox pastor egregius piis ovium Christi desideriis delectatus, nec minus in fletum cunctis prorumpentibus ipse collacrymans, tandem virum per omnia probabilem Megingaudum produxit in medium, suoque, totius etiam Cleri circumstantis testimonio comprobavit eum Episcopatu dignissimum (Aderant legati supradicti cum litteris Regis et principum, necnon et Moguntini Metropolitani Lulli, confirmantes in omnibus electionem Megingaudi); atque sub testificatione Christi et Ecclesiae rite commendavit, chartasque regalium traditionum sive privilegiorum Sedis Apostolicae, cum cuncta Episcopii rerum investitura coram omnibus ipsi praesentavit; sicque illum Ecclesiastico more cum maxima devotione, necnon universi, qui convenerant, Cleri populique favore venerabiliter inthronizavit. Et ne quis hoc factum quasi minus Canonicum forte reprehendat, meminerit Apostolorum Principem suae Cathedrae propriis manibus Clementem imposuisse; Lullum quoque, qui tunc temporis

Moguntinam tenuit sedem, viventi adhuc Archiepiscopo et magistro suo Bonifacio subrogatum fuisse.

§ 24. His itaque transactis, beatus Burchardus omnem catervam monachorum, per quos illo in tempore pene cuncta ecclesiastica administrabantur irreprehensibiliter officia, Clericorum quoque ac laicorum diversae conditionis, sexus et aetatis turbam paterna corroboravit admonitione, divinaque consignavit benedictione. Post haec, assumptis sex tantum ex omni multitudine discipulorum suorum monachis, navim conscendit; codices etiam, quos vel ipse conscripserat, vel undecumque conquisierat, secum deportari fecit; atque inde per decursum fluminis ad castellum, quod Hohenburg dicitur, navigio proficiscitur, ibique quamdiu supervixit, in contemplatione divina, vigiliis scilicet, jejuniis et orationibus insistens, una cum praedictis fratribus continue morabatur. Est autem viculus quidam Michelnstat nominatus, quem eidem Dei sacerdoti quondam in proprietatem tradiderat pro remedio animae suae frater Pipini, Carlomannus. Illuc se transferre, atque monachicam illic congregationem instituere, ibique praesentis vitae terminum praestolari Pater sanctissimus proposuerat: sed disponente praedestinatione divina, praevenit humanae deliberationis vota communis haereditariae mortalitatis occasus. Nam non multo post, quam in praedicto castello una cum iis qui secum erant, jam post multos activae vitae sudores optimam partem elegerat, solito gravius illum corporis incommodum invadebat; sicque de die in diem exteriori deficiente homine, coepit interior ad id quod diu suspirabat, bravium percipiendum renovari, donec, ut sibi longe ante Spiritus Sanctus revelaverat, deinceps cum Christo mansurus, mereretur feliciter dissolvi. Qua utique positus in agonia, per totum tempus ipsius aegritudinis tardantem, et, ut sibi videbatur, migrare recusantem animam, Psalmographi consolabatur et hortabatur canticis: *Quare tristis es*, inquit, *anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei et Deus meus* (*Psal.* 41); rursumque conversus ad Christum: *Sicut cervus*, inquit, *desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* 41); et illud: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (*Psal.* 38). Cumque sic oranti, psallenti, gratiasque in infirmitatibus agenti, saepe etiam fratres et comperegrinos discipulos suos confortanti languor per singulas horas ingravescere non cessaret, vicinum suae transmigrationis iter tam viatico Dominicorum sacramentorum, quam universis, quae religio deposcit vel praestat Christiana, fidei, spei et charitatis solertiâ providâ praemunivit. Atque per haec, et

inter haec, ac post haec omnia commendatum in manus Domini spiritum, maxima alacritate, utpote coelestibus ultra fruiturus conviviis, exhalavit. Quadraginta quippe per annos in vinea Domini Sabaoth pondus diei et aestus fidelis servus et laborator indefessus portaverat: ideo sempiternae remunerationis semper intendens bravìo, non immerito e carnis gratulabundus educitur ergastulo; et quia semper super pauca fuerat fidelis, jam supra multa constituendus, in gaudium Domini sui comitibus educitur Angelicis. Quarto enim Nonas Februarii recipiens nimirum a bono patrefamilias mercedem laboris sui, eo videlicet die, lucidissimam ingressus mansionem, quo beata Dei Genitrix in templo Domini cum nostrae carnis substantia lucis praesentavit auctorem. Obiit autem anno Incarnationis Domini septingentesimo nonagesimo primo: post acceptum vero Episcopatum anno, ut diximus, quadragesimo.

§ **25**. Igitur Megingaudus Episcopus pretiosum dilectissimi magistri corpus omni, qua valuit, veneratione curavit, atque confluentibus undique fidelium turmis, qui prorsus integro filiorum affectu lamentabantur sanctissimi et unice dilecti decessum patris, maximo cum comitatu et veneratione digna in civitatem sedis suae Wirceburg deportavit. Hîc pene totius provinciae populus occurrit, hîc tota nobilitas cum plebe pastorem suum non, ut olim, laetitiae cantu, sed amaro nimis ejulatu suscipiunt, sicque venerabilibus veneranter exequiis intersunt, donec honore competenti sanctum corpus juxta Martyrum Kiliani sociorumque ejus reliquias sepultum conspiciunt. Hoc denique loco Dominus saepenumero plena fide se quaerentibus per sanitatum declarat miracula, quantum eorumdem Electorum suorum apud se valeant merita, dum illos nec hîc quidem glorificare desinit, quos in aeterna jam secum gloria collocavit. Glorificemus et nos atque laudemus Deum gloriosum in Sanctis suis: illos autem in ipsius donis et beneficiis, qui reddit eis gratiam pro gratia; pro meritis, quae concesserat, promissa praemia. Insuper ingentes Salvatori nostro gratias agamus, sine intermissione semper recolentes, quantum illi pro gratuita redemptione nostra debeamus; qui praeter innumera miserationum suarum beneficia, etiam de terra longinqua illum, de quo textum praesentem contexuimus, Virum voluntatis suae, ob dispensandum nostrae salutis effectum, vocavit, ac per ejus ministerium nos, qui aliquando nec populus, nec gens ejus eramus, in filios sibi adoptavit; postremo tam fidelem, tam prudentem eumdem suum servum ad superos, id est, in gaudium Domini sui translatum, deinceps sibi praesentem, nobis constituit patronum: quatenus hujus Ecclesiae filii, tam praesentes quam posteri, meritis ipsius et precibus in perpetua Christi fide roborentur, et actione probabili, cujus doctrinis et exemplis ad eamdem sumus fidem

informati Jesu Christi Domini nostri: cujus divinitatis aeternitas cum coaeterno Deo Patre, Sanctoque amborum coaeterno Spiritu, manet ineffabilis et unica, ante omnia et per omnia tempora: regit etiam et gubernat in infinita seculorum secula, Amen.

VITA VEN. DOMINICI LORICATI

PER PETRUM DAMIANI AD ALEXANDRUM PP. * SCRIPTA

Mortuus est anno 1060 — Italus.

§ 1. Ecce, sanctissime Pater, dum Epistolae, in qua vitam Rodulphi ** descripsimus, gerulus, qui ad vos veniat, quaeritur, et non suppetit: repente aliud, quod uberius ad aedificationem proficere valeat, si scribatur, occurrit. Et fortassis ob hoc nuncius mihi supernâ dispositione subtrahitur, ut interim vacantem me stylus ad aliud transferat. Vir itaque Dei Dominicus, pater et dominus meus, ante annum defunctus est: cujus vita si scribatur, vereor ne fortassis a quibusdam fratribus incredibilis judicetur. Sed absit a me mendacium scribere. Nam qui veritatem pro viribus veraciter colo, commentum fallaciae non admitto. Neque enim illud nos latet Apostoli, qui cum praemisisset: *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra:* statim subjunxit: *Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, qui suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt* (1. *Cor.* xv). In quibus Apostolicae sententiae verbis, ut diutius non immoremur, in promptu lector intelligit, quoniam qui vel Dei servum mirabile quid fecisse confingit, non modo fabricati mendacii praemium non meretur, verum etiam adversus eum quem laudaverat, falsum testimonium protulisse convincitur.

§ 2. Dominicus itaque cum esset in seculo clericus, quia tunc Simoniaca vigebat haeresis, quae et nunc utinam prorsus esset extincta! ut presbyter fieret, a parentibus ejus data est Episcopo hircinae pellis aluta ***. Sed quia, sicut ait Apostolus, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII); haec una beati Viri culpa, multorum post honorum probatur extitisse materia. Nam hoc pavore perterritus, contempsit seculum, induit monachum, arduumque mox eremiticae vitae tamquam bellator intrepidus, arripuit institutum. Sed quia male promotus est, donec vixit,

* Hujus nominis secundus. Vita porro haec in Epistola XIX, libri I *Epistolarum* S. Petri Damiani, qui B. Dominici quodammodo contubernalis ac magister spiritualis fuit, continetur.
** Episcopi Eugubini (ital. *Gubbio*).
*** Intellige hircinam pellem pretiose atque affabre confectam.

sacrosancti altaris usurpare ministerium non praesumpsit. Virgo usque ad obitum fuit, vitam eremiticam non omisit: ubi nimirum sub magisterio sancti viri Joannis, qui dicebatur de Monte Feretri *, perplurimos vixit annos. In illa igitur èremo, quae scilicet erat in regione, quae dicitur Luceoli, constituta, decem et octo videbantur cellulae ad habitandum fratribus deputatae, ubi nimirum sub hac regula vivebatur, ut nunquam vinum biberent, nunquam adipe alimenta condirent, unum in Dominica die, sed et quinta feria pulmentum sumerent, quinque per hebdomadam diebus in pane et aqua jejunium celebrarent, solis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus insistentes, non agriculturam exercebant, non praedia, vel aliquam substantiam, praeter unum sagmarium, possidebant. Cum quo scilicet asello, vel equo, unus erat minister, qui vel ad acquirendas, vel ad terendas, fruges indeficiens discurrebat, solusque eos cunctis necessitatibus sustentabat, Joannes scilicet: qui postmodum loci Abbas factus, sub honesta rexit administratione conventum. Tenebat autem per totam hebdomadam districtâ censurâ silentium, quod utique, Dominica die, post vesperam, cibumque solventes, habebant loquendi invicem usque ad completionis officium libertatem. Nudis praeterea pedibus et cruribus jugiter in cellulis morabantur. Dixit ** autem mihi, quia cum cohabitaret Ansoni, religioso videlicet viro, quem et ipse vidi, quotidie per omnes canonicas *** disciplinam sibimet invicem scoparum ictibus ingerebant. Qui videlìcet Anso sibi aliquando conquestus est, quod novem diarias panis pensas in ventre simul haberet. Tantâ quippe macerabantur inediâ, ut aridus panis constiparetur in ilibus, ac digeri difficile posset.

§ 3. Illic etiam quidam frater erat, qui saepe vagabundus ègredi de cella tentaverat, quem Joannes Prior erèmi, prout dignum erat, prius austere corripuit, deinde in sua praesentia vapulare praecepit. Cumque jubente magistro, se coepisset induere, superbe locutus est; quem rursus magister exui, rursus praecepit verberari. Sed adhuc etiam se vestire incipiens, superbum quid effluere non cessavit: sic tertio, sic quarto, et si rite teneo, usque sexies verberatus est, nec emendatus. Exutus enim, et reindutus, humilia respondere non potuit. Septimâ vero vice flagellatus, cum se coepisset induere, clarâ statim voce clamavit, dicens: « Ecce diabolus abiit, ecce nequissimus cordis mei habitator aufugit, meque, nexibus, quibus adstringebar, effractis, liberum reliquit. Jam jam domino ac magistro meo libenter obtempero, ejusque me subdendum legibus per omnia repromitto.» Hoc modo frater ille ad humilitatis custodiam rediit, et in cellula jugiter perseverans, decaetero irreprehensibiliter vixit.

§ 4. Longe vero post, magistro praebente consensum, dignatus est Vir sanctus praedictus mihi misero, et quem ipse suscipere

* Vulgo *Montefeltro*. ** Dominicus nempe. *** *Supple* horas.

dignaretur, indigno, mira se prorsus humilitate committere, et sicut Abbati monachum subjugare. Cui nimirum praestitit, non accepit. Et quem susceperam velut in subjectione clientem, gaudeo me in schola Christi verae philosophiae percepisse * datorem. Ita quippe vita ejus, praedicatio et aedificatio, doctrina erat, et disciplina. Sed quia nos nonnulla hujus sancti Viri dicta, vel facta per diversa dictatus nostri jam opuscula sparsimus, non videtur absurdum, si eadem hic, quae tamen prae manibus habentur, eoipso stylo, quo scripta sunt, apponamus. Sane facilioris est exitus, ex dolatis lignis domum construere, quam dolando simul et construendo laboris exercitium geminare. Nam et de templo Salomonis scriptum est: *Domus autem cum aedificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis aedificata est: et malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum aedificaretur* (3. *Reg.* VI). Habemus et nos, juxta nostrae manus impolitiem politos lapides, quos utique sufficit nobis, ut in structura dumtaxat, ita ut inventi sunt, simpliciter ordinemus.

§ 5. In Epistola itaque ad dominum Teozenem ** inclusum missa, hoc me scripsisse reperio: « Sed cur ego sanctos commemorando viros diversa passim loca perlustro, quandoquidem intra limen, et prae manibus teneo, ad cujus digne efferenda praeconia impar viribus non assurgo? Certe cellulis altrinsecus constitutis, solo basilicae mediantis interstitio, ego illeque dividimur. Cujus si virtutibus enumerandis invigilo, ante dies elabitur, quam scribendi materia deficere posse videatur. Dominicum dico, doctorem videlicet, et dominum meum: cujus quidem lingua rustica est, sed vita artificiosa satis, et lepida. Quae sane vita satis utilius ad aedificationem vivis operibus praedicat, quam sterilis quorundam lingua, quae accurata phaleratae urbanitatis verba inaniter trutinat. Longo jam annorum elabente curriculo, ferreâ ad carnem loricâ praecinctus, infoederabilem pugnam cum iniquis spiritibus conserit, semperque paratus ad proelium, non solum corde, sed et corpore praemunito adversus hostiles acies fervidus bellator ingedit. Hanc autem continuae vitae consuetudinem indifferenter habet, ut vix dies ulla praetereat, quin duo psalteria modulando, utràque manu scopis armatâ nudum corpus allìdat. Et hoc remissiori quidem tempore. Nam Quadragesimalibus circulis, sive cum poenitentiam peragendam habet (crebro enim centum annorum poenitentiam suscipit), tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus afficit, ut minus, tria psalteria meditando persolvit. Centum autem annorum poenitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur: cum tria scoparum millia unum poenitentiae annum apud nos regulariter expleant, decem autem psalmorum modulatio, ut saepe probatum

* Forte *doctorem*.
** Monachus in Monasterio S. Mariae apud Florentiam.

est, mille scopas admittat, dum centum quinquaginta psalmis constare psalterium non ambigitur, quinque annorum poenitentia in unius psalterii disciplina recte supputantibus invenitur. Porro sive quinque vicies, sive viginti quinquies, centum faciunt. Consequitur igitur, ut qui viginti psalteria cum disciplina decantat, centum annorum poenitentiam se peregisse confidat. Quamquam et in hoc omnem modum Dominicus superet: quia cum nonnulli unam manum in disciplinis agendis exerceant, iste, ut revera Benjamin filius, contra rebelles carnis illecebras utràque manu infatigabiliter pugnat. Hanc autem centum annorum poenitentiam, ut mihi ipse professus est, facile sex diebus ex more consummat. Memini quoque, quia cujusdam Quadragesimae imminentis initio, mille annos imponi sibi per nos ad poenitentiam petiit, quos certe omnes ferme, antequam jejunii tempus transigeretur, explevit. Et paulo post hoc prosecutus sum.

§ 6. Nunc ad Dominicum, de quo coeperat, sermo recurrat. Enim vero cum hunc jam et incurva senectus dèprimat, et crebris insuper saepe laboribus contabescat, mirum unde illi tantus fervor incandeat, ut in spiritualibus exercitiis se semper invictum, semper infatigabilem reddat. Nam, ut, ipso referente, cognovi, saepe duo psalteria cum disciplinis stando continuat, ita ut neque interim sedeat, neque vel ad momentum a * persecutionibus incredibili mentis fervore quiescat. Inquirenti mihi aliquando, utrum posset cum ferreae vestis pondere aliquantisper genuum flexibus insudare, sub hac mihi dedit obscuritate responsum: « Cum incolumitas, inquit, mihi votiva respondet, quandoque per omnes totius psalterii quindenos psalmos centies genuflectere consuevi. » Quod quidem tunc non diligenter attendi, postmodum vero quod dictum fuerat, mente revolvens, a depresso homine mille ** in uno psalterio fieri admiratus expavi. Quadam die post vesperam, cellulam meam ingressus; « Magister, inquit (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate compellat), hodie feci, quod hactenus me fecisse non memini. Octo nempe psalteria inter diem ac noctem modulatus explevi.» Videbatur autem tunc totus vultus ejus, ut scopis attritus, ac sulcantibus quibusdam vibicibus livefactus, tamquam si pilâ fuerit, ptisanarum videlicet more, contusus. Psalmodia sane illi idcirco tam facile pròvenit, quia non tam verba, ut ipse asserit, linguâ perstrepente revolvit, quam sensum mentis vivacitate percurrit.

§ 7. Aliquando a me remotus habitabat, cumque ad me ingressum, quibus tunc se vitae legibus regeret, inquisissem, respondit, se carnaliter vivere, et quintis saepe feriis cum Dominicis diebus, a solito se abstinentiae rigore laxare. Requisitus, utrum quolibet pulmento, ovis, vel caseo vesceretur, negavit. Rursus, si piscibus, aut pomis: « Pisces, ait, et poma, si qua

* *Percussionibus* potius est legendum. ** Subintelligi videtur *genuflexiones*.

sunt, aegrotantibus praebeo, quorum non minimam multitudinem jacere in nostris partibus ingemisco.» Cumque illum durus exactor in angusto concluderem, dicens: « Unde ergo illis diebus remissius vivis, si nihil eorum còmedis, quae necesse sit vel ignibus dècoqui, vel arboribus inveniri?» Respondit: « Foeniculo, inquiens, cum pane libenter vescor.» Mox nimirum perite cognovi, quam carnaliter homo viveret, qui suas delicias foeniculum constituisset. Habet plane uberem lacrymarum gratiam, sed alternam. Cum enim reclusus sub districto se silentio reprimit, mox ut voluerit, affluenter plangit. At si colloquio frequentetur, fletum se amisisse conqueritur. Sed et ego illi saepe penuriam meae ariditatis impropero, dicens: « Heu, inquam, mi pater, istae tuae lacrymae infecundae sunt, quae alias orando lacrymas pàrere nequeunt! Optarem namque quod consequens est, nimirum ut sicut tu mihi pater es, ita nihilominus et tuae lacrymae mearum quoque lacrymarum fierent genitrices. »

§ **8**. In Regula quoque eremitica inseruisse me recolo. Dicam: Sed quis scit, utrum fides assertioni fidelissimae praebeatur? At parvipendendum est, si humana temeritas arguat, quem summa veritas falsitatis excusat. Est inter nos, qui nonnunquam uno die continuato cum nocte, novem psalteria meditando decurrat, et interim pene semper utràque manu, scopis armatâ, nudum corpus afficiat. Notandum autem, quia dum haec peragere sàtagit, nocte, vel die dormire non vacat: sed aliquando genua flectens, dum caput terrae deponit, sic nudo repente somnus obrèpit, eoque solo contentus est. Hic mihi aliquando fraternâ familiaritate conquestus est, quia cum novem sic psalteria saepe modulando perficeret, ad decimum nunquam potuerit pervenire.

§ **9**. In epistola quoque, quam Blancae Comitissae direximus, haec nos indidisse videmur. Utinam daretur tibi nunc dominum meum videre Dominicum, qui quod imperitae linguae conamur officio, ipse te efficaciori luculentissimae vitae doceret et informaret exemplo. Hic denique a tribus circiter annorum lustris lorìca ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur.

§ **10**. Sed quia de illo in aliis nostris opusculis jam plura digessimus, nunc quod vix ante sex dies ad nos veniens retulit, proferamus. Ait itaque: « Contigit me nosse, quod scripseris, novem me uno die psalteria decantasse cum corporalibus disciplinis. Quod certe cum audivi, tremefactus expavi, et conscientiâ remordente congemui. Vae, inquam, mihi: ecce hoc de me, nesciente me, scriptum est, et tamen utrum a me hoc fieri potuisset, ignoro. Ego rursus experiar, et an hoc implere potuerim, indubitanter agnoscam. Quartâ igitur feriâ me vestibus exui, et armatâ scopis utraque manu, totam noctem ducendo pervigilem, psallere, ac me verberare non destiti, donec die altero decursis

duodecim ex more psalteriis partem decimitertii, usque ad psalmum, *Beati quorum*, absolvi.» Porro quod nobis durum saepe videtur et asperum, quam ille puerile deputet ac despectum, uno doceamus exemplo. Frater quidam cum a scoparum ictibus nimis abhorreret, atque perferre gravissimum judicaret, tandem tamen domini Dominici crebrius insistentis adhortationibus acquievit, ac per modulationem totius psalterii, et insuper quinquaginta psalmorum, sibimet disciplinam inferre propriis manibus non cessavit. Erat autem nox illa praecedens Dominicam diem, et beati Michaëlis festivitatem. Cumque facto mane, ad praedictum senem frater ille venisset, timens ne de indiscretione redargueretur, cum quod egerat, per ordinem retulisset, hac ille voce respondit: « Noli, frater, pusillanimis esse, vel pro hac tua, quae nunc est, infirmitate diffidere: potest enim Deus ex imis te ad altiora provehere, et hujus lacteolae tuae conversationis infantiam, ad juvenilis ròboris incrementa firmare.» Et adjiciens ait: « Nos etiam primo pedetentim coepimus, sensimque ad quod nos divina pietas perducere voluit. licet imbecilles ac fragiles, educti sumus. » Sicque factum est, ut non eum de immoderato fervore, sicut ille timebat, argueret, sed ne desperationi succumberet, tamquam qui minimum quid egisset, animum refovèret. Hujus itaque Sancti senis exemplo faciendae disciplinae mos adeo in nostris partibus inolevit, ut non modo viri, sed et nobiles mulieres hoc Purgatorii genus inhianter arriperent. Nam et relicta * Techbaldi sublimis utique generis, et non infimae dignitatis, mihi aliquando retulit, praefixam hujus disciplinae centum annorum se, poenitentiam peregisse.

§ **11**. In Epistola etiam ad Joannem Priorem erèmi, quae juxta Susa vicinum ** montem est constituta, cum eum, ejusque subjectos ad extensionem in orationibus exhortatorie provocarem, dixi prius de quodam ferventissimo in amore Christi fratre nostro, Adam nomine, deinde Dominicum in exemplo subjeci, ita inquiens: « Habemus autem quemdam juvenculum fratrem, qui confessus est, a capite usque ad finem psalterii elevata se brachia tenere dum psallit, ita ut laquear tabulatum cellulae manibus saepe contingat, hac tamen discretione servatâ, ut per quinquagenos psalmos ad momentum brachia extenta deponat, et protinus èrigat. Habemus et alterum provectioris aetatis, incurvum videlicet senem, et ut secrete tibi confitear, hic Dominicus est. Is itaque quamdam scriptiunculam reperit, ubi dicebatur, quod si quis duodecim illic notatos psalmos vicies quater, erectis in modum crucis manibus, caneret, pro uno posset anno poenitentiam regulariter compensare. Protinus ille in exercitium id quod dicebatur, arripuit, et duodecim illos psalmos extensis brachiis, sicut dictum est, vicies quater sub nullo prorsus intervallo, sed

* Subintellige *vidua*. ** Legendum proprie est *Suavicinum*.

uno ductu quotidie decantabat. » Scripsi super hoc et in aliis fortasse opusculis, quae vel ad praesens desunt, vel facile memoriae non occurrunt. Itaque ab eorum replicatione, quae scripta sunt, ad nova quaelibet articulus transferatur.

§ 12. Enimvero quasi quidam divinus ignis in ejus pectore jugiter aestuabat, qui nunquam permittebat eum a spiritualis exercitii labore quiescere. Aliquando namque cum ego perquirerem sacrosancto die Paschali, caeteris fratribus, juxta morem, meridie quiescentibus, utrum et ipse dormisset, ait: « Certe, pater, dixi in corde meo: Quid mihi, tam longis adhuc noctibus, in die dormire? Extensis itaque in crucis effigiem brachiis, psalterium coepi: Quo me sic stante decurso, signum protinus horae Nonae personuit. Hoc itaque modo junxit victoriam Crucis cum gloria resurrectionis. » Aliquando cum de quotidianis, ut mos est, invicem confabularemur operibus, ait: « Hac etiam nocte, quid mihi contigerit, manifesto. Nam dum solutus sopore surrexi, mox brachiis in modum crucis extensis psalterium coepi; cumque psalmis omnibus, et canticis, quae sequuntur, hymnisque decursis, eo loci jam essem, ut solo catholicae fidei psalmo, et litaniis deberem cuncta concludere, incidit in mentem, ut interim ista dimitterem, ac pro defunctis, psalterium decantarem. Igitur brachia non deponens, ad defunctorum psalterium transii, quod juxta morem per quinquagenos psalmos trifaria lectionum interpolatione distinxi. Quo sic expleto, ad id protinus, quod omiseram, redii, atque hoc, quod de primo psalterio reliquum erat, explevi. Cumque de tertio consequenter aggrediendo psalterio cogitarem, benefactum, ut ita dixerim, signum repente nocturnae synaxis insonuit, quod me depositis ulnis Officium cum fratribus celebrare coëgit; et certe nescio quo anni tempore noctes breviores erant. »

§ 13. Aliquantis porro ante obitum annis, quasi novum supplicii genus inveniens, virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit, semelque gustato, quia duriores sunt, in his verberandi consuetudinem posuit. Hoc flagellum, si quando egrederetur ad seculum, portabat in sinu, ut ubicumque eum jacère contingeret, a verberibus non vacaret. Aliquando vero cum loci occasio non praeberet totum se posse exuere, per crura saltem et femora, per caput atque cervicem, sese non cessabat affligere. Circulis quoque ferreis quatuor, quia sibi prae longa consuetudine jam viluerant, quatuor idem superaddidit, ut duobus in coxis, duobus consequenter in cruribus stringeretur. Enimvero loricam, et quibus utebatur, tamquam ciliciis, vel lanea quaelibet indumenta, post menses, sive post spatium prolixius abluebat, ut rubiginem deponerent, et aridis ingerendam membris uredinem non haberent. Porro autem cum omnes qui in cellulis habitamus, hoc laboremus, ut pro muniendis a frigore pedibus vestimenta usque

ad imum defluant pavimentum, hoc etiam nobis in eo intolerabile videbatur, quia cum in erèmo et ocreas nesciret et calceos, vestes tamen ejus ad tibias vix medias descendebant. Nudatus autem ad suscipiendam in capitulo disciplinam, quod scilicet nunquam omittere volebat, exesis jejunio membris, et amatae loricae mole detritis, Aethiopicam contraxisse nigredinem videbatur. Vestimenta vero lurida et cariosa, ut ita dixerim, videbantur vetustate consumpta. Hoc mihi saepe dicebat: « In hoc psalmodia provenit cito psallenti, si corde verba teneat, si quae lingua loquitur, mens veraciter comprehendat. Alioquin si cor vagatur, psalmorum cursus ad finem, lingua nunc fallente, nunc tepescente, tarde perducitur. » Ajebat etiam, quia somnum somnus adescat, et vigilias vigiliae pariunt. Nam corpus humanum, in quo paulatim prius enutritur, in hoc per incrementa postmodum roboratur.

§ **14**. Sed hîc me quispiam fortasse redarguat, qui videlicet non tam, quem vivendi ordinem Vir sanctus habuerit, sed quibus miraculis in hac vita claruerit. audire festinat. Cui me breviter hoc respondere sufficiat: quoniam et Maria, et Joannes Baptista miraculum fecisse non legitur, cum tamen eorum vita non qualibet scriptura, sed Evangelio testante narretur. Quamquam Maria in solo partu, quem edidit, omnium proculdubio Sanctorum virtutes ac signa praecellit. Hoc etiam inferam, quia uberiorem fructum praebet audientibus Sanctorum virorum mirabilis vita, quam ostensa miracula. Illa siquidem exigit imitationem, ista solam ingerunt admirationem. Miracula docent, quomodo illi sancti fuere; vita vero insinuat, qualiter et nunc homines fieri valeant sancti. Propterea qui miraculum quaeris, non ne tibi videtur esse mirabile, hominem fragili adhuc carne circumdatum, Angelitus (ut ita loquar) vivere, adeo ut inter quamplurima hominum millia, vix unum ei similem valeas reperire? Et certe quamplures hodiè sunt inferioris vitae, per quos Deus omnipotens dignatur virtutem ostendere.

§ **15**. Jesu teste, non mentior, quia necdum tres menses elapsi sunt, ex quo ad me in Samugni videlicet erèmo diversantem, duo adolescentes monachi venerunt, quorum alter de Spoletina monarchia, alter vero de Venetiae dominio, Polensi * videlicet urbe, oriundos se esse dixerunt. Sed Venetus, vocabulo Michaël, sicut nobis in confessione perhibuit, in ipso suae conversionis initio, circulo ferreo sub hac desiderii sui pactione se constrinxit, rogans Dei omnipotentis obnixe clementiam, ut cum locum saluti suae congruum reperiret, confestim ille circulus frangeretur. Porro autem ipso die, quo erèmum novus hospes ingressus est, vix post trium horarum spatium, dum beati Benedicti regulam,

* Pola antiqua urbs est Histriae, a Colchis, ut fertur, fundata, atque a Romanis scriptoribus *Pietas Julia* dicta.

sicut est idiota, utcumque syllabatim legeret, repente compunctionis eum spiritus in lacrymas solvit, eodemque momento circulus ille fractus apparuit. Quod miraculum quoniam alibi jam nos descripsisse meminimus, celeriter transcurrentes, sequens aliud, quod necdum litteris insertum est, enucleatius digeramus.

§ **16**. Paulo post namque Ravennam urbem, me jubente, perrexit, ut sarcinulas suas, quas ibi de navi prodiens reliquerat, exportaret. Illic itaque apud fabriles officinas nova ferreorum nexuum argumenta confinxit, multisque se vinculis per diversa membra ipse sibimet judex et reus, violenter arctavit. Nam duo pendebant vincula cervice tenus per humeros altrinsecus, hinc ad sexum, illinc ad femen: duos vero in coxalibus circulos, duos suscepit in ulnis. Undique igitur tam multiplici constrictione vallatus, ad nos rediit: secrete, quod circa se factum fuerat, ostendit: neve, quae fecerat, immutarem, vix tandem voti compos obtinuit. Sed cum haec illum ultra vires tormenta gravarent, et ex attritis carnibus jamjam foetor erumperet, insuper accessit, quod cor fratris gloriam respuentis acrius perturbavit. Coepit enim hujus mysterii fama prorumpere, et prius per fratrum, deinde per ora supervenientium quorumlibet volitare. Rogavit itaque omnipotentis Dei misericordiam, ut quid sibi super hoc coepto placeret, per suae misericordiae indicium evidenter ostenderet. Interim vero dum hujusmodi precibus frequenter insisteret, bis per somnium confortatus, audivit, quia ferramenta illa jam essent divinitus resolvenda. Porro autem in festivitate beatorum Apostolorum Simonis et Judae, quam nuperrime celebravimus, dum nocturno cum fratribus interesset officio, repente duo illa ferramenta, quae super humeros posita, utrinque inferius dependebant, ventremque cum renibus coarctabant, prorsus effracta sunt, et unum in duas, alterum in tres divisum est partes. Caeteri vero circuli, non quidem per partes abrupti, sed ita laxati sunt, et quidam facti sunt tam mollìta lenitate flexibiles, ut quodammodo non tam ferrei, quam plumbei viderentur, adeo ut etiamsi vellet, defluentibus eis ac prolabentibus, adstringere se ultra non posset. Sic frater, qui sanctae devotionis aestuanti fuerat ardore constrictus, pio Dei judicio est mirabiliter absolutus. Quid ergo magnum, si per Dominicum, mirabilem videlicet virum, signum aliquod voluisset ostendere, cum in ipso tyronatus exordio per hunc juvenculum duo miracula dignatus est exhibere, ac laudabilius sit fortia peregisse, quam nova? Unde David cum praemisisset; *Mirabilis Deus in Sanctis suis:* protinus addidit, *Ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae* (*Psal. 67*). Non ait, *Signa*, sive *prodigia:* sed, *Ipse dabit virtutem et fortitudinem.*

§ **17**. Cum Romanus quidam, Stephanus nomine, judex sacri palatii, summam praesidentatus * administraret Auximi **,

* Scilicet, Praesidem Apostolicum agebat. ** Italice *Osimo*.

exigente causâ, Dominicus ad eum venit, eumque super quadam erèmi possessione, quam ex jure Sedis Apostolicae detinebat, obnixe rogavit. Quem ille, utpote nulla vestium compositione festivum, despiciens sprevit, eique nil eorum quae poscebat, indulsit. Cumque sibi a circumstantibus diceretur: « Noli eum tam dure suscipere, sanctus enim vir est: » ille tamquam èvomens, ait: « Sit sanctus, ut vultis: sed beatus Petrus certe sanctior est, cujus ego causam in hac administratione defendo. » Igitur impos coepti Dominicus, redit ad cellulam. Ille quoque post paululum reversus est Romam. Porro puer * quidam despicabilis, qui ad exequendum quodcumque negotium in administratione remansit, quicquid Dominicus petierat a judice, cuncta reverenter implevit. Judex autem non diu post, quam ad propria repedavit, hostilibus gladiis perfossus interiit, multasque divitias, quia sobolem non habebat, extraneis haeredibus dereliquit. Erat praeterea Dominicus valde cautus in verbis, ut apte sibi congrueret illa sententia, qua Jacobus Apostolus ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (*Jac.* III). Nam si quando quaereretur, quota diei hora esset, nunquam absolute dicebat, quota esset, sed cum hoc additamento semper: Prope tertia hora est, prope sexta hora. Inquisitus a me, cur semper ita diceret: In hoc, inquit, mendacium caveo: nam sive sit hora transacta, sive adhuc fortassis immineat, propinqua tamen est, quae videlicet a momento, in quo loquimur, non elongatur.

§ **18**. Habebat aliquando cellulam juxta monasterium, quod dicitur Conjunctuli. In vigilia itaque Dominicae Nativitatis, cum tota praecedenti Quadragesima ** mansisset inclusus, tantisque jejuniis atque laboribus esset vehementer afflictus, invitante gloriâ solemnitatis egressus, Abbati loci humiliter pròcidit, veniam petiit, actus suos et cogitationes lacrymabiliter accusavit. Ille autem, ut erat inexpertus, levis moribus, et consiliis spiritualibus insuetus, cum sibi sufficeret unum psalmum, vel perexiguum quid imponere, praecepit ut pro his quae confessus fuerat, triginta psalteria decantaret. Qua nimirum ille sententiâ, velut sagittâ percussus, ad cor rediit, atque hoc provenisse ex divini dispositione judicii deputavit. Itaque regressus in cellulam, nunquam prodiit, donec praefixum indictae poenitentiae canonem instantissimâ sedulitate persolvit.

§ **19**. Solebat autem per intervalla licet parcissime, vinum bibere: sed longe ante, quam defunctus est, decrevit ab eo penitus abstinere. Ut itaque jam, omissis caeteris, ad obitum veniamus, patiebatur gravedinem stomachi, crebris insuper capitis doloribus cruciabatur. Et quoniam alterum saepe procedit ex

* Ministrum intellige inferioris ordinis.
** Quadragesima haec erat S. Martini, quae ab Octava Omnium Sanctorum ad Natale Domini usque protendebatur.

altero, proposuit ad purgandum stomachum, antidoti sumere poculum. Sextâ igitur feriâ per continuum diem vix desiit vel modulandis psalmis insistere, vel corrigiarum se ictibus flagellare. Nocte vero, sopore deposito, suscepit antidotum; deinde coepit angustiari, et de stomachi dolore graviter conqueri. Post decursum itaque nocturnae synaxis officium, post matutinos hymnos, cum prima jam hora sibi a fratribus, qui aderant, cantaretur, sanctum Deo spiritum reddidit. Invenerunt autem et alteram loricam, praeter eam qua indutus erat, lateribus ejus sindonis more substratam. Unde suspicati sunt fratres, hoc sibi praeter consuetudinem nullatenus accidisse, sed sub se eam sanum quoque tenere consuevisse, super quam videlicet et in infirmitate jacebat. Somniavit autem tunc quidam frater de me, quod oculorum lumen amiseram. Quod dum ego Hildeprando * venerabili Romanae Ecclesiae Archidiacono, in Lateranensi palatio retulissem: « Nequaquam, inquit, ut times, hoc tibi propinquae est mortis indicium: sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi et carus sit sicut oculus, et lumen tuum ac splendor in bonis operibus videatur. » O verum, sed amarius omni felle praesagium! Tertio die, postquam Romanis moenibus sum egressus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quae mihi nil minus opinanti caecatum, me remansisse perhibuit, dominum scilicet et illuminatorem meum Dominicum, ex hoc seculo nuper egressum. Illico mihi liquido patuit, dum ille petiit lucis auctorem, in tenebrarum me remansisse caligine. Fratres autem corpus ejus, ne a vicinis monachis eorum raperetur e manibus, in eadem, in qua defunctus est cellula, defossâ humo celeriter obruerunt. Nos autem ipso die Dominico, quo erèmum ingressi sumus, sanctum corpus inde sublatum reverenter, ut dignum erat, in capitulo sepelivimus. Et cum nonus esset depositionis ejus dies, praedictum corpus sanum illibatumque reperimus.

§ **20**. Eant nunc, qui carnis suae delectantur illecebris, medullas absorbeant voluptatum, et occisionis victimae ad aeternum nutriantur incendium. In superbiae se cornibus efferant, ventilent innocentes, ad votum molliter vivant, ut eorum postmodum penitus semper ulcera amarescant. Nunc velut infrenes equi per voluptatum suarum prata discurrant, ut post eorum manus et brachia districtionis extremae lorica cohibeant. Dominicus autem noster stigmata Jesu portavit in corpore, et vexillum Crucis non tantum in fronte depinxit, sed cunctis etiam undique membris impressit. Exustus et aridus ab humore calami et junci uberibus, coelestis gratiae meruit imbribus irrigari. Hic ferreâ loricâ praecingitur, illic niveis Angelicae gloriae vestibus decoratur. Hic duritia cubilis atteritur, illic molli Patriarcharum

* Fuit hic postea Gregorius VII Summus Pontifex sanctitate et apostolico zelo magnopere conspicuus.

gremio confovetur. Tota haec vita facta sibi parasceve Crucis, illic autem festivus et splendidus aeternam celebrat gloriam resurrectionis. Nunc inter ignitos supernae Jerusalem lapides èmicat; nunc ornatus victoriarum suarum titulis, aeternâ laude triumphat, atque in illa beatorum civium jucunda societate conjubilat. Obiit autem beatus Dominicus pridie Idus Octobris, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

S. TERESIAE VIRG.

FRATR. ET MON. CARMELITARUM DISCALC. FUNDATRICIS

RES GESTAE ET VIRTUTES BREVITER DESCRIPTAE
UT IN BULLA CANONIZATIONIS, ANNO MDCXXI EMANATA, CONTINENTUR.

Claruit seculo XVI — Hispana.

*Gregorius * Episcopus, servus servorum Dei,*
ad perpetuam rei memoriam.

Omnipotens Sermo Dei, cum de sinu Patris ad haec inferiora descendisset, ut erueret nos de potestate tenebrarum, completo dispensationis suae tempore, transiturus de hoc mundo ad Patrem, ad propagandam per totum terrarum orbem electorum suorum Ecclesiam, quam Sanguine suo acquisiverat, eamque verbo vitae erudiendam, ad confundendam sapientiam sapientium, et destruendam omnem altitudinem, quae adversus Deum extollebatur, non multos nobiles elegit, nec multos sapientes, sed contemptibiles mundi, qui non in sublimitate sermonis, nec in humanae sapientiae verbo, sed in simplicitate et veritate ministerium suum, ad quod a diebus aeternitatis praedestinati erant, adimplerent.

§ 1. In sequentibus vero generatiônibus, cum juxta praeordinata tempora, plebem suam per servos suos fideles visitare dignatus est, plerumque parvulos et humiles assumpsit, per quos Catholicae Ecclesiae ingentia praestaret beneficia, quibus ipse, juxta verbum suum, abscondita a sapientibus et prudentibus regni coelestis mysteria revelaret; eosque supernorum charismatum donis adeo illustraret, ut omnium virtutum, ac bonorum operum exemplis Ecclesiam fovèrent, ac signorum gloria clarificarent. In diebus vero nostris fecit salutem magnam in manu feminae; suscitavit enim in Ecclesiâ suâ, veluti novam Deboram, Teresiam

* Hujus nominis, XV.

virginem, quae, postquam mirabili victoriâ carnem suam perpetuâ virginitate, mundum admirabili humilitate, et cunctas adinventiones diaboli multis maximisque virtutibus superasset, excelsiora moliens, et virtutem sexus animi magnitudine supergressa, accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum, et instruxit exercitus fortium; qui pro domo Dei Sabaoth et pro lege ejus et pro mandatis ejus armis spiritualibus decertarent, quam Dominus ad tantum opus peragendum abundante implevit spiritu sapientiae et intellectus, et thesauris gratiae suae adeo illustravit, ut splendor ejus, tamquam stella in firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas aeternitates.

§ 2. Dignum igitur et congruum existimavimus, ut quam Deus et Unigenitus Filius ejus, Dominus noster Jesus Christus, quasi sponsam ornatam coronâ et decoratam monilibus suis, in gloriâ miraculorum plebi suae manifestare dignatus est, Nos quoque, pro pastorali sollicitudine nostrâ in universali Ecclesiâ, cui, licet meritis minime suffragantibus, praesidemus, tamquam Sanctam et Electam Dei, colendam et venerandam, apostolicâ auctoritate, decreverimus, ut omnes populi confiteantur Domino in omnibus mirabilibus ejus, et cognoscat omnis caro, quoniam non defecerunt in diebus nostris miserationes ejus: qui, quamvis, peccatis nostris exigentibus, visitet nos in virgâ indignationis suae, non tamen continet in irâ suâ misericordias suas; dum in afflictionibus nostris novis nos praesidiis munit, et amicos suos multiplicat, qui Ecclesiam suam meritorum et intercessionum suffragiis protegant ac defendant.

§ 3. Atque, ut universi christifideles intelligant, quam abunde in Ancillam suam effuderit Deus de spiritu suo, ac propterea erga ipsam devotio in dies augeatur, insigniores quasdam ejus virtutes, et aliqua ex magnalibus, quae in manu ejus operatus est Dominus, his litteris duximus inserenda. Nata est Teresia Abulae *, in regno Castellae, anno salutis humanae millesimo quingentesimo quintodecimo **, parentibus, ut genere praeclaris, ita etiam vitae integritate conspicuis; a quibus in timore Domini educata, admirandum futurae sanctitatis in tenerrimâ adhuc aetate specimen dedit: nam, cum Martyrum acta perlegeret, adeo Sancti Spiritus igne cor ejus intra eam concaluit, ut cum fratre germano etiam puero domo aufugerit ***, ut in Africâ trajiceret, ubi sanguinem ac vitam pro testimonio Jesu Christi profunderet. Sed occursu patrui revocata, cum optimam sortem sibi ereptam esse jugibus lacrymis deploraret, ardens martyrii desiderium eleemosynis, aliisque operibus compensavit.

§ 4. Sed cum ad vigesimum aetatis annum pervenisset, Christo se totam despondit, et vocationem, qua ab eo vocata erat, aggressa, ad moniales sanctae Mariae de Monte Carmelo Ordinis

* Italice, *Avila in Castiglia*. ** Die 28 martii. *** Circa annum 1522.

Mitigati se contulit, ut, plantata in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florèret. Professione itaque in eo monasterio emissâ, cum per duodeviginti annos gravissimis morbis, ac variis praeterea tentationibus vexata esset, nullisque supernis consolationibus reficeretur, adeo invicte, adjuvante Domino, omnia pertulit, ut probatio fidei illius, omni pretiosior auro quod per ignem probatur, inventa fuerit in laudem et gloriam et honorem, in revelationem Jesu Christi.

§ 5. Et quoniam, ad erigendum sublime christianarum virtutum aedificium, fidei fundamentum ponendum fuit, illud adeo stabile ac inconcussum Teresia collocavit, ut, juxta verbum Domini, comparanda sit viro sapienti qui aedificavit domum suam supra petram : eâ etenim firmitate sacrosancta Ecclesiae sacramenta, caeteraque catholicae religionis dogmata credebat et venerabatur, ut majorem, ut ipsa saepius testificabatur, de qualibet re certitudinem habere non posset : hac fidei lucernâ illuminata, Domini nostri Jesu Christi Corpus in Sacratissima Eucharistiâ mentis oculis adeo clare intuebatur, ut assereret, nihil esse quod invidèret eorum beatitudini, qui corporeis oculis Dominum conspexissent ; tantum autem vivae spei in Domino collocaverat, ut jugiter deploraret, quod tamdiu in praesenti mortali vitâ detineretur, quae sibi impedimentum afferret, quo minus semper cum Domino esset, nec raro, dum in corde suo coelestis patriae gaudia recogitabat, mente excedebat, et ad eorum fruitionem in carne rapiebatur.

§ 6. Sed inter caeteras Teresiae virtutes praecipue emicuit dilectio Dei ; quae adeo in corde ejus exarsit, ut confessarii ipsius Teresiae charitatem, tamquam non hominis, sed Cherubin propriam, admirarentur et celebrarent, quam etiam Dominus noster Jesus Christus multis visionibus, ac revelationibus mirabiliter auxit; quandoque enim, datâ dexterâ, clavoque ostenso, illam in sponsam suam adoptavit, atque his verbis àlloqui dignatus est : *deinceps, ut vera sponsa meum zelabis honorem; jam ipse sum totus tuus; et tu tota mea.* Aliquando etiam angelum vidit, ignito jàculo sibi praecordia transverberantem, ex quibus coelestibus donis divini amoris flamma in ejus corde adeo exaestuabat, ut maxime arduum votum, a Deo edocta, emiserit efficiendi semper quicquid perfectius esse et ad majorem Dei gloriam pertinère intelligeret : quin etiam, post mortem cuidam moniali per visum manifestavit, se non vi morbi, sed ex intolerabili divini amoris incendio vitâ excessisse.

§ 7. Sed quam perpetuâ charitate proximum dilexerit, multis argumentis manifestum fuit, sed praesertim ex ardenti desiderio, quo animarum salutem desiderabat. Infidelium enim et haereticorum tenebras perpetuis lacrymis deflebat, ac pro eorum illuminatione non solum juges ad Deum preces fundebat, sed et

sunt, aegrotantibus praebeo, quorum non minimam multitudinem jacere in nostris partibus ingemisco.» Cumque illum durus exactor in angusto concluderem, dicens: « Unde ergo illis diebus remissius vivis, si nihil eorum còmedis, quae necesse sit vel ignibus dècoqui, vel arboribus inveniri?» Respondit: « Foeniculo, inquiens, cum pane libenter vescor.» Mox nimirum perite cognovi, quam carnaliter homo viveret, qui suas delicias foeniculum constituisset. Habet plane uberem lacrymarum gratiam, sed alternam. Cum enim reclusus sub districto se silentio reprimit, mox ut voluerit, affluenter plangit. At si colloquio frequentetur, fletum se amisisse conqueritur. Sed et ego illi saepe penuriam meae ariditatis impropero, dicens: « Heu, inquam, mi pater, istae tuae lacrymae infecundae sunt, quae alias orando lacrymas pàrere nequeunt! Optarem namque quod consequens est, nimirum ut sicut tu mihi pater es, ita nihilominus et tuae lacrymae mearum quoque lacrymarum fierent genitrices. »

§ **8**. In Regula quoque eremitica inseruisse me recolo. Dicam: Sed quis scit, utrum fides assertioni fidelissimae praebeatur? At parvipendendum est, si humana temeritas arguat, quem summa veritas falsitatis excusat. Est inter nos, qui nonnunquam uno die continuato cum nocte, novem psalteria meditando decurrat, et interim pene semper utràque manu, scopis armatâ, nudum corpus afficiat. Notandum autem, quia dum haec peragere sàtagit, nocte, vel die dormire non vacat: sed aliquando genua flectens, dum caput terrae deponit, sic nudo repente somnus obrèpit, eoque solo contentus est. Hic mihi aliquando fraternâ familiaritate conquestus est, quia cum novem sic psalteria saepe modulando perficeret, ad decimum nunquam potuerit pervenire.

§ **9**. In epistola quoque, quam Blancae Comitissae direximus, haec nos indidisse videmur. Utinam daretur tibi nunc dominum meum videre Dominicum, qui quod imperitae linguae conamur officio, ipse te efficaciori luculentissimae vitae doceret et informaret exemplo. Hic denique a tribus circiter annorum lustris lorìca ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur.

§ **10**. Sed quia de illo in aliis nostris opusculis jam plura digessimus, nunc quod vix ante sex dies ad nos veniens retulit, proferamus. Ait itaque: « Contigit me nosse, quod scripseris, novem me uno die psalteria decantasse cum corporalibus disciplinis. Quod certe cum audivi, tremefactus expavi, et conscientiâ remordente congemui. Vae, inquam, mihi: ecce hoc de me, nesciente me, scriptum est, et tamen utrum a me hoc fieri potuisset, ignoro. Ego rursus experiar, et an hoc implere potuerim, indubitanter agnoscam. Quartâ igitur feriâ me vestibus exui, et armatâ scopis utraque manu, totam noctem ducendo pervigilem, psallere, ac me verberare non destiti, donec die altero decursis

duodecim ex more psalteriis partem decimitertii, usque ad psalmum, *Beati quorum*, absolvi.» Porro quod nobis durum saepe videtur et asperum, quam ille puerile deputet ac despectum, uno doceamus exemplo. Frater quidam cum a scoparum ictibus nimis abhorreret, atque perferre gravissimum judicaret, tandem tamen domini Dominici crebrius insistentis adhortationibus acquievit, ac per modulationem totius psalterii, et insuper quinquaginta psalmorum, sibimet disciplinam inferre propriis manibus non cessavit. Erat autem nox illa praecedens Dominicam diem, et beati Michaëlis festivitatem. Cumque facto mane, ad praedictum senem frater ille venisset, timens ne de indiscretione redargueretur, cum quod egerat, per ordinem retulisset, hac ille voce respondit: « Noli, frater, pusillanimis esse, vel pro hac tua, quae nunc est, infirmitate diffidere: potest enim Deus ex imis te ad altiora provehere, et hujus lacteolae tuae conversationis infantiam, ad juvenilis ròboris incrementa firmare.» Et adjiciens ait: « Nos etiam primo pedetentim coepimus, sensimque ad quod nos divina pietas perducere voluit. licet imbecilles ac fragiles, educti sumus. » Sicque factum est, ut non eum de immoderato fervore, sicut ille timebat, argueret, sed ne desperationi succumberet, tamquam qui minimum quid egisset, animum refovèret. Hujus itaque Sancti senis exemplo faciendae disciplinae mos adeo in nostris partibus inolevit, ut non modo viri, sed et nobiles mulieres hoc Purgatorii genus inhianter arriperent. Nam et relicta * Techbaldi sublimis utique generis, et non infimae dignitatis, mihi aliquando retulit, praefixam hujus disciplinae centum annorum se, poenitentiam peregisse.

§ **11**. In Epistola etiam ad Joannem Priorem erèmi, quae juxta Susa vicinum ** montem est constituta, cum eum, ejusque subjectos ad extensionem in orationibus exhortatorie provocarem, dixi prius de quodam ferventissimo in amore Christi fratre nostro, Adam nomine, deinde Dominicum in exemplo subjeci, ita inquiens: « Habemus autem quemdam juvenculum fratrem, qui confessus est, a capite usque ad finem psalterii elevata se brachia tenere dum psallit, ita ut laquear tabulatum cellulae manibus saepe contingat, hac tamen discretione servatâ, ut per quinquagenos psalmos ad momentum brachia extenta deponat, et protinus èrigat. Habemus et alterum provectioris aetatis, incurvum videlicet senem, et ut secrete tibi confitear, hic Dominicus est. Is itaque quamdam scriptiunculam reperit, ubi dicebatur, quod si quis duodecim illic notatos psalmos vicies quater, erectis in modum crucis manibus, caneret, pro uno posset anno poenitentiam regulariter compensare. Protinus ille in exercitium id quod dicebatur, arripuit, et duodecim illos psalmos extensis brachiis, sicut dictum est, vicies quater sub nullo prorsus intervallo, sed

* Subintellige *vidua*. ** Legendum proprie est *Suavicinum*.

uno ductu quotidie decantabat. » Scripsi super hoc et in aliis fortasse opusculis, quae vel ad praesens desunt, vel facile memoriae non occurrunt. Itaque ab eorum replicatione, quae scripta sunt, ad nova quaelibet articulus transferatur.

§ **12**. Enimvero quasi quidam divinus ignis in ejus pectore jugiter aestuabat, qui nunquam permittebat eum a spiritualis exercitii labore quiescere. Aliquando namque cum ego perquirerem sacrosancto die Paschali, caeteris fratribus, juxta morem, meridie quiescentibus, utrum et ipse dormisset, ait: « Certe, pater, dixi in corde meo: Quid mihi, tam longis adhuc noctibus, in die dormire? Extensis itaque in crucis effigiem brachiis, psalterium coepi: Quo me sic stante decurso, signum protinus horae Nonae personuit. Hoc itaque modo junxit victoriam Crucis cum gloria resurrectionis. » Aliquando cum de quotidianis, ut mos est, invicem confabularemur operibus, ait: « Hac etiam nocte, quid mihi contigerit, manifesto. Nam dum solutus sopore surrexi, mox brachiis in modum crucis extensis psalterium coepi; cumque psalmis omnibus, et canticis, quae sequuntur, hymnisque decursis, eo loci jam essem, ut solo catholicae fidei psalmo, et litaniis deberem cuncta concludere, incidit in mentem, ut interim ista dimitterem, ac pro defunctis, psalterium decantarem. Igitur brachia non deponens, ad defunctorum psalterium transii, quod juxta morem per quinquagenos psalmos trifaria lectionum interpolatione distinxi. Quo sic expleto, ad id protinus, quod omiseram, redii, atque hoc, quod de primo psalterio reliquum erat, explevi. Cumque de tertio consequenter aggrediendo psalterio cogitarem, benefactum, ut ita dixerim, signum repente nocturnae synaxis insonuit, quod me depositis ulnis Officium cum fratribus celebrare coëgit; et certe nescio quo anni tempore noctes breviores erant. »

§ **13**. Aliquantis porro ante obitum annis, quasi novum supplicii genus inveniens, virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit, semelque gustato, quia duriores sunt, in his verberandi consuetudinem posuit. Hoc flagellum, si quando egrederetur ad seculum, portabat in sinu, ut ubicumque eum jacere contingeret, a verberibus non vacaret. Aliquando vero cum loci occasio non praeberet totum se posse exuere, per crura saltem et femora, per caput atque cervicem, sese non cessabat affligere. Circulis quoque ferreis quatuor, quia sibi prae longa consuetudine jam viluerant, quatuor idem superaddidit, ut duobus in coxis, duobus consequenter in cruribus stringeretur. Enimvero loricam, et quibus utebatur, tamquam ciliciis, vel lanea quaelibet indumenta, post menses, sive post spatium prolixius abluebat, ut rubiginem deponerent, et aridis ingerendam membris uredinem non haberent. Porro autem cum omnes qui in cellulis habitamus, hoc laboremus, ut pro muniendis a frigore pedibus vestimenta usque

ad imum defluant pavimentum, hoc etiam nobis in eo intolerabile videbatur, quia cum in erèmo et ocreas nesciret et calceos, vestes tamen ejus ad tibias vix medias descendebant. Nudatus autem ad suscipiendam in capitulo disciplinam, quod scilicet nunquam omittere volebat, exesis jejunio membris, et amatae loricae mole detritis, Aethiopicam contraxisse nigredinem videbatur. Vestimenta vero lurida et cariosa, ut ita dixerim, videbantur vetustate consumpta. Hoc mihi saepe dicebat: « In hoc psalmodia provenit cito psallenti, si corde verba teneat, si quae lingua loquitur, mens veraciter comprehendat. Alioquin si cor vagatur, psalmorum cursus ad finem, lingua nunc fallente, nunc tepescente, tarde perducitur. » Ajebat etiam, quia somnum somnus adescat, et vigilias vigiliae pariunt. Nam corpus humanum, in quo paulatim prius enutritur, in hoc per incrementa postmodum roboratur.

§ **14**. Sed hìc me quispiam fortasse redarguat, qui videlicet non tam, quem vivendi ordinem Vir sanctus habuerit, sed quibus miraculis in hac vita claruerit. audire festinat. Cui me breviter hoc respondere sufficiat: quoniam et Maria, et Joannes Baptista miraculum fecisse non legitur, cum tamen eorum vita non qualibet scriptura, sed Evangelio testante narretur. Quamquam Maria in solo partu, quem edidit, omnium proculdubio Sanctorum virtutes ac signa praecellit. Hoc etiam inferam, quia uberiorem fructum praebet audientibus Sanctorum virorum mirabilis vita, quam ostensa miracula. Illa siquidem exigit imitationem, ista solam ingerunt admirationem. Miracula docent, quomodo illi sancti fuere; vita vero insinuat, qualiter et nunc homines fieri valeant sancti. Propterea qui miraculum quaeris, non ne tibi videtur esse mirabile, hominem fragili adhuc carne circumdatum, Angelitus (ut ita loquar) vivere, adeo ut inter quamplurima hominum millia, vix unum ei similem valeas reperire? Et certe quamplures hodiè sunt inferioris vitae, per quos Deus omnipotens dignatur virtutem ostendere.

§ **15**. Jesu teste, non mentior, quia necdum tres menses elapsi sunt, ex quo ad me in Samugni videlicet erèmo diversantem, duo adolescentes monachi venerunt, quorum alter de Spoletina monarchia, alter vero de Venetiae dominio, Polensi * videlicet urbe, oriundos se esse dixerunt. Sed Venetus, vocabulo Michaël, sicut nobis in confessione perhibuit, in ipso suae conversionis initio, circulo ferreo sub hac desiderii sui pactione se constrinxit, rogans Dei omnipotentis obnixe clementiam, ut cum locum saluti suae congruum reperiret, confestim ille circulus frangeretur. Porro autem ipso die, quo erèmum novus hospes ingressus est, vix post trium horarum spatium, dum beati Benedicti regulam,

* Pola antiqua urbs est Histriae, a Colchis, ut fertur, fundata, atque a Romanis scriptoribus *Pietas Julia* dicta.

sicut est idiota, utcumque syllabatim legeret, repente compunctionis eum spiritus in lacrymas solvit, eodemque momento circulus ille fractus apparuit. Quod miraculum quoniam alibi jam nos descripsisse meminimus, celeriter transcurrentes, sequens aliud, quod necdum litteris insertum est, enucleatius digeramus.

§ **16**. Paulo post namque Ravennam urbem, me jubente, perrexit, ut sarcinulas suas, quas ibi de navi prodiens reliquerat, exportaret. Illic itaque apud fabriles officinas nova ferreorum nexuum argumenta confinxit, multisque se vinculis per diversa membra ipse sibimet judex et reus, violenter arctavit. Nam duo pendebant vincula cervice tenus per humeros altrinsecus, hinc ad sexum, illinc ad femen: duos vero in coxalibus circulos, duos suscepit in ulnis. Undique igitur tam multiplici constrictione vallatus, ad nos rediit: secrete, quod circa se factum fuerat, ostendit: neve, quae fecerat, immutarem, vix tandem voti compos obtinuit. Sed cum haec illum ultra vires tormenta gravarent, et ex attritis carnibus jamjam foetor erumperet, insuper accessit. quod cor fratris gloriam respuentis acrius perturbavit. Coepit enim hujus mysterii fama prorumpere, et prius per fratrum, deinde per ora supervenientium quorumlibet volitare. Rogavit itaque omnipotentis Dei misericordiam, ut quid sibi super hoc coepto placeret, per suae misericordiae indicium evidenter ostenderet. Interim vero dum hujusmodi precibus frequenter insisteret, bis per somnium confortatus, audivit, quia ferramenta illa jam essent divinitus resolvenda. Porro autem in festivitate beatorum Apostolorum Simonis et Judae, quam nuperrime celebravimus, dum nocturno cum fratribus interesset officio, repente duo illa ferramenta, quae super humeros posita, utrinque inferius dependebant, ventremque cum renibus coarctabant, prorsus effracta sunt, et unum in duas, alterum in tres divisum est partes. Caeteri vero circuli, non quidem per partes abrupti, sed ita laxati sunt, et quidam facti sunt tam mollita lenitate flexibiles, ut quodammodo non tam ferrei, quam plumbei viderentur, adeo ut etiamsi vellet, defluentibus eis ac prolabentibus, adstringere se ultra non posset. Sic frater, qui sanctae devotionis aestuanti fuerat ardore constrictus, pio Dei judicio est mirabiliter absolutus. Quid ergo magnum, si per Dominicum, mirabilem videlicet virum, signum aliquod voluisset ostendere, cum in ipso tyronatus exordio per hunc juvenculum duo miracula dignatus est exhibere, ac laudabilius sit fortia peregisse, quam nova? Unde David cum praemisisset; *Mirabilis Deus in Sanctis suis:* protinus addidit, *Ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae* (*Psal. 67*). Non ait, *Signa*, sive *prodigia:* sed, *Ipse dabit virtutem et fortitudinem.*

§ **17**. Cum Romanus quidam, Stephanus nomine, judex sacri palatii, summam praesidentatus * administraret Auximi **,

* Scilicet, Praesidem Apostolicum agebat. ** Italice *Osimo*.

exigente causâ, Dominicus ad eum venit, eumque super quadam erèmi possessione, quam ex jure Sedis Apostolicae detinebat, obnixe rogavit. Quem ille, utpote nulla vestium compositione festivum, despiciens sprevit, eique nil eorum quae poscebat, indulsit. Cumque sibi a circumstantibus diceretur: « Noli eum tam dure suscipere, sanctus enim vir est: » ille tamquam èvomens, ait: « Sit sanctus, ut vultis: sed beatus Petrus certe sanctior est, cujus ego causam in hac administratione defendo. » Igitur impos coepti Dominicus, redit ad cellulam. Ille quoque post paululum reversus est Romam. Porro puer * quidam despicabilis, qui ad exequendum quodcumque negotium in administratione remansit, quicquid Dominicus petierat a judice, cuncta reverenter implevit. Judex autem non diu post, quam ad propria repedavit, hostilibus gladiis perfossus interiit, multasque divitias, quia sobolem non habebat, extraneis haeredibus dereliquit. Erat praeterea Dominicus valde cautus in verbis, ut apte sibi congrueret illa sententia, qua Jacobus Apostolus ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (*Jac.* III). Nam si quando quaereretur, quota diei hora esset, nunquam absolute dicebat, quota esset, sed cum hoc additamento semper: Prope tertia hora est, prope sexta hora. Inquisitus a me, cur semper ita diceret: In hoc, inquit, mendacium caveo: nam sive sit hora transacta, sive adhuc fortassis immineat, propinqua tamen est, quae videlicet a momento, in quo loquimur, non elongatur.

§ **18**. Habebat aliquando cellulam juxta monasterium, quod dicitur Conjunctuli. In vigilia itaque Dominicae Nativitatis, cum tota praecedenti Quadragesima ** mansisset inclusus, tantisque jejuniis atque laboribus esset vehementer afflictus, invitante gloriâ solemnitatis egressus, Abbati loci humiliter pròcidit, veniam petiit, actus suos et cogitationes lacrymabiliter accusavit. Ille autem, ut erat inexpertus, levis moribus, et consiliis spiritualibus insuetus, cum sibi sufficeret unum psalmum, vel perexiguum quid imponere, praecepit ut pro his quae confessus fuerat, triginta psalteria decantaret. Qua nimirum ille sententiâ, velut sagittâ percussus, ad cor rediit, atque hoc provenisse ex divini dispositione judicii deputavit. Itaque regressus in cellulam, nunquam prodiit, donec praefixum indictae poenitentiae canonem instantissimâ sedulitate persolvit.

§ **19**. Solebat autem per intervalla licet parcissime, vinum bibere: sed longe ante, quam defunctus est, decrevit ab eo penitus abstinere. Ut itaque jam, omissis caeteris, ad obitum veniamus, patiebatur gravedinem stomachi, crebris insuper capitis doloribus cruciabatur. Et quoniam alterum saepe procedit ex

* Ministrum intellige inferioris ordinis.
** Quadragesima haec erat S. Martini, quae ab Octava Omnium Sanctorum ad Natale Domini usque protendebatur.

altero, proposuit ad purgandum stomachum, antidoti sumere poculum. Sextâ igitur feriâ per continuum diem vix desiit vel modulandis psalmis insistere, vel corrigiarum se ictibus flagellare. Nocte vero, sopore deposito, suscepit antidotum; deinde coepit angustiari, et de stomachi dolore graviter conqueri. Post decursum itaque nocturnae synaxis officium, post matutinos hymnos, cum prima jam hora sibi a fratribus, qui aderant, cantaretur, sanctum Deo spiritum reddidit. Invenerunt autem et alteram loricam, praeter eam qua indutus erat, lateribus ejus sindonis more substratam. Unde suspicati sunt fratres, hoc sibi praeter consuetudinem nullatenus accidisse, sed sub se eam sanum quoque tenere consuevisse, super quam videlicet et in infirmitate jacebat. Somniavit autem tunc quidam frater de me, quod oculorum lumen amiseram. Quod dum ego Hildeprando * venerabili Romanae Ecclesiae Archidiacono, in Lateranensi palatio retulissem: « Nequaquam, inquit, ut times, hoc tibi propinquae est mortis indicium: sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi et carus sit sicut oculus, et lumen tuum ac splendor in bonis operibus videatur. » O verum, sed amarius omni felle praesagium! Tertio die, postquam Romanis moenibus sum egressus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quae mihi nil minus opinanti caecatum, me remansisse perhibuit, dominum scilicet et illuminatorem meum Dominicum, ex hoc seculo nuper egressum. Illico mihi liquido patuit, dum ille petiit lucis auctorem, in tenebrarum me remansisse caligine. Fratres autem corpus ejus, ne a vicinis monachis eorum raperetur e manibus, in eadem, in qua defunctus est cellula, defossâ humo celeriter obruerunt. Nos autem ipso die Dominico, quo erèmum ingressi sumus, sanctum corpus inde sublatum reverenter, ut dignum erat, in capitulo sepelivimus. Et cum nonus esset depositionis ejus dies, praedictum corpus sanum illibatumque reperimus.

§ **20**. Eant nunc, qui carnis suae delectantur illecebris, medullas absorbeant voluptatum, et occisionis victimae ad aeternum nutriantur incendium. In superbiae se cornibus efferant, ventilent innocentes, ad votum molliter vivant, ut eorum postmodum penitus semper ulcera amarescant. Nunc velut infrenes equi per voluptatum suarum prata discurrant, ut post eorum manus et brachia districtionis extremae lorica cohibeant. Dominicus autem noster stigmata Jesu portavit in corpore, et vexillum Crucis non tantum in fronte depinxit, sed cunctis etiam undique membris impressit. Exustus et aridus ab humore calami et junci uberibus, coelestis gratiae meruit imbribus irrigari. Hic ferreâ loricâ praecingitur, illic niveis Angelicae gloriae vestibus decoratur. Hic duritia cubilis atteritur, illic molli Patriarcharum

* Fuit hic postea Gregorius VII Summus Pontifex sanctitate et apostolico zelo magnopere conspicuus.

gremio confovetur. Tota haec vita facta sibi parasceve Crucis, illic autem festivus et splendidus aeternam celebrat gloriam resurrectionis. Nunc inter ignitos supernae Jerusalem lapides èmicat; nunc ornatus victoriarum suarum titulis, aeternâ laude triumphat, atque in illa beatorum civium jucunda societate conjubilat. Obiit autem beatus Dominicus pridie Idus Octobris, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

S. TERESIAE VIRG.

FRATR. ET MON. CARMELITARUM DISCALC. FUNDATRICIS

RES GESTAE ET VIRTUTES BREVITER DESCRIPTAE UT IN BULLA CANONIZATIONIS, ANNO MDCXXI EMANATA, CONTINENTUR.

Claruit seculo XVI — Hispana.

*Gregorius * Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Omnipotens Sermo Dei, cum de sinu Patris ad haec inferiora descendisset, ut erueret nos de potestate tenebrarum, completo dispensationis suae tempore, transiturus de hoc mundo ad Patrem, ad propagandam per totum terrarum orbem electorum suorum Ecclesiam, quam Sanguine suo acquisiverat, eamque verbo vitae erudiendam, ad confundendam sapientiam sapientium, et destruendam omnem altitudinem, quae adversus Deum extollebatur, non multos nobiles elegit, nec multos sapientes, sed contemptibiles mundi, qui non in sublimitate sermonis, nec in humanae sapientiae verbo, sed in simplicitate et veritate ministerium suum, ad quod a diebus aeternitatis praedestinati erant, adimplerent.

§ 1. In sequentibus vero generatiónibus, cum juxta praeordinata tempora, plebem suam per servos suos fideles visitare dignatus est, plerumque parvulos et humiles assumpsit, per quos Catholicae Ecclesiae ingentia praestaret beneficia, quibus ipse, juxta verbum suum, abscondita a sapientibus et prudentibus regni coelestis mysteria revelaret; eosque supernorum charismatum donis adeo illustraret, ut omnium virtutum, ac bonorum operum exemplis Ecclesiam fovèrent, ac signorum gloria clarificarent. In diebus vero nostris fecit salutem magnam in manu feminae; suscitavit enim in Ecclesiâ suâ, veluti novam Deboram, Teresiam

* Hujus nominis, XV.

virginem, quae, postquam mirabili victoriâ carnem suam perpetuâ virginitate, mundum admirabili humilitate, et cunctas adinventiones diaboli multis maximisque virtutibus superasset, excelsiora moliens, et virtutem sexus animi magnitudine supergressa, accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum, et instruxit exercitus fortium; qui pro domo Dei Sabaoth et pro lege ejus et pro mandatis ejus armis spiritualibus decertarent, quam Dominus ad tantum opus peragendum abundante implevit spiritu sapientiae et intellectus, et thesauris gratiae suae adeo illustravit, ut splendor ejus, tamquam stella in firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas aeternitates.

§ **2**. Dignum igitur et congruum existimavimus, ut quam Deus et Unigenitus Filius ejus, Dominus noster Jesus Christus, quasi sponsam ornatam coronâ et decoratam monilibus suis, in gloriâ miraculorum plebi suae manifestare dignatus est, Nos quoque, pro pastorali sollicitudine nostrâ in universali Ecclesiâ, cui, licet meritis minime suffragantibus, praesidemus, tamquam Sanctam et Electam Dei, colendam et venerandam, apostolicâ auctoritate, decreverimus, ut omnes populi confiteantur Domino in omnibus mirabilibus ejus, et cognoscat omnis caro, quoniam non defecerunt in diebus nostris miserationes ejus: qui, quamvis, peccatis nostris exigentibus, visitet nos in virgâ indignationis suae, non tamen continet in irâ suâ misericordias suas; dum in afflictionibus nostris novis nos praesidiis munit, et amicos suos multiplicat, qui Ecclesiam suam meritorum et intercessionum suffragiis protegant ac defendant.

§ **3**. Atque, ut universi christifideles intelligant, quam abunde in Ancillam suam effuderit Deus de spiritu suo, ac propterea erga ipsam devotio in dies augeatur, insigniores quasdam ejus virtutes, et aliqua ex magnalibus, quae in manu ejus operatus est Dominus, his litteris duximus inserenda. Nata est Teresia Abulae *, in regno Castellae, anno salutis humanae millesimo quingentesimo quintodecimo **, parentibus, ut genere praeclaris, ita etiam vitae integritate conspicuis; a quibus in timore Domini educata, admirandum futurae sanctitatis in tenerrimâ adhuc aetate specimen dedit: nam, cum Martyrum acta perlegeret, adeo Sancti Spiritus igne cor ejus intra eam concaluit, ut cum fratre germano etiam puero domo aufugerit ***, ut in Africâ trajiceret, ubi sanguinem ac vitam pro testimonio Jesu Christi profunderet. Sed occursu patrui revocata, cum optimam sortem sibi ereptam esse jugibus lacrymis deploraret, ardens martyrii desiderium eleemosynis, aliisque operibus compensavit.

§ **4**. Sed cum ad vigesimum aetatis annum pervenisset, Christo se totam despondit, et vocationem, qua ab eo vocata erat, aggressa, ad moniales sanctae Mariae de Monte Carmelo Ordinis

* Italice, *Avila in Castiglia*. ** Die 28 martii. *** Circa annum 1522.

Mitigati se contulit, ut, plantata in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florèret. Professione itaque in eo monasterio emissâ, cum per duodeviginti annos gravissimis morbis, ac variis praeterea tentationibus vexata esset, nullisque supernis consolationibus reficeretur, adeo invicte, adjuvante Domino, omnia pertulit, ut probatio fidei illius, omni pretiosior auro quod per ignem probatur, inventa fuerit in laudem et gloriam et honorem, in revelationem Jesu Christi.

§ 5. Et quoniam, ad erigendum sublime christianarum virtutum aedificium, fidei fundamentum ponendum fuit, illud adeo stabile ac inconcussum Teresia collocavit, ut, juxta verbum Domini, comparanda sit viro sapienti qui aedificavit domum suam supra petram : eâ etenim firmitate sacrosancta Ecclesiae sacramenta, caeteraque catholicae religionis dogmata credebat et venerabatur, ut majorem, ut ipsa saepius testificabatur, de qualibet re certitudinem habere non posset : hac fidei lucernâ illuminata, Domini nostri Jesu Christi Corpus in Sacratissima Eucharistiâ mentis oculis adeo clare intuebatur, ut assereret, nihil esse quod invidèret eorum beatitudini, qui corporeis oculis Dominum conspexissent; tantum autem vivae spei in Domino collocaverat, ut jugiter deploraret, quod tamdiu in praesenti mortali vitâ detineretur, quae sibi impedimentum afferret, quo minus semper cum Domino esset, nec raro, dum in corde suo coelestis patriae gaudia recogitabat, mente excedebat, et ad eorum fruitionem in carne rapiebatur.

§ 6. Sed inter caeteras Teresiae virtutes praecipue emicuit dilectio Dei; quae adeo in corde ejus exarsit, ut confessarii ipsius Teresiae charitatem, tamquam non hominis, sed Cherubin propriam, admirarentur et celebrarent, quam etiam Dominus noster Jesus Christus multis visionibus, ac revelationibus mirabiliter auxit; quandoque enim, datâ dexterâ, clavoque ostenso, illam in sponsam suam adoptavit, atque his verbis àlloqui dignatus est : *deinceps, ut vera sponsa meum zelabis honorem; jam ipse sum totus tuus; et tu tota mea.* Aliquando etiam angelum vidit, ignito jàculo sibi praecordia transverberantem, ex quibus coelestibus donis divini amoris flamma in ejus corde adeo exaestuabat, ut maxime arduum votum, a Deo edocta, emiserit efficiendi semper quicquid perfectius esse et ad majorem Dei gloriam pertinère intelligeret : quin etiam, post mortem cuidam moniali per visum manifestavit, se non vi morbi, sed ex intolerabili divini amoris incendio vitâ excessisse.

§ 7. Sed quam perpetuâ charitate proximum dilexerit, multis argumentis manifestum fuit, sed praesertim ex ardenti desiderio, quo animarum salutem desiderabat. Infidelium enim et haereticorum tenebras perpetuis lacrymis deflebat, ac pro eorum illuminatione non solum juges ad Deum preces fundebat, sed et

jejunia, flagellationes, ac alias carnis macerationes offerebat. Proposuit etiam sancta virgo in corde suo, nullum diem sine charitatis officio transigere; in quo etiam Deus ipsi auxilium praestitit: nunquam enim ei defuit, ipso largiente, exercendae charitatis occasio.

§ 8. Mirabiliter autem imitata est Dominum nostrum Jesum Christum in dilectione inimicorum. Nam cum ingentes pateretur persecutiones et adversitates, diligebat tamen persequentes, et orabat pro his qui oderant se; quinimo detrimenta et offensiones, quas perpetiebatur, amoris et charitatis ipsi escam ministrabant, adeo ut viri graves dicere solerent: *qui amari a Teresia vellet, damno aut injuriâ ut eam afficeret, oportere.*

§ 9. Vota vero, quae in professione Religionis Deo voverat, maxima curâ ac diligentiâ reddidit. Nec enim tantummodo omnes exteriores actus superiorum arbitrio maximâ cum habilitate spiritus perficiebat; sed firmiter etiam in corde suo constituit, eorum voluntati omnes etiam cogitationes suas subjicere. Cujus etiam rei egregia exempla reliquit; nam Dominum Jesum Christum sibi saepius apparentem aliquando a confessariis jussa, qui delusam ab angelo tenebrarum suspicabantur, humiliter irrisit, sprevitque, sed non sine magno tam profundae obedientiae praemio; quin etiam volumen, quod in *Cantica Canticorum* insigni pietate refertum scripserat, ut confessario obtemperaret, flammis injecit. Dicere autem solebat, *se in discernendis visionibus ac revelationibus dècipi posse, in obedientiâ vero superioribus praestandâ falli non posse.* Paupertatem adeo dilexit, ut non solum labore manuum suarum victum sibi compararet: sed, si quam monialem vilioribus indutam vestimentis conspexisset, illico sua cum illius commutaret; ac, si quando sibi necessaria, deficerent, mirifice laetaretur et exultaret, gratiasque Deo ageret, tamquam insigne aliquod consecuta beneficium. Sed inter caeteras ejus virtutes, quibus, quasi sponsa a Deo ornata, mirifice excelluit, integerrima effulsit castitas; quam adeo eximie coluit, ut non solum propositum virginitatis servandae, a pueritia conceptum, usque ad mortem perduxerit, sed omnis expertem maculae, angelicam in corpore et corde servaverit puritatem.

§ 10. Quas adeo insignes virtutes mirificâ humilitate cordis ornabat. Cum etenim in dies divinis charismatibus anima ejus impinguaretur, saepius exclamabat ad Dominum, *ut beneficiis in eam suis terminum statueret, nec tam cito ingentium scelerum oblivisceretur.* Contumelias vero et irrisiones ardentissime sitiebat, ac non solum humanos honores, sed nosci quoque ab hominibus abhorrebat. Invictam autem hujus sanctae Virginis patientiam illa vox attestatur, quâ saepius ad Dominum exclamabat: *Domine, aut pati, aut mori.* Praeter haec omnia divinae beneficentiae munera, quibus hanc Dilectam suam quasi pretiosis monilibus

decoratam esse voluit omnipotens, aliis etiam gratiis et donis abunde ipsam locupletavit; adimplevit enim eam spiritu intelligentiae, ut non solum bonorum operum in Ecclesiâ Dei exempla relinqueret, sed et illam coelestis sapientiae imbribus irrigaret, editis de mysticâ theologiâ, aliisque etiam multâ pietate refertis libellis, ex quibus fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt et ad supernae patriae desiderium maxime excitantur *.

§ 11. Quibus coelestibus instructa ac illustrata muneribus, opus aggressa est maximum quidem, et cuicumque difficillimum, sed Ecclesiae Christi perquam utile ac proficuum: reformationem enim exorsa est Ordinis Carmelitani, illudque non solum in mulieribus, sed et in viris egregie praestitit. Aedificatis non modo per universas Hispanias, sed et per alias etiam christiani orbis partes tam virorum quam mulierum monasteriis, sine pecuniâ, sine proventibus, de solâ Dei misericordiâ praesùmens, nec modo omnibus humanis destituta auxiliis, sed adversantibus plerumque, ac contradicentibus principibus et potestatibus seculi: quae tamen, Domino opus suum confirmante, radices miserunt, incrementum susceperunt, et demum in domo Dei uberes proventus fructificarunt.

§ 12. Tantas virtutes Teresiae, plurimis, dum adhuc in humanis ageret, miraculis Deus illustravit: quorum nonnulla praesentibus litteris duximus inserenda. Cum in Conchensi dioecesi maxima esset frumenti penuria, atque in monasterio de Villanova de Xara vix tantum farinae reperiretur, ut per integrum mensem ad victum decem et octo monialium satis esset; hujus sanctae Virginis meritis et intercessione Deus omnipotens, qui sperantes in se enùtrit, eam adeo abundare fecit, ut quamvis per sex menses ex eâ affatim panes ad refectionem ancillarum Dei fierent, nunquam tamen usque ad novas fruges diminueretur. Gravi erysipilate in vultu ac febri afflictabatur Anna a Trinitate, monialis conventus Medinae de Campo, cui Teresia primum blandita, deinde laesa membra leviter attrectans, *bono animo*, inquit,

* S. Teresia intra 21 ferme annorum spatium, praeter Opera deperdita, ac *Epistolas* quatuor voluminibus contentas, scripta, quae edita habemus, decem composuit. Sunt autem; 1. *Vita ejus*; 2. *Via perfectionis*; 3. *Castellum animae*; 4. *Liber fundationum*; 5. *De ratione visitandi conventus Monial. Ord. Carm. Excalc.*; 6. *Conceptus amoris divini super quaedam Cantici Canticorum verba*; 7. *Exclamationes vel Medit. animae ad Deum suum*; 8. *Monita ad Moniales suas*; 9. *Monita alia*; 10. *Poëmata spiritualia*. Vere doctrinâ excellentissimâ referta, atque ad orationis studium, Deique amorem excitandum aptissima, sunt Opera quae S. Teresia exaravit: ita ut theologiae magistra haec praestantissima Virgo jure meritòque ab omnibus salutetur, atque inter Ecclesiae universalis Doctores nonnulli eam adscribendam censeant. Leibnizius ipse, quamvis lutheranus, palam est confessus, S. Teresiae scriptis se optime usum fuisse ad condenda altioris philosophiae fundamenta, ut in suis Hypothesibus liquet. Quoad vero scribendi modum, stylumque, quem S. Teresia adhibuit, en quid Ludovicus de Leon, celeberrimus Hispanicus scriptor, de ipso pronuntiavit: " Quoad puritatem sermonis et facilitatem styli verborumque gratiam, scitam structuram et inaffectatam elegantiam, quae legentibus quam gratissima est, nihil esse puto in vernaculo nostro idiomate conscriptum quod hisce Sanctae Matris scriptis queam conferri Unde quoties illa lego, non possum non, tamquam si jam de novo ea legerem, summopere eadem mirari..... Stupor intolerabilis est verba illius velle corrigere; qui Castellanae linguae probe callentes sunt, vident S Teresiam esse ipsammet elegantiam. " Adnotandum est postremo, S. Teresiae Opera in totum vel partim solummodo, latine, italice, gallice, germanice, polonice et anglice, pluries reddita fuisse.

sis, filia: Deus, ut spero, te hoc morbo liberabit; statimque febris, omnisque morbus ab eâ abscessit. Alberta, ejusdem monasterii priorissa, pleuritide, ac febre, non absque vitae periculo, laborabat; at sancta virgo Teresia, tacto latere, quod morbo urgebatur, eam sanam esse pronunciavit, ac surgere jussit; illa perfecte sanata statim e lecto exiliit, laudans Deum.

§ **13**. Adveniente demum tempore, quo pro tot laboribus pro divino honore exhaustis, ac tot bonis operibus in Ecclesiae utilitatem perpetratis, coronam decoris de manu Dei esset receptura, gravi morbo Albae decumbens, cum toto infirmitatis tempore frequentes ac plene admirabiles de divinâ charitate cum sororibus sermones habuisset, saepius gratias Deo agens, quod se catholicae Ecclesiae aggregasset, commendans tamquam praecipua bona paupertatem, ac debitam praepositis obedientiam, accepto humillime, ac cum coelesti prorsus charitate sacro peregrinationis suae viatico, ac extremae unctionis sacramento, Christi crucifixi effigiem manutenens, ad coelestem patriam evolavit *.

§ **14**. Pluribus vero signis manifestavit Deus quam sublimem gloriae gradum Teresiae elargitus in coelis esset: multae etenim moniales, religiosae, ac timentes Deum, viderunt decorem gloriae ejus. Alia etenim conspexit supra tectum ecclesiae, et in choro, et super decumbentis cubiculum multitudinem coelestium luminarium; alia Christum Dominum magno coruscantem splendore, et ingenti Angelorum frequentiâ circumdatum, ejus lecto assistentem; alia plurimos albis amictos vestibus ipsius cellam ingredientes, ac cubìli circumfusos; quaedam etiam in ipso transitus momento candidam columbam ex ipsius ore in coelum evolantem; alia splendorem, chrystalli instar, fenestrà, egredientem vidit; quin etiam quaedam arbor, calce ac macerie obstructa, ac jamdudum arida, quae cubiculo proxima erat, praeter omnem temporis et naturae rationem, repente floribus onusta in ipsâ transitus horâ apparuit; corpus exanime, speciosissimum ac nullâ rugâ contractum ac miro decoratum candore apparuit, ac unâ cum vestibus ac linteolis, quibus aegra usa erat, omnibus admirantibus, mirifice spirans odorem. Multa etiam magnalia, quae meritis Ancillae suae operatus est Deus, ipsius in paradisum transitum exultabilem reddiderunt: quaedam etenim monialis, dudum capitis et oculorum infirmitate laborans, apprehensâ mortuae virginis manu, ac capiti, oculisque admotâ, statim convaluit; altera item, ejus exosculatis pedibus, sensum odoratus amissum recuperavit, et corporaliter odorem unguentorum, quo sacrosanctum ejus corpus a Domino perfusum erat, percepit; corpus ejus absque ullo prorsus medicamine ligneo loculo inclusum, alte

* Anno 1582, die 4 octobris; et postridie, qui erat, juxta notissimam Kalendarii emendationem, hoc ipso anno a Gregorio Pp. XIII sancitam, dies 15 ejusdem mensis, perhonorifice sepelitur. Egerat S. Teresia in vita religiosa quadraginta et septem annos.

effossâ ad sepulturam humo, ac ingentibus lapidibus et calce oppletâ scrobe, sepultum est, sed a sepulcro ejus odor adeo ingens ac mirificus emanabat, ut decretum fuerit, sacrum corpus exhumare, atque illud sane integrum, ac incorruptum, ac si nuper tumulatum fuisset, repertum fuit, odorato liquore circumfusum, quo perenniter usque in praesentem diem, Deo Ancillae suae sanctitatem jugi miraculo attestante, desùdat; quare aliis vestibus indutum, novâque arcâ inclusum, cum priora computruissent, eodem loco conditum fuit, lapsoque triennio, cum rursus ipsius monumentum aperiretur, ut sacrum pignus Abulam * asportaretur, ac deinceps frequenter jussu Delegatorum Apostolicorum inviseretur, semper incorruptum, ac tractabile, eodem odore, ac liquore perfusum apparuit.

§ **15**. Sed et procedentibus temporibus, manifestavit Deus hominibus gloriam suam, praestitis per intercessionem Ancillae suae frequentibus beneficiis his, qui se fideliter ejus precibus commendassent. Puer etenim quidam quadriennis adeo contractus ac detortus erat, ut nec pedibus insistere, nec, cum jacèret, movère posset; eaque infirmitas, cum illi a nativitate fuisset, nullumque afferret doloris sensum, incurabilis prorsus videbatur: cumque per novem dies ad cubiculum, quod vivens sancta Virgo inhabitaverat, allatus fuisset, sensit in se virtutem venientem, ac repente sanus ac validus, ac suis pedibus ambulans, stupentibus cunctis, coepit diffamare, se a matre Teresia de Jesu perfectam sanitatem fuisse consecutum. Saevissimis doloribus per biennium cruciabatur Anna a sancto Michaële monialis, tribus cancris pectus ejus adeo affligentibus, ut non solum somnii expers esset, sed nec collum flectere, nec brachia posset attollere; cumque particulam reliquiarum sanctae Teresiae super pectus apposuisset, et toto cordis affectu se ejus patrocinio commendasset, non solum omnis evanuit plaga a corpore ejus, sed et aliâ etiam, quam in corde diu habuerat, infirmitate libera momento temporis effecta est. Adeo vexabatur Franciscus Perez, parochialis ecclesiae rector, a postemate, quod in os pectoris insederat, ut, brachio etiam contracto, a celebratione sacrosancti Missae sacrificii per quinque menses impediretur; humanisque remediis deficientibus, ad divina confùgit, et ad montes Dei èlevans oculos, salutem consecutus est; epistolam enim virginis Teresiae manu exaratam pectori àdmovens, consecutus est ejus partis sanitatem, cumque deinde sepulcrum Virginis visitasset, ejusque brachium, quod Albae asservatur, proprio brachio, quod adhuc contractum

* Hoc peractum est die 4 julii 1583; sed sanctissimum Teresiae corpus ad monasterium S. Josephi Abulense, in quo ipsa prima suae Reformationis fundamenta jecerat, clanculo translatum fuit die 24 novembris, anni 1585. Verum, anno sequenti, jussu Summi Pontificis, Sixti V, sacratissimae illae exuviae Albae restitutae sunt, ibique, in arca, primum e marmore confectâ, deinde argenteâ reconditae, summâ veneratione, devotioneque etiam nunc coluntur. Sparsae autem sunt passim per orbem terrarum plurimae S. Teresiae reliquiae, scilicet, Bruxellis digitus et clavicula, Ulyssipone manus, Romae pes dexter, etc.

erat, admovisset, in eo etiam divinam virtutem expertus est, restitutâ sibi perfectâ valetudine. Joannes de Leyna magno gutturis morbo adeo affligebatur, ut omnis respirationis via fere interclusa esset, jamque morti proximus animam agebat, cum sudarium, quod sanctae Teresiae fuerat, ad morbi locum magnâ cum fiducia apposuit, somnoque captus, ac paulo post experrectus, se meritis beatae Teresiae curatum esse repente sanus exclamavit.

§ 16. Cum igitur per universas jam gentes et nationes sanctitas Teresiae celebraretur, et nomen ipsius ad christifideles magno in honore esset, operante Domino, per intercessionem ejus tot mirabilia, quae etiam in dies unâ cum ipsius veneratione augebantur, fuerunt auctoritate apostolicâ, in multis Hispaniae partibus formati processus, ac ad sanctam Sedem transmissi. Et instanter agente clarae memoriae Philippo III Hispaniae rege catholico, negotio tam in Sacra Rituum Congregatione, quam in Rotâ diligenter discusso, felicis recordationis Paulus V praedecessor noster indulsit, ut in ejus honorem tamquam de Beatâ Virgine divinum officium in toto fratrum Carmelitanorum Ordine posset celebrari. Cumque idem Philippus rex iterum apud praedictum Paulum similiter praedecessorem nostrum pro canonizatione B. virginis Teresiae supplicasset, idem Paulus iterum negotium commisit Cardinalibus Sacrae Rituum Congregationis, qui novos processus auctoritate apostolicâ conficiendos decreverunt, atque ad id munus peragendum bonae memoriae Bernardum Cardinalem de Royas archiepiscopum Toletanum, et venerabiles fratres episcopos Abulensem et Salmaticensem eâdem auctoritate deputarunt, qui, cum diligenter de mandato negotio perfuncti essent, omnia acta eidem Paulo V praedecessori nostro transmiserunt. Qui tribus apostolici palatii causarum auditoribus Francisco archiepiscopo Damasceno locumtenenti, nunc S. R. E. Cardinali, Joanni Baptistae Coccino decano, et Alphonso Manzanedo dedit in mandatis, ut summâ cum diligentiâ dicta acta examinarent, et, quae eorum sententia esset, ad ipsum referrent. Qui omnibus accurate, prout rei magnitudo postulabat, perpensis, eidem Paulo V praedecessori retulerunt, plene justificari vitae sanctitatem, ac miracula beatae virginis Teresiae, omniaque abunde constare, quae pro canonizatione ejusdem a sacris canonibus requiruntur, posseque ad ulteriora procedi.

§ 17. Utque eâ maturitate, quae rem tantam decebat, negotium transigeretur, idem Paulus dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus praefectis ordinavit, ut praedictos processus quamdiligentissime rursus inspicerent, ac de totâ causâ accurate cognoscerent. Cum vero idem Paulus humanae peregrinationis viam complevisset, nosque (nullis licet nostris meritis) solâ divinae gratiae dignatione ad Ecclesiae gubernacula vocati essemus, ad augumentum divini honoris et sanctae Ecclesiae

utilitatem pertinere arbitrati sumus, ut hujusmodi negotium promoveretur, plurimum etiam ad praesentium temporum calamitatem levandam interesse existimavimus, si christifidelium devotio erga Sanctos et electos Dei, qui pro nobis in tantis necessitatibus intercederent, augeretur. Mandavimus itaque praedictis Cardinalibus, ut, quod illis a praedecessore nostro praedicto fuerat injunctum, quamprimum exequerentur. Quod cum illi eâ diligentia, qua decebat, perfecissent, ac pro sanctae Virginis canonizatione omnes unanimiter censuissent, venerabilis frater noster Franciscus Maria episcopus Portuensis Cardinalis a Monte totius processus summam, ac suam, collegarumque sententiam coram Nobis in consistorio nostro exposuit; quibus auditis, reliqui Cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronuntiarunt.

§ 18. Igitur, cum in publico consistorio dilectus filius Joannes Baptista Mellinus, consistorialis aulae nostrae advocatus, pro ejus canonizatione perorasset, ac nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset, Nos de re tantâ venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales et Episcopos in curiâ praesentes consulturos esse respondimus, atque interim Cardinales atque Episcopos praesentes vehementer in visceribus Christi hortati sumus, ut orationibus instantes, in jejuniis et eleemosynis animas suas coram Deo nobiscum humiliantes, prece a Deo Patre luminum exposcerent, ut ex alto super nos lucem suam et veritatem suam emitteret, quae nos ad voluntatem et beneplacitum ejus cognoscendum et perficiendum deduceret. Itaque cum semipublico consistorio, quod consequenter celebratum est, vocatis non modo Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis in curiâ nostrâ existentibus, praesentibus etiam nostris ac Sedis Apostolicae notariis, ac sacri palatii apostolici causarum auditoribus, cum plura a Nobis de eximiâ sanctitate Ancillae Dei, ac miraculorum frequentiâ et celebritate, populorumque erga eam per universas christianas nationes devotione, commemorata fuissent, expositis etiam instantiis, quae coram Nobis non modo nomine maximorum regum, sed etiam carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi, aliorumque complurium christianorum principum fiebant, omnes concorditer ac uno ore benedicentes Deum, amicos suos honorificantem, beatam Teresiam canonizandam esse, atque inter Sanctas Virgines adscribendam censuerunt, quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, et jubilavimus in salutari ejus, gratias agentes Deo, et Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, quod Ecclesiam misericorditer respexisset, ac tantâ gloriâ illustrare decrevisset; canonizationis itaque publicavimus diem, eosdemque fratres ac filios nostros monuimus,

ut in orationibus et eleemosynis perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super Nos, qui opus manuum nostrarum ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret. Demum, peractis omnibus quae ex sacris constitutionibus ac Romanae Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hodie in sacrosanctâ Principis Apostolorum basilicâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, Romanaeque curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero seculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ, convenimus; ubi, repetitis pro canonizationis decreto petitionibus nomine ejusdem carissimi in Christo filii nostri Philippi regis catholici a dilecto filio nostro Ludovico titulus sanctae Mariae Transpontinae Cardinali Ludovisio nuncupato, nostro secundum carnem nepote, per Nicolaum Zambeccarium, consistorialis aulae nostrae advocatum praedictum. decantatis sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ; ad honorem sanctae et individuae Trinitatis et Fidei Catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatorum Apostolorum, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum in Romanâ curiâ praesentium consilio ac unanimi consensu, bonae memoriae Teresiam virginem de Abula, de cujus vitae sanctitate, fidei sinceritate, et miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, Sanctam esse definivimus, ac Sanctarum Virginum catalogo adscribendam decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, illamque universos christifideles tamquam vere Sanctam honorare et venerari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universali Ecclesiâ in ejus honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari, et singulis annis die 5 octobris quo ad coelestem gloriam translata est, ejus Officium, ut de Sancta Virgine, ad praescriptum romani breviarii celebrari possit.

§ **19**. Eâdemque auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, unum annum et unam quadragenam; iis vero, qui in ejusdem festi octavâ, quadraginta dies de injunctis eis seu quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus ac relaxamus. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus esset, decantatâ in sanctae Teresiae honorem solemni Sanctarum Virginum oratione, ad altare Principis Apostolorum Missam celebravimus cum ejusdem Sanctae Virginis commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus. Decet igitur, ut pro tam insigni

beneficio omnes cum omni humilitate benedicamus et glorificemus Eum, quem decet omnis benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem Electae suae a peccatis nostris faciem suam avertens misereatur nostri, et respiciat nos, et ostendat nobis lucem misericordiarum suarum, et immittat timorem suum super gentes quae non cognoverunt eum, ut cognoscant quia non est alius Deus, nisi Deus noster...

HISTORIA S. ELIPHII MARTYRIS

AUCTORE RUPERTO ABBATE TUITIENSI.

Martyrio decoratus est sec. IV — Gallus.

PRAEFATIO AUCTORIS

AD ALBANUM ABBATEM S. MARTINI INTRA COLONIAM AGRIPP.

Qui primus, nostrisque temporibus longe anterior, martyrium scripsit pretiosi martyris Eliphii, fundamentum posuit: vos autem, fratres carissimi, tu, pater Albane, tecumque tui spirituales filii, parvitatem meam superaedificare compellitis. Diùtinâ excusatione charitati vestrae renisus sum, et excusationis meae causa haec summa fuit, quia fundamentum aliud praeter id, quod positum erat, ponere non potui. Neque enim aliud inveniebam, pertinens ad memoriam ejusdem Martyris et Patroni vestri, cujus corpus thesaurum pretiosum penes vos reconditum esse gaudetis, praeter scriptum illud, quod vobis pariter ac nobis usitatum, non satis jucundum, neque satis idoneum aestimatis propter nimiam simplicitatem: qui rem gestam non solum suo splendore exornat, verum etiam quasi quodam fumo aliquantisper observat. Recusabam ergo hactenus, nimis difficile ac pene impossibile existimans, id quod vestra charitas efflagitabat: velut si architecto dicatur: « Super hoc angustum ac tenue fundamentum, firmum ac splendidum superaedifica nobis aedificium. » Sed tamen occurrit, renitentique animo sese dictum illud ingessit: *Omnia possibilia credenti* (*Marc.* IX). Itemque illud: *Aperi os tuum*, ait in Psalmo Spiritus Sanctus: *Aperi*, sive dilata, *os tuum, et ego implebo illud* (*Psal.* 80). Igitur charitate victus, quâ nimirum vinci, pium et honorificum est, aperio os meum nunc, ab illo, qui jussit aperire, per orationes vestras implendum: ut religiosius loquendo, aurum et argentum et lapides pretiosos superaedificem super fundamentum hoc: quatenus pulcritudinem

materiae non pauperet penuria facundiae: immo dignitatem rerum quasi coronando ambiat compositio, sive conveniens appositio sententiarum.

§ 1. Ea tempestate, qua Romani Imperii mare turbavit impius apostata Julianus, florebat secundum seculi dignitatem gloriosus et secundum Christianam fidem clarissimus vir Eliphius in urbe Tullensi *, quae civitas est Galliarum: cujus loci indigenae prisco nomine Leuci dicti sunt. Habuit autem idem vir sanctus fratrem sanctissimum, tresque sorores virgines, omnes memorabiles supernae civitatis Jerusalem municipes, quorum nomina in libro vitae scripta, haec sunt: Frater ejus Eucharius, episcopalis gratiae functus honore, palmam quoque martyrii feliciter adeptus est, corpusque ejus in castro, quod dicitur ad Liberdum, conditum est. Prima sororum ejus Menna, secunda Libaria, tertia dicta est Susanna; fueruntque sicut unius fidei, ita et unius ejusdemque, scilicet monachicae, professionis. Et prima quidem, videlicet Menna, sacra virgo utrum per martyrii palmam praesentem vitam finierit, antiquitas litteris non expressit, nisi quod in virginitate pèrmanens defuncta, et in loco qui *Porces* dicitur, condita est. Secunda Libaria, et tertia Susanna sanctae vitae propositum sanctiore martyrii gloria consummaverunt. Et Libaria quidem apud civitatem, nomine Grandem **; Susanna vero in Campania tumulata est. His dictis, de hujus sancti viri fratribus secundum carnem, et cohaeredibus secundum fidem, dicendum est de illa tempestate jam dicta, quod tam magna fuerit, ut non mirari debeat quis, quod illa quoque Galliarum loca turbare potuit.

§ 2. Julianus jam dictus in initio quidem imperii sui parcens Christianis, clementior visus est. Sciebat namque, quod priores persecutiones nihil profuissent ad augmentum paganitatis: immo magis inde crevissent Christiani, et pro vero dogmate moriendo, facti fuissent gloriosi. Fuerat namque domesticus hostis, utpote Christianus fictus; quippe qui metuens Constantium, quia genere proximos tyrannidis formidine premebat, tonsus quoque monachicam simulaverat vitam, et Lectorum sociatus choro, divinos codices in ecclesia, populo audiente, legerat. Sciens ergo et invidens Christianorum gloriae, a tormentis abstinuit, judicans esse necessarium, ut sermone potius et admonitione paganitatem colendam populo suaderet: credens etiam hinc se monstrare clementem. Sic enim putabat potius roborari paganitatem, si se patientem ac mitem Christiano populo demonstrasset. Verum sub hac simulatione philosophicae mansuetudinis, cujus laudem nimis ambiebat, non diu se crudelitas impii potuit continere. Auferebat enim subinde pecunias et ornamenta sacra, templaque

* Tullum Leucorum, nunc *Toul*.
** Nunc *Grand*, in provincia, quae nomen ducit a Vogeso Monte (*Vosges*).

sub Constantino et Constantio fundata, destruebantur; dataeque ad aedificia pecuniae, rursus exigebantur. Hac occasione, sacerdotes et clerici et populus Christianus crudeliter vexabantur. Omnes namque possessiones atque pecunias ecclesiarum cum verberibus exquirens, ad medium jubebat afferri. Deinde scribens quoque ad templorum pontifices et provinciarum praesides, manifestabat et erga Paganitatem quantum studium, et erga Christianitatem quantum haberet odium *. Unde et libertatem suae vesaniae Gentiles nacti, vindictam de Christianis exigebant, querelam habentes adversus eos propter idolorum et templorum injurias, quae destructa erant temporibus Constantii et Constantini. Itaque innumera in omni terra et mari ab impiis contra pios illo tempore sunt commissa mala, cum aperte Deo odibilis Imperator contra pietatem leges poneret, favore suffultus pontificum atque praesidum, maxime Juliani ** avunculi sui, in paganitate devoti, et Christianos nimis odientis.

§ 3. Tali vento tam valido tamque contrario tempestas exorta, nimirum sicut in omni terra, ut jam dictum est, ita et in Galliis contra Christianos detonabat, et sanctae Ecclesiae navicula quasi in medio mari jactata fluctibus, auxilio divinitatis destituta esse videbatur: quemadmodum Julianus jam dictus, hujus apostatae Juliani avunculus atque praefectus, insultans, et impudenter contra sacrum altare mingens, dixisse fertur, quia religio Christiana esset divinâ sollicitudine desolata. Sed revera invisibiliter ambulans super aquas, aderat Dominus Jesus, et Petrus more suo ipse quoque, ut veniret ad Jesum super aquas gradiebatur, dum sanctae Ecclesiae fides victoriis Martyrum coronaretur, inter quos iste cum germanis jam dictis victor claruit sanctus Eliphius. Profecto nisi Dominus Jesus breviasset dies tyranni hujus, optaret implere, quod comminatus fuerat, quia neque capita sua Galilaeos habere permitteret. Sic enim ob derisionem, Salvatoris nostri cultores denominare solebat. Sed jam tunc propter electos Dominus breviavit dies, et sicut dixit beatus Athanasius, dum ab illo cogeretur ad fugam, videns circa se populum Christianorum lacrymantem: « Habete, filii, fiduciam: nubes est, et cito pertransiet. » Ita factum est.

§ 4. In tanto spiritu procellae, tantisque fluctibus comprehenditur verus Christi cultor, sanctus Eliphius. Comprehenderunt eum primo perfidi Judaei, conjuncti paganis, et recluserunt cum multis, scilicet cum trigintatribus Christianis, propter nomen Salvatoris nostri Jesu Christi eodem carcere conclusis. Divinâ autem agente providentiâ, nocte, patefacto carcere, sanctus Eliphius una cum illis jam dictis trigintatribus Christianis carcere egressus, Leucorum, id est, Tullensem, ingressus est urbem:

* Haec, quae a Juliano Apostata excitata fuit, Christianorum persecutio, est decimasexta.
** Praefectus erat Orientis. Vide *Hist. Eccles.* Natalis Alexandri.

ibi defunctam suam secundum carnem genitricem sepelivit, quo debuit affectu, extremum hunc ei impendens honorem. Ibi quoque, sicut et in caeteris, non surdus fuit auditor legis, dicentis: *Honora patrem tuum et matrem, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi* (*Exod.* xx). Expleto itaque hoc debitae pietatis obsequio, rursus athleta Christi non solum a Judaeis atque militibus paganis, verumetiam ab ipsis summis ac principalibus viris quaerebatur, ut, aut impietati consentiret, aut non consentiens, mortem subiret.

§ **5**. Non ab re quaeritur, qualem per occasionem Judaei tunc temporis vehementius atque procacius sese impenderint, aut impendere potuerint ejusmodi actionibus, ita ut in istum Christi Martyrem, et in multos alios pene ipsis crudelibus paganis promptiores atque erectiores fuisse legantur. Ad quod respondendum, quia Julianus impius impios illos erexit, illorum flatus extumescere fecit, illis arma porrexit, illos esse fortes et confidentes fieri voluit, eo quod sciret illos potissimum acerrimos esse inimicos nominis Christi.

§ **6**. Hinc Ecclesiastica narrat historia, dicens: Julianus etiam Judaeos contra Christianos armavit, primumque cònvocans, requisivit cur, eis praecipiente lege sacrificare, nequaquam immolationibus uterentur. Cumque respondissent uno tantummodo loco sibi offere sacrificium fuisse permissum; repente jussit Deo odibilis destructum resuscitari templum, credens, infelix, Dominicum verbum se posse destruere, cujus per hoc veritatem ostendit magis. Haec itaque verba Judaei libenter accipientes, cunctis per diversum orbem mandavere Judaeis. Qui undique concurrentes, pecunias ad aedificium alacriter offerebant. Ministravitque plurimum etiam Imperator, non largitatis gratiâ, sed veritati repugnans; misitque pariter praesidem, impiorum executorem dignissimum praeceptorum. Ajunt enim, quod ad repurgatorium faciendum, argenteas hamos et cophinos et scaphas habuerint. Cumque jam fodere coepissent, statuto quidem die hoc multitudo plurima faciebat: nocte vero spontanea terra de valle crescebat. Solutis itaque prioris etiam fundamenti reliquiis, nova omnia praeparabant. Cumque gypsi et calcis multa modiorum millia congregassent, vis magna ventorum repente respirans, tempestates atque procellae subito factae, quicquid congregatum fuerat, disperserunt. Adhuc autem insanientibus eis et nequaquam divinâ longanimitate correptis, maximus primo terraemotus factus est, et quisquis mysteriis divinis non fuerat imbutus, vehementer attritus est. Cum vero neque hoc terrerentur judicio, ignis ex fundamentis, quae fodiebantur, egrediens, plurimos fodientium concremavit, aliorum membra dissolvit. Nocte quoque plurimis in vicina porticu dormientibus, cadens subito cum tecto ipsa porticus, dormientes oppressit. Aliâ vero die signum in

coelo splendens Crucis apparuit: sed et Judaeorum vestes signaculo sunt impletae, non tamen splendenti sed nigro colore signatae. Haec itaque Deo rebelles considerantes, et divina flagella contremiscentes, ad propria sunt reversi, confitentes esse Deum, qui ab eorum progenitoribus ligno probatur appensus. Cum haec ita se habuerint, et Imperatori impiissimo adeo placerent impii, quantum putas spiritum malignitatis sibimet adspiraverunt, et quibus modis quibuscumque in locis erant, suum in Christianos quasi naturale odium, conjuncti paganis per sequentibus, adulantibus principibus edicta proponentibus, tamquam bene facientibus, declararunt?

§ 7. Igitur sanctus Eliphius divinâ, ut jam dictum est, virtute carcerem egressus, dum funeris materni exequias de more complevisset, rursus tam a Paganis militibus, quam a Judaeis quaerebatur: et quia non latere volebat, quia martyrium non refugiebat, cito repertus est. Reversus namque, civitatem Grandem intravit, ubi tunc temporis Julianus fuisse memoratur. Duobus ibidem moratus diebus, multa non paucis beneficia praestitit infirmis. Transiensque fluvium, nomine Veram, offendit impios executores daemonum thecas in litore colentes. Judaeos ibidem in eodem sacrilegio non defuisse, est narratum. Hoc autem frivolum, nimisque simpliciter dictum nonnulli existimant, pro eo quod nostris temporibus tale quid inter sacrilegia Judaeorum non reperitur. Neque enim nunc Judaei idòlis immolant, sed unum et solum creatorem Deum se adorare inaniter jactant. Optarent ergo studiosi lectores, aliter scriptorem dixisse, quam dixit aut scripsit. Praemisso namque, Offendit in Judaeos, daemonum thecas in litore colentes: erat autem sabbatum, dies festus Judaeorum: « Ecce, ait, quid nefarii Judaei in suis sabbatis agunt. Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam contemnunt, et ad suam perditionem daemonia colunt. Exigentibus enim suae perfidiae meritis, oracula prophetarum et praeconia Apostolorum recusarunt; suas vero libenter aures daemoniis accommodaverunt. » Ego vero non omnino frivolum, immo solidâ veritate subnixum esse potuisse arbitror istud, ab eo taliter dictum. Non enim tunc temporis res ita erat, ut nunc est. Quare hodie Judaei simulacra gentium non colunt? Nimìrum quia non sunt. Quamdiu erant, quamdiu fiebant haec opera manuum hominum, semper proni fuerunt ad cultum eorum, sicut testantur libri ipsorum. Nunc autem, ubi secundum prophetiam Isaiae, Dominus ascendens super nubem levem, ingressus est Aegyptum hujus seculi, et mota sunt simulacra Aegypti a facie ejus, et disperierunt, frustra volentibus ea retinere Aegyptiis, qualium iste Julianus notissimus, et vere Aegyptius fuit: nunc, inquam, quia non sunt, idcirco non colunt Judaei simulacra gentium; et illud, quod solum superest, et quod illa subvertit, omnino non pertinens ad simulacra gentium,

idcirco non adorant, quia veritatem odèrunt, secundum mysticam similitudinem aenei serpentis, quem exaltavit Moyses in deserto. ante nostros et ipsorum oculos exaltatam. Proinde nullius laudis est Judaeae sive Synagogae quod per Osee prophetam dictum est ei: *Dies multos exspectabis me, et non fornicaberis. et non eris viro* (*Osee* III); quia quod non fornicabatur cum idolis, non ex suae est continentiae virtute, sed ex defectu idolatriae, quam post adventum Christi, neque Pagani principes, neque iste Apostata potuit resuscitare.

§ 8. Igitur beatus vir Eliphius, cum utrosque, scilicet et gentiles et Judaeos, in eodem sacrilegio offendisset, verbum veritatis illis annunciabat, scilicet nihil esse, nisi perditionem in daemonum phantasmate: potius vivum et verum Deum, creatorem visibilium et invisibilium, ejusque Filium Jesum Christum cum Spiritu Sancto, Deum unum crederent, et colerent. quo peccatorum indulgentiam et sempiternam animabus suis invenirent requiem. Fere sexcenti et viginti viri, exceptis mulieribus, per illam ejus admonitionem, gratiâ Domini cooperante, credidisse et baptismum salutis suscepisse feruntur. Nunciantur autem haec impiissimo Juliano, qui tunc temporis, ut jam dictum est, in eadem Galliae civitate Grandi morabatur. Incertum autem, utrum Caesar tantum, an etiam Imperator esset illis diebus. Nam cum anno tertio imperii sui, septimo vero, ex quo Caesar a Constantio fuerat ordinatus, vitae autem anno tricesimoprimo defunctus fuerit, utrum tempore imperii sui aliquando ad Gallias transierit, compertum ex historiis non habemus *: sed cum Caesar esset, tunc eum in Gallias venisse non dubium est. Imperator quippe Constantius, ut Ecclesiastica narrat historia, constituens eum Caesarem, contra Barbaros destinavit ad Gallias. Hi namque Barbari, quorum idem Constantius contra Magnentium tyrannum solatia petierat, cum nihil profuissent contra tyrannum, Romanorum vastabant urbes. Quocumque ergo tempore, sive quot per vices in Gallias venerit, quomodo aliquando venisse dubium non est, in medio relinquentes, caetera prosequamur.

§ 9. Acceptâ hac relatione, tyrannus oblitus est suam hypocrisim, id est, philosophicae patientiae simulationem, qua sese intendebat demonstrare clementem. Iratus est enim is, qui mansuetus et ab iracundia remotus, ab impiis vocari studebat, et hac opinione sui nimium delectabatur. Credo tantam gloriosi viri fuisse libertatem, et zeli boni tam vehementem in eo fervorem, ut supra vires simulationis sive simulatoris esset pondus verae virtutis, digna pro veritate verba facientis per os hujus, in quo sine dubio Christus ipse loquebatur. Nec vero in isto solo, verum et in aliis nonnullis patientiae laudem perdidit, ita ut in furorem actus,

* Julianus, anno 331 natus est; Caesar electus fuit atque ad Gallias regendas missus, anno 355; Imperator salutatus est, anno 360. Demum, e vita excessit anno 363.

eorum capita juberet auferri : et licet nonnullorum sanguinem fundi aliquando prohibuerit, ductus invidiâ, ne moriendo fierent gloriosi, non eos in civitate habitare permisit, quos fortiores, et in faciem sibi resistentes invenit. Mirum, quod circa tempus idem beatum Martinum novum tyronem, et Christo militare cupientem, et dicentem sibi : *Hactenus, Caesar, militavi tibi : patere, ut nunc militem Deo ;* vivere permisit, et infremuit quidem, sed non eum occìdit. Hunc autem, quin Christi martyrem faceret, qui Martyribus invidebat, nullo patientiae figmento sustinere vel differre potuit. Credo igitur, ut dixi, quod magno zelo vir laudabilis tale quid fecisset aut dixisset, propter qualia Christianos ille vanus interficere solebat, tamquam reos majestatis, non tamquam propter causam sive professionem, Christianitatis scilicet, aut propter destructionem templorum, aut propter aliquod verbum, quod imperiali honori videri posset injuriosum. Exempli gratia : Cum apud Daphnem duo juvenes, quorum alter Juventinus, alter dictus est Maximus, militiâ clari, ingemiscerent videntes abominationes Juliani (nam fontes urbis sacrificiis violaverat, et cuncta venalia in publico, sceleratâ adspersione contaminaverat, ut comedentes et bibentes polluerentur hoc modo), trium puerorum in Babylone splendentium sermonibus usi sunt, dicentes : *Tradidisti enim nos Regi iniquo, qui recessit a te ultra omnes gentes quae sunt in terra.* Haec audiens ille, mitis atque philosophus a sui similibus nominatus, impietatis faciem protinus enudavit, praecipiens eis amarissimas plagas inferri : quos etiam luce privavit : magis autem, quod verius est, illius temporis infelicitate liberans, eos ad coronas sempiternas transmisit. Sed et plurimi nobilium, et dignitate fulgentium, utentes tali fiduciâ, coronis aequalibus sunt coronati. Fingebat enim, se in eis quasi causam ulcisci imperialis injuriae, et hoc divulgari jubebat, invidens decertatoribus veritatis in appellatione martyrii pariter et honoris. Artemium quoque, qui temporibus Constantii Dux fuit Aegypti, quoniam illius tempore idòla multa confregerat, non solum facultatibus nudum reddidit, sed etiam capitis sectione mulctavit. Haec pro exemplo dicta sint, quales ob causas ille Sanctos interficere non fuisset insolitus, qui, ut jam dictum est, mansuetus et ab iracundia remotus, ab impiis vocabatur.

§ **10**. Utramque causam, ut istum quoque Virum sanctissimum interficeret, illum habuisse, simplex quoque sermo testatur passionis ejus. Nam illum, qui accusabat, inter caetera dixisse narrat : « Considera, Caesar, quia tibi et semini tuo non prospera, sed adversa prophetat, et sine ullo tui timorè contra tuam potentiam audacter rebellat. » Ipsum quoque Julianum taliter contra eundem Christi Martyrem loquentem inducit: « Eliphi, quare deos dissipasti, et incantationibus nefariis ad nihilum deduxisti ? Nisi meo obtemperes praecepto, et rènoves deos, atque colas quos minutatim

confregisti, gladius meus caput tuum dividet particulatim. » Hinc manifestum est et illam, propter quam supradicti juvenes Juventinus et Maximus similesque illorum puniti sunt, et illam Sanctum habuisse causam, propter quam Dux ille Artemius, aliique complures a tyranno interempti sunt : scilicet quia et impietati ejus palam ore libero vir egregius in populo refragari non timuit, et templa sive idola, quae ille colebat et coli jubebat, subvertit sive confregit.

§ II. Cum igitur ad restitutionem simulacrorum quae confregerat, compellenti Juliano non cederet, justissimum esse dicens, propter fidem Domini nostri Jesu Christi gloriose mori, et ita cum illo in aeterna felicitate laetari : tyrannus jam non valens continere belluinum animum in illa cavea simulationis, quamvis invideret tantae Christianorum spei, scilicet gloriae martyrii, capitalem eum sententiam subire praecepit. « Flexis, ait, in terram genibus, extende cervicem, et fulminantis gladii mortiferam, sicut tibi praedixi, suscipe plagam. » Tunc Martyr Christi paululum induciarum, ad offerendam Deo orationem sibi dari flagitavit. Quo impetrato, prostravit se in terram, et elevans vocem, oravit, dicens : « Domine Deus omnipotens, qui coelum terramque et omnia quae in eis sunt, creasti, et hominem ad imaginem et similitudinem tuam factum, in paradiso posuisti, eundemque suadente diabolo lapsum, per Unigeniti tui incarnationem et passionem reformasti, et Sanctos et Electos tuos non ad hujus mundi gaudia, sed ad labores et tribulationes misisti; supplicem servi tui exaudi orationem, et quia te solum timeo, et totâ cordis alacritate diligo, nunc pro tuo nomine non solum omnia corporis tormenta, sed et ipsam subire mortem desidero. Animam meam jube suscipi per manus Angelorum in paradiso tuo coelesti cum corona martyrii; istis autem, a quibus interficiendus sum, quicumque ignorant et errant, cunctorum da indulgentiam peccatorum, et cum Sanctis tuis in regno tuo portionem : qui vivis et regnas cum Unigenito tuo et Spiritu Sancto unus et verus Deus in secula seculorum. » Cumque fideles qui aderant, respondissent, *Amen:* surgens ab oratione et stans in medio multitudinis: « Rogo, inquit, ad Caesarem, ut dum me interfeceris, corpori meo concedas locum sepulcri. » Ille respondens : « Concedo, ait, quemcumque locum elegeris. » Attollens ergo Christi Martyr oculos, et circumspiciens, vidit a longe montem excelsum; et ad Julianum respiciens : « En, inquit, Caesar, montem cernis ipsum, in quo, volente Christo, sepulturam habiturus sum. » Cum interim ad multitudinem conversus fidelium, qui aderant, pro re et tempore loqueretur, adhuc quasi patiens exspectabat tyrannus, nimirum ad devorandam animam potius, quam ad occidendum corpus inhiante diabolo, qui per illum operabatur. Denique cum jam ille testis Christi fidelissimus cum Apostolo diceret, aut revera

dicere posset : *Cupio dissolvi , et esse cum Christo : multo enim melius* (*Philip.* I). Itemque illud : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi , fidem servavi : reposita est mihi corona justitiae* (2. *Tim.* IV); Julianus ad blanditias sese callide inclinans : « Accipe, inquit, dignitates ; accipe honores, accipe aurum et argentum, et omnia bona posside, quae nobis pretiosa sunt , et esto amicus noster in eàdem scientiâ, in eodem sensu. » Vir sanctus autem memor illius ostensionis , qua tentator diabolus Domino nostro Jesu Christo regna mundi et gloriam eorum ostendens , dixit : *Haec omnia tibi dabo , si cadens adoraveris me :* dixit ad eum : « Caesar , a diabolo seductus es , et veritatis inquisitores Christianos seducere festinans. Pecunia tua et quaecumque promittis, tecum sint in perditionem. Ideo enim terrena promittis , ut coelestia tollas ; et vitam transitoriam promittis , ut aeternam subtrahas ; et ad extremum sine dubio idcirco suades caduca gaudia, ut amoveas ea quae sunt aeterna. » Tunc in vocem exultationis et confessionis erumpens adversus impietatem paganicam, judaicam, atque haereticam , quae videlicet impietas, velut Cerberus canis infernalis trium capitum , catholicam tunc vexabat Ecclesiam , clamavit et dixit : « Ego in Deum verum credo , et ipsum adoro in substantia unum, in personis trinum, creatorem totius mundi atque gubernatorem, initium et finem non habentem: cujus regnum incorruptum pèrmanet in sempiternum. Credo Unigenitum Dei patris omnipotentis filium , Patri consubstantialem , coaeternum atque coaequalem, Spiritu Sancto operante in Maria virgine conceptum, verum hominem sine virginitatis corruptione ex ea natum, sub Pontio Pilato crucifixum, a mortuis tertia die resuscitatum , in coelos receptum, in die judicii vivos ac mortuos judicaturum, et unicuique secundum opera sua redditurum.»

§ **12**. Igitur lacrymae interea manabant ex oculis ab initio orationis, quam impetratis, ut jam dictum est, fudit induciis. Et hoc infirmitatis esse videbatur illis qui nesciebant quid sit illud quod in Psalmo dictum est : *Sacrificium, Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Ps.* 50). Et alibi : *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Ps.* 114) ; et quod de ipso capite beatorum lugentium, qui propter hoc ipsum quod lugent, beati sunt, Apostolus dicit : *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui salvum facere posset illum, cum clamore valido et multis lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (*Heb.* V). Nesciebant haec multi qui aderant, maximeque tyrannus ille, cujus erat cor induratum, sicut cor Pharaonis ; et idcirco infirmus atque pendulus Martyr Christi esse videbatur. Unde et promissis suis confringere tentavit illum idem inefficax malitiae artifex, sicut jam dictum est. Ubi autem inter ipsas lacrymas hic Domini testis, tantae exultationis et confessionis extulit vocem, tunc ille odibilis Julianus ,

immo habitator cordis ejus spiritus nequam ; diutius ferre non potuit, jubensque caput ejus absque dilatione amputari, deridendo dixit : « Videbo, si Christus tuus liberet te, et surgere, atque tuis pedibus ambulare faciat te. » ... Martyrizatus est beatus Martyr in prato amoeno, quod situm est in ripa fluvioli supra memorati, cui nomen Vera, decimoseptimo Calendas Novembris. Super sacratissimum corpus ejus aedificatum est a fidelibus oratorium, ubi fideliter petentibus multarum praestantur beneficia virtutum *.

VITA DEOGRATIAS EPISC. CARTHAG.

AGONESQUE ET MARTYRIA

MARTINIANI, SATURIANI, MAXIMAE, VALERIANI Episc., ARMOGASTIS, MASCULAE ET SATURI Confessorum

PER D. VICTOREM EPISCOPUM UTICENSEM SCRIPTA.

Martyrii palmâ decorati sec. V, in Africa.

§ 1. Factum est, supplicante Valentiniano Augusto, Carthaginensi Ecclesiae post longum silentium desolationis Episcopum ordinari, nomine Deogratias **. Cujus si nitatur quisquam quae per illum Dominus fecerit, paulatim excurrere, ante incipient verba deficere, quam ille aliquid valeat explicare. Illo igitur Episcopo constituto, factum est, peccatis urgentibus, ut urbem illam quondam nobilissimam atque famosam, decimoquinto regni sui anno Geisericus caperet Romam. Et simul exinde regum multorum divitias cum populis captivavit. Quae dum multitudo captivitatis Africanum attingeret litus, dividentibus Vandalis et Mauris ingentem populi quantitatem, ut moris est Barbaris, mariti ab uxoribus, liberi a parentibus separabantur. Statim sategit Vir Deo plenus et carus, universa vasa ministerii aurea vel argentea distrahere, et libertatem de servitute Barbarica liberare, et ut conjugia foederata manerent, et pignora genitoribus redderent. Et quia loca nulla sufficiebant ad capessendam multitudinem tantam, basilicas duas nominatas et amplas, Fausti et Novarum, eorum lectulis atque

* Fertur corpus S. Eliphi M. ab archiepiscopo Brunone, anno 960, Coloniam Agrip. translatum fuisse.
** Anno 454.

straminibus deputavit, decernens per singulos dies, quantum quis pro merito acciperet. Et quia plerosque insuetudo navigii et crudelitas captivitatis afflixerat, non parvus inter eos fuerat numerus aegrotorum, quos ille beatus Antistes, ut nutrix pia, per momenta singula cum medicis circuibat, sequentibus cibis, ut inspectâ venâ, quid cui opus esset, illo praesente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere misericordiae feriebatur, sed pergebat excurrens per singulos lectos, sciscitans qualiter quisque haberet: ita se tradiderat omnino labori, ut nec, defessis membris, nec cariosae jam senectuti parceret *. Quo livore Arriani succensi, dolis eum quamplurimis voluere saepius enecare. Quod (credo) praevidens Dominus, cito passerem suum de manibus accipitrum voluit liberare **. Cujus exitum ita urbici captivi planxerunt, ut tunc se putarent magis tradi manibus Barbarorum, quando ille perrexit ad coelum. Functus est autem sacerdotio annis tribus. Cujus amore et desiderio populus attentus, potuerat membra digni corporis rapere, nisi consilio prudenti dum avocatur, nesciente multitudine, sepeliretur.

§ 2. Et quia tacendum semper non est de impietatibus haereticorum, nec verecundum poterit esse, quod ad laudem proficit patientis: ordinator quondam memorati sacerdotis nomine Thoma, dum variis ab eis insidiis saepius arctaretur, quodam tempore venerabilem senem in publica facie catomis *** ceciderunt. Quod ille non ad opprobrium, sed ad mercedem computans gloriae suae, in Domino laetabatur. Unde factum est, ut post obitum Episcopi Carthaginis, Zeugitanae et proconsulari provinciae Episcopos interdiceret ordinandos, quorum erat numerus centum sexagintaquatuor. Qui paulatim deficientes; nunc qui simul ipsi supersunt, tres tantum esse videntur: Vincentius Gigitanus, Paulus Sinnaritanus, vere merito et nomine Paulus, et alius Quintianus. Qui nunc persecutionem fugiens, apud Edessam Macedoniae civitatem commanet peregrinus. Sed etiam martyria quamplurima esse probantur, confessorum autem ingens et plurima multitudo, ex quibus aliqua narrare tentabo.

§ 3. Erant tunc servi cujusdam Vandali (fuit hic Vandalus de illis, quos Millenarios vocant) Martinianus, Saturianus, et eorum duo germani: erat et conserva eorum, quaedam egregia Christi ancilla, nomine Maxima, corpore simul et corde decòra. Et quia Martinianus armifactor erat, et domino suo satis videbatur acceptus, et Maxima universae domui dominabatur: credidit Vandalus, ut fideles sibi magis memoratos faceret famulos, Martinianum Maximamque conjugali consortio sociare. Martinianus adolescentulorum secularium more conjugium affectabat: Maxima

* Tantam hujuscemodi charitatem, quam Episcopus Deogratias in illo, quod hic memoratur, Romae excidio, vehementer est demiratus ipse Gibbon, historicus Eccl. Catholicae infensissimus.

** Anno 457.

*** Seu loris vel virgis.

namque jam Deo sacrata, humanas nuptias refutabat. At ubi ventum est, ut cubiculi adirentur secreta silentia, et Martinianus nesciens, quid de illo decreverat Deus, maritali fiduciâ quasi cum conjuge cuperet cubitare, vivâ ei voce memorata famula Christi respondit: « Christo ego, o Martiniane frater, membra mei corporis dedicavi, nec possum hamanum sortiri conjugium, habens jam coelestem et verum sponsum. Sed dabo consilium: si velis, poteris et ipse tibi praestare, cum licet, ut cui ego concupivi nubere, delecteris et ipse servire. » Ita factum est, Domino procurante, ut obediens virgini, etiam adolescens suam animam lucraretur. Nesciente igitur Vandalo, compunctus atque spiritualis secreti commercium mutuatus Martinianus, etiam suis fratribus persuasit, ut thesaurum quem invenerat haberent, utpote germani communem: conversus est itaque cum tribus fratribus suis. Dei puella comitante, nocte clam egredientes, Tabraceno monasterio, cui praeerat tunc nobilis pastor Andreas, sociantur. Illa vero haud procul monasterium incoluit puellarum.

§ 4. Sciscitante igitur barbaro inquisitionibus et muneribus crebris, quod gestum erat, celari non potuit. Inveniens itaque jam non sua, sed Christi mancipia, conjicit in vinculis, et variis tormentis Dei famulos insectatur, agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur, sed quod gravius est, per rebaptizationis coenum fidei suae ornamenta turparent. Pervenit hoc ipsum usque ad notitiam Geiserici. Decernit Rex, uti tandiu implacabilis ferus servos affligeret, quamdiu illius succumberent voluntati. Jubet in modum serrarum fustes robustos veluti palmatos cum stirpibus fieri, qui quatientibus tergis non solum ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis efflueret, et dissipatis carnibus viscera nudarentur, sequenti die, Christo medente, incolumes reddebantur. Hoc saepius ac multo factum est tempore, et nulla plagarum vestigia videbantur, sancto spiritu subinde curante. Post hoc arctatur Maxima durae custodiae, cuspidique crudeli extenditur. Cui cum Dei servorum non deesset frequentia visitantium, videntibus cunctis, ingentium lignorum putrescens soluta est fortitudo. Miraculum hoc voce omnium celebratur, et nobis, ad quem custodia pertinebat, cum sacramento testatus est ita fuisse.

§ 5. Ast ubi Vandalus virtutem neglexit cognoscere divinam, coepit in domo ejus vindicatrix ira grassari. Moritur ipse simul et filii, familiae atque animalium quaecumque optima erant, pariter intereunt. Remansitque domina vidua, marito, filiis et substantia destituta: servos Christi cognato Regis Sesaoni gratia muneris offert. Qui cum eos, utpote oblatos, cum gratulatione nimiâ suscepisset, filios et domesticos sanctorum merito male coepit daemon variis motibus agitare. Ex ordine ille cognatus, ut gestum erat, suggerit Regi. Decernit statim Rex, cuidam

gentili Regi Maurorum, cui nomen erat Capsur, relegandos debere transmitti: Maximam vero Christi famulam, confusus et victus, propriae voluntati dimisit, quae nunc superest virgo mater multarum virginum Dei, nobis etiam nequaquam ignota. Pervenientes autem traduntur memorato Regi Maurorum, commanenti in parte erèmi, quae dicitur Caprapicti. Videntes igitur Christi discipuli multa apud gentiles et illicita sacrificiorum sacrilegia, coeperunt praedicatione et conversatione sua ad cognitionem Domini Dei nostri Barbaros invitare: et tali modo ingentem multitudinem gentilium Barbarorum Christo Domino lucraverunt, ubi antea nulla fama Christiani nominis fuerat divulgata. Tunc deinde cogitatur quid fieret, ut ager jam cultus et egraminatus vomere praedicationis, Evangelicum susciperet semen, et imbre sacri baptismatis rigaretur. Mittunt legatos per itinera distenta deserti: pervenitur tandem ad civitatem Romanam. Rogatur Episcopus, ut presbyterum et ministros credenti populo destinaret. Explet cum gaudio, quod petebatur, pontifex. Dei constituitur Ecclesia, baptizatur multitudo maxima Barbarorum, et de lupis grex fecundus multiplicatur agnorum. Hoc Geiserico relatione sua nunciat Capsur. De qua re surgens invidia jubet famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum pariter interire, ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, ita deligans, ut exitum suum invicem perviderent. Qui cum e vicino currentibus Mauris, sese mutuo conspicerent, vale sibi in angusto fugae unusquisque ita dicebant: Frater, ora pro me: implevit Deus desiderium nostrum: taliter pervenitur ad regnum coelorum. Itaque orando atque psallendo, gaudentibus Angelis, pias animas emisere. Ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Jesus Christus Dominus noster operari. Nam nobis beatus quondam Faustus Buronitanus Episcopus attestatus est, caecam quamdam mulierem illuminatam fuisse, ubi ipse aderat praesens.

§ **6**. Accenditur propter haec adversus Dei Ecclesiam Geisericus. Mittit Proculum quendam in provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria divina vel libros cunctos Domini sacerdotes, ut primo armis nudaret, et ita facilius inermes hostis callidus captivasset. Quibus se non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de palliis altaris, proh nefas, camisias sibi et femoralia faciebat. Qui tamen Proculus hujus rei executor, frustatim sibi comedens linguam, in brevi turpissimâ consumptus est morte. Tunc enim S. Valerianus, Abensis civitatis Episcopus, dum viriliter, sacramenta divina ne traderet, dimicasset, foras civitatem singularis jussus est pelli, et ita praeceptum est, ut nullus eum neque in domo, neque in agro dimitteret habitare. Qui in strata publica

multo tempore nudo jacuit sub aëre: annorum erat plus octoginta : quem nos tunc indigni, in tali exsilio meruimus salutare.

§ 7. Quodam tempore paschalis solemnitas agebatur, et dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diem paschalis honoris nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent compererunt Arriani. Statim quidam presbyter eorum Andiot nomine, congregatâ secum armatorum manu, ad expugnandam turbam accenditur innocentum. Introëunt, evaginatis spathis, arma corripiunt, alii quoque tecta conscendunt, et per fenestras ecclesiae sagittas spargunt. Et tunc forte et canente populo Dei, lector unus pulpito sistens, allelujaticum melos canebat. Quo tempore sagittâ in gutture jaculatus, cadente de manibus codice, mortuus post cecidit ipse. Nam et alii quamplurimi sagittis et jaculis in medio crepidinis altaris probantur occisi. Nam qui gladiis tunc interempti non sunt, postea poenis attriti, regio jussu omnes pene necati sunt, praesertim maturioris aetatis. Alibi namque sicut Thunazudae contigit, Galibus, vico Ammoniae, vel aliis in locis, tempore, quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introëuntes maximo furore, corpus Christi et sanguinem pavimentis sparserunt, et illud pollutis pedibus calcaverunt. Ipse enim Geisericus praeceperat, ita persuadentibus Episcopis suis, ut intra aulam suam filiorumque suorum non nisi Arriani per diversa ministeria ponerentur. Inter alios ventum est tunc ad Armogastem nostrum. Cujus cum diu ac saepius tibias torquendo tumentibus confringerent chordis, et frontem, in qua Christus vexillum suae fixerat Crucis, rugatam magisque aratam descendentes atque mugientes ostenderent nervi, ut fila aranearum, sancto coelum respiciente, crepabant. At ubi tortores nervicas chordas disruptas esse viderunt, allatis crebrius fortioribus chordis atque canabinis, illo nihil aliud, nisi Christi nomen invocante, illa omnia vanescebant. Sed et capite deorsum dum ad unum pendèret pedem, dormire quasi super lectum plumis stratum, omnibus videbatur. Quem cum Theodoricus Regis filius, qui ejus dominus erat, poenis non valentibus, capite truncari jussisset, a suo prohibetur jucundo presbytero, dicente sibi: Poteris eum diversis afflictionibus interficere. Nam si gladio peremeris, incipient Romani martyrem praedicare. Tunc Theodoricus in Byzacenam provinciam ad fodiendas eum condemnat scrobes. Postea quasi ad majus opprobrium haud procul Carthagine, ubi ab omnibus videretur, pastorem eum praecepit esse vaccarum.

§ 8. Inter haec, Domino revelante, cum dormitionis suae proximum cerneret diem, advocat quemdam Felicem venerabilem Christianum, procuratorem domus filii Regis, qui Armogastem ut Apostolum venerabatur, dicitque illi: « Tempus meae resolutionis advenit : obsecro te per fidem, quam utrique tenemus, ut sub hac siliquae arbore me sepelire digneris, redditurus Domino

nostro, nisi feceris, rationem: non quod ille curaret, ubi aut qualiter suum sepeliretur corpus, sed ut illud demonstraretur, quod servo suo revelaverat Deus. » Respondet Felix et dicit: « Absit a nobis, confessor venerabilis: sed sepeliam te in una basilicarum cum triumpho et gratia, quam mereris. » Cui beatus Armogas: « Non, sed quod dixi, facturus es. » Ille timens Dei hominem contristare, veraciter, quod ingesserat, promisit esse facturum. Statim intra paucissimos dies comes bonae confessionis de hac vita migravit. Festinavit Felix sibi delegatum sub arbore fodere sepulcrum. Cui cum intextae radices et soliditas aridae telluris moram facerent, et labore angeretur, quod tardius sancti membra corporis humarentur, tandem, abscissis radicibus, multo altius terram cavans, conspicit sarcophagum splendidissimi marmoris praeparatum, qualem forte nullus omnino habuit Regum. Sed nec quendam Archiminum, nomine Masculinum, debeo praeterire. Qui cum multis insidiis premeretur, ut catholicam omitteret fidem, ipse eum Rex postea blandiendo affatibus secularibus * mutabat, promittens multis eum divitiis cumulandum, si voluntati ejus auditum facilem commodasset. Qui cum fortis atque invictus maneret, jubet eum subire sententiam capitalem, ita tamen callidus occulte praecipiens, ut si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne martyrem gloriosum fecisset. Si autem fortem in confessione conspiceret, a gladio temperaret. Sed ille ut columna immobilis, Christo solidante, fortis effectus, confessor revertitur gloriosus. Etsi martyrem invidus hostis noluit facere, confessorem tamen nostrum non potuit violare.

§ 9. Novimus et alium ea tempestate nomine Saturum. Qui cum lucidum esset membrum Ecclesiae Christi, et pravitatem Arrianorum libertate catholicâ frequenter argueret (fuit hic procurator domus Hunerici), convenitur, accusante Marivado quodam diacono, quem Hunericus infaustus singulariter honorabat, ut fieret Saturus Arrianus. Promittuntur honores et divitiae multae, si faceret: praeparantur supplicia dira, si nollet. Hac optione propositâ, ut si regalibus jussis non obediret, primo factâ discussione, et ante amissâ domo vel substantiâ, distractis omnibus mancipiis ac filiis, uxor ejus, ipso praesente, camelario in conjugium traderetur. Quod ille plenus Deo, magis ut velociter provenisset, impios provocabat. Ob quam causam uxor ejus inducias visa est ab his qui exequebantur, nesciente marito, petisse. Accedit ad maritum alia Eva, consilio magistratâ serpentis. Sed ille, Adam non fuit, qui illecebrosa vetitae arboris poma contingeret: quia non indigens, sed Saturus, vocabatur, saturatus ab ubertate domus Dei, et torrente deliciarum ejus potatus. Advenit mulier ad locum, ubi maritus singularis orabat, conscissis

* *Invitabat*, legendum puto.

vestibus, crineque soluto, secum comitantibus filiis, unamque infantulam, quae tunc lactabatur, manibus gestans, quae nescientis projicitur ad pedes mariti. Etiam ipsa suis genua complectitur ulnis, sibilans vociferatione draconis: « Miserere mei, dulcissime simul et tui : miserere communibus liberis, quos conspicis ipse. Non subjaceant conditioni servili, quos claros prosapia reddidit generis nostri. Non subjiciar ego indigno et turpi conjugio, vivente marito, quae mihi semper inter coaevas plaudebam de Saturo meo. Cognoscit Deus, quia invitus facturus es hoc, quod forte voluntarie aliquanti fecerunt. » Cui ille, Job sancti voce, respondit: « Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset hujus vitae amara dulcedo: artificio, conjux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam: mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus. » Quid ultra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam: discutitur, exspoliatur, poenis conteritur, mendicus dimittitur. Inter dicitur ei prodeundi accessus: totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt.

§ **10**. Post haec Geisericus ecclesiam Carthaginis claudi praecepit, dissipatis atque dispersis per diversa exsiliorum loca, quia Episcopus non fuerat, presbyteris et ministris. Quae vix reserata est, Zenone principe supplicante per patricium Severum, et sic universi ab exsilio redierunt. Quae vero in Hispaniâ, Italiâ, Dalmatiâ, Calabriâ, Apuliâ, Siciliâ, Sardiniâ, Brutiis, Lucaniâ, Epiro vel Helladâ gesserit, melius ibi ipsi, qui passi sunt, miserabiliter lugenda narrabunt. Sed etiam persecutionis nostrae a Geiserico, quanto sublimiter, tanto crudeliter gestae, iste sit finis. Duravit autem in regno annis xxxvii, mensibus tribus.

VITA

S. GALLI ABBATIS ET CONFESSORIS

EDITA A WALAFRIDO STRABO ABB. AUGIENSI *, NON AUTEM ABB. S. GALLI, UT QUIDAM NON RECTE AJUNT.

Mortuus est, ut Mabillonio videtur, an. 646 — Nat. Hibernus.

PRAEFATIO AUCTORIS

Nisi me Sanctarum auctoritas Scripturarum, et praecipue illa veridici prophetae sententia, qua sacrificio obedientia praefertur, ad necessitatem obediendi constringeret, praeceptis vestris, o sanctissimi patres, apologiae hujusmodi genus opponerem: Si propheta, qui ante, quam formaretur in utero, a Domino electus est, et priusquam exiret de ventre, sanctificatus est; dum eum Dominus spiritu suo illustrans, verbi officio manciparet, de aetatis infirmitate et ignorantia conquestus est: quid ego, peccator, acturus sum, qui in iniquitate conceptus, et in delicto profusus, propter sordes vitae, incircumcisus sum corde et auribus: quia videlicet nec scientiam digne percipio, nec audita devote conservo? Quomodo justitias Domini enarrabo, et assumam testamentum ejus per os meum, cujus aetatem nec tempus adhuc implevit, nec scientia commendavit? Cujus dicta nec doctrina corroborat, nec vita confirmat? Praesertim cum ea scribere jubeatis et ordinare, quorum dignitatem vix animo torpente conjicio. Tres tamen ob causas audendi talia viam invenio, scilicet quod credo me a Domino sublevandum, ob cujus jussa pariter ac promissa, quod virium consideratione exhorrui, obediendi cupiditate suscepi. Deinde quod me confido beati Galli intercessione, vestrisque precibus adjuvari, pro quorum veneratione ac amore grande onus humeris aptavi debilibus. Postremo, quod alienis insisto vestigiis, veritatisque tenendae lineam novis tantummodo cogor passibus demetiri. Vitam igitur sancti Confessoris Christi Galli, patroni nostri, cujus corporis thesaurum fidelibus servatis excubiis, sensu nobilem, scripto degenerem, vultis a me lumine rectae locutionis ornari, et seriem confusam capitulorum distingui limitibus.

Obsecro itaque te, Gosberte carissime, Abba monasterii S. Galli, cunctosque fratres, qui sub te militiae deserviunt spiritali, ut me orationibus adjuvetis, quatenus et hoc opus, et alia deinceps digne Deo merear explicare. Nam si gratanter recte a nobis

* Is floruit nono seculo.

posita susceperitis, clementer vero titubantia correxeritis, si Dominus permiserit hujus operis agreste pulmentum, postmodum aliquibus metrorum condimentis infundam. Dignum quippe est, ut nostris laudibus per orbem celebretur, quem de extremis orbis finibus ad nostram salutem Dominus destinavit. Bene valentem et nostri memorem paternitatem vestram in aeternum sancta Trinitas conservare dignetur, Amen.

O pater, o patris proles, o spiritus alme,
Une et trine Deus, nos miserate rege.
Me tua jussa ligant, tua me promissa gubernent:
Luceat in dictis lux tua, quaeso, meis.
In te, Galle, Deum, in Domino te, Galle, fatebor:
Tu pro me sacras funde preces Domino:
Ut veniam noxis, dictis moderamina praestet:
Quod nocet, evellat: quod juvat, amplificet.

§ 1. Cum praeclara sanctissimi viri Columbani, qui et Columba, conversatio per omnem Hiberniam celebris haberetur, et veluti splendidum ignei solis jubar singulari decore omnium in se provocaret amorem, sicuti de eo, priusquam nasceretur, provisum esse liber gestorum ipsius pleniter indicat: inter caeteros, quos fama virtutum ejus attraxerat, parentes beati Galli *, secundum Deum religiosi, secundum seculum nobiles, filium suum, primo aetatis flore nitentem, cum oblatione Domino offerentes, illius magisterio commendaverunt, ut in regularis vitae proficeret disciplina, et inter plurimos spiritalis militiae sectatores, obedientiae et arctioris propositi imitaretur exempla. Dumque bonae indolis vir caro nutriretur affectu, magno virtutum crevit augmento. Supernâ quoque gratiâ se praeveniente, tanto studio divinas epotavit Scripturas, ut de thesauro suo nova proferre posset et vetera: Grammaticae etiam regulas, metrorumque subtilitates capaci consequeretur ingenio. Obscura autem Scripturarum tam sapienter scire volentibus reseravit, ut cuncti, qui ejus prudentiam et sermones audierant, admiratione eum et laude dignissimum judicarent. Qua sapientiae maturitate factum est, ut universorum communi consilio, et jussione Columbani Abbatis, per singulos sacrae promotionis gradus ascendens, invitus sacerdotii susciperet dignitatem. Ergo, dum sacris instaret officiis, die noctuque precibus Dominum placavit et lacrymis; et superni Inspectoris oculis placere desiderans, pro virtutum et vitae meritis amabatur ab omnibus, placuit universis.

§ 2. Dum haec agerentur quotidie, beatus Columbanus Evangelicam cupiens assequi perfectionem, ut videlicet omnibus, quae habebat, relictis, crucem suam tolleret, et nudus Dominum sequeretur: consilio suo egit cum fratribus, quorum animos idem

* Qui, in documentis antiquis, Gallunus, Gallianus, Gallo passim nominatur; hibernice vero, *Galleche*.

fervor accenderat, ut, spreto propinquorum et praediorum dulcedine, mentis ardorem opere comprobarent. Ascendentes igitur navim, venerunt Britanniam, et inde ad Galliam transfretarunt. Cumque vir Dei ad Sigebertum Regem cum suis pervenisset, rogavit eum Rex, ut intra Gallias residèret, nec, eis relictis, ad gentes alias commigraret: se vero spopondit omnia, quae sanctus peteret, praebiturum. Ad haec vir Dei respondit: « Qui nostra reliquimus, ut secundum Evangelicam jussionem Dominum sequeremur, non debemus alienas amplecti divitias, ne forte praevaricatores simus divini mandati. » Cujus objectioni Rex ita occurrens, ait: « Si crucem tollere, et Christum sequi desideras, vastae eremi sectare quietem: tantum ne, solo nostrae ditionis relicto, ad vicinas transeas nationes. Poteris enim hoc consilio et tua praemia cumulare, et nostrae saluti prospicere.» Itaque Regis persuasioni consensit, et accepta optione, eremum, quae Vosegus* dicitur, cum suis intravit. Invenerunt autem locum, muris antiquitus septum, calidis aquis irriguum, sed jam vetustate collapsum, qui vulgo Luxovium ** vocabatur. Ibi oratorium in honorem beati Petri Apostoli construentes, mansiunculas, in quibus commanerent, fecerunt. Illisque ibi conversantibus, et ipsum locum excolentibus, multi non solum de genere Burgundionum, sed etiam Francorum, amore vitae laudabilis ad ipsos confluxerunt: et monitis spiritalibus instituti, tantam compunctionis gratiam ex verbis eorum adepti sunt, ut omnia sua ad ipsum locum nonnulli contraderent, et comâ capitis depositâ, monasticae vitae habitum voluntariâ paupertate susciperent.

§ 3. Cumque haec tam felix commanentium semper in melius proficeret disciplina, singularis beati Columbani sanctitas, miraculis frequentibus comprobata, per totas coepit Gallias vel Germaniae diffamari provincias. Laudabatur ab omnibus, colebatur a cunctis, adeo ut Theodoricus Rex, filius Childeberti, nepos Sigeberti, qui eo tempore Burgundionibus regnabat, ad eum saepe veniret, et precum ejus suffragia summâ cum devotione dèposceret. Quem cum pater sanctus increparet, cur concubinarum pollueretur amplexibus, et non potius legitimae conjugis connubio frueretur, monitis ejus obtemperans, cuncta hujusmodi illicita se vitaturum promisit. Sed Brunechildis, avia Regis, videns eum Viri Dei consiliis obedire, stimulo malitiae concitata, mentem serpentino furoris armavit veneno. Verebatur enim, ne si, abjectis concubinis, Regina in consortium regni assumeretur, dignitas sua honore subtracto vilesceret. Quo timore laborans, invidiam contra Virum Dei coepit habere; et post multas injurias, quas illi machinata est, ut Scriptura sanctae conversationis ejus testatur, consilio cum Rege inito, ut eum regno suo deturbaret, misit

* Gallice, *les Vosges*. S. Columbanus Galliam petiit anno 589 vel 590.
** Gallice, *Luxeuil*.

legatarios suos cum epistola ad sanctum Virum, denuncians ei, ne deinceps in regno illo consisteret. Ille Jezabelis insidias vitans, iter cum suis aggressus, ad Clotarium Regem pervenit. Apud quem cum aliquanto tempore moraretur, rogavit, ut illius solatio ad Theodebertum Austrasiorum Regem pervenire potuisset. Ad quem cum secundum petitionem voluntatis suae venerabiliter missus esset, susceptus est ab eo cum omni honore et gaudio magno. Mansit itaque apud illum aliquot diebus, sacras Scripturas aperiens, et insinuans ei veritatem. Cumque et ipsum rogaret, ut ad Agilulphum Regem Longobardorum, ejus jussu, per Alemanniam duceretur, moleste ferens Rex tantorum discessum virorum, pollicitus est eis intra terminos regni sui se reperturum loca venusta quae famulis Dei et ad incolendum essent commoda, et ad instruendas verbo veritatis circumpositas nationes opportuna. Vir Dei semen verbi in cordibus gentium plantare desiderans, aliquantisper moraturum se promisit, si regia auctoritas factis dicta firmaret.

§ 4. Acceptâ igitur a Rege licentiâ eligendi locum, ubicumque voluissent, dum loca plurima perlustrassent, venerunt intra partes Alemaniae ad fluvium, qui Limagus * vocatur. Juxta quem ad superiora tendentes, pervenerunt ad lacum Turicinum. Cumque per litus ambulantes, venissent ad caput lacus ipsius in locum qui Tucconia ** dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. Porro homines ibidem commanentes, crudeles erant et impii, simulacra colentes, idola sacrificiis venerantes, observantes auguria et divinationes, et multa quae contraria sunt cultui divino, superstitiosa sectantes. Sancti igitur homines cum coepissent inter illos habitare, docebant eos adorare Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et custodire fidei veritatem. Beatus quoque Gallus, sancti Viri discipulus, zelo pietatis armatus, fana, in quibus daemoniis sacrificabant, igni succendit, et quaecumque invenit oblata, demersit in lacum. Qua causâ permoti, irâ et invidiâ Sanctos insectabantur, et communi consilio Gallum perimere voluerunt; Columbanum vero flagellis caesum et contumeliis affectum, de suis finibus proturbare. Beatus pater, cognito consilio eorum, zelo justitiae imprecatus est eis talia, dicens: « Deus, cujus providentiâ mundus subsistit, et cuncta reguntur, fac super caput generationis hujus reverti contumelias, quas famulis tuis paraverunt. Nati eorum facile pereant, et antequam senescant, prae subitaneo stupore delirare cogantur; ipsique cum terra, quam incolunt, durâ potentium dominatione premantur, ut cunctis ignominia eorum pateat in aeternum; et sicut scriptum est, convertatur dolor eorum in caput ipsorum, et in verticem illorum iniquitas, ab ipsis patrata, descendat. »

* Scilicet *Limmath*, qui inter Tigurinum (*Zurigo*) lacum fluit.
** Fortasse pagus, qui vocatur *Tuggen*.

§ 5. Post haec non timore persecutionis perterritus, sed amore spiritalis lucri persuasus, contumacium sterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quam plurimum prodesse interim potuisset. Pergens ergo inde cum suis, pervènit in castrum, quod Arbona * vocatur : et invenit ibi presbyterum bonitate conspicuum, nomine Willimarum. Qui cum intuitus eum fuisset, dixit : *Benedictus qui venit in nomine Domini,* et reliqua. Cui Vir Dei ita respondit : « De regionibus congregavit nos Dominus. » Presbyter ergo, apprehensâ dexterâ ejus, duxit eum in oratorium ; et postquam pariter oraverunt, introduxit eos in hospitium. Qui pacem domui imprecantes, deposuerunt sarcinulas suas. Postquam vero recubuerunt, jussione Abbatis, Gallus divina recitavit eloquia, profunda reserans veritatis. Inter sancta doctrinae salutaris convivia, prudentiam Viri sacerdos miratus, a fletu se continere non potuit. Toto autem septem dierum circulo cum summo hònore et diligentiâ illis ministravit, et quos carnalibus fovit deliciis, ab ipsis quotidie pastus est dapibus Scripturarum. Inter sacrae igitur aedificationis colloquia, Columbanus Abba presbyterum interrogavit, si sciret aliquem in solitudine locum, in quo cellula fieri potuisset, custodiis aliquantulum regularibus opportuna. Hospes sanctorum huic inquisitioni respondit : « In hac solitudine locus quidam est, antiquae structurae servans inter ruinas vestigia ; ubi terra pinguis et fructuariis proventibus apta, montes per gyrum excelsi, erèmus vasta et imminens oppido; planities copiosa, victum quaerentibus fructum laboris non negat ; » et cum loci ipsius situm per multa laudasset, indicavit nomen ejus Brigantium **.

§ 6. Illis igitur illuc ire cupientibus, paravit presbyter naviculam, et imposuit rèmiges. Venerabilis autem Abba cum comitibus Gallo et quodam diacono navem conscendens, invocato nomine Domini, ad locum desideratum via recta pervenit. Egressi de navicula, oratorium in honore sanctae Aureliae constructum adierunt, quod postmodum beatus Columbanus in priscum renovavit honorem. Post orationem cum per gyrum oculis cuncta lustrassent, placuit illis qualitas et situs locorum. Deinde oratione praemissâ, circa oratorium mansiunculas sibi fecerunt. Repererunt autem in templo tres imagines aereas deauratas, parieti affixas, quas populus, dimisso altaris sacri cultu, adorabat, et oblatis sacrificiis, dicere consuevit : Isti sunt dii veteres et antiqui hujus loci tutores, quorum solatio et nos et nostra perdurant usque in praesens. Columbanus itaque beato Gallo id injunxit officii, ut populum ab errore idololatriae ad cultum Dei exhortatione salutari

* Juxta meridionalem partem Constantiae lacum. Castrum illud a Romanis dicebatur *Castrum Arbor felix.*

** Seu, *Brégenz*, a quo Constantiae lacus et *Brigantinus* nuncupatur.

multo tempore nudo jacuit sub aëre: annorum erat plus octoginta: quem nos tunc indigni, in tali exsilio meruimus salutare.

§ 7. Quodam tempore paschalis solemnitas agebatur, et dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diem paschalis honoris nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent compererunt Arriani. Statim quidam presbyter eorum Andiot nomine, congregatâ secum armatorum manu, ad expugnandam turbam accenditur innocentum. Introëunt, evaginatis spathis, arma corripiunt, alii quoque tecta conscendunt, et per fenestras ecclesiae sagittas spargunt. Et tunc forte et canente populo Dei, lector unus pulpito sistens, allelujaticum melos canebat. Quo tempore sagittâ in gutture jaculatus, cadente de manibus codice, mortuus post cecidit ipse. Nam et alii quamplurimi sagittis et jaculis in medio crepidinis altaris probantur occisi. Nam qui gladiis tunc interempti non sunt, postea poenis attriti, regio jussu omnes pene necati sunt, praesertim maturioris aetatis. Alibi namque sicut Thunazudae contigit, Galibus, vico Ammoniae, vel aliis in locis, tempore, quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introëuntes maximo furore, corpus Christi et sanguinem pavimentis sparserunt, et illud pollutis pedibus calcaverunt. Ipse enim Geisericus praeceperat, ita persuadentibus Episcopis suis, ut intra aulam suam filiorumque suorum non nisi Arriani per diversa ministeria ponerentur. Inter alios ventum est tunc ad Armogastem nostrum. Cujus cum diu ac saepius tibias torquendo tumentibus confringerent chordis, et frontem, in qua Christus vexillum suae fixerat Crucis, rugatam magisque aratam descendentes atque mugientes ostenderent nervi, ut fila aranearum, sancto coelum respiciente, crepabant. At ubi tortores nervicas chordas disruptas esse viderunt, allatis crebrius fortioribus chordis atque canabinis, illo nihil aliud, nisi Christi nomen invocante, illa omnia vanescebant. Sed et capite deorsum dum ad unum pendèret pedem, dormire quasi super lectum plumis stratum, omnibus videbatur. Quem cum Theodoricus Regis filius, qui ejus dominus erat, poenis non valentibus, capite truncari jussisset, a suo prohibetur jucundo presbytero, dicente sibi: Poteris eum diversis afflictionibus interficere. Nam si gladio peremeris, incipient Romani martyrem praedicare. Tunc Theodoricus in Byzacenam provinciam ad fodiendas eum condemnat scrobes. Postea quasi ad majus opprobrium haud procul Carthagine, ubi ab omnibus videretur, pastorem eum praecepit esse vaccarum.

§ 8. Inter haec, Domino revelante, cum dormitionis suae proximum cerneret diem, advocat quemdam Felicem venerabilem Christianum, procuratorem domus filii Regis, qui Armogastem ut Apostolum venerabatur, dicitque illi: « Tempus meae resolutionis advenit: obsecro te per fidem, quam utrique tenemus, ut sub hac siliquae arbore me sepelire digneris, redditurus Domino

nostro, nisi feceris, rationem: non quod ille curaret, ubi aut qualiter suum sepeliretur corpus, sed ut illud demonstraretur, quod servo suo revelaverat Deus. » Respondet Felix et dicit: « Absit a nobis, confessor venerabilis: sed sepeliam te in una basilicarum cum triumpho et gratia, quam mereris. » Cui beatus Armogas: « Non, sed quod dixi, facturus es. » Ille timens Dei hominem contristare, veraciter, quod ingesserat, promisit esse facturum. Statim intra paucissimos dies comes bonae confessionis de hac vita migravit. Festinavit Felix sibi delegatum sub arbore fodere sepulcrum. Cui cum intextae radices et soliditas aridae telluris moram facerent, et labore angeretur, quod tardius sancti membra corporis humarentur, tandem, abscissis radicibus, multo altius terram cavans, conspicit sarcophagum splendididissimi marmoris praeparatum, qualem forte nullus omnino habuit Regum. Sed nec quendam Archiminum, nomine Masculinum, debeo praeterire. Qui cum multis insidiis premeretur, ut catholicam omitteret fidem, ipse eum Rex postea blandiendo affatibus secularibus * mutabat, promittens multis eum divitiis cumulandum, si voluntati ejus auditum facilem commodasset. Qui cum fortis atque invictus maneret, jubet eum subire sententiam capitalem, ita tamen callidus occulte praecipiens, ut si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne martyrem gloriosum fecisset. Si autem fortem in confessione conspiceret, a gladio temperaret. Sed ille ut columna immobilis, Christo solidante, fortis effectus, confessor revertitur gloriosus. Etsi martyrem invidus hostis noluit facere, confessorem tamen nostrum non potuit violare.

§ **9**. Novimus et alium ea tempestate nomine Saturum. Qui cum lucidum esset membrum Ecclesiae Christi, et pravitatem Arrianorum libertate catholicâ frequenter argueret (fuit hic procurator domus Hunerici), convenitur, accusante Marivado quodam diacono, quem Hunericus infaustus singulariter honorabat, ut fieret Saturus Arrianus. Promittuntur honores et divitiae multae, si faceret: praeparantur supplicia dira, si nollet. Hac optione propositâ, ut si regalibus jussis non obediret, primo factâ discussione, et ante amissâ domo vel substantiâ, distractis omnibus mancipiis ac filiis, uxor ejus, ipso praesente, camelario in conjugium traderetur. Quod ille plenus Deo, magis ut velociter provenisset, impios provocabat. Ob quam causam uxor ejus inducias visa est ab his qui exequebantur, nesciente marito, petisse. Accedit ad maritum alia Eva, consilio magistratâ serpentis. Sed ille, Adam non fuit, qui illecebrosa vetitae arboris poma contingeret: quia non indigens, sed Saturus, vocabatur, saturatus ab ubertate domus Dei, et torrente deliciarum ejus potatus. Advenit mulier ad locum, ubi maritus singularis orabat, conscissis

* *Irritabat*, legendum puto.

vestibus, crineque soluto, secum comitantibus filiis, unamque infantulam, quae tunc lactabatur, manibus gestans, quae nescientis projicitur ad pedes mariti. Etiam ipsa suis genua complectitur ulnis, sibilans vociferatione draconis: « Miserere mei, dulcissime simul et tui: miserere communibus liberis, quos conspicis ipse. Non subjaceant conditioni servili, quos claros prosapia reddidit generis nostri. Non subjiciar ego indigno et turpi conjugio, vivente marito, quae mihi semper inter coaevas plaudebam de Saturo meo. Cognoscit Deus, quia invitus facturus es hoc, quod forte voluntarie aliquanti fecerunt. » Cui ille, Job sancti voce, respondit: « Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset hujus vitae amara dulcedo: artificio, conjux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam: mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus. » Quid ultra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam: discutitur, exspoliatur, poenis conteritur, mendicus dimittitur. Inter dicitur ei prodeundi accessus: totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt.

§ **10**. Post haec Geisericus ecclesiam Carthaginis claudi praecepit, dissipatis atque dispersis per diversa exsiliorum loca, quia Episcopus non fuerat, presbyteris et ministris. Quae vix reserata est, Zenone principe supplicante per patricium Severum, et sic universi ab exsilio redierunt. Quae vero in Hispaniâ, Italiâ, Dalmatiâ, Calabriâ, Apuliâ, Siciliâ, Sardiniâ, Brutiis, Lucaniâ, Epiro vel Helladâ gesserit, melius ibi ipsi, qui passi sunt, miserabiliter lugenda narrabunt. Sed etiam persecutionis nostrae a Geiserico, quanto sublimiter, tanto crudeliter gestae, iste sit finis. Duravit autem in regno annis XXXVII, mensibus tribus.

VITA

S. GALLI ABBATIS ET CONFESSORIS

EDITA A WALAFRIDO STRABO ABB. AUGIENSI *, NON AUTEM ABB. S. GALLI, UT QUIDAM NON RECTE AJUNT.

Mortuus est, ut Mabillonio videtur, an. 646 — Nat. Hibernus.

PRAEFATIO AUCTORIS

Nisi me Sanctarum auctoritas Scripturarum, et praecipue illa veridici prophetae sententia, qua sacrificio obedientia praefertur, ad necessitatem obediendi constringeret, praeceptis vestris, o sanctissimi patres, apologiae hujusmodi genus opponerem: Si propheta, qui ante, quam formaretur in utero, a Domino electus est, et priusquam exiret de ventre, sanctificatus est; dum eum Dominus spiritu suo illustrans, verbi officio manciparet, de aetatis infirmitate et ignorantia conquestus est: quid ego, peccator, acturus sum, qui in iniquitate conceptus, et in delicto profusus, propter sordes vitae, incircumcisus sum corde et auribus: quia videlicet nec scientiam digne percipio, nec audita devote conservo? Quomodo justitias Domini enarrabo, et assumam testamentum ejus per os meum, cujus aetatem nec tempus adhuc implevit, nec scientia commendavit? Cujus dicta nec doctrina corroborat, nec vita confirmat? Praesertim cum ea scribere jubeatis et ordinare, quorum dignitatem vix animo torpente conjicio. Tres tamen ob causas audendi talia viam invenio, scilicet quod credo me a Domino sublevandum, ob cujus jussa pariter ac promissa, quod virium consideratione exhorrui, obediendi cupiditate suscepi. Deinde quod me confido beati Galli intercessione, vestrisque precibus adjuvari, pro quorum veneratione ac amore grande onus humeris aptavi debilibus. Postremo, quod alienis insisto vestigiis, veritatisque tenendae lineam novis tantummodo cogor passibus demetiri. Vitam igitur sancti Confessoris Christi Galli, patroni nostri, cujus corporis thesaurum fidelibus servatis excubiis, sensu nobilem, scripto degenerem, vultis a me lumine rectae locutionis ornari, et seriem confusam capitulorum distingui limitibus.

Obsecro itaque te, Gosberte carissime, Abba monasterii S. Galli, cunctosque fratres, qui sub te militiae deserviunt spiritali, ut me orationibus adjuvetis, quatenus et hoc opus, et alia deinceps digne Deo merear explicare. Nam si gratanter recte a nobis

* Is floruit nono seculo.

posita susceperitis, clementer vero titubantia correxeritis, si Dominus permiserit hujus operis agreste pulmentum, postmodum aliquibus metrorum condimentis infundam. Dignum quippe est, ut nostris laudibus per orbem celebretur, quem de extremis orbis finibus ad nostram salutem Dominus destinavit. Bene valentem et nostri memorem paternitatem vestram in aeternum sancta Trinitas conservare dignetur, Amen.

O pater, o patris proles, o spiritus alme,
Une et trine Deus, nos miserate rege.
Me tua jussa ligant, tua me promissa gubernent:
Luceat in dictis lux tua, quaeso, meis.
In te, Galle, Deum, in Domino te, Galle, fatebor:
Tu pro me sacras funde preces Domino:
Ut veniam noxis, dictis moderamina praestet:
Quod nocet, evellat: quod juvat, amplificet.

§ 1. Cum praeclara sanctissimi viri Columbani, qui et Columba, conversatio per omnem Hiberniam celebris haberetur, et veluti splendidum ignei solis jubar singulari decore omnium in se provocaret amorem, sicuti de eo, priusquam nasceretur, provisum esse liber gestorum ipsius pleniter indicat: inter caeteros, quos fama virtutum ejus attraxerat, parentes beati Galli *, secundum Deum religiosi, secundum seculum nobiles, filium suum, primo aetatis flore nitentem, cum oblatione Domino offerentes, illius magisterio commendaverunt, ut in regularis vitae proficeret disciplina, et inter plurimos spiritalis militiae sectatores, obedientiae et arctioris propositi imitaretur exempla. Dumque bonae indolis vir caro nutriretur affectu, magno virtutum crevit augmento. Supernâ quoque gratiâ se praeveniente, tanto studio divinas epotavit Scripturas, ut de thesauro suo nova proferre posset et vetera: Grammaticae etiam regulas, metrorumque subtilitates capaci consequeretur ingenio. Obscura autem Scripturarum tam sapienter scire volentibus reseravit, ut cuncti, qui ejus prudentiam et sermones audierant, admiratione eum et laude dignissimum judicarent. Qua sapientiae maturitate factum est, ut universorum communi consilio, et jussione Columbani Abbatis, per singulos sacrae promotionis gradus ascendens, invitus sacerdotii susciperet dignitatem. Ergo, dum sacris instaret officiis, die noctuque precibus Dominum placavit et lacrymis; et superni Inspectoris oculis placere desiderans, pro virtutum et vitae meritis amabatur ab omnibus, placuit universis.

§ 2. Dum haec agerentur quotidie, beatus Columbanus Evangelicam cupiens assequi perfectionem, ut videlicet omnibus, quae habebat, relictis, crucem suam tolleret, et nudus Dominum sequeretur: consilio suo egit cum fratribus, quorum animos idem

* Qui, in documentis antiquis, Gallunus, Gallianus, Gallo passim nominatur; hibernice vero, *Gallechè*.

fervor accenderat, ut, spreto propinquorum et praediorum dulcedine, mentis ardorem opere comprobarent. Ascendentes igitur navim, venerunt Britanniam, et inde ad Galliam transfretarunt. Cumque vir Dei ad Sigebertum Regem cum suis pervenisset, rogavit eum Rex, ut intra Gallias resideret, nec, eis relictis, ad gentes alias commigraret: se vero spopondit omnia, quae sanctus peteret, praebiturum. Ad haec vir Dei respondit: « Qui nostra reliquimus, ut secundum Evangelicam jussionem Dominum sequeremur, non debemus alienas amplecti divitias, ne forte praevaricatores simus divini mandati. » Cujus objectioni Rex ita occurrens, ait: « Si crucem tollere, et Christum sequi desideras, vastae eremi sectare quietem: tantum ne, solo nostrae ditionis relicto, ad vicinas transeas nationes. Poteris enim hoc consilio et tua praemia cumulare, et nostrae saluti prospicere.» Itaque Regis persuasioni consensit, et accepta optione, eremum, quae Vosegus* dicitur, cum suis intravit. Invenerunt autem locum, muris antiquitus septum, calidis aquis irriguum, sed jam vetustate collapsum, qui vulgo Luxovium ** vocabatur. Ibi oratorium in honorem beati Petri Apostoli construentes, mansiunculas, in quibus commanerent, fecerunt. Illisque ibi conversantibus, et ipsum locum excolentibus, multi non solum de genere Burgundionum, sed etiam Francorum, amore vitae laudabilis ad ipsos confluxerunt: et monitis spiritalibus instituti, tantam compunctionis gratiam ex verbis eorum adepti sunt, ut omnia sua ad ipsum locum nonnulli contraderent, et comâ capitis depositâ, monasticae vitae habitum voluntariâ paupertate susciperent.

§ 3. Cumque haec tam felix commanentium semper in melius proficeret disciplina, singularis beati Columbani sanctitas, miraculis frequentibus comprobata, per totas coepit Gallias vel Germaniae diffamari provincias. Laudabatur ab omnibus, colebatur a cunctis, adeo ut Theodoricus Rex, filius Childeberti, nepos Sigeberti, qui eo tempore Burgundionibus regnabat, ad eum saepe veniret, et precum ejus suffragia summâ cum devotione deposceret. Quem cum pater sanctus increparet, cur concubinarum pollueretur amplexibus, et non potius legitimae conjugis connubio frueretur, monitis ejus obtemperans, cuncta hujusmodi illicita se vitaturum promisit. Sed Brunechildis, avia Regis, videns eum Viri Dei consiliis obedire, stimulo malitiae concitata, mentem serpentino furoris armavit veneno. Verebatur enim, ne si, abjectis concubinis, Regina in consortium regni assumeretur, dignitas sua honore subtracto vilesceret. Quo timore laborans, invidiam contra Virum Dei coepit habere; et post multas injurias, quas illi machinata est, ut Scriptura sanctae conversationis ejus testatur, consilio cum Rege inito, ut eum regno suo deturbaret, misit

* Gallice, *les Vosges*. S. Columbanus Galliam petiit anno 589 vel 590.
** Gallice, *Luxeuil*.

legatarios suos cum epistola ad sanctum Virum, denuncians ei, ne deinceps in regno illo consisteret. Ille Jezabelis insidias vitans, iter cum suis aggressus, ad Clotarium Regem pervenit. Apud quem cum aliquanto tempore moraretur, rogavit, ut illius solatio ad Theodebertum Austrasiorum Regem pervenire potuisset. Ad quem cum secundum petitionem voluntatis suae venerabiliter missus esset, susceptus est ab eo cum omni honore et gaudio magno. Mansit itaque apud illum aliquot diebus, sacras Scripturas aperiens, et insinuans ei veritatem. Cumque et ipsum rogaret, ut ad Agilulphum Regem Longobardorum, ejus jussu, per Alemanniam duceretur, moleste ferens Rex tantorum discessum virorum, pollicitus est eis intra terminos regni sui se reperturum loca venusta quae famulis Dei et ad incolendum essent commoda, et ad instruendas verbo veritatis circumpositas nationes opportuna. Vir Dei semen verbi in cordibus gentium plantare desiderans, aliquantisper moraturum se promisit, si regia auctoritas factis dicta firmaret.

§ 4. Acceptâ igitur a Rege licentiâ eligendi locum, ubicumque voluissent, dum loca plurima perlustrassent, venerunt intra partes Alemaniae ad fluvium, qui Limagus * vocatur. Juxta quem ad superiora tendentes, pervenerunt ad lacum Turicinum. Cumque per litus ambulantes, venissent ad caput lacus ipsius in locum qui Tucconia ** dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. Porro homines ibidem commanentes, crudeles erant et impii, simulacra colentes, idola sacrificiis venerantes, observantes auguria et divinationes, et multa quae contraria sunt cultui divino, superstitiosa sectantes. Sancti igitur homines cum coepissent inter illos habitare, docebant eos adorare Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et custodire fidei veritatem. Beatus quoque Gallus, sancti Viri discipulus, zelo pietatis armatus, fana, in quibus daemoniis sacrificabant, igni succendit, et quaecumque invenit oblata, demersit in lacum. Qua causâ permoti, irâ et invidiâ Sanctos insectabantur, et communi consilio Gallum perimere voluerunt; Columbanum vero flagellis caesum et contumeliis affectum, de suis finibus proturbare. Beatus pater, cognito consilio eorum, zelo justitiae imprecatus est eis talia, dicens: « Deus, cujus providentiâ mundus subsistit, et cuncta reguntur, fac super caput generationis hujus reverti contumelias, quas famulis tuis paraverunt. Nati eorum facile pereant, et antequam senescant, prae subitaneo stupore delirare cogantur; ipsique cum terra, quam incolunt, durâ potentium dominatione premantur, ut cunctis ignominia eorum pateat in aeternum; et sicut scriptum est, convertatur dolor eorum in caput ipsorum, et in verticem illorum iniquitas, ab ipsis patrata, descendat. »

* Scilicet *Limmath*, qui inter Tigurinum (*Zurigo*) lacum fluit.
** Fortasse pagus, qui vocatur *Tugjen*.

§ 5. Post haec non timore persecutionis perterritus, sed amore spiritalis lucri persuasus, contumacium sterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quam plurimum prodesse interim potuisset. Pergens ergo inde cum suis, pervènit in castrum, quod Arbona * vocatur: et invenit ibi presbyterum bonitate conspicuum, nomine Willimarum. Qui cum intuitus eum fuisset, dixit : *Benedictus qui venit in nomine Domini,* et reliqua. Cui Vir Dei ita respondit : « De regionibus congregavit nos Dominus. » Presbyter ergo, apprehensâ dexterâ ejus, duxit eum in oratorium ; et postquam pariter oraverunt, introduxit eos in hospitium. Qui pacem domui imprecantes, deposuerunt sarcinulas suas. Postquam vero recubuerunt, jussione Abbatis, Gallus divina recitavit eloquia, profunda reserans veritatis. Inter sancta doctrinae salutaris convivia, prudentiam Viri sacerdos miratus, a fletu se continere non potuit. Toto autem septem dierum circulo cum summo honore et diligentiâ illis ministravit, et quos carnalibus fovit deliciis, ab ipsis quotidie pastus est dapibus Scripturarum. Inter sacrae igitur aedificationis colloquia, Columbanus Abba presbyterum interrogavit, si sciret aliquem in solitudine locum, in quo cellula fieri potuisset, custodiis aliquantulum regularibus opportuna. Hospes sanctorum huic inquisitioni respondit : « In hac solitudine locus quidam est, antiquae structurae servans inter ruinas vestigia ; ubi terra pinguis et fructuariis proventibus apta, montes per gyrum excelsi, erèmus vasta et imminens oppido; planities copiosa, victum quaerentibus fructum laboris non negat ; » et cum loci ipsius situm per multa laudasset, indicavit nomen ejus Brigantium **.

§ 6. Illis igitur illuc ire cupientibus, paravit presbyter naviculam, et imposuit rèmiges. Venerabilis autem Abba cum comitibus Gallo et quodam diacono navem conscendens, invocato nomine Domini, ad locum desideratum via recta pervenit. Egressi de navicula, oratorium in honore sanctae Aureliae constructum adierunt, quod postmodum beatus Columbanus in priscum renovavit honorem. Post orationem cum per gyrum oculis cuncta lustrassent, placuit illis qualitas et situs locorum. Deinde oratione praemissâ, circa oratorium mansiunculas sibi fecerunt. Repererunt autem in templo tres imagines aereas deauratas, parieti affixas, quas populus, dimisso altaris sacri cultu, adorabat, et oblatis sacrificiis, dicere consuevit : Isti sunt dii veteres et antiqui hujus loci tutores, quorum solatio et nos et nostra perdurant usque in praesens. Columbanus itaque beato Gallo id injunxit officii, ut populum ab errore idololatriae ad cultum Dei exhortatione salutari

* Juxta meridionalem partem Constantiae lacum. Castrum illud a Romanis dicebatur *Castrum Arbor felix.*

** Seu, *Brégenz*, a quo Constantiae lacus et *Brigantinus* nuncupatur.

revocaret : quia ipse hanc a Domino gratiam meruit, ut non solum Latinae, sed etiam barbaricae locutionis cognitionem non parvam haberet. Cumque ejusdem templi solemnitas ageretur, venit multitudo non minima promiscui sexus et aetatis, non tantum propter festivitatis honorem, verum etiam ad videndos peregrinos, quos agnoverant advenisse. Ergo dum ad horam orationis concurrerent, jussu venerandi Abbatis Gallus coepit viam veritatis ostendere populo, et ut ad Deum converterentur, admonere : utque vanis abjectis, adorarent Deum Patrem, Creatorem omnium rerum : et Unigenitum ejus Filium, in quo est salus, vita et resurrectio mortuorum. Et in conspectu omnium, arripiens simulacra, et lapidibus in frusta comminuens, projecit in lacum. His visis, nonnulli conversi sunt ad Dominum, et confitentes peccata sua, laudes Domino pro sua illuminatione dederunt. Alii propter imaginum comminutionem irâ et furore commoti, gravi indignationis rabie turbidi recesserunt. Beatus autem Columbanus jussit aquam afferri, et benedicens illam, adspersit ea templum; et dum circuirent psallentes, dedicavit ecclesiam. Deinde, invocato nomine Domini, unxit altare, et beatae Aureliae reliquias in eo collocavit, vestitoque altari, Missas legitime compleverunt. Omnibus itaque rite peractis, reversus est populus in sua cum gaudio magno. Post haec permansit ibi beatus Columbanus cum commilitonibus suis tribus annis ; et aedificatâ inibi cellulâ, alii hortum laboraverunt, alii arbores pomiferas excoluerunt : beatus vero Gallus texebat retia, et misericordiâ Dei cooperante, tantam piscium copiam cepit, ut nunquam fratribus defuissent. Quinetiam adventantes peregrinos hujusmodi juvit solatio, et de eodem labore assiduas populo benedictiones exhibuit.

§ 7. Et dum quodam tempore retia sua mitteret in pelagus in silentio noctis, audivit daemonem magno vocis strepitu de vertice montis proximi vocantem quemdam alterum nominatim quasi in pelago commorantem ; cumque et is qui vocabatur, praesto se esse quasi de lacu responderet : « Consurge, inquit ille, in adjutorium mihi, ut peregrinos istos ejiciamus de his sedibus : quia ipsi de longe venientes, me de templo meo expulerunt, simulacra mea contriverunt, et populum, qui me sequebatur, post se averterunt. Commoveat te injuria quam patior, et hostes communes, unitis viribus, a nostris terminis arceamus; » et ipse respondit: « Heu quod de tuis calumniis narras, ex meo contempto percipio. Nam unus ex illis me in pelago premit, et mea devastat : cujus nec retia unquam corrumpere possum, nec ipsum decipere : quia invocatio divini nominis de ore ejus nunquam recedit. Qua munitus, continuâ vigilantiâ insidias nostras contemnit. Quapropter tam caustos bellatores fidei, nostrae non superabunt versutiae. » His auditis, Vir Dei munivit se undique signo Crucis, et dixit illis : « In nomine Domini nostri Jesu Christi adjuro vos, ut recedatis de loco isto, et

neminem hic laedere praesumatis.» Deinde cum ad litus festinanter redisset, Abbati suo quae audierat, nunciavit. Ille haec auditu percipiens, ecclesiam petiit, et signo pulsato, fratres convenire fecit. Prius autem, quam initium psallendi fecissent, auditae sunt dirae voces daemoniorum per montium summitates, et quasi discedentium ejulatus cum terrore confusus. Haec audientes Servi Dei, prostraverunt se in orationem, Domini postulantes protectionem, illique laudes et gratias persolventes, quia eos liberare dignatus est de terroribus malignorum. Interea nonnulli civium propter idolorum suorum abolitionem, praedicationis eorum monita contemnentes, coeperunt contra eos odia concitare, insidias machinari. Qua etiam intentione, locorum ipsorum Ducem, nomine Gunzonem, adierunt, et apud eum accusaverunt sanctos, dicentes venationem publicam in eisdem locis, propter illorum infestationem peregrinorum, esse turbatam. Quo audito, Dux furore succensus, missis nunciis, famulos Dei de loco eodem discedere jussit. Sed neque hoc sufficit satellitibus daemonum: quin etiam vaccam eorum furto abstrahentes, in invia ducunt silvarum. Quos cum duo de fratribus e vestigio insequuntur, consurgentes latrunculi interficiunt eos, et auferentes spolia eorum, discedunt. Mirati autem fratres, cur tamdiu differant redire, mittunt alios qui eos requirant. Illi vestigia eorum secuti, occisos eos inveniunt, et cadavera ipsorum suis humeris imponentes, ad Cellam reportant. Inter hos angustiarum et tristitiae fluctus, nuncius Ducis adveniens, de illo eos loco commeare praecepit; nec immerito: quia non est societas luci ad tenebras. Egit autem hoc arte sua diabolus, ut populum, quem in praesentia lucis amittere coepit, discedente sanctitatis fulgore, tenebris occuparet antiquis. Sancti igitur viri moleste ferentes, quod sede pellerentur amabili, consilio communi Italiam petere decreverunt; et dum nimio tenerentur dolore, sanctus pater Columbanus his verbis coepit eos consolari: « Invènimus quidem, fratres, his in partibus auream concham, sed venenatis serpentibus plenam. Cedat tamen tristitiae languor ex malis, quia certa est fiducia de auxilio protectoris. Deus enim, cui servimus, Angelum suum mittet nobiscum, qui nos perducat ad Agilulphum Longobardorum Regem, ubi ejus clementiâ praeparante, humanos affectus et pace plenum habitationis locum inveniemus. »

§ 8. Post haec igitur cum proficiscendi tempus instaret, beatum Gallum repentina febris invasit. Unde Abbatis sui pedibus advolutus, indicavit se infirmitate vehementi laborare, et ideo iter propositum non posse perficere. Ille vero existimans eum pro laboribus ibidem consummatis amore loci detentum, viae longioris detrectare laborem, dicit ei: « Scio frater, jam tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fatigari: tamen hoc discessurus denuncio, ne me vivente in corpore, Missam celebrare

praesumas. » Et cum ei licentiam per se conversandi dedisset, viam ingressus est abeundi. Post discessum magistri et sociorum, Gallus retia sua et sagenam navi imponens ad Willimarum presbyterum venit; et cum obtulisset ei retia, inter lacrymas et suspiria retexuit omnia quae gesta fuerant circa fratres suos. Deinde infirmitatis suae causas aperiens, rogavit eum, ut sui curam dignaretur habere. Qui suscipiens eum cum omni charitatis obsequio, domum vicinam ecclesiae ejus necessitati concessit, et duobus clericis suis Magnoaldo et Theodoro hanc sollicitudinem commendavit, ut cum omni diligentia ejus recuperationi servirent. Exactis aliquot diebus, Domino qui medicus est verus, medelam impertiente, coepit sumere cibos, et per incrementa temporum confortatus, perfectam adeptus est sanitatem. O infirmitatem, omni humano robore fortiorem! O febrem, omni laude colendam! O languorem, sanitati et gaudiis ascribendum! Exemplo enim Domini pro nobis Gallus doluit, ut animarum morbos praedicatione sacra depelleret. Ire cum magistro non potuit, ut nobis viam veritatis ostenderet. Vere patiens et misericors Dominus, in praedicatoribus suis jam pridem contemptus, dum conversionem peccatorum sustinet, doctorem, ne errantes deserat, retinet.

§ 9. Diaconus itaque saepedicti presbyteri, nomine Hiltiboldus, omnes erèmi semitas notas habebat et secessus: solebat enim piscium et accipitrum causa capiendorum saepius solitudinem pervagari, et secreta locorum uso quotidiano perdiscere. Huic cum vir sanctus familiaritatis suae gratiam praestitisset, quaesivit ab eo, an invenisset unquam in solitudine locum, aquis abundantem puris et salubribus, planitie stratum, et humanis cultibus opportunum: « Desiderio, inquiens, animi ferventis exaestuo, cupiens in solitudine ducere dies huic vitae concessos, juxta quod Psalmista pronunciat, dicens: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Exspectabam eum, qui salvum me faceret* (*Psal.* 54) et reliqua. Diaconus respondit: « Haec, o pater, solitudo aquis est infusa frequentibus, asperitate terribilis, montibus plena praecelsis, angustis vallibus flexuosa, bestiis possessa saevissimis. Nam praeter cervos et innocuorum greges animalium, ursos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes, rabie singulares. Timeo igitur, ne si te illuc induxero, ab hujusmodi hostibus devorèris. » Ad haec Vir sanctus: « Apostoli, inquit, sententia est: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII). Qui Danielem liberavit da lacu leonum, potest et me eripere de manu bestiarum. » Cui diaconus haec respondit: « Mitte in peram tuam cibaria, et rete parvissimum: cras enim introducam te in erèmum: et si inveneris locum tibi acceptabilem, age gratias Deo, et praecepti Dominici comple rigorem. Deus

autem, qui eduxit te de regione longinqua, ipse sicut Tobiae famulo suo comitem coelitus dedit, ita Angelum suum mittet nobiscum, et ostendet nobis locum desideriis salutaribus aptum. » Igitur vir beatus die eodem jejunus permansit, et usque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctavit. Dignum quippe erat, ut quod divino inchoabat amore, instantissima prece Domino commendaret.

§ **10**. Cum autem Lucifer suo processu noctis latibula detexisset, et sol inferiora dimittens, cursu consueto superiores orbis plagas inviseret, igneumque jubar ab orientis axe mortalibus demonstraret: Athleta Dei ea, quae ductor suus dixerat, secum sumens, cum orationis benedictione, illo praeeunte, viam aggressus est. Cumque per totum diem iter agerent, circa horam nonam dixit diaconus: « Pater, hora refectionis jam instat: sumamus paululum panis et aquae: quia ita confortati, viae quod restat, melius consumere poterimus. » Homo Dei respondit: « Tu, juxta necessitatem corporis refectionem percipe, fili: ego non gustabo quicquam, antequam Dominus mihi locum desideratae mansionis ostendat. » Et ille: « Sicut, inquit, socii sumus passionis, sic erimus et consolationis. » His dictis, coeperunt iter agere festinato, quia dies jam declinabat, et solari fervor appropinquabat occasui. Venerunt autem ad quendam fluviolum, qui Steinaha nominatur: ambulantesque per decursum ipsius, dum venissent ad rupem, de qua idem cum impetu descendens, gurgitem facit speciosum: ibi viderunt plurimos pisces, et imponentes retia sua, ceperunt eos. Igni deinde succenso, diaconus pisces assavit, et panem posuit super petram. Beatus autem Gallus, dum orandi gratia modicum ab illo divulsus esset, inter condensa veprium fruteta ambulans, et pede haerens, ad terram corruit. Quod diaconus videns, accurrit, ut sublevaret prostratum. Sed vir Dei praescius futurorum: « Sine me, ait, haec requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. » Et cum post orationem surrexisset, sumens virgam colurnam, fecit Crucem, et fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capsellam, in qua continebantur reliquiae beate Dei Genitricis Mariae, et sanctorum Martyrum Mauritii et Desiderii. Quam cum in ipsa Cruce suspendisset, vocavit diaconum, et prostraverunt se pariter in orationem. Tum vir venerabilis hujusmodi preces emisit: « Domine Jesu Christe, qui pro salute humani generis de Virgine nasci, et mortem subire dignatus es, ne despicias desiderium meum pro peccatis meis: sed in honore sanctae Genitricis tuae, et Martyrum Confessorumque tuorum praepara in hoc loco habitationem, tuis aptam servitiis. » Finita oratione, sole occumbente, finitus est dies, et ipsi tandem cum gratiarum actione cibum sumpserunt; rursumque Deo gratias exhibentes, straverunt sibi in terra, ut aliquantulum requiescerent. Sed Vir sanctus cum

comitem suum alto teneri somno putaret, surgens prostravit se in figuram Crucis ante capsellam, et preces Domino devotas effudit. Interea descendens ursus de monte, micas et fragmenta, quae convivantibus deciderunt, caute legebat. Hoc factum ut vidit homo Dei, dixit ad feram: « Praecipio tibi, bestia, in nomine Domini, tolle lignum et mitte in ignem. » Ad cujus praeceptum bellua conversa, validissimum lignum attulit, et igni injecit. At vir benignissimus ad peram accedens, de parvo cellario panem integrum famulanti porrexit, et accipienti ita praecepit: « In nomine Domini mei Jesu Christi ab hac valle discede, et hoc pacto montes et colles circumpositos habeto communes, ut nullum hic hominem, nil de pecoribus laedas. » Dum haec agerentur, diaconus dormire se simulans, quod vir Deo carus gessit cum bestia, considerabat, et surgens prostravit se ad pedes ejus, et dixit: « Nunc scio vere Dominum esse tecum, quoniam et bestiae eremi obediunt tibi. » Ille autem dixit ei: « Cave ne omnino hoc alicui dixeris, donec videas gloriam Dei. »

§ **11**. Nocte igitur exactâ, cum lux aurea silvarum illustraret opaca, diaconus ait: « Pater mi, quid facturi sumus hodie? » At ille respondit: « Obsecro te, fili, ne moleste feras quod dico: Quia Dominus nos fecit, quod quaesivimus, invenire, hunc etiam diem in hoc loco ducamus. Tolle rete, et ad gurgitem vade; ego quoque post te quantocyus ibo. Forsan Dominus solitam nobis largitatem ostendet, ut regredientes ad castrum, offeramus patri nostro presbytero de hoc loco benedictionem, quam Dominus nos invenire donavit. » Diaconus respondit: « Gratum habeo, quod praecipis, pater. » Et surgens cito cum invocatione nominis Domini, assumpto retiaculo, perrexit ad fluvium. Cumque illud in gurgitem mittere voluisset, duo daemones in effigie mulierum steterunt in litore, ita nudati, quasi balneum intrare voluissent. Et cum turpitudinem sui corporis illi objicerent, tollentes lapides, jactaverunt contra eum, et dixerunt: « Tu induxisti virum istum in hanc eremum, virum iniquum et invidia plenum, qui suis maleficiis semper nos vincere consuevit. » Ille autem reversus ad Virum Dei, indicavit illi quae viderat et audierat. Electus Dei bellator pariter cum diacono prostravit se, et hujusmodi verbis Dominum deprecatus est: « Deus omnipotens, ineffabilis bonitas, inaestimabilis majestas, secundum misericordiam tuam, non secundum merita mea, auditu placido has suscipe preces. Jube hos daemones hunc locum deserere, ut sit sanctificatus in honore nominis tui. Surgentes ab oratione, venerunt ad gurgitem, et continuo daemones in fugam conversi, ierunt per decursum fluvioli contra proximum montem. Sanctus vero Gallus dixit illis: « Praecipio vobis, phantasmata, per immensae potentiam Trinitatis, ut hunc locum deserentes, in montes desertos eatis, et huc revertendi ulterius non habeatis fiduciam. » Deinde mittentes

in gurgitem rete, ceperunt pisces quantos volebant; et dum pisces de maculis lini absolvunt, audiunt, in summitate montis voces quasi duarum mulierum defunctos plangentium, et dicebant ad invicem: « Heu quid faciemus, aut quo pergemus? Peregrinus hic inter homines nos habitare non sinit, in erèmo quoque manere non patitur. » Non solum autem tunc hae voces auditae sunt, verum etiam postmodum tribus vicibus, dum ipse diaconus saltum accipitres ad capiendos intravisset, audivit daemonia de quodam monte, qui Himilinberg dicitur, clamantia, et utrum adhuc Gallus esset in eremo, sciscitantia, vel si jam discessisset.

§ **12**. Igitur post discessum daemonum, dum fideles illi erèmi dilectores vallem lustrarent, videntes inter duos fluviolos multa desiderabilia, silvam speciosam, montes per gyrum, planitiem in medio, probaverunt locum ad aedificandum Cellam optimum esse. Et recordatus Vir sanctus sententiae, quam Jacob post visionem scalae et Angelorum ascendentium et descendentium per eam protulit, dixit: *Vere Dominus est in loco isto* (*Gen*. XXVIII). Erat autem usque ad illud tempus in eadem valle plurima serpentium multitudo. Porro ex illa die tam pleniter abscesserunt, ut postea ibi non comparerent. Congruit hoc miraculum cum prioribus. Nam diabolo inde expulso, dignum erat, ut animal, per quod hominem deceperat, habitationi cederet sanctitatis.

§ **13**. Cumque reversi fuissent ad locum primae stationis, ubi pridem vir Dei Cruciculam defixerat, diaconus dixit ad eum: « Sumentes peram et rete, regrediamur ad castrum;» et ille: «Tu, inquit, fili, ut placet, ad propria revertere: ego vero his in locis aliquantisper moratus, post triduum, Domino duce, te subsequar. » Diaconus dixit: « Nequaquam, te absente, remeabo ad patrem nostrum, ne forte dicat te propter spolia a me interemptum: vel si homicidium negare voluero, haec mihi objiciat: Cur illum dimisisti in solitudine? cito reversus, educ eum ad me. Et erunt mihi duo pariter, labor duplicatus, et manifesta confusio. » Ad haec Vir sanctus respondit: « Vade, fili: ego post vestigia tua quantocyus properabo. » Quo abeunte, Athleta Dei toto triduo ab omni victus adjumento corporei, jejunus permansit: ut videlicet locum, quem spirituali militiae providebat, parsimoniae consecraret initiis. Quarto itaque die erèmo digrediens, domum revisit presbyteri, et inter amicae salutationis officia, gratias Deo pro omnibus bonis, quae ei ostendit, cum debita laude persolvit. Presbyter autem suscipiens illum cum gaudio, jussit mensam apponi: et cum consedissent, benedicentes Deum, cum gratiarum actione cibum sumpserunt, et inter prandendum diaconus dicit presbytero: « Si ursus adesset, fortassis Gallus porrexisset illi benedictionem. » Interrogantique unde hujusmodi verba proferret, narravit omnia quae gesta erant in erèmo. Ex

illo die et deinceps habuerunt eum sicut prophetam et virum sanctum, quotidie meritorum ejus magnitudinem per vitae illius asperitatem et virtutum studia metientes. Interea illis commanentibus, nuncius venit ad presbyterum, indicans Constantiensem Episcopum, Gaudentium nomine, de hac vita migrasse. Hoc audito, unanimo fervore pro requie defuncti pastoris precibus et lacrymis institerunt.

§ 14. Septima post haec die Gunzonis Ducis epistola venit ad presbyterum, praecipiens illi, ut die duodecimo ad Iburningas * villam veniret, et virum Dei secum adduceret. Nam filiam ejus, nomine Fridiburgam, quae illi erat unica, singulari pulcritudine fulgens, spiritus invasit malignus, a quo dum diversis torqueretur molestiis, pene continuam toleravit inediam; et saepius terrae prostrata, inter spumas horribiles miserabili volutabatur insaniâ, adeo ut vix quatuor virorum teneri posset instantia. Post triginta autem dierum circulum, ex quo ei hoc accidit, coepit ille habitator malignus per eam diras emittere voces. Hanc ob causam pater ejus nuncios misit ad Regem Sigebertum, Theodorici filium, qui eam habuit desponsatam, ut ei nunciarent, quicquid circa puellam agebatur. Rex vero cum omni festinatione misit duos pontifices, de quorum meritis potissimum praesumebat, cum donis regiis ad puellam, ut eam medicamine orationum a furoris vesani languore sanarent. Igitur Willimarus presbyter, volens tempore per epistolam definito ad Ducem venire, dixit beatissimo Gallo: « Scis Ducis mandatum? eamus ad illum.» Et ille: « Tuum est, inquit, hoc iter, non meum. Tu ergo proficiscere. Quid mihi cum principibus seculi? nam in erèmum, unde exivi, revertar. » — « Noli, ait, ita agere, sed perge mecum, ne forte Dux, qui in vexatione filiae nimium contristatur, irâ commotus mittat satellites, teque vinctum illuc faciat perduci. » Vir Deo plenus, respondit: « Vadam prius ad Cellulam meam, ut provideam utilitatem et necessaria fratrum, qui ibi sunt Domino servituri.» Hoc idcirco dixit, ne ad principem iret. Et consurgens, ad electae pridem habitationis locum miles Domini tendebat egregius. Sequenti die fratribus, qui secum erant, interdixit, ne quis eorum cuipiam quo pergeret, indicaret. Sed etsi curiosius interrogati fuissent a quoquam, jussit ut eum per epistolam magistri sui Italiam dicerent invitatum. His dictis, sumens secum duos de discipulis suis, per solitudinem Rhetiam Curiensem ** commeavit. Cumque proximum montem transcenderent, venerunt in eremum, quae Sennia nominatur. Indeque ad proximum vicum, qui dicitur Quaradanes ***, digressi, repererunt ibi Joannem diaconum, virum justum et Deum timentem.

* Germanice, *Uberlingen*.
** Italice, Coira vel *Cantone de' Grigioni*, quorum Curia est urbs praecipua.
*** Germanice *Grabs*.

Isque recepit eos hospitio, et omni fovit humanitatis obsequio. Finxerunt enim se de longe tunc venisse, et apud eum manserunt septem diebus.

§ **15**. Porro cum saepedictus presbyter, hospes sanctorum, audisset Virum Dei de cellula discessisse, navem conscendens, ad Ducem transfretavit, et quae circa hominem Dei facta fuerant, indicavit. Dux vero, ut cito reverteretur, illi imperavit, et missis post Virum Dei legatis, eum advenire devote rogarent; et adjiciens: Si enim, inquit, per ejus orationes filiam meam Dominus a daemonio liberaverit, dabo illi pontificatum Constantiensis ecclesiae, et insuper eum copiosis praemiorum muneribus honorabo. Ille promittens se, ut jubebatur, acturum, sicubi eum, qui desiderabatur, invenire potuisset, ratem petens, ad propria remeavit. Interea pontifices a Rege transmissi, venerunt et invenerunt ipsam quidem puellam nimio laborantem furore, parentes autem ejus, omnemque familiam et propinquos flentes super eam, et miserabili moerore depressos. Tota enim domus unâ clade contabuit. Puella vexabatur insaniâ, caeteri torquebantur tristitiâ. Postquam ergo ingressi, pontifices, munera a Rege directa praesentarunt, preces in conspectu puellae fuderunt ad Dominum. Illa vero tenentium manibus se excutiens, uni eorum gladium abstulit, volens Episcopos interficere; et cum id non posset efficere, spiritus immundus uni eorum dixit: « Si volueras me, sicut Regi promisisti, de hoc vasculo propulsare, cur filiam tuam, quam nonna illa de te concepit et genuit, non fecisti tecum venire? » Deinde ad alterum: « Et tu, inquit, cum tribus feminis fornicationem commisisti. Vestro quidem imperio, quod nullo sanctitatis merito roboratur, nunquam egrediar. Est vero quidam Vir magnae apud omnipotentem Deum virtutis, nomine Gallus, qui me de Tucconia, ubi diu optatâ quiete potitus sum, potenter ejecit, domosque meas audenter destruxit. Postmodum inveniens me apud Brigantium commorantem, eadem virtute exhaeredavit. Porro quia Dux iste eum de eodem expulit loco, in ultionem ejus injuriae puellam istam arripui: de qua possessione, nisi ipse advenerit, nullatenus amovebor. » Unus deinde pontificum dedit furenti alapam, dicens: « Obmutesce, Satana, desertor veritatis, falsitatis amator et auctor. » Putavit enim eum de gallinacio dicere gallo. Et dum spiritus nequam pluribus eos verborum injuriis affecisset, manserunt ibi tribus tantum diebus: ac deinde ad sua reversi, nunciaverunt omnia, quae gesta fuerant, Regi.

§ **16**. Presbyter vero cum secundum jussionem Ducis, Virum Dei fuisset e vestigio prosecutus, reperit eum in spelunca, animum suum lectionis consolatione pascentem; et accedens, salutavit humiliter, et dixit ad eum: « Ne timeas, serve Dei, ad Ducem venire. Sub testificatione enim jurisjurandi promisit, se nullam tibi irrogaturum injuriam. Sed et cum posueris manum tuam

super caput puellae, si ab ea per orationes tuas spiritus immundus abscesserit, in sede Constantiensi pontificatus te sublimabit honore. » Dum de hujuscemodi colloquium rebus haberent, superveniens Joannes diaconus, secundum consuetudinem obtulit ei panes azymos et laguncularn vini, oleum et butyrum, et mel in vasculis cum piscibus assis. Vir Dei cum eum venire cognovisset, gratias egit Deo, gaudio plenus. Discubueruntque tres convivae fidissime, et cum gratiarum actione dona Domini perceperunt. Inter haec Vir sanctus presbytero, Duc, ait, nobiscum noctem instantem, et crastina die tecum, Domino volente, proficiscar. Cumque huic consensum persuasioni praebuisset, ad Virum Dei diaconus dixit: « Mane primo diluculo huc veniam, et adducam mulum meum stratum, ut simul ire possitis. Ego vero cultor ero speluncae, et eam cura diligenti custodiam. » Sanctus Gallus respondit: « Bene dixisti, fili; et ego quidem viâ, qua veneram, per erèmum regrediar ad cellulam meam, et visitabo fratres: postmodum vero, quam citissime potuero, ad castrum properabo. » Presbyter ergo adjuratione valida constrinxit eum, ut nequaquam faceret contraria dictis. Et abscesserunt pariter. Joannes quoque, acceptâ benedictione, rediit in domum suam. Cumque Vir beatus recto itinere pervenisset ad cellulam, requievit ibi nocte illâ cum fratribus. Mane autem sequenti, sumptis secum duobus fratribus, perrexit ad castrum, reperitque inibi cum presbytero Ducis missum, qui eos cum omni festinatione ire deposceret: qui etiam indicavit puellam continuato jam triduo sine alimonia perdurare. At illi, naviculâ conscensâ, totis nisibus ire festinantes, ligno natatili profundi terga sulcante, nocte proxima pervenerunt ad Ducem.

§ 17. Cumque devictis profundae noctis tenebris sol terris cum jucunditate serenum restitueret diem, jussit eos Dux venire in cubiculum, in quo arreptitia servabatur. Jacebat autem tunc in sinu matris suae, oculis clausis, ore hianti. Membra quoque ejus ita erant disjecta, ut quasi mortua videretur. Foetor vero tam gravis oris prorupit ex adyto, ut sulphure locus ipse adspersus putaretur. Pater itaque cum domesticis suis intravit, ut videret, quid Vir Dei esset acturus. Ille de Domini largitate certissimus, humiliter se prosternens, has preces Domino cum lacrymis fudit: « Domine Jesu Christe, qui pro salute humani generis carnem sumere, et per Virginem nasci dignatus es; qui ventis et mari imperasti, diabolum etiam, calliditatis suae fraudibus insistentem, retro ire jussisti, quique passione tuâ mundum redimere, et libertati restituere dignatus es, jube hunc immundissimum spiritum de puella hac pro tui gloria nominis exire: ut plasma tuum superbus invasor deserat, et tibi Creatori suo creatura tua gaudens deserviat. » Et cum surrexisset ab oratione, apprehensâ dexterâ ejus, allevavit eam; spiritus enim malignus

conturbaverat eam; et impositâ manu super caput ejus, dixit: « Impero tibi, in nomine Domini nostri Jesu Christi, spiritus immunde, ut exeas et recedas ab hoc plasmate Dei. » Et cum haec dixisset, aperiens illa oculos, respexit in eum, et spiritus malignus his verbis eum allocutus est: « Tu ne es, ait, Gallus, qui de habitationibus me expulisti prioribus? Ego plane ob ultionem injuriae, quam Dux iste tibi et sociis tuis irrogavit, filiam ipsius invasi, et sic ejicis me? Si hinc exiero, quo vadam? » — « Illuc, ait, ut tibi paratur in abysso supplicium sempiternum a Domino. » Et statim videntibus, qui aderant, exivit de ore puellae quasi avis nigerrima, et horrore terribilis. Horâ eàdem, sana surrexit, et a Viro Dei gaudens gaudenti reddita est matri.

§ **18**. His ita patratis, Dux jussit ei offerri dona, quae Rex puellae transmiserat et insuper ut apicem pontificatus gradus dignaretur assumere, postulavit. Ad quod Vir beatus ita respondit: « Vivente domino et patre meo Columbano, interdictum altaris officium non usurpabo, nisi ab illo permissus. Quare hujus regiminis pondus, quod offers, subire non possum. Quod si hoc indubitanter fieri cupis, sustine interim, donec mittam epistolam ad Abbatem meum, ad insinuandam illi voluntatem tuam: et si ejus permissum cognovero, tunc demum oblatum curae pastoralis onus suscipiam. » Et Dux ad illum: « Bene, inquit, dixisti: fiat secundum verbum tuum; » et dimisit eum cum pace. Ille, sumptis, quae donata fuerant, remigando pelagus superavit. Dux autem sanctitatis ejus tam manifesto compunctus indicio, jussit Arbonensi praefecto, ut cum omni plebis officio iret ad locum Cellae, et quaecumque necessitas poposcisset aedificia, juxta Viri Dei dispositionem, construeret. Venerabilis ergo pater post celeuma * celebratum, cum Arbonense castrum intraret, fecit convenire omnes pauperes et egenos, et dona quae detulerat, illis distribuit. Haec videns quidam discipulus ejus nomine Magnoaldus, dixit ad eum: « Pater, habeo vas argenteum pretiosum, celaturis insigne. Si vis, reservabo illud, ut sacri vasa ministerii, ex eo faciamus. » Ille respondit: « Fili, memor sententiae beati Petri Apostoli, quam paralytico speranti pecuniam protulit, *Argentum*, inquiens, *et aurum non est mihi*, ne contrarius exemplo inveniaris salubri vas, quod possidens, pauperibus conferre curato. Nam praeceptor meus beatissimus Columbanus in vasis aeneis Domino solet sacrificium offerre salutis: quia fertur et Salvator noster clavis aereis Cruci confixus. » His omnibus expletis, reversus est ad dilectae solitudinis aulam.

§ **19**. Deinde misit epistolam ad Joannem diaconum, rogans eum ad se venire, Qui cum dilecti magistri litteras accepisset, tulit quod pro benedictione offerre poterat, et venit ad eum; et

* *Celeuma* dicebatur cantus vel concentus remigantium.

oblatis eulogiis *, salutavit patrem, et salutatione paterna est honoratus. Cui interroganti Virum sanctum de prosperitate itineris ejus, ille respondit: « Divinâ nos praeveniente misericordiâ et subsequente, cuncta prospere provenerunt. Nam cum summa gratulatione suscepit nos Princeps, et eripuit Deus filiam ejus a daemonio; et ipse dedit nobis dona non modica, et insuper obtulit mihi Episcopatus honorem. Ego vero non consensi suscipere ante praeceptum Abbatis mei. Ergo, fili, acquiesce consiliis meis; esto mecum, et lege divinae libros scientiae, et docebo te cooperante gratiâ Dei, intelligentiam Scripturarum. » Cecidit autem diaconus ad pedes ejus, gratias agens, fecitque redire in sua pueros qui secum venerant: ipse vero remansit apud Virum venerabilem; et ille coepit eum introducere in cellaria Scripturarum, ostendens ei novi et veteris occulta thesauri. Supernâ itaque illustratus clementiâ tanti magisterii profecit instantiâ, adeo ut in omni Scripturae divinae latitudine nobiliter eruditus, laboris paterni fructus ostenderit.

§ **20**. Sigebertus igitur Rex cum audisset puellae redditam sanitatem, mandavit patri ejus, ut eam suis conspectibus exhiberet. Qui sumens dona ingentia, et puerorum multitudinem ac puellarum, cum magno suorum comitatu duxit eam usque ad Rhenum: indeque per comites ad Regem transmisit. A quo dum gratanter suscepta fuisset, interrogata quomodo suae remedium consecuta esset infirmitatis, cum per pontifices ad hoc missos sanitati non posset restitui, hanc reddidit rationem: « Domine mi, inquiens, est Vir quidam in provincia, quam huc ducta reliqui cujusdam incola solitudinis de gente Scotorum, nomine Gallus, tantae apud Deum virtutis et meriti ut adversus daemones singulari quadam utatur potentia. Nam cum ego ancilla tua gravi vexatoris instantiâ periculosum vitae nutantis finem pene subire, rogante patre meo, idem Vir Dei supervènit, et signo vexilli salutaris me muniens, imperiosa voce jussit exire tyrannum. Et videntibus cunctis, qui aderant, exivit de meo ore quasi corvus colore piceus, horrore tartareus. Cumque sacrificii coelestis me pabulo confirmaret, pristinae restituta sum sanitati. » His ita relatis, puella procidens ad pedes Regis: « Obsecro, ait, domine, ut Virum ipsum tuae gratiae foveas lenitate, et pro me dignas illi gratiarum actiones rependere non graveris. » Interrogavit autem eam, in qua eremo Vir mansitaret eximius, et illa respondit: « In saltu, qui Arbonensi territorio adjacet, et est publici possessio juris: situs autem inter Alpes Rhetiarum et Brigantini marginem lacus. » Rex igitur, ut audivit in publicis eum commorari possessionibus, jussit fieri conscriptionem

* Antiquitus, *Eulogiis* panis benedictus significabatur, qui, post Missam, Christifidelibus, qui Sacram Synaxim non sumpserant, distribuebatur: interdum etiam, ut in S. Cyrillo videre licet, hoc vocabulum pro ipsa Ss. Eucharistia accipiebatur. Sequentibus vero temporibus, idem sonabat ac munus vel oblatio.

firmitatis, ut Vir sanctus locum, quem incolebat, per auctoritatem regiam obtineret. Auri quoque libras duas, et argenti pondo totidem cum epistola concessionis jam dictae, per suos nuncios Viro Dei destinavit, se sacris ejus orationibus commendans attentius; Gunzoni autem Duci praecipiens, ut si solitudinis incola vellet, solatiorum ei copiam ad aedificandam Cellam subministraret.

§ **21**. Non multis in medio revolutis diebus, volens Rex idem puellam suis thalamis sociare, celebri edicto sacerdotum et principum suorum senatum, nuptiarum praecepit adesse solemniis. Cumque stipatus agmine procerum, introisset ubi ipsa manebat, dixit illi : « Ascendamus in palatium : nam nuptiae paratae sunt : sacerdotes et capita populorum cum benedictionibus congruis advenerunt.» Quibus illa auditis, cecidit ad pedes ejus, dicens : « Mi domine, quia praeterita passio suo me pondere tabefecit, vires absorbuit valetudo contraria, membrorum officia aegritudine sunt resoluta : da mihi vel septem dierum inducias, ut aliquatenus virium detrimenta recuperem, et sic tuis possim applicari conspectibus. » Quam petitionem dum Rex pie susciperet, ad palatium remeavit, illa in privato commorante cubiculo. Fiebat autem utroque in loco ingens apparatus laetitiae, admirantibus multis, cur tamdiu divisi, convivio distulissent connubia. Transactis interea septem diebus, circa matutinum officium puella cum duobus viris totidemque puellis ecclesiam beati Stephani protomartyris introivit, et secedens post januas templi exuit se vestimentis regalibus, et habitum propositi sanctioris assumpsit, nescientibus hoc viris, qui pariter cum illa advenerunt. Deposito ergo terrenae dignitatis amictu, sanctimoniae nitorem cum quodam sui secuta contemptu, accessit ad altare, et in faciem proruens, Dominum studiosius adoravit ; ac deinde cum se erigeret, cornu comprehendit altaris, et hujuscemodi voces emisit : « Beate Stephane, qui sanguine tuo testimonium Christo perhibuisti, deprecationem meam tuis meritis Domino commendato, ut tuâ intercessione hodie cor domini mei Regis convertat secundum voluntatem meam, ne velamen, quod amore Dei suscepi, auferat de capite meo.» Viri ergo qui erant cum illa, haec videntes, venerunt ad Regem, et nunciaverunt ei quae facta fuerant. Et ille advocans sacerdotes et quosdam principes suos, coepit inquirere ab eis quid super hac re faciendum censerent. Cyprianus Arelatensis Regi respondit : « Quia, ut liquido claret, puella haec cum a daemonio erueretur, hoc se voto, quod perfecisse videtur, constrinxit, cavendum tibi est, ne forte si irritum feceris votum ejus, redivivo daemonum comprimatur incursu, et sint illi novissima pejora prioribus ; tu vero tanti criminis reatum incurras. » Rex ergo justitiae tenax, et timore Domini plenus, huic consilio devotae mentis pandit assensum ; et

ingressus ecclesiam, fecit afferri vestem nuptiis praeparatam, et coronam sponsae nitoribus imponendam. His allatis, dum puellam ad se jussisset accedere, sponsa Dei jam Agni comitatibus haerens, avelli non potuit ab altari: quia se timebat de ecclesia protrahendam. Cumque instantius arae cornibus inhaereret, Rex eam, ne timeret, admonuit: « Hodie, inquiens, per omnia tuae voluntatis videbis effectum. » Porro illa inter spem et metum posita, caput super altare reclinans: « Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum voluntatem ejus. » Rex vero jussit sacerdotibus ut elevarent eam, et ad se perducerent. Quo facto, induta est, illo jubente, veste regali, et sacro velamine coronata. Intuitus autem eam Rex religiosus, dixit illi: « Ecce meis te nuptiis praeparatam, sponsi coelestis, Domini nostri videlicet Jesu Christi, cedo complexibus; » et dexteram ejus comprehendens, posuit in altari, deinde ecclesiae limen excedens, lacrymis absconditum patefecit amorem. Post haec vocavit eam, et juxta se fecit in palatio residère, et donis ingentibus honoratam, praetulit monasterio ancillarum Dei, quod in honore beati Petri principis Apostolorum constructum est in Metensium * civitate, ubi gesta sunt universa quae proxima narratione retulimus. In his autem omnibus perficiendis secuta est puella consilium beatissimi Galli, qui eam, Domino auxiliante, a daemonio liberavit.

§ **22**. Per idem tempus Joannes diaconus perseverans apud venerandum patrem, prudentiam, quae in eo coelitus abundabat, studio sitienti potavit, in absolutione, dumtaxat difficilium Scripturae divinae quaestionum, et intemeratae fidei ratione. Operis quoque quotidiani, quod idem egregius Apostolicae districtionis imitator sedulâ accelerarat instantiâ, non solum dilexit scientiam, verum etiam comprehendit. Gratiâ enim illustratus divinâ, quicquid vel visu vel auditu percepit, altae memoriae, et, ut ita dixerim, armario cordis celer inseruit: et sub hujus magisterii disciplinâ, cum omni mansuetudinis et humilitatis custodiâ, triennium duxit.

§ **23**. Post haec Dux saepe jam dictus per epistolam suam virum Dei rogavit, ut ad Constantiam oppidum perveniret, ad eligendum qui eidem sedi praeficeretur, antistitem. Advocavit autem Augustudunensem ** et Virdunensem *** Episcopos cum multitudine clericorum. Nemidone **** etiam, quae a modernis Spira vocatur, venire fecit Episcopum; necnon per nuncios et epistolas suas totius Alemanniae presbyteros, diaconos, universasque clericorum copias, generaliter die denominatâ, id est, proxima Paschae Dominica, apud Constantiam convenire praecepit. Ipse quoque cum principibus et comitibus suis huic intererat

* Gallice, *Metz*. ** Gallice, *Autun*. *** Gallice, *Verdun*.
**** Nomen videtur corruptum, pro *Nemeto*, vel *Noriomago*; ita enim a Romanis *Spira* nuncupabatur.

conventui. Cumque haec synodus tantae multitudinis celebraretur accessu, et trium spatio denunciaretur futura dierum, beatissimus Gallus, divino plenus consilio, assumptis Joanne et Magnoaldo, diaconatus officio sublimatis, perrexit ad oppidum; ingressoque eo locum concilii, Dux hujusmodi verba profudit: « Deus omnipotens, cujus providentiâ totum corpus Ecclesiae augmentatur et regitur per interventionem et meritum beatae Mariae semper Virginis, in cujus honore locus iste consecratus est, effundat hodie super nos Spiritum Sanctum ad eligendum pontificem, qui ad regendam plebem fidelium sit idoneus, et ad gubernandam Ecclesiam Dei pastorali sit diligentiâ plenus. » Admonuit deinde pontificem et omnem clerum, ut juxta saluberrima canonum decreta, rectorem Ecclesiae providerent. Coeperunt autem omnes Clerici ad invicem dicere: Gallus iste testimonium habet bonum ab omnibus qui ejus vitam noverunt. In Scripturis divinis scientiae culmen obtinuit, et in omni vitae honestate sapientiae luce refulget; justitiae autem vitae, castitatem corporis sociavit, mansuetudinem cum humilitate possedit; continentiae vero salutari patientiam junxit. Largitor est eleemosynarum, orphanorum pater, in viduarum solatiis àlacer. Hunc omnium sectatorem virtutum decet esse pastorem populorum. His auditis, Dux dixit ad illum: « Audis, quid isti loquuntur et affirmant? » Sanctus Pater respondit: « Bene quidem dicunt: utinam verum esset, quod fatentur. Cum autem invicem talia tractant, nesciunt in canonibus esse prohibitum, ne aliqui de locis suis commigrantes, aliis facile ordinentur in locis. Est vero mecum diaconus quidam nomine Joannes, vicinorum indigena locorum, cui merito testimonium, quod isti mihi dederunt, potest aptari. Hunc divino credens electum judicio, vobis offero, promovendum. »

§ 24. Cumque hac attestatione Vir sanctissimus in Joannem cunctorum concitaret amorem (neque enim aliud de illo credere poterant, quam quod Vir Deo carus asseruit), Dux diaconum venire fecit in medium: « Tu es, inquiens, Joannes diaconus? » Et respondit: « Ego plane. »—« Unde, ait, ducis propaginem generis? » Et dixit: « In Rhetia Curiensi mediocri natalium dignitate sum procreatus. » Dux vero ad illum: « Potesne, inquit, pontificalis infulae pondus subire? » Tunc venerabilis Gallus se pro filio responsurum promisit. Et dum haec mutuo sermonum commercio pertractarent, subtraxit se diaconus, et fugiens, latibulum quaesivit in ecclesia sancti Stephani Martyris, quae est extra oppidum. Secuti sunt autem sacerdotes cum plebe, et apprehensum lacrymis perfusum felicibus, licet renitentem, in praesentiam Pontificum pertraxerunt et Ducis; et levaverunt omnes pariter vocem, dicentes: Joannem elegit sibi Dominus pontificem hodie; et respondit omnis populus, *Amen*. Episcopi itaque duxerunt eum ad altare, et solemni benedictionis officio ordinaverunt antistitem.

Consummatoque sacrae promotionis ministerio, rogaverunt eum sacrificii salutaris celebrare mysteria. Praemissis ergo ex more divinae libationis initiis, post lectionem Evangelii rogaverunt venerabilem Gallum, ut multitudini, quae aderat, verbi officio sacrae instructionis pabulum ministraret. Qui, assumpto Joanne Episcopo, gradum ascendit, eo videlicet pacto, ut ipse quidem aedificationis instrumenta colligeret, Episcopus vero ad utilitatem barbarorum bene prolata interpretando transfunderet. Coepit ergo verbum facere de initio creaturarum, et Adae peccatum, pro quo depulsus est de paradiso, commemorare. Transiens inde ad diluvium, patriarcharum consequenter tempora perstrinxit et actus. Egressum quoque filiorum Israël de Aegypto, et transitum per mare Rubrum, legisque lationem per Moysen, et coelestis alimenti miracula replicavit. Regum deinde successiones et tempora prophetarum breviter attingens, adventus Dominici tempus retexuit. Baptismum etiam Salvatoris, et mirabilium ejus gloriam commemorans, Crucis ignominiam cum impiis insectationum generibus veraci relatione subjunxit. Haec audientes Ecclesiae pastores, cum populi multitudine lacrymas fuderunt uberrimas, et ad invicem dixerunt: Vere Spiritus Sanctus locutus est hodie per os viri istius. Ille vero praedicationem perduxit usque ad resurrectionem Christi, et in commemoratione generalis judicii terminavit. Omnes ergo, qui aderant, alacri mentis exultatione repleti, benedicebant Dominum, et ad sua cum gaudio remeabant. Doctor itaque venerabilis manens apud Joannem Episcopum septem diebus, inter multa salutiferae consolationis verba, haec saepius inculcavit: « Quem Deus elegit, homo non despiciet: sed erit omnium veneratione sublimis, quem divinum commendat judicium. » Deinde acceptâ ab eo benedictione, reversus est ad Cellulam suam. Episcopus autem jussit his, qui rebus Episcopii praeerant, ut ad Virum Dei cum sibi subjectis venirent, et ejus obtemperarent jussioni. Post haec tanto studio charitas mutua servabatur utrinque, ut spiritalis glutino clientelae sibi semper cohaerentes, solo corpore viderentur divisi. Magister paternâ sollicitudine, precibus et consilio salutari matheten * refovebat: ille vero paterno honore et omni necessitatum subsidio didascalum ** sublevabat. Sicque sacra piorum societas aucto crescebat honore, et multiplicato commendabatur amore.

§ **25**. Tempore subsequenti coepit virtutum cultor eximius oratorium construere, mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum fratribus, quorum jam duodecim monastici sanctitate propositi roboratos, doctrinâ et exemplis ad aeternorum desideria concitavit. Quadam itaque die, dum post laborem matutinalis officii quiescendi gratiâ lectos suos reviserent, primo diluculo Vir Dei vocavit Magnoaldum diaconum suum, dicens illi:

* Seu, *discipulum*. ** Seu, *magistrum*.

« Instrue sacrae oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria. » Et ille: « Num, inquit, tu pater Missam celebrabis? » Dixit ergo ad illum : «Post hujus vigilias noctis cognovi per visionem dominum et patrem meum Columbanum de hujus vitae angustiis hodie ad paradisi gaudia commigrasse. Pro cujus itaque requie sacrificium salutis debeo immolare. » Et signo pulsato, oratorium ingressi, prostraverunt se in orationem, et coeperunt Missas agere, et precibus insistere pro commemoratione beati Columbani. Finito sacrae devotionis officio. venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum diaconum : « Fili, non tibi grave videatur petitionis meae pondus : sed arripe viam et Italiam petito, pertransiensque usque ad monasterium, quod Bobium nominatur, diligenter perquirito, quid actum sit circa Abbatem meum. Nota ergo diem et horam, ut si eum compereris esse defunctum, possis agnoscere, utrum visio mea veritatis fulciatur effectu. Haec ergo omnia sollicitâ investigatione perdiscens, regressus nunciabis mihi. » Diaconus ad pedes magistri provolutus, ignotum sibi iter esse conquestus est: sed Vir beatus voce blandâ eum, ne timeret, admonuit: « Perge, inquiens, et Dominus diriget gressus tuos. » Hac consolatione roboratus pii doctoris alumnus, praecepto paruit, et accepto benedictionis viatico, viam festinanter aggressus est. Cumque pervenisset ad monasterium, ut volebat, invenit omnia ita contigisse, sicut Patri suo per visionem fuerant revelata. Mansit autem ibi unâ nocte, et accepit a fratribus epistolam ad beatum Gallum, continentem venerandi transitum Columbani. Qui et baculum ipsius, quem vulgo cambotam vocant, per manum diaconi transmiserunt, dicentes sanctum Abbatem ante transitum suum jussisse, ut per hoc notissimum pignus Gallus absolveretur. Dimissus autem ab illis, iter acceleravit, et prospere in omnibus agens, die octava pervènit ad dominum suum et patrem, ferens epistolam relationis, et absolutionis indicium. Lecta epistola, S. Gallus carissimi patris amorem pleno retinens corde, lacrymas profudit uberrimas, et collectis fratribus, causas moeroris aperuit. Deinde tanti patris memoriam precibus sacris et sacrificiis salutaribus frequentarunt.

§ **26**. Contigit autem quadam die, dum in construendo oratorio cum fratribus laboraret, ut tabula quaedam parieti imponenda, brevior caeteris mensura palmorum quatuor apparèret. Quam dum ejusdem operis artifices vellent abjicere, beatus Gallus virtutis, quam in Domino habebat, sibi conscius, jussit eos ab opere disjungere, et domum ad percipiendam secum refectionem, quam Dominus praeparavit, intrare. Quibus secundum jussionem ejus facientibus, benedictum panem manu sua porrexit. Post prandium autem, cum omnes opus repeterent imperfectum, invenerunt tabulam, quam propter sui brevitatem pridem abjicere

voluerunt, caeteris omnibus longiorem mensurâ dimidii pedis : et admiratione de eo, quod evenerat, habitâ, lignum quod mirabili creverat modo, in loco suo parieti aptaverunt. Quod ipsum longo deinceps tempore a fidelibus expetitum, Domino faciente, dentium doloribus efficaciter medebatur, praeter antiqui commemorationem miraculi, novis semper effectibus honorandum. In quo facto meritorum ejus magnitudinem, et orationis possumus pensare virtutem: quia et lignum aridum contra naturam incrementis auctum est, et ne vetus aboleretur miraculum, redivivâ signorum attestatione semper est repetitum.

§ 27. Post haec Abba monasterii, quod Luxovium dicitur, nomine Eustachius, quem bonae memoriae Columbanus eidem loco praefecit, ab hujus exsilio vitae ad supernam patriam commigravit. Fratres ergo in eodem coenobio constituti, consilium inierunt, ut venerabilem Gallum revocarent, et ejus regimini se subdendo contraderent. Miserunt itaque sex fratres ex his, qui ab Hibernia venerunt qui epistolam ferrent continentem causas ejusdem legationis. Igitur illi recto itinere cum ad Viri Dei Cellam pervenissent, nunciati advenisse, ducti sunt ad orationem. Qua expletâ, domum ingressi, porrexerunt epistolam. Quam ut Vir Dei sanctus perlegit, dixit illis : « Ego quidem, o fratres, verba prophetae cupiens imitari dicentis, *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae* (*Psal.* 68) ; deserui notos meos et propinquos, et ut liberius Domino possem vacare, solitudinis elegi secreta ; utque parentum et praediorum dimissionem praeteream, Episcopatus honorem et divitias mundi suscipere non consensi. Et quo pacto post hanc renunciationem et voluntariam paupertatem, seculi implicabor negotiis, exaltabor honoribus, ponderibus aggravabor ? Absit, inquam, ut qui manum in aratrum misi, oculos ad relicta retorqueam, et sicut canis revertar ad vomitum. Scitis ipsi, me inter vos positum humilitati semper dedisse operam et subjectioni : et quomodo creditis ad tanti culminis me provocari posse fastigium ? Innovate consilia, aliorsum vos vertite : mihi quod animo semel infixum est, Dominus immutari non sinet. » His et similibus verbis animos eorum ab spe impetrationis hujus amovit. Vocavit deinde unum e fratribus, et eum interrogavit, quid essent tempore refectionis sumpturi. Cumque responsum esset, tantummodo sextarium farinae ad usum haberi cunctorum, jussit fieri panes, dicens : « Potens est Deus parare mensam in deserto. » Et cum fecisset olera colligi, ipse sumens rete et unum ex discipulis suis cum fratribus qui supervenerant, ivit ad gurgitem, dicens : « Videamus, utrum misericors Dominus aliquos nostris velit necessitatibus largiri pisciculos. » Cumque pervenissent ad gurgitem, viderunt piscem magnum in aquae collectione natantem, duosque illum insequi lutras, quasi capere fugientem volentes. Immisso

reti, captum eum traxerunt ad litus. Habebat autem in longitudine palmos duodecim, in latitudine quatuor. Quo facto, lutrae se profundis immergunt: imposito rursum reti, cum piscatores sancti piscium latebras pulsando inquietarent, iterato lutrae apparuerunt, piscium tantam multitudinem propellentes in rete, ut id sua pluralitate per loca disrumperent. Praedâ itaque ad litus perductâ, Vir discretione plenissimus, quosdam pisces, adjuvantibus qui aderant, rursus in aquam projecit, et fratribus dixit: « Hodie propter adventum vestrum, mirabilem suae largitatis evidentiam Dominus manifestare dignatus est. » Illi e contra meritis ejus, quod factum fuerat imputantes, eo alacriter praeeunte, domum redierunt. Et ecce juxta introitum Cellulae vir unus apparuit, ferens duos utres vino plenos, et ternos farinae modios, ob suae devotionis indicium. Quibus cum gratiarum actione susceptis, cibum sumpserunt; et post corporis refectionem spiritalis colloquii dapibus animas suas pascere studuerunt. Detinuit autem eos beatus Gallus aliquantis secum diebus, et charitatis intuitu omni humanitatis fovit obsequio. Narravit quoque de communi Patre, beato videlicet Columbano, quod certa relatione didicerat. Deinde osculo pacis oblato, dimisit eos, et illi benedictione tanti patris armati, ad sua remearunt.

§ **28**. Nec multo post, cum jam bonorum omnium Auctor et Propagator Athletam suum, de mundi agone sublatum, praemiorum laureis vellet perennibus adornare, Willimarus presbyter, veniens ad Cellam Viri sancti, rogavit eum, ut secum egrederetur ad castrum. Et ut obtineret quod voluit, hujusmodi voce flebili querimoniam submissus explicuit: « Cur, inquiens, o pater, me, qui tuorum monitis dictorum innitor, quasi despectum dereliquisti, et doctrinae tuae salutaribus institutis auditorem fraudasti benevolum? Cui hanc objectionem adscribere possum, nisi peccatorum meorum foetoribus? Nisi enim vita mea tuo displiceret judicio, amabili me aedificationis tuae non privares solatio. Nunc ergo noli nos pro peccatis nostris abjicere: sed Domini provocatus mandatis, viam veritatis desiderantibus aperi, et solitae nobis benignitatis munus impende. » Motus igitur hoc supplicantis alloquio pietatis amator, descendit cum illo, et venerunt in castrum. Vocatâ autem multitudine in die solemni, Vir sanctus praedicationis dulcedine auditorum corda refecit, et tantâ quae dixerat, sapientiae luce vestivit, ut summâ omnium gratulatione auditus, et plena cunctorum veneratione sit honoratus. Biduo itaque ibidem ducto, tertia die febre correptus, tantum in brevi ejus violentiâ depressus est, ut nec ad Cellam redire, nec cibi sustentaculum potuisset percipere. Cumque hac infirmitate per dies quatuordecim laborasset, die sextodecimo mensis Octobris, id est, 17 Calendas Novembris, expletis nonagintaquinque annis suae aetatis, in senectute bona, hujus vitae liberatus ergastulo,

animam meritis plenam felicibus reddidit, bonis inhaesuram perennibus *.

§ 29. Cum igitur audisset Joannes Constantiensis Ecclesiae praesul, beatum Gallum apud Arbonam infirmari, ascendens naviculam, potuum et ciborum ea secum genera tulit, quae infirmitate laboranti noverat congruere: ut videlicet suâ visitatione fidissimum refoveret amicum. Cumque portui propinquaret, audivit in domo presbyteri planctum magnum circa funus Viri Dei celebrari, et interrogavit quae tanti esset causa ploratus. Audiens autem Gallum venerabilem, firmissimum suae familiaritatis custodem, de hujus seculi emigrasse periculis, misit se in aquam (neque enim poterat propter nimium dolorem sustinere, donec navicula litus attingeret); descendensque cum his qui secum venerant, intravit domum presbyteri, lugubri voce et corporis gestu moerorem cordis insinuans. Invenit autem corpus Viri sancti involutum, et in loculo repositum: aperiensque sarcophagum, et exanime amici cadaver inspiciens, amariores cum hac voce lacrymas dedit: « Heu, heu, pater amate, heu, doctor egregie, cur me de domo patris eductum, in his periculis quasi orphanum dimisisti, et confidentiam meam, qua de tuis consiliis plurimum praesumebam, immaturâ morte rupisti? Tibi quidem in perceptionem praemii, quod tam ardenter desiderabas, haec tua mors est fructuosa: nobis autem in tot mundialium perturbationum processis laborantibus, multipliciter est luctuosa. Sed qui de vitae corporalis interruptione dolemus, de animae immortalis libertate gaudere debemus, certi quia orationibus non desinas adjuvare, quos consilio et exemplis roborare consueveras. » Inter haec verba presbyter eum, ut surgeret, monuit, et pro requie defuncti ambitiosius Dominum precaretur. Intraverunt itaque ecclesiam, et Episcopus pro carissimo salutares hostias immolavit amico. Finito autem fraternae commemorationis obsequio, respiciens post tergum, vidit fossam, in qua sanctum corpus humare volebant. Acceptâque Cruce, et his quae exequiis exhibentur, intraverunt domum, volentes thesaurum pretiosi corporis ad locum sepulcri deducere. Cumque arcam, qua claudebatur cadaver feretro impositum, ad fossam sepulturae conarentur deferre, nullis viribus usquam potuit commoveri. Quod novi genus miraculi dum mutuis mirando colloquiis retractarent, Joannes Episcopus dixit: « In veritate cognosco hanc sepulcri sedem patri meo Gallo non placere. » Et jussit presbytero, ut duos equos inveniret indomitos, et faceret introduci. Quod cum factum esset, straverunt eos cum magno labore, et ad locum, ubi corpus jacebat, duxerunt;

* Coenobium, quod a S. Gallo aedificatum fuerat, progressu temporum maximam celebritatem obtinuit. Ibi enim Monaci floruere in qualibet scientiâ doctissimi; nec defuere qui sanctitate eximiâ splendescerent. Urbs autem Sangalli, originem duxit a tuguriis, domunculisque, quae agricolae mercatoresque sibi circa monasterium statuere (vid. *l'Histoire du Canton de S. Gall* ab Ildephonso d'Arx conscriptam).

et Episcopus cum Clero hujusmodi orationem dedit: « Deus, qui per potentiam majestatis tuae ubique totus es, pro cujus amore Vir iste reliquit patriam suam, ut praecepta tua conservaret: fac corpus ejus ab his equis indomitis ferri in locum, quem tua voluntas meritis ipsius praevidit. » Cumque finita esset oratio, cuncti qui aderant, *Amen* responderunt.

§ **30**. Congruum videtur, in hoc loco retexere miraculum quod Dominus inter sui confessoris exequias exhibere dignatus est: quo liquido cunctis ostenderet, servum suum secum veraciter tunc vivere, dum carnis hujus carcere liberatur. Erat ibi quidam mendicus, tanta per omnes membrorum juncturas debilitate contractus, ut penitus inter alias suae infirmitatis molestias, incessu pedum carèret. Huic, dum presbyter indumenta Viri Dei distribueret pauperibus, caligas ejus cum calceamentis dedit. Statimque debilis pro accepto munere, summo repletus gaudio, ut sacras cruribus et plantis aptavit exuvias, per omnes artuum compages repente solutus est; et exiliens, voce clamavit ingenti, et gratias egit Domino et beato Gallo, per cujus merita redditam sibi videbat sanitatem. Videns autem Episcopus et cuncti qui aderant, sanitatis hujus miraculum, unanimiter glorificaverunt Deum, atque dixerunt: « Manifestâ virtute dignatus est Dominus hodie gloriam Servi sui nobis ostendere. » Dederunt itaque ei, qui sanatus fuerat, cereum, et prosecutus est funus cum caetero populo. Hoc primum signum post transitum ejus Dominus ad memoriam illius declaravit.

§ **31**. Inter easdem quoque beati Pastoris exequias, aliud non mediocre sanctitatis ejus indicium apparuit. Habuit Vir Dei capsellam de corio factam, diligenter seratam: cujus clavem sub tam vigili custodiâ ipse retinuit, ut nullus discipulorum ejus, quamdiu vixerat, quid intus servaretur, cognoscere potuisset. Hanc autem ex suis humeris pendentem ferre solebat, quocumque ambulavit. At ubi de vita migravit, sumpta clave aperuerunt capsellam, et invenerunt in ea cilicium modicum, et catenam aeream sanguine adspersam. Deinde corpus inspicientes magistri, invenerunt locum catenae, ubi saepius praecingi solebat, carnemque ipsam in locis quatuor profundius catena sulcatam, adeo ut de eisdem vulneribus cruor decurrens, cilicium per loca perfuderit. Posuerunt autem capsellam cum cilicio ad caput ejus in feretrum, et deportaverunt cum corpore ad locum monumenti, et suspenderunt haec tria mortificationis ejus indicia juxta tumulum ad caput ejus: per quae deinceps ad ostensionem meritorum ipsius, plurimas Dominus virtutes pie quaerentibus exhibuit. Qua ex re intelligere possumus, quia idem Vir etsi a persecutore sanguinis effusione non est immolatus semetipsum tamen offerens Domino hostiam vivam in odorem suavitatis, et crucem suam tollens, quotidieque Salvatorem secutus, martyrii laborem et palmam confessor adeptus est.

§ 32. Postquam sanctitas venerandi Patris et miraculi magnitudine, et horum manifestatione signorum cunctis, qui funeris ejus intererant negotiis, patenter ostensa est, Episcopus ad feretrum accessit, et ex una parte illud sublevans, presbytero altrinsecus sustollente, equis superposuit, et adstantibus dixit: « Auferte frenos de capitibus eorum, ut libertate concessâ, quo Dominus voluerit, pergant. » Acceptâ ergo Cruce et candelis, psalmos et melodias concinentes, iter agere coeperunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad Cellam Viri Dei. Quo cum pervenissent, depositum est feretrum ante oratorium. Discipuli autem ejus, elevantes pii Doctoris reliquias, intulerunt et ante altare posuerunt. Deinde pariter cum Episcopo orationem pro illo facientes, fecerunt fossam sepulcri inter parietem et altare, ibique precibus huic rei congruentibus praemissis, sepelierunt eum: omnibusque rite consummatis, multitudo quae ad tanti Viri concurrit exequias, Episcopi benedictione communita, ad propria remeavit.

§ 33. Dum beati corporis thesaurum felix locus in pace suscepisset, volens Dominus de morte famuli sui moerentibus consolationis praebere medelam, novitate miraculi patefecit, qua apud se claritate spiritus fulgeret amici. Nam duo cerei in castro, dum corpus ejus elevaretur, accensi, ita ardentes delati sunt usque ad locum sepulturae. Positi autem unus ad caput, alter ad pedes, per triginta deinceps dies, mirabile dictu! non deficiendo ardebant, et ardendo non deficiebant. Et ut monstraretur has durandi vires cerae liquenti coelitus attributas, de hujus miraculi materiâ plurimae in posterum virtutes emanarunt. Nam quicumque dentium fatigati doloribus, vel oculorum lippitudine, vel aurium praeclusione laborantes, de eisdem cereis quippiam cerae tulerunt, et locis, quae hujusmodi tenebantur incommodis, aptaverunt, optatae celeriter dona percepere salutis. Post haec tanta virtus ad sanandos variis infirmitatibus depressos, apud sepulcrum beati Viri cunctis illuc venientibus, et orationum ejus suffragia fideliter postulantibus apparuit, ut et fama tanti meriti cunctis quae circumpositae erant, regionibus innotesceret, et locus ipse non mediocriter frequentaretur a populis. Quia igitur, o beatissimi patres, vita et virtutes sancti Galli, si in unum compingantur librum, possunt ob sui prolixitatem aliquod legenti ingerere fastidium: statui duobus hoc opus libellis distinguere: ut prior illorum, vitam ejus et actus usque ad sepulturam illius veridica relatione perducat: sequens, mirabilia quae postmodum pro meritis ejus Dominus ostendit: Primo videlicet ea quae priorum ad nos scripto perlata sunt, retexat; deinde quae a probatissimis testibus indicata, nostra aetate a Gosberto carissimo fratre litteris mandata, subnectat: ne quod particulatim scriptum est, laciniosa divisione disjungatur: sed potius quod junctum est parilitate factorum,

sit etiam copulatum comprehensione dictorum. Atque hic prioris libelli finis, quae praemissa sunt, terminet: et sequenti, quae restant, sine praejudicio comprehendenda reservet.

§ **34**. Meritis beatissimi Galli quotidie per miraculorum signa radiantibus, et longe lateque circumpositorum aures famae suae dulcedine mulcentibus, cum jam post transitum ejus anni quadraginta fuissent evoluti, venit Othwinus, partium earumdem potestate praeditus, cum exercitu magno, et ira intolerabili concitatus, devastavit non minimam partem pagi, qui ab interfluente fluvio Durgewe * nominatur. Constantiense quoque territorium, et Arbonensis pagi confinia depopulari coepit, et igni succendere. Viros, quicumque inveniri potuerunt, gladio peremit; uxores et parvulos eorum in captivitatem egit. Peculiis quoque et omni supellectili sublatâ, fructus omnes penitus demoliri fecit. Arbonenses itaque, hujus terroris immanitate compulsi, cum omnibus quae habebant, fugerunt in solitudinem, et ad Cellam Viri Dei se contulerunt. Deinde factâ in agro foveâ, absconderunt ibi quicquid habebant, et fossam terrâ cooperientes, ne secretum eorum deprehenderetur, lini semen desuper insperserunt. Cumque jam Arbonensem pagum hostes desolavissent, vestigia fugientium secuti, venerunt ad Cellam sancti Patris, et fugitivos, quos repererunt, vinctos abduxerunt, et juvenes eorum in captivitatem miserunt. Erchonaldus autem praefecti vicarius, cum vicina solitudini inhabitaret loca, habuit res ejusdem Cellulae notissimas. Is oratorium ingressus, invenit mendicum quemdam intus sedentem, quem bene noverat, et dixit illi: « Indica mihi, ubi isti, quos tam nudos et miseros invenimus, vestes habeant repositas et utensilia, aurumque et argentum, quorum copiâ hactenus fruebantur. » Ille respondit: « Nonne mihi melius est illorum denudare secreta, quam vestrae severitatis iram incurrere? » — « Si ita, inquit, ègeris, eris in consortio nostro, et participio societatis nostrae gaudebis. » Qua promissione persuasus, surrexit, et eum ad subterraneum duxit armarium. Quod cum idem vicarius aperiri fecisset, species quasi inibi reperit, his qui secum erant, facta divisione, distribuit. His ita patratis, putantes passim tale quid occultari, discurrerunt, loca singula signis quibusdam sollicite explorantes. Ejusdem rei gratiâ Erchonaldus, assumptis secum septem pueris, introivit oratorium. Cumque, clausis ostiis, pavimenti planitiem pulsarent, ob spem videlicet inveniendae pecuniae, unus illorum post altare veniens, pavimentum percussit; et audiens a cavitate tumuli sonitum reddi, « Hic est, inquit, quod oppido desideratis. » Accurrentes igitur pollinctores ** infesti, coeperunt fodere: et cum ad loculum pervenissent, extulerunt illum, dicentes: « Quia isti Rhetiani calliditate naturali abundant, videamus, ne

* Forsitan *Turgoia*, seu, italice, *Turgoria*.
** *Pollinctores* sunt qui mortuos curant.

quippiam sub hac arca occulti remaneat. » Huic sacrilegio inservientes, invasit eos horror immensus. Qui in fugam conversi, dum ostium oratorii singuli praeoccupare niterentur, insaniâ agitati, evaginatis gladiis invicem se conciderunt. Erchonaldus vero, hujus auctor sceleris, timore cogente, volens exilire per ostium, caput superliminari illisit, et ad terram còncidens, alienatus mente jacebat. Cumque a suis perduceretur ad propria, nimiâ infirmitate et novis doloribus coepit urgeri. Toto itaque ipsius anni curriculo fortissimis maceratus molestiis, capillorum honore et cutis superficie spoliatus, etiam digitorum ungues amisit. Et ut omnibus longo tempore ultionis in eum divinitus collatae signa patèrent, cunctis vitae suae diebus hac deformitate notabilis fuit.

§ **35**. Audiens Constantiensis Ecclesiae praesul, nomine Buoso, sepulcrum beatissimi Galli violatum esse ab hostibus, nullumque remansisse in Cellula, praeter duos fratres Magnoaldum et Theodorum, qui sacri corporis reliquias tumulo restituere potuissent, venit illuc cum clericis suis, et invenit Cellulam desolatam, sancti Patris corpus de sepulcro ejectum, altaria nudata, duosque fratres qui remanserant, spoliatos jacentes in oratorio, et magnitudinem calamitatis gemitibus et lacrymis protestantes. Et misericordiâ motus, coepit eos consolari multiplicibus verbis, illam replicans Psalmistae sententiam, qua dicit: *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo* (*Psal.* 117). His dictis, sumens loculum in quo sanctum corpus erat, posuit super terram inter parietem et altare, et desuper, ut moris est, arcam altiorem construxit; fossam vero terrâ replevit. De suo quoque fratribus vestimenta largitus est, et unde alerentur disponens, ad Episcopium remeavit.

§ **36**. Post multum vero temporis misit Pipinus Major domus, exercitum copiosum ad devastandam Alemannorum provinciam, et iterato Francorum ditioni subjugandam. Cumque tota terra hostili contereretur incursu, avidi praedones Arbonensem pagum percurrentes, ad cellam Viri Dei venerunt, et quoscumque ibidem invenerunt (nam multi illuc confùgerant, sperantes in Dei misericordià, et patrociniis Sancti illius), duxere captivos. Quinque autem supra memorati principis satellites ingressi oratorium, repererunt ibi quasdam ancillas ejusdem loci cum parvulis earum et quae essent, percontati sunt. Quae dum se de familia ipsius Sancti esse proclamarent, hoc a praedonibus audierunt: Exite, egredimini: Sanctum, quem dicitis, ignoramus. Et abduxerunt eas captivas in Franciam. Eodem vero anno a malignis spiritibus arrepti, et amentes effecti, nudi circumquaque discurrebant; et ubicumque urbes vel vicos ingressi sunt, cruciatus sui causas retexebant, dicentes: Gallus Abba nos habet ligatos; et cum hac

criminum miserâ commemoratione suorum, vitam infeliciter ducentes, flebiliter finiverunt.

§ 37. Alio tempore diaconus quidam, nomine Stephanus, dum in ejusdem patris Sancti ecclesiâ custodis fungeretur officio, quadam vesperâ incensam oratorio inferens candelam, posuit supra candelabrum juxta beati Viri sepulcrum. Quae a rectitudine status vergens in partem, ardens cecidit super arcam sepulcri. Cujus ardoris violentiâ unam comprehendens pallam, usque ad medietatem exussit, et ita restincta est, nihil lecto, nihil baculo, qui in eo pendebat, vel aliis linteaminibus super sepulcrum expansis inferens laesionis. Qua ex re colligitur, ad declarationem virtutum beati Viri potius, quam ad damnum rebus ejus inferendum, idem evenisse incendium. Quia ut in sequentibus apparet, pallam quam lenis flamma diminuit, virtus manifesta restituit. Mane itaque facto, fratres oratorium ingressi, quid factum fuerat perviderunt, et admiratione non minima sunt perculsi. Tertia vero die cum ad matutinale convenirent officium, invenerunt in oratorio cereos ardentes, et duos juvenes stantes, unum ad caput, et alterum ad pedes, distendentes inter se pallam, quae pridem fuerat ignis attacta vaporibus. Hoc viso, timore nimio conterriti, cum celeritate egressi, ad lectulos redierunt. Cumque se collocarent, ecclesiae campanum insonuit, et auditi sunt duo chori, incredibili alternantium personarum dulcedine perstrepentes. Igitur die illâ nequaquam ausi sunt oratorium introire. Die autem sequenti ante ostium ejus unanimiter conglobati, prostraverunt se in orationem: et cum surrexissent, cum magno timore intrantes, invenerunt pallam, quam partim ignis absumpserat, super lectum expansum, sicut prius expandi solebat, nulla imminutionis habentem indicia; sed potius latitudinem vel longitudinem ejus trium auctam esse magnitudine cubitorum. Hujus perspicuitate miraculi hilares facti, benedixerunt Domino, qui tam manifestis gratiae suae virtutibus, Servi sui merita declarare dignatus est.

§ 38. Idem Stephanus dum quodam tempore cum his qui simul aderant, carnem ad percipiendum in cujusdam accessu jejunii non haberet, resèdit in cellula, de eadem penuria cum caeteris locuturus. Dumque sermone vario paupertatis solatia mutuo ministrarent, avis quaedam ignotae formae consedit in limine. Unus assidentium torrem de igne rapiens, alitem percussit. Cujus carnes dum suis usibus praeparassent, incredibilem saporis dulcedinem in gustu earum deprehenderunt: facientibus hoc, ut credimus, beati Viri meritis, ut sicut famuli ejus in similitudinem antiqui miraculi, quo populus Dei conturnicum carnibus in solitudine est refectus, avis incognita missa est: ita sapor procuratae coelitus escae, novae dulcedinis delectamentum haberet. Tanta autem est miraculorum copia, quae Dominus apud tumulum ejus diversis temporibus ostendit, ut non facile

scribendi studio comprehendi possit, ex quibus propter abundantiam multa omittuntur: pauca vero et eminentiora propter memoriam posteris commendandam huic inseruntur opusculo. Praeter mortuorum enim resuscitationem corpoream, caeterarum infirmitatum remedia, creberrima inibi largitate a Domino praestita sunt et praestantur. Siquidem et daemoniaci ibidem curati, et languentes sunt recreati: aurium claustra reserata, oculorum detersae caligines, mutorum exclusa silentia, paralyticorum eliminata defectio. Sed et quicumque animae vel corporis necessitate coactus, fide integra apud sepulcrum beati Galli instantiam orationis exequitur, Domino Confessoris sui merita comprobante, precum suarum nullatenus fructu privatur, verum sine tarditate divinae largitatis sentiens dona, laetatur.

§ **39**. Temporibus igitur Carlomanni Majoris domus, miraculum memoria dignum per merita sancti Patris effectum, huic operi inserere utile judicamus. Vir quidam pauperculus in pago quodam, ex summa devotione cum uxore sua ad cellam beati Galli causâ orationis properare disposuit. Cujus intentione devotionis dum mulier pallulam, quam in loco sancto oblatura erat, contextam parâvisset, involvit eam formella cerae, quam simul oblatum ire cogitabat, et in arca sua inter alia vestimenta reposuit. Contigit autem dum ire pararent, domum illorum cum omnibus quae intra illam erant, rebus igne cremari. Cumque, consumptis omnibus, flamma cessante, sopitum fuisset incendium, coeperunt inter favillarum cumulos ferramentorum reliquias quaeritare. Et ecce inveniunt, mirum dictu, ceram pallula involutam inter cineres et carbones, nihilque in eis laesionis apparuit; cum ipsam arcam, et quicquid aliud in illa repositum erat, penitus consumpsisset incendium. Viso igitur tantae virtutis miraculo, benedixerunt Deo, et iter quod disposuerunt, peregerunt. Et narrantes fratribus quae gesta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto consecratum, in supremis non poterat perire periculis. Servatae sunt autem ibi eaedem res in testimonium post futuris, usque ad tempora Othmari Abbatis...

§ **40**. Haec de copiosissima sègete beati Galli virtutum memoriae horreis grana libuit commendare, et nostris et aliorum partibus profutura. Poterunt haec enim plurimum diligentibus justitiam aedificationis conferre: quia et morum honestatem insinuant, et ad laudem Domini, quia ita Sanctos suos glorificat, devoti lectoris animum vel auditoris inflammant. Caeterum tot et tanta sunt ejusdem sanctis Patris miracula, ut nec a studiosis scriptoribus propter copiam sui possint comprehendi, nec a fastidiosis lectoribus sine taedio et rugatâ fronte percurri. Ea vero huic operi tantum inserta sunt, quae et veracium relatione testium veritatem custodiant, et moderata brevitate nullius, quamvis etiam utilia nauseantis, mentem offendant. Obsecramus itaque

te, beate Galle, Christi Confessor, ut sicut sanitatem corporum meritis tuis multis te contulisse retulimus, ita nostris mentibus divinae miserationis medelam implorare digneris, Amen.

VITA BREVIS

S. LULLI ARCHIEP. MOGUNTINI

UT HABETUR IN BREVIARIO MOGUNTINO, INTRA PAUCOS ANNOS JUSSU DANIELIS REV. ARCHIEP. MOGUNTINI RESTITUTO ET EDITO. CONSENTIUNT SS. CODICES.

Floruit sec. VIII. — Britannus.

§ 1. Lullus apud Anglosaxones in Britannia natus, a primis annis Christum cum litteris imbibit. Nam adhuc septennis cujusdam monasterii patribus commendatus, nihil omisit, quod ad promerendam Dei gratiam pertinere posset. Corpus cum adolevisset, assiduâ edomans abstinentiâ, spiritui subjiciebat: in sanctarum vero Scripturarum meditatione tantâ diligentiâ versabatur, ut omnes in admirationem sui conjiceret. Famâ autem eo tempore per Britanniam crebrescente, de feliciter gestis rebus Bonifacii * Moguntinae urbis Archiepiscopi, cui Lullus sanguine junctus erat, iisque in locis messem quidem uberrimam, at operariorum maximam esse penuriam: coepit animo volvere, quomodo tam sanctâ et necessariâ functione occupato opem ferre posset. Ita jam Diaconatus gradum adeptus, ex Superiorum suorum voluntate iter ad Bonifacium suscepit.

§ 2. Sic longo terra marique emenso itinere, Germaniam adiit: cujus adventu, Bonifacius mirifice est recreatus. Qui cum sanctissimae ipsius conversationis, affluentis doctrinae, flagrantisque in Deum animi certiora experimenta cepisset, invitum ad Sacerdotii dignitatem provexit, et lateri suo semper adhaerere voluit. Postquam autem diu praedicationi sedulo incubuisset, multisque aliis gravibus negotiis obeundis fidem et industriam suam probasset; Bonifacius jam in Frisiam iturus, ipsum praesente Pipino rege, successorem sibi in Moguntina sede constituit. Quam ille provinciam in decrepitam usque aetatem docendo, monendo, arguendo sancte et prudenter, tamquam bonis patris haud degener filius, administravit **.

§ 3. Tandem per spiritum cognoscens dormitionis suae instare diem, vocato coëpiscopo suo Alboino, viro valde religioso, injunxit,

* De S. Bonifacio Archiep. Moguntinae et Martyris vide *Surium*, Vol. VI, pag. 112, etc.
** Lullus pallio insignitus est a Sede Apostolicâ, anno 780.

ut sacris prius celebratis mysteriis, se ad Heresfeldense monasterium praecederet. Ille sine mora sacrum perficiens, etsi toto corpore incolumis videretur et sanus, cum sacramentis Dominicis participasset, una cum Missa finivit et vitam. Nihil hoc casu motus Lullus, obitus sui praenuncium navi secum impositum, per Moganum in Heresfeldense * coenobium, prius a se extructum, advehens, honorifice sepelivit. Ubi etiam morbo protinus correptus, Archiepiscopatus sui anno trigesimo secundo, placidâ morte in Domino defunctus est **. Corpus ibidem repositum, cum post sexagesimum annum e terra levaretur, eo membrorum omnium decore ac vestium quoque nitore inventum est, ut illo ipso die expirasse, ac sopore potius, quam morte sepultus videretur. Hucusque Breviarium. Manuscripti codices addunt, eum decessisse decimoseptimo Calendas Novembris; ubi etiam haec leguntur: Quantis emineret meritis apud Altissimum, innumerabilia et quasi infinita, quae ad ejus memoriam sunt facta miracula, declararunt. Vivens enim multorum, propter virtutes et merita; mortuus vero, pene cunctorum, propter miracula, aures et mentes feliciter occupavit. Praeclarum quoque est, quod ibidem legitur, eum ut bonum pastorem, cum esset institutus Moguntinus praesul, omnes intra suam dioecesim sitas ecclesias et monasteria coepisse visitare, et omnium mores in melius reformare: et cum pridem caeteros fide et pietate superasset, atrox cum animo suo gessisse certamen, ita ut in dies seipso religiosior, atque in studio morum provectior haberetur. Denique miraculum illic habetur, quod tum perpetratum est, cum post sexagesimum annum corpus ejus e terra levaretur. Saxum immane, tumulo ejus impositum, cum amoveretur, forte manus fugit volutantium illud, et fratris cujusdam prope adstantis ita pedem contrivit, ut ossibus cum carne pariter comminutis, formâ etiam pedis amissâ, foedum ac miserabile spectaculum praeberet circumstantibus. Sed cito beatus Lullus moerentia fratrum pectora expedivit. Nocte enim proximâ cum languidum sopor oppressisset, ita repente suis membris omnibus vigor rediit, ut hymnis quoque matutinalibus interesset, nulla tantae calamitatis ne cicatrice quidem superstite. De eodem beato Praesule hi quoque versus extant:

Antistes Lullus, quo non est sanctior ullus,
Pollens divinâ, tribuente Deo, medicinâ,
Occurrit morbis, ut totus praedicat orbis.

* Germanice, *Hersfeld* vel *Hirschfeld* in Hassia inferiori. In hoc coenobium idem Lullus anno 780, S. Wigberti Abbatis corpus transferri atque humari jussit.
** Anno 786 vel 787.

VITA BREVIS

S. BERCHARII ABBATIS ET MART.

EX VINCENTII *Speculo Historiali, lib. 24, cap. 114 et 115.*

Mortuus est probab. an. 696 — Aquitanus.

§ 1. Sanctus Bercharius * sub S. Nivardo Rhemorum ** pontifice, moribus et sapientiâ imbutus, Luxoviense monasterium expetiit, ubi sub Abbate sancto Eustachio monasticam vitam duxit. Cum autem in cura promptuarii, rectoris nutu aliquando esset implicitus, quadam die subito jussu ejus est vocatus. Forte ille tunc promptuarium ingressus, ante vas steterat, et epistomium manu tenens, cerealem amphorae potum infundebat. Mirum dictu! ad unius jussionis nutum relictis quae habebat in manibus, cucurrit concitus, ardore obedientiae amphorae custodiendae oblitus. Illoque ante Abbatem stante, interim potus in vasculum suppositum défluere non cessans, postquam ad superficiem vasis pervenit, in modum columnae superne constipatum, in gyrum coronari coepit: ultro cerneres illud liquamen, quod vix clausum valet contineri, ut quondam Dei populo transeunte absque lintribus Jordanis fluenta, in sublime tolli: ut liquido patesceret, quanta esset virtus obedientiae, cujus fructus nullo modo possit in terra deperire. At ille, quod acciderat, non suo, sed Abbatis, merito deputavit.

§ 2. Jam vero regularibus disciplinis institutus et eruditus, ad S. Nivardum revertitur. Qui cum in quodam praedio suo coenobium aedificare vellet, cum Berchario vicum quendam Spernacum, quem beatus Remigius Ecclesiae Rhemensi pretio acquisierat, expetens, in ipso processu itineris gravi sopore deprimitur, ita ut eundi facultate remotâ, omnem illum equestrem, qui se forte comitabatur, ordinem stare praeciperet. Itaque fagus frondosa eligitur, sub cujus tegmine rècubans, Bercharii decumbentis gremio vertice composito recipitur. Interim eo quiescente, sanctus Bercharius in coelum defixis luminibus, adspicit subito niveam columbam e sublimibus descendere, et arbori, cui substrati erant, insidère. Quae repente ab arbore prosiliens, et rumpens aëra vacuum, futurae fabricae spatium circumvolans, locum, quo coenobium construi debeat, gyro designat, praesentia sanctificat. Cumque eosdem sui ambitus circulos tertio repetiisset, aperto coelo reconditur. Et quod idem Bercharius corporalibus deprehenderat oculis, hoc quidem quiescens pontifex

* Gallice, *Bercaire.* ** Gallice, *Reims.*

senserat sopore coelestis visionis. Itaque a somno excitatus: « O, inquit, Berchari, votorum meorum compar fidissime, quam gratum mihi est huc paululum soporis gratiâ divertisse. Quod enim diu differens corde gestaveram, visionis arcano maturius aggredi compellor. » Illoque visum referente, ait Bercharius: « O pater sanctissime, quicquid in visione spiritus divinitus tibi testaris indicatum, noveris etiam me conspexisse corporaliter. » Tum vero praesul hoc sanctum opus ejus industriae statuit committere: qui in loco ipso, qui Altivillare * dicitur, coenobii fundamenta jecit, nec prius ab opere destitit, quam opus coeptum ad laudem Dei compleret. Congregavitque illic monasticae conversationis viros religiosos, et cuncta, quae huic ordini commoda judicantur, diligenter implevit. Obiit autem sanctus Nivardus Calendis Septembris.

§ 3. Sanctus autem Bercharius, dum multa ordinat et disponit, forte accidit, ut filiolum suum Dagovinum, quem de sacro fonte susceperat, et monachum esse voluerat, ob culpas ejus verbere increpationis feriendum decerneret. Sed ille ob demerita sua cum Juda satanae traditus, patris objurgationem indigne tulit. Itaque cum ille defessus in lectulo membra sopori dedisset, satanae filius irruens in eum, lethale vulnus ei inflixit: arreptumque ferrum, quo eum percusserat, in piscinam, quae intra monasterium erat, celerrime demersit. Videres tum laticem, velut tanti sceleris conscium, ferrum illud in se recipere detrectantem. Nam mox ut aquam attigit, ceu pluma levissima super aquas ferebatur. At nefarius homicida amens factus, ecclesiam petiit, cruentisque manibus signum pulsare coepit. Fratres non consuetâ horâ cum admiratione surgentes, et sanctum virum interfectum audientes, ad lectum ejus concurrerunt, et eum adhuc spirantem repererunt. Comprehensum igitur Dagovinum ei offerunt, scire cupientes, quid de tanto scelere pronunciaturus sit. At ille Domini non immemor: Deum, inquit, tibi frater poenitentiâ placatum reddas. Nam quantum ad me attinet, omni te liberum impietate dimitto. Ex ejus sepulcro longe post oleum visum est emanare, cunctis morbo correptis salubre **.

* Gallice, *Hautvilliers*, in Campania (*Champagne*).
** S. Bercharius, martyr dicendus est charitatis et justitiae potius quam fidei.

VITA

S. HEDWIGIS DUCIS VEL DUCISSAE POLONIAE

BEATAE ELIZABETH,

QUAE NUPSIT LANTGRAVIO TURINGIAE, MATERTERAE

CUJUS AUCTOR TESTATUR SE EAM EX GESTIS EJUS DILIGENTISSIME CONSCRIPTIS, ET SUMMO PONTIFICI BONA FIDE OBLATIS, ATQUE IN TREBNICIENSI COENOBIO ASSERVATIS CONTEXUISSE, QUAEDAM ETIAM NOTATU DIGNA EX ENGELBERTO CISTERCIENSI MONACHO, QUI DE EA SCRIPSIT, IIS ADJUNXISSE. STYLUM L. SURIUS, UBI VISUM FUIT, NONNIHIL ELIMAVIT.

Ad coelum evolavit anno 1243.

PRAEFATIO AUCTORIS

INCERTI QUIDEM, SED GRAVIS ET FIDE DIGNI.

Splendoris aeterni genitor, lumenque indeficiens, Dominus Deus omnipotens, qui novissimis diebus in eodem Filio suo illuxit mundo, vitiorum tenebris obnubilatum jam seculum novo quodam lucis suae radio clarius illustravit, cum beatam Hedwigem ceu ardentem faculam illi exhibuit, et ut praeclaram lucernam super candelabrum posuit, ut lucèret pulcherrimis virtutum meritis, et sanctae conversationis exemplis, omnibus qui in Sanctae Matris Ecclesiae magna domo sunt. Et ipse Pater misericordiarum, sicut eam in vita mirabiliter sanctitatis privilegio extulit, ita etiam vitâ functam inaestimabili decòre et miraculorum gloria ornavit, quemadmodum ex iis, quae dicturi sumus, perspicue innotescet. Ad Dei enim gloriam, ad aedificationem eorum, qui haec audituri et lecturi sunt, ad laudem quoque ipsius Sanctae, de qua agimus, diligenter commemorabimus opera ejus et merita virtutum exercitia, atque etiam miracula, quae ob ejus merita efficere dignatus est Altissimus, quemadmodum ea post accuratam examinationem diligentissime conscripserunt, et scripta fideliter Summo Pontifici obtulerunt, quibus id negotii ab Apostolica Sede datum erat. Quae quidem scripta in Trebniciensi * coenobio asservata, cum studiose perlegissem, cum illis saepe contuli, qui hujus rei dicta factaque noverant. Atque ita bene compertâ veritate, historiam simplici stylo contexens, quanta potui diligentiâ, conjunctim annotare studui, quae ejusdem essent generis virtutes et miracula, quae illic sparsim et diffuse habentur.

* Germ. *Trebnitz*, in Silesia.

Ex iis etiam, quae frater Engelbertus, Ordinis Cisterciensis de hac Sancta scripsit, quaedam notatu digna illis adjunxi; totamque historiam in capita distinxi....

§ 1. Hedwigis, jam in coelis beata, in terris e stirpe illustri orta, nobilis quidem fuit genere et corporeâ propagine, sed ob morum elegantiam et honestatem atque integritatem, longe animo nobilior atque praestantior. Pulcritudo vero charismatum et donorum divinitus illi collata, ornabat in ea sublimitatem generis, et natalium splendor gratiorem efficiebat mentis decorem et praestantiam virtutibus conciliatam. Fuit autem filia magnifici principis Bertholdi, Marchionis Moraviae, Comitis Tyrolensis. Matrem habuit Agnetem, non minori generis dignitate illustrem, utpote filiam cujusdam Marchionis et Comitis de Rochlechs. Illa vero tamquam nobilissimae arboris fructus egregius, de bonitate et suavitate saporis sui temporis diuturnitate nihil amisit, sed divinis potius auctum benedictionibus, posteris in Christo degustandum conservavit. Ab ipsa enim pueritiâ cor gerens senile, vitabat levitates omnes, et bonis sese assuefaciebat moribus, insolentesque ejus aetatis respuebat ineptias. Studebat innocentis vitae puritati, semperque honestati et gravitati diligentem navabat operam. In his vero omnibus, et aliis operibus suis, praeter homines, quos ejus parentes illi adhibuerant, ut bonis moribus ab eis institueretur, doctorem habuit Spiritum Sanctum, qui ab infantia docuit eam timere Deum, et abstinere ab omni peccato, ita ut mundam servarit animam suam ab omni concupiscentiâ, nec unquam cum ludentibus culpabiliter se miscuerit, neque cum iis, qui in levitate ambulabant, participem se praebuerit. In puerili enim aetate in monasterio Lutzingensi sacras litteras didicit, quarum studio et tempus suae juventutis expendit utiliter, atque ex earum intelligentiâ, postmodum internarum consolationum et devotionis gratiam hausit excellenter. Quatuor habuit fratres, sorores tres, quarum una Philippo Regi Franciae nupsit, altera Andreae Regi Hungariae, cui peperit laudatissimam illam et nunc in coelis gloriosam Elizabeth Turingiae Lantgraviam, cujus sanctissimum corpus Marpurgi quiescit. Tertia soror fuit Abbatissa sanctimonialium Ordinis sancti Benedicti in Lutzingensi Franconiae monasterio, de quo supra diximus. Unus fratrum ejus, Bertoldus, fuit Aquilejensis Patriarcha: alter Ekebertus, Babenbergensis Episcopus: reliqui duo, Otho et Henricus, militiae dediti, patri in principatu successerunt.

§ 2. Hedwigis vero, cum esset annos nata duodecim, praeclaro principi Henrico Duci Silesiae et Poloniae collocata est: quem illa, instar Sarae, cum timore Domini, non cum libidine sua, consensit suscipere. In eo enim contrahendo matrimonio non tam suam, quam parentum, voluntatem creditur secuta: id quod

abunde constare potest vel ex eo solo, quod postea mirâ quadam continentiâ sese constrinxit. Conjugali alligata vinculo, studebat, secundum Apostoli doctrinam, honorabile connubium et thorum immaculatum in omnibus custodire, leges ac jura matrimonii inviolata conservare, sperans per filiorum generationem se salvam fore. At nihilominus studio castitatis Deo placere desiderans, quantum licuit, ex mariti consensu, continentiae legem sibi indicebat. Nam simul atque se concepisse sentiret, a viri thoro usque ad puerperii completionem sese reverenter abstinuit. Atque hujus sanctae legis et honestae consuetudinis usum et cultum observandum suscepit a primae prolis suae conceptu, anno aetatis suae decimotertio, nec eum unquam intermisit, donec parere desineret. Tres vero peperit filios, Boleslaum, Conradum et Henricum; totidemque filias, Agnetem, Sophiam et Gertrudem; quibus in lucem editis, deinceps perpetuae se dedit continentiae. Atque hunc modum, in ipso quoque matrimonio continenter vivendi, a sancta Ecclesia approbatum, quascumque potuit edocebat: praecipue dominam Annam nurum suam, quam haud vulgariter amabat, seipsam ei hujus continentiae exemplum proponens. Felices sane matronas illas, quae matrimonii legibus obligatae, hujus beatae feminae conantur imitari exemplum: quae quidem non solum conceptâ, ut diximus, sobole, deinceps continenter vixit; sed etiam salutaribus consiliis et exhortationibus suis generosum maritum suum eo adduxit, ut cum ipsa sponte studeret continentiae, singulis annis toto Adventu et Quadragesima, diebus Quatuor Temporum, et sextis feriis, in vigiliis Sanctorum et feriis eorum, atque diebus Dominicis. Non enim putabat gratam eam esse Sanctis venerationem, nec Deo acceptum jejunium, quod cum carnis oblectamentis susciperetur. Itaque crebro illa cum marito suo toto mense, nonnunquam sex aut octo septimanis, tametsi uno lecto uterentur, a carnali copula penitus abstinuit. Ex ea igitur tam sancta radice, sancti quoque rami prodiere: et bona arbor bonos fructus protulit.

§ **3**. Qui enim ex eis nati sunt, divino cultui dediti fuere, eumque pro viribus augmentarunt. Filius eorum, Dux Henricus, patri in principatu succedens, vir Deo devotus, et bonorum operum studiosus fuit: idemque, ut fidelis et strenuus Christi miles, Tartaris pro Dei populo constanter se opposuit, fusoque sanguine mortem oppetiit, anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimoprimo, quinto Idus Aprilis. Filia eorum, domina Gertrudis, piorum parentum sectata vestigia, in virginea puritate perseverans, in Ordine Cisterciensi Christo servivit. Et quia felices hi conjuges piâ mente hujusmodi castimoniae laudabili exercitio, Deo benedicente, jugiter vacabant, et vitae munditiâ consectandâ sanctificabant corpora sua, ad majora pervenire meruerunt divinae gratiae incrementa: ita ut uno animo parique consensu, cum

Episcopi benedictione solemni, perpetuam continentiam sese servaturos promitterent *. Dei enim Spiritu corroborati, triginta circiter annos solo thoro separati, vitam duxere castitatis pulcritudine mirifice decoratam. Toto vero hoc tempore, Christi ancilla summopere in eam curam incumbebat, ne ea continentia, quae jam non paucis innotuerat, et saepe declarabatur multis haud obscuris indiciis, ulla ratione, in infirmorum animis, sinistrâ aliquâ suspicione obfuscaretur (quippe qui facile arripiant scandali materiam, et tamquam spinarum aculei terrâ obtrectatione pungant et lacerent bonorum operum rosas, quae apud illos crescunt). Atque eâ causâ adeo vitabat mariti sui colloquia, ut sola eum non adiret, nec ei loqueretur, nisi cum promovere cuperet apud eum opera pietatis, aut negotia religiosorum vel miserabilium hominum expedire. Neque id tamen faciebat, nisi in loco publico, vel in ecclesia, et vel pluribus, vel ut minimum duabus honestis personis praesentibus, et plerumque etiam verba ipsius audientibus. Immo ne in ipsa quidem ejus mala valetudine accessit eum, nisi adjunxisset sibi dominam Annam nurum suam, et alias quasdam dominas. Cumque esset in Trebniciensi monasterio, non raro in dormitorio sororum cubabat, tum pro sedulo devotionis studio, tum ob honestatis exemplum aliis praebendum.

§ 4. Porro famam bonam, quam in seipsa accurate excoluit, etiam in aliis diligenter conservavit. Religiosis enim hominibus ad eam venientibus, quietum et honestum hospitium procurabat, ubi extra secularium hominum tumultum et strepitus degentes, ora loquentium iniqua facilius possent declinare; totâque vitâ suâ operam dedit, ut sicut coram Deo sanctissime, ita etiam apud homines honestissime versaretur. Itaque semper honestam quoque voluit habere familiam in tota aula sua, maxime qui specialiter ejus ministeriis essent deputati; feminasque cubicularias, et alios officiales habuit bonis moribus et disciplina ornatos. Detractores, Deo odibiles, familiares habere noluit, eorumque obtrectationes, duas pariter animas, loquentis et audientis, interficientes, haud secus ac virus quoddam et serpentinos morsus, atque instrumenta maligni daemonis abominabatur. Et quia noverat in carne praeter carnem vivere, magni esse meriti et vitam Angelicam : ad complectendam conservandamque carnis integritatem et castitatem, quam ipsa a teneris annis semper amaverat, atque etiamnum impense amabat, quoscumque poterat invitabat. Eâ causâ, constructo Trebniciensi monasterio **, multas illic collegit feminas et virgines, quae Domino servirent in cordis et corporis puritate et castitate, ineffabilis gloriae coronas recepturae.

* Alludunt haec verba ad Matthaei XIII, 8 et 24, quem textum SS. Patres de triplici statu virginali, conjugali et viduali sunt interpretati. Vide Cornelium a Lapide.

** Parum distat a Wratislaviensi urbe coenobium Trebnicense, a S. Hedwige, sub honore et titulo S. Bartholomaei Apostoli, aedificatum. Hoc autem percelebre monasterium censibus et introitis ita instructum erat, ut facile mille feminas alere posset: quae procul dubio non omnes vitae claustrali addictae erant.

Inter quas suam quoque obtulit filiam Gertrudem, quae illic postea Abbatissa creata est. Multas quoque puellas virgines nobiles, quasdam etiam humili loco natas, parentibus orbatas et destitutas opibus, curandas ac tuendas suscepit: e quibus alias tradidit monasterio, ut virginitatem perpetuo servarent: alias junxit matrimonio, ut conjugalem sectarentur pudicitiam: ut sic Christo fideliter servientes, illae centesimum, istae tricesimum ab illo fructum exspectarent. Quasdam praeterea apud se viduas habuit, jejuniis et orationibus cum illa Anna Evangelica nocte ac die vacantes, ut fructum sibi sexagesimum compararent. Ita illa Christi ancilla non solum seipsam, sed etiam conjugem suum divino mancipavit cultui. Ita, pia mater prolem suam in Dei laudem religiose educavit. Sic humanissima domina familiae suae ministerium, Deo devotum et gratum efficere studuit. Ita denique famula Dei, morum elegantiâ et honestae ac inculpatae vitae exemplis mortales omnes, quantum quidem consequi potuit, ad melioris vitae studium provocavit. Christi namque charitate incensa, ad ejus amorem et famulatum optabat omnes perducere. Et quia intus conscientiae puritate, et foris charitatis splendore egregie enituit, fama nominis ejus in dies crescebat, et odore bono sanctitatis et existimationis ejus omnes vicinae afficiebantur. Ita non solum pro seculi dignitate, qua pollebat, sed magis etiam pro virtutum ornamentis, quibus fulgebat, habebatur venerabilis, non apud religiosos dumtaxat, sed etiam seculares homines: qui ejus cognoscentes opera bona, glorificabant Patrem qui in coelis est, qui tam praeclaram sanctitate sibi elegisset famulam, in qua mundo et solatium et auxilium paratum esse voluisset.

§ 5. At illa sciens Filium Dei, Dominum Jesum venisse in hunc mundum, ut homines non modo verbis, sed etiam exemplis humilitatem doceret, quoad poterat, in omnibus sesė submisse et humiliter gerebat, ad illarumque se feminarum mores conformabat, quarum est, secundum Apostolum, in timore sancta conversatio, et extrinsecus non capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus. Atque eâ causâ a juventute suâ vestes coccineas aut pannos magni pretii vel elegantiae habere noluit: tametsi cum adhuc juvencula esset, satis bonis uteretur indumentis: sed neque in iis tamen mundi expetebat pompam aut fastum, neque cultum corporis, neque mollitiem ullam, sed tantum status sui decorum observabat. Quod si vero cultiori quoque vestitu, aut exteriori ornatu, eoque modesto et ipsi congruenti, quod tempus sic posceret, ipsam inter homines apparere contigisset, nec sic quidem cordis pietatem et humilitatem deseruit. In ejus capite non crocea vel crispata cernebantur velamina, non in pectore monilia aurea, gemmis radiantia, neque in digitis annuli pretiosi. Omne enim

superbiae aut vanae gloriae signum cum Esther abominabatur, nec ferre voluit etiam in juventute. Postquam autem nonnihil in annis progressa fuit, et continentiae propositum jam ad effectum perduxit, omnem seculi ornatum contemnens, vestes seculares et coloribus tinctas prorsus rejecit, et panno cinericii coloris se induit; interim tamen in solemnitatibus undulata veste, eaque simplici utens.

§ 6. Cupiens autem in pietatis et humilitatis studio proficere ac prògredi, in fervore spiritus post Christum exiit extra castra, et cum parva familia se contulit Trebniciam, atque illic prope monasterium virginum Cisterciensis Ordinis Domino servivit, marito adhuc vivente, eique tum in hoc, tum in aliis recte factis annuente et assentiente: qui sane eô felicius tum Poloniae principatum administrabat, quod tam sanctae feminae non solum sanctitatem amaret, sed etiam virtutes sectaretur, atque in castitatis et humilitatis ejus, quas ipsa a Christo didicerat, vestigiis, quoad ejus fieri posset, insisteret. Nam Deo adspirante, et beatâ Hedwige continenter adhortante, jam prope monachus effectus erat, non quidem professione aut habitu, sed religiosâ animi pietate et humilitate, quae in ejus operibus relucebat. Tondebatur enim in rotundum, et barbam ferebat, non promissam quidem, sed moderatâ pilorum praecisione decenter compositam. Atque ea causa in hunc usque diem, cum ejus mentio incidit, Dux Henricus Barbatus appellatur. Et quamvis princeps esset magnificus, adeo tamen ex humilitate sese ad pauperes et tenuis fortunae homines accommodabat, ut nonnunquam oblata ab eis parvi pretii munera comiter acciperet, et eis caput inclinaret, gratius illud munus existimans, si rusticus aut pauper quispiam scutellam cum ovîs obtulisset, quam si dives longe majora; cogitabatque intra se vir pius: « En hic pauper, ut nostram sibi gratiam et benevolentiam conciliet, victum suum nobis offert: cui nos aliquod solatium referimus, si ejus munus grato animo accipiamus. » Non dubium, quin bonae mulieris hujus sit hic vir beatus: cui licet ea pro sexus et matrimonii conditione jure esset subdita, attamen in virtutum et religionis disciplina facta est magistra.

§ 7. Cum sic autem beata Hedwigis in Trebniciensi monasterio degeret, illarum quidem monacharum induit habitum, sed institutum illud monasticum professa non est, ut misericordiae operibus et consolandis pauperibus liberius vacare posset. Atque isthuc quidem filia ejus, quae in eo monasterio professionem fecerat, quoad Dux Henricus supervixit, in ea dissimulavit. Illo vero defuncto, summopere institit apud eam, ut obedientiae votum nuncuparet. At illa respondit: « Num ignoras, filia, quanti sit meriti praestare eleemosynas? » Atque ita filiae instantiam nonnihil avertebat, non quod parvum existimaret obedientiae meritum; sed quia monasterium illud ipsa condiderat, cupiebat

illud magis magisque promovere, et propter Christum pauperes consolari. Interim tamen in monasterio manens, in servando silentio aliisque monasterii institutis et legibus, et vitae asperitate monachas omnes anteibat. Non est autem silentio praetereundum, quandoquidem de vestium ejus humilitate jam quaedam diximus, vestimentum novum haudquaquam illam induere voluisse, nisi prius alia e sociabus, eo usa esset, atque nonnihil illud detrivisset. Interdum usque eo, humilitatis causâ, vestem aliquam ferebat, ut jam stamina in ea perspicue apparerent. Cum aliquando soror quaedam ei familiaris vidisset attrito admodum pallio eam utentem, ait ad eam : « Usqueadeone delectat te, domina, hujus pallii usus? Sine me, obsecro, auferre illud, et dare pauperi. » Respondit illa blande et suaviter, ut erat mitis et humilis : « Si te offendit haec res, ocius me corrigam ; » moxque aliud pallium sibi comparans, detritum illud amovit, hoc uno facto geminum praestans humilitatis officium, quando Christi causa non erubuit vili vestimento indui, et ad commonitionem simplicis sororis illud ipsum celeriter deposuit : simul etiam eo ipso praeclare docens, debere hominem libenter admittere sana consilia, et in suo sensu et sententia haudquaquam esse pertinacem.

§ 8. Solebat etiam haec Christi famula de se semper viliter, de aliis sublimiter, sentire. Nam suo judicio non erat ipsa aliud quam peccatrix, licet revera conscientiae puritate coram Deo et Angelis ejus vas esset omni sanctitate plenum, et coram hominibus optimis vitae exemplis illustre sese speculum exhiberet. Sanctitatem igitur, qua se destitutam putabat, in aliis, quos bonos credebat, miro quodam studio et affectu amplecti, et ferventissimâ animi devotione imitari non destitit. In spiritu enim humilitatis et animo contrito ea loca, in quibus stantes aut precantes viderat homines religiosos, vel pro suo judicio bonos, cum esset data opportunitas, in genua humiliter se submittens, labiis impressis exosculabatur : sororibus quoque comedentibus, in choro adibat loca, in quibus illae stare solebant, et singulis oscula affigebat. Itemque ad dormitorium earum ascendens, omnes gradus, per quos illae ascendebant, scabella quoque ante lectos earum posita, atque ipsas etiam virgas, quibus dabantur eis disciplinae, ut vocant, mira humilitate ex animi devotione exosculabatur : quippe quae sanctum putaret, quicquid tetigissent illae sanctimoniales, et omnes Domino servientes. Itaque quod illi pro suo usu tractabant, id illa reverenter deosculabatur : ut bonorum et justorum hominum, quos in rebus inanimatis venerabatur, meritis et peccatorum veniam, et gratiae incrementa impetraret. Neque poterat haec quotidiana humilitatis exercitatio absque admiranda interioris hominis suavitate fieri. Ut vero Dominus, qui in orationem humilium respicit, eam praevenerit in benedictionibus dulcedinis, ex sequenti exemplo aestimare licebit.

§ **9**. Quadam die sanctimonialis quaedam in monasterio Trebniciensi scire cupiens, quemadmodum Christi ancilla sola remanens in ecclesia, se in divino exerceret famulatu, caeteris sororibus ad mensam discumbentibus, clam intravit in chorum: ibique delitescens, vidit illam post singula loca, in quibus monachae stare solebant, exosculata, coram altari Sanctissimae Matris Dei humi prostratam, gratias agere more suo omnium Creatori. Ei vero altari imminet Crux non exigua, expressam habens Crucifixi imaginem. Ibi ergo sic prostrata, cum prolixius oraret, uti consueverat, imago illa Crucifixi, a Cruce retracta manu et brachio dextro, illi benedixit, dicens clara voce: « Exaudita est oratio tua: impetrabis ea quae petiisti. » Verisimile est eam tunc orasse, ut et monachae, quarum vestigia crebro exosculabatur, in bonis perseverarent, et meritorum illarum ipsa esset particeps. Ad ejusmodi humilitatis exercitia, quibus illa se sciebat delectari, quoscumque poterat, et exhortationibus et exemplis sedulo invitabat. Saepe veniens ad mantilia, quibus sorores a lotione manus tergebant suas, ubi majores vidit impressas sordes, ibi prae amore et humilitate oscula fortius affigebat, et cum illis mantilibus Crucis signum exprimens, oculos et pectus suum tamquam cum pretiosis quibusdam reliquiis consignabat. Illâ etiam aquâ, qua sorores illae pedes suos abluerant, crebro contingebat oculos suos, et plerumque faciem totam vel etiam caput totum et collum, nepotulorumque suorum, quos ex filio habuit, facies et capita non raro lavit, plane sibi persuadens et firmiter sperans, sororum sanctitatem, quam illa aqua attigisset, et ipsi, et pueris illis salutem allaturam. Nurum suam, dominam Annam, ad similia facienda accurate adhortari solebat: exemploque piissimi Salvatoris nostri, abluentis pedes pauperum discipulorum suorum, non mediocriter incitata, flexis genibus, saepissime lavabat pauperum pedes aquâ calidâ, quam a ministris acceptam, famulae illi offerebant. Nec hoc contenta, lotos eorum pedes et extersos linteo, exosculabatur, itemque manus: datâque illis eleemosynâ, semper bene consolatos a se dimittere studebat. In Coena Domini, amore ejus qui propter nos voluit ut leprosus haberi, aliquot leprosorum pedes lavabat, et eosdem novis induebat vestibus.

§ **10**. Porro paupertatem Domini Jesu, qui propter nos, cum dives esset, egenus factus est, tanto complectebatur affectu, et studio venerabatur, ut semper apud se pauperes habere vellet, praesertim cum discumberet, quibus etiam magnâ animi humilitate, priusquam ad mensam sederet, sua manu, flexis genibus, cibos ministrabat. Deinde ad mensam residens, nolebat potum sumere, nisi prius ex ejus scypho bibisset pauper ille, qui inter alios deformior videretur. Loca etiam, in quibus pauperes sederant, quando id secreto fieri potuit, appressis labiis suis osculabatur:

atque ita Christum in pauperibus, tamquam specialibus ejus amicis, honorabat. Petebat quandoque per sororem vel monacham pro pauperum levamento a mensa monialium afferri sibi fragmenta panis, pro quibus illa reddebat sorori ea apportanti integros panes similagineos. Monasteria religiosorum, possessiones habentium, saepe liberali quadam pietate visitare solebat, et extra septa eorum degens, cavebat, ne quid molestiae aut gravaminis caperent, nec quemquam e suis sinebat quicquam ex illorum rebus per vim contingere. Et quia cibos religiosorum hominum, sanctorum Angelorum escam putabat, fragmina panum a monachorum et monacharum mensis collecta, a mendicis quoque, quibus ea dabantur, pretio redimebat, et priusquam inde ederet, multa oscula eis imprimebat. Cumque nollet diu carere ejusmodi pauperum epulis, quae ei dulces erant, duas pauperes feminas pretio conduxerat, ut alternis hebdomadibus ad portam Lubensis monasterii * accederent, et quicquid casei et panis a mensa monachorum pro eleemosyna accepissent, ipsi apportarent, pro deliciis illud habiturae. A mensa etiam, ad quam monachi, ipsâ interdum eos invitante, cibos sumpserant, praecisas panis crustas vel particulas ab illis relictas colligebat, et tamquam Sanctorum Reliquias, admodum reverenter pro cibo suo conservabat. Malebat enim cum paupere Lazaro buccellis mendicorum rèfici, quam delicatis panibus et cibis saturari, animo retinens verbum illius Chananaeae mulieris magnae fidei, etiam catellos edere de micis quae cadant de mensis dominorum suorum. Persuaserat enim sibi, pauperes omnes, et praesertim religiosos, esse suos dominos, non quidem divitiis, sed sanctitate: itaque delectabat eam vesci reliquiis ciborum, quibus illi usi essent. Christi quoque catulis, id est, vere humilibus et pauperculis, mundo despectis, quoad posset, sese conformare cupiens, crebro ab illis quos accuratius alebat, ciborum reliquias emendicare non erubuit. Eam vero humilitatem, quam in vita sua studiose coluit, sub mortem quoque sectata est. Cum enim tum ageretur de loco sepulturae ejus, illa petebat humiliter in communi monacharum coemeterio, aut certe in humillimo ecclesiae loco, sepeliri, qua de re dicetur infra capite de spiritu prophetiae. Ita illa et vivens et moriens constanter inhaesit in vestigiis Christi, dicentis: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* 11).

§ **11**. Patientiam quoque humilitatis comitem et amicam, omnibus necessariam volentibus possidere animas suas, ut Christus ait, diligentissime conservavit, nulli unquam irascens, aut duriter respondens; sed omnes comiter appellans et àlloquens, verbis consolatoriis cunctis se praebebat affabilem semper, quantum quidem fas esset, religiosâ maturitate servatâ. Quisquis ille

* Lubense monasterium fundatum fuit, circa annum 1050, a Casimiro I, Poloniae rege, qui antea Ordini S. Benedicti sese addixerat.

esset, qui aliquid ei molestiae aut quod perturbationem afferre posset, quavis ratione intulisset, nihil ab ea audivit, nisi hoc dumtaxat, aut quippiam ejusmodi, placide et leniter ab ea prolatum : Cur hoc fecisti? Ignoscat tibi Deus. Ea illius fuere erga eos, qui molestiam ei exhiberent, convicia et improperia, atque hunc in modum illos ulciscebatur. Accidit quandoque, ut unus ex ministris ejus dicebatur is Chualizlaus, postea sancti Dominici institutum complexus, tres ejus elegantes scyphos argenteos perderet. At illa nunquam id ei improperavit, nulla commoti animi signa ostendit, nec aliud dixit, nisi : Abi, et quaere diligentius, si forte possis invenire quod negligenter custodivisti; idque tanta modestia pronunciavit, ut aegre ferre non posset homo ejus culpae reus, quemadmodum ipse postea testatus est. In iis rebus, quae magnam possent afferre perturbationem, virilem semper atque constantem animum, et jucundam faciem exhibebat, hoc ipso docens, patientiâ molestiam omnem superandam. Cum nuncium accepisset capti et graviter vulnerati mariti sui Ducis Henrici, quem Conradus, Cirnensium Dux *, ceperat, tranquillo animo mitissime respondit : « Spero brevi eum liberatum iri a Domino, et vulneribus ejus integram adfuturam sanitatem : » quod et factum est. Cum enim Ducem illum Conradum nullis quamvis aequis conditionibus post multos tractatus quisquam permovere posset, ut captivum principem dimitteret, tandem visum est, armis subditorum suorum vi illum extorquère, et in libertatem vindicare. Sed Christi ancilla, Hedwigis, exhorrescens ad futuram Christianorum stragem, fundendumque sanguinem, pro omnium salute sese exponens, ad Ducem Conradum profecta est. Qui, ut eam conspexit, perinde ac si Angelum Dei vidisset, subito pavore corripitur, ferocem animum, hactenus inflexibilem, deponit, init concordiam, et Ducem Henricum dimittit. Sic illa omnipotentis Dei amica, dum in seipsa praeclaro conatu impatientiae et indignationis motus prorsus èdomat, in aliis etiam virtute mirificâ eos còmprimit. Sunt etiam alia patientiae ejus exempla, tum nostrae aedificationis, tum ejus encomii causâ, haudquaquam omittenda.

§ **12**. Mortuo Duce Henrico, ejus marito, anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo octavo, cum sorores seu monachae omnes Trebniciensis coenobii, tanto patrono amisso, acerbissime lugerent, ut prae lacrymis propemodum deficere, et multae ex eis velut exanimes viderentur, illa siccis oculis muliebris animi in eis mollitiem reprehendebat: « Quid ita, inquit, turbamini? Adeone divinae vos vultis resistere voluntati? Non sane id expedit nobis, carissimae: quando Creator et potest et debet facere de sua creatura absque ullo taedio nostro, quod ejus clementiae visum sit; et quicquid ille de nobis et circa nos

* In *Chronica* Principum Polonorum, Conradus vocatur Dux Cujaviae et Masouiae.

agit, id nobis praecipuò debet esse solatio, quippe quae ab illo conditae sumus. » Haec et iis consimilia dicens, nitebatur sororum compescere lacrymas, et earum immodicos dolores mitigare. Et cum ipsi vel maxime adesset causa dolendi, illas consolabatur: non quod mariti morte gauderet, quem in Domino impense amabat, utpote virum virtutibus ornatum, et populo ac reipublicae utilem: sed quod divinae voluntati per omnia se vellet subdere, atque ita constantiae et patientiae exempla in illa sua afflictione sororibus praebere. Eundem in modum, ubi comperit filium suum Henricum Ducem a Tartaris in proelio occisum, sine ullis lacrymis, atque sine ullo doloris signo, filiam suam Abbatissam Trebniciensem, et nurum suam, ejus Henrici conjugem, prae nimio dolore prope exanimatas, his verbis consolabatur: « Voluntas Dei est, et nobis gratum esse debet, quicquid vult Deus, et illi placet. » Eadem hora, exultante spiritu ejus in Domino, in coelum sublatis oculis et manibus: « Gratias, inquit, tibi ago, Domine, quod talem mihi dedisti filium, qui me, dum vixit, semper amavit, et magnam mihi praestitit reverentiam, nec unquam mihi ulla in re molestus fuit. Et quamvis libenter admodum vellem eum habere superstitem, at tamen multum gratulor ei, quod profuso sanguine, tibi Creatori suo jam est conjunctus in coelis. Ego ejus animam tibi, Domine Deus, accurate commendo. » Hujusmodi patientiae et humilitatis donis, quibus ipsa, Dei benignitate, excelluit, optima de se proximis exhibebat exempla, illosque non modo in secundis rebus, sed etiam in adversis confirmabat: humilitate sua docens, ne quem prospera efferrent; patientia vero, ne adversa opprimerent.

§ **13**. Ut Christo, qui pro omnibus mortuus est, vivere posset, beata Hedwigis membra sui corporis poenarum flagellis jugiter mortificabat, quotidianae castigationis Crucem tollens in humeros suos, et post Christum virili pectore incedens: pro cujus amore non formidabat occisionis ovicula fieri, cum ille immensâ charitate permotus, pro salute omnium voluerit crucifigi. In carne enim sua afflictionum mucrone trucidabat vitia, bestiales frenabat motus, sensuum exteriorum petulantiam domabat, et ad gratiae capessenda incrementa, virtutumque profectum, hominem interiorem coaptabat. Quotidiano sese afficiebat jejunio, exceptis tamen Dominicis diebus et praecipuis quibusdam solemnitatibus, quibus nonnunquam bis cibum capiebat. Ab esu carnium, et earum rerum, quae essent carnis adipe saginatae, abstinuit omnino, idque annis plus minus quadraginta, nec ullius unquam vel precibus, vel objurgationibus adduci potuit, ut tam bonam consuetudinem intermitteret. Ejus enim frater germanus, dominus Ekebertus, Babenbergensis Episcopus *, quem

* Is episcopatum gessit ab anno 1203 ad 1237; et neptem suam, S. Elisabeth Thuringicam, excepit, fovitque.

et reverentiâ et amore prosequebatur, uti par erat fratrem, quandoque stomachabundus eam reprehendit, quod ejusmodi cibis minime vesceretur. Sed illa tamen eum morem et institutum suum relinquere noluit propter hominem quantumcumque carum, cum illud pro Christi amore jam olim suscepisset, et ejus freta ope, usque ad extremum vitae diem pròsequi statuisset. Vivente adhuc marito ejus, et necdum satis cognitâ ejus abstinentiâ et venerandâ religione, parcius edebat illis diebus, quibus alii carnibus vescebantur, quam quibus esset indictum jejunium, ut eâ sanctâ simulatione falleret ministros suos. Scindendo enim proposito cibo, atque hinc inde in scutella volvendo, et perinde ac si ederet, carnes contingendo, mirâ cautione effecit, ut advertere non possent eam abstinere ab illis. Unde fiebat, ut cibos ei non apponerent jejunio congruentes, et illa a mensa crebro surgeret ventre quidem vacuo, sed mente spiritali gaudio abundante, et in Deo bene jucunda. Cum sic igitur in illa carnium abstinentiâ perseveraret, Wilhelmus, Mutinensis Episcopus, Apostolicae Sedis legatus, in Poloniam veniens, ei aegrotanti praecepit, ut carnes ederet. At illa fecit quidem, quod erat jussa, sed tamen asserebat se plus animo gravari ob comesas carnes, quam corpore affligeretur ex morbo illo, quo tum non parum molesto laborabat.

§ **14**. Porro autem intelligens eadem ipsa a Deo docta, et superno illustrata lumine, discretionem sive moderationem, virtutum esse aurigam, nec bona opera Deo oblata, illi grata esse, si discretionis sale careant: in castigando corpore opportunam adhibebat moderationem, et quoad fieri potuit, diligenter operam dabat, ut asinum animae, id est, corpus suum et dure satis flagellaret, et tamen cibo necessario sustentaret: ne, si forte praeter modum illud oneraret, prius sub fasce corrueret, quam pondus diei et aestum ferendo, usque ad tempus remunerationis divinitus constitutum posset perdurare. Hanc proculdubio ob causam sic abstinentiae modum victusque rationem per singulos dies sibi praescripserat, ut die Dominico, tertiâ et quintâ feriâ, piscibus et lactariis, sabbato et secundâ feriâ aridis leguminibus, quarto et sexto die pane et aquâ dumtaxat vesceretur. Quam abstinendi rationem cum aliquandiu in servitio Dei observasset, postea spiritu magis corroborata, quotidie aridis tantum leguminibus et pane rudi similagineo victitabat, decoctam semper aquam bibens, demptis diebus Dominicis et quibusdam magnis solemnitatibus: quibus, cogente eam Episcopo et confessariis ejus, bis utebatur, piscibus et lactariis, bibebatque cervisiam, interdum tamen vix ad id inducta precibus cum ipsa commorantium dominarum.

§ **15**. Multis diebus in Adventu Domini et magna Quadragesima *, multorum quoque Sanctorum et Sanctarum, praecipue

* *Quadragesima magna* est jejunium, quod solemnitatem paschalem praecedit: tres nempe numerantur Quadragesimae, ante Nativitatem Domini, ante Pascha et post Pentecostem.

vero Apostolorum pridianis diebus sive vigiliis, sextâque feriâ, pane et aquâ contenta fuit; neque tamen de ejusmodi tenui victu, debili corpusculo suo, quod satis esset, suppeditavit, tres tantum buccellas accipiens, panemque cinere permixtum non raro iis diebus manducans. Atque ejusmodi jejunium nullo pacto intermittere voluit, donec notabiliter deficere se sentiret viribus: tum vero utebatur leguminibus et pulte cervisiâ excocta. Cum aliquando ei diceretur, cur tot diebus, et in Sanctorum pervigiliis tam durum sibi indiceret jejunium, illa respondit: « Sancti nobis sunt necessarii, meritoque eos venerari debemus, ut nobis subveniant, et in morte assistant. Tum quoque corporali jejunio constat vitia còmprimi, mentem ad coelestia elevari, virtutesque et aeterna praemia a Deo impetrari. Unde etiam satis et utile et necessarium duco, carnem macerare abstinentiâ. » Juvenes quidam nobilium filii, in ejus aula degentes, interdum dicere solebant: « Deus nos servet a tali dominio, quale prae se fert domina nostra, quae solo pane et aqua victitat. » Dicebant autem hoc illi, non quod quicquam eis deesset, sed quod tam duram dominae suae Hedwigis abstinentiam mirarentur.

§ **16**. Accusata aliquando fuit apud maritum suum, quod perpetuo aquam biberet. Id vero ille indigne ferens, et plus satis immoderatum, atque earum, quas crebro patiebatur, aegritudinum causam esse existimans, inde eam revocare voluit. Accessit igitur praeter exspectationem ad locum, ubi illa ad mensam, cibum sumptura, sedebat: tollensque scyphum coram illa positum, in quo aqua erat, bibit ex eo. Et ecce non nisi boni vini gustum percipit, cum tamen revera aqua infusa esset. Ait igitur illi qui eam detulerat: « Dignus profecto esses, cui ob hoc mendacium oculi effoderentur. » Nesciebat enim factum illud a Domino, quod eâ causâ mirabile erat in oculis illic ei ministrantium, qui sciebant quid ei bibendum obtulissent, nempe aquam puram; quae tamen mox in vinum mutata fuit. Quod cum certius cognoscere vellent qui illi aquam apposuerant, posteaquam Dux bibit, etiam inde biberunt: cognoscentesque divinum miraculum, propter sanctae Hedwigis merita patratum, Deum collaudabant. In his, qui ex aqua illa in vinum mutata biberunt, fuit etiam Adelheidis, uxor quondam Theodorici de Janonicz, equestris ordinis viri, femina in bonis operibus fervens, et quae bis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina Romae visitarit. Cujus testimonium tanto plus debet habere ponderis, quanto ejus vita fuit bonorum operum studio ornatior. Tali ergo miraculo Deus et delatores famulae suae compescuit, et ejus devotionem, ac pietatem magis etiam confirmavit.

§ **17**. Praeter ea vero, quae jam dicta sunt de illius perpetuo et admodum rigido jejunio, illud quoque eam admirabilem, etsi non omnibus imitabilem, reddit, quod licet parum ederet, et

magnâ cibi parsimoniâ uteretur, adeo ut etiam permulti admirarentur eam in tanta abstinentia et inedia vivere posse; illi tamen sufficere videbatur hoc ipsum quod edebat, et poterat merito sufficere, quando eam virtus Altissimi confortabat. Quamobrem etiam magistro Aegidio, Vratislaviensi Archidiacono, magnae sanae severitatis viro, objurganti eam quod tam parum cibi acciperet, ita respondit: « Ego còmedo, quantum satis est mihi. » Noverat enim alimenta sic accipienda esse, quemadmodum medicamenta. Tantum igitur edens, quantum sufficeret ad naturae necessariam sustentationem, summopere sibi a superfluo cibo cavebat.

§ **18**. Etsi autem Christo, propter nos in Cruce nudato, omnimoda sui denudatione conformare se non posset, at tamen constantissime eum imitari nitebatur in vestitus tenuitate et penuria: ita ut vix ea sibi corporis indumenta retineret, quibus ad se contegendum carêre non potest natura per peccatum deformata. Abjectis igitur multivariis, quibus abundabat, vestimentis, itemque pelliceis et pellibus delicatis, unâ solâ tunicâ et pallio simplici, hieme et aestate, in frigore et calore, macie confectum tegebat corpusculum, adeo jejuniis attenuatum, ut sub cute squallidâ et pallidâ, atque ob flagellorum ictus et algores lividâ et hispidâ, non nisi ossa marcida relicta viderentur. Sed quia intus fervebat charitatis ardore, non magnipendebat frigora, quae corpus extrinsecus pateretur. Non raro visa est a feminis quibusdam, asperiori praesertim hieme, prorsus gelida: quibus tamen rogantibus, ut nonnihil sibi indulgeret indutis calceis, illa respondebat se calceos induturam, cum esset opportunum; atque ita nihilo minus in oratione perseverabat. Nec mirum, quod seminuda et discalceata etiam in ipsis hibernis frigoribus, cum alii etiam bene vestiti viderentur deficere, tamdiu potuit in prece durare: quandoquidem intra illam cor ejus adeo incaluerat, atque in ejus meditatione intantum divinus ignis exarserat, ut inde ignea quaedam vis foras erumpens, non solum illi, sed etiam alteri frigus corpori impressum temperaret. Accidit enim quodam hiberno tempore, ut cum prolixius devotionis suae exercitiis inhaereret, famula illam esxpectans, nimio constricta algore, indicare ei cogeretur, se frigoris acerbitatem diutius ferre non posse. Illa hoc audiens, jussit eam loco illo, quo ipsa nudis steterat pedibus, consistere. Fecit sic ancilla, et mox, pulso intolerabili frigore, suavi se calore affici persensit. Erat quidem illa tenero corpore, sed ambulabat vias duras, Christumque etiam corpore sequendo, nudis pedibus per nives et glaciem ingrediebatur. Interim nihilo minus semper apud se calceos simplices, in quibus nihil panni, nulli socci inessent, sub axillis ferebat, eosque tum induebat tantum, cum eundum ei esset obviam personis venerabilibus: quibus abeuntibus, confestim eos exuebat. Sed quia in factis suis soli Deo, qui videt in abscondito, placere cupiebat, humanasque

laudes fugere, ne quis adverteret crebro nudis eam ambulare pedibus, cum iret ad templum, nonnunquam calceis usa fuit: quo cum pervenisset, mox detractis calceis, in nudo residens pavimento, in preces incumbebat. Atque hoc pacto intuentium oculos prudenter fefellit, maxime vivente adhuc marito, quem initio, cum primum ita se gerere coepit, non immerito cum quadam erga illum reverentiâ reformidabat, ne forte hujusmodi bona studia ei interdiceret, praesertim si quid humanum principio pateretur, postea ubi accessisset consuetudo ita faciendi, facile illa dissimulaturus, eique permissurus, crescente in illo erga Deum pietate et devotione.

§ **19**. Accidit aliquando, ut illa more suo sine calceis incedente, praeter opinionem maritus ejus, Dux Henricus, ei veniret obviam, nec posset prae temporis angustia calceos induere. Sed quod humanitus ipsa facere non potuit, ille, pro cujus amore nudis incedebat pedibus, non sine miraculo effecit. Mox enim coram marito calceata apparuit, atque ita ejus et indignationem, et improperia vitavit. Quandoque vel oblivione, vel negligentiâ ambulanti illi calcei ab axillis decidebant, eosque famulae aut aliae ejus familiares invenientes, ei reddebant. Confessarii ejus crebro eam hortabantur, ut calceis uteretur, et dominus Guntherus Abbas, tunc ejus confessarius, novos ei calceos obtulit, praecepitque graviter, ut eos ferret. Illa grato animo accipiens, tulit eos, non in pedibus, sed suo more sub axillis. Evoluto anni circulo, Abbas eam inobedientiae arguit, quod non tulisset calceos. Tum illa eos, ita ut acceperat, nihil attritos, sed recentes atque integros proferens, submissa voce ait: « Immo, pater, obediens fui: en hi sunt calcei, quos dedisti mihi, quos ego saepe tuli. »

§ **20**. Cum jam post longam corporis macerationem admodum fractis esset viribus, domina Anna nurus ejus, rogavit fratrem Herbordum Franciscanum, tunc ejus confessarium, ut eam praecepto adigeret ad calceos induendos. Illa, hoc accepto mandato, pannos laneos imposuit pedibus suis; calceos vero, ut erat solita, sub ulnis portavit, donec ad illum suum confessarium venit, et precum instantia ab eo impetravit, ut liceret ipsi usque in finem vitae, ita ut consuevisset, nudis pedibus ingredi. Saepe lutulentos habuit pedes, et tamen raro sinebat eos ablui. Calcanei ejus, quibus nudis terram terebat, crassi erant et duri, multis locis fissi, ita ut magna iis scissuris posset festuca imponi, immo etiam digitus, quemadmodum Juliana monacha Trebniciensis comperit, quae eas se inspexisse testata est apud examinatores. Cum enim aliquando in Coena Domini Gertrudis Abbatissa, filia sanctae Hedwigis, pedes sororum ablueret, ut habet mandatum Domini, atque tandem ordine veniret ad matrem, quae ibi tum aderat, eam, ut sorores alias, flexis genibus, lavare voluit. Sed ea humiliter recusante, Abbatissa surgere noluit, donec

maternos pedes reverenter ablueret. Perseverante igitur Abbatissâ, et piâ quadam pertinaciâ in proposito permanente. tandem ejus precibus victa mater humillima, pedes lavandos exhibuit. Tumque Juliana soror, quae pelvim, in qua erat aqua, tenebat, vidit tam magnas in ejus pedibus scissuras, unde saepenumero cruor manabat frigido tempore: quem quidem, ipsa nesciente, in luto et nive familia eam subsequens, adhuc recentem, non raro conspexit. Viderunt etiam feminae, ei familiariter ministrantes, quemadmodum sanguis e plantis ejus erumpens, illis inhaereret. Cum post orationem quandoque fatigata, quietem captura, sese ad hypocaustum * contulisset, somno pressa obdormivit. Soror vero Jutha, monacha Trebniciensis, quae ei tum serviebat, superveniens, vidit concretum sanguinem, qui de pedum hiantibus rimis effluxerat, ipsis pedibus nonnihil extra vestimentum prominentibus. Itaque admirans severitatem poenitentiae, quam in sancta illa Dei famula cernebat, caute aliis eam indicavit. Quantacumque esset frigoris asperitas, nudis semper manibus tenebat Psalterium, cum illud legeret, et candelam. Orans etiam, nudis manuum articulis terrae saepius incumbebat: quae res in causa fuit, ut et manus ejus multis locis essent ruptae, e quibus saepe sanguis guttatim effluebat. Quae quidem sanctitatis signa licet ipsa accurate absconderet, at saepe tamen visa sunt a famulabus ei ministrantibus, cum aquam lavandis manibus ejus infunderent: nec potuit diu latère omnes quod ad gloriam suam Deus quandoque voluit fieri manifestum.

§ **21**. Asperum cilicium, e setis equorum confectum, ad nudum corpus ferebat, cui manicas albas e panno assuerat, ut pie eluderet oculos intuentium, ne ab eis latens intrinsecus vestis aspera cerneretur. Zonam quoque nodosam, ex equorum setis contortam, ad lumbos suos ferebat, eis adeo adstrictam, ut e carnibus ejus misere laceratis, oportuerit per familiares ei feminas ab ejus corpore eam èxtrahi et avelli et saniem ab ipsis putrefactis carnibus pannis mollioribus abstergi. Vir quidam religiosus ex Ordine Templariorum, zonam ejus generis, diligenter sacculo inclusam, ei obtulit corde simplici et religioso, praesente domina Anna nuru ejus, quae specialis familiaritatis freta fiduciâ, oblatum ei sacculum aperuit: cernensque in eo tam dirum lacerandae fragilis corpusculi instrumentum, multum animo commota, virum illum, qui zonam obtulerat, asperis objurgavit verbis, quod tale munus tali dominae exhibere ausus esset. Quod Dei famula audiens, ut erat semper mitis et placida, blandâ voce compescuit nurum: « Desine, inquiens, filia stomachari, et hominem divinum reprehendere. Dei enim voluntas est, quod ille fecit. Si enim Domino non placeret, ut zona hac ego salutariter utar, non fecisset ut pro munere mihi ab hoc homine offerretur.» Illa enim zona,

* Seu *calefactorium*.

qua prius lumbos strinxerat, quaeque corpus ejus diu corroserat, jam erat consumpta. Itaque novam hanc, tamquam a Domino missam, hilariter accepit. Verum domina Anna secum perpendens, in illa, diuturnis afflictionibus jam tunç pene confecta et viribus destituta, id quod supererat virium, ejusmodi zonae cruciatu penitus enervatum iri: fratrem Herbordum ejus confessarium rogavit, ut ei ob immoderatum rigorem, conscientiae scrupulum et religionem injiceret, atque hoc cruciamenti genus severissime interdiceret, compelleretque eam, rejecto cilicio et zonâ illâ, corpusculo suo molliorem tunicam adhibere. Ubi vero confessarius in eam rem incubuit, consiliisque eam flectere instituit, illa tristis dixit: « Deus ignoscat filiae meae, quod meum voluit secretum prodere: » nec tamen cilicinam deposuit vestem, sed usque in supremum vitae diem se illa castigans, in eâ defuncta est *. Ut enim salutis fructibus opulenta foret, glebam corporis sui continue conterebat, et agrum suum coluit diligenter, nullius neque precibus, neque consiliis acquiescens, cum ex iis se sentiret pati impedimenta. Quamobrem filius ejus, Dux Henricus ei, ut par erat, còndolens, saepius queribundus dicebat: « Matrem meam nullis possum precibus eo adducere, ut velit aliquid remittere de corporis sui afflictionibus et cruciamentis. Sed poterat illa ex sententia dicere cum Apostolo: Omnia possum in eo qui me confortat; vires enim, quas negabat muliebris infirmitas, virtus divina mirandum in modum illi suppeditabat.

§ 22. Lectus ei ita, ut decebat principem feminam et ducissam, praeparabatur: sed illa in eo non cubabat, in tabulis ligneis, aut pavimento corio instrato, somno eam post diuturnas vespertinas preces et vigilias opprimente, sese reponens. Si vero debili et infirmo nimiumque defatigato corpori interdum plusculum indulgere vellet, in straminibus panno crasso opertis, aut in sacco ad tempus aliquod cubavit. In culcitra vero nunquam, quantumlibet aegrota, dormire voluit. Fuit aliquando aegrotanti substrata culcitra: sed simul atque sensit, eam jussit amoveri. Porro supra humanas vires sacris vigiliis insistebat. Ad nocturnas enim preces saepe ante signum surgebat, nec postea redibat ad lectum, ut somni beneficio se recrearet: sed pèrvigil in orationibus pèrmanens, meditabatur nocte cum corde suo, et scopebat non solum fusis lacrymis spiritum suum, sed etiam scoparum verberibus corpus suum, acerrime illud flagellans. Sub illis enim nocturnis precibus, quas Matutinas vocant, in locum illum, qui Capitulum dicitur, ingrediens, usque adeo se caedebat virgis, ut guttae sanguinis de ejus corpore in corium manantes, ab aliis postea viderentur. Nec contenta plagis, quas suis ipsa manibus

* Ne S. Hedwigem defecisse putemus ab ea humilitate et simplicitate, quae superius extollitur, verisimile habendum est ipsam a suo confessario, Herbordo, demum consecutam fuisse, ut tam horribili cilicio corpus suum libere vexaret.

sibi inferebat, etiam quasdam familiares feminas permovit, ut ipsam crebro usque ad sanguinis effusionem flagellarent, quemadmodum postea illae cum lacrymis retulerunt. Rogata enim aliquando domina Demundis, cur fleret, respondit: « Et qui tandem possim non flere, quando cogor hominem flagellare, donec erumpat sanguis, in qua non nisi ossa sunt, arida cute contecta? » Dicebat hoc utique de beata Hedwige dómina sua, cui semper familiarissima fuit, eamque, illa jubente, flagellis cecìdit, idque praecipue in Quadragesima, in Sanctorum Vigiliis, diebus Quatuor Temporum, et sextis feriis ob memoriam Dominicae Passionis. Soror quoque Victoria, monialis Trebniciensis, tum jussis, tum precibus ejus compulsa, illam eumdem in modum saepissime flagellavit, uti post examinatores ab ejus ore didicerunt. Ita nimirum coelestis haec colona, mente in coelis habitans, culturâ spiritali carnis humum quotidie virgis proscindebat, solemnibus dumtaxat diebus exceptis. Sed neque morbi eam revocarunt, quo minus etiam male valens se virgis caedi juberet. Et nitebatur illa quidem hujusmodi duras corporis castigationes, quas ab aliis clam sibi volebat adhiberi, reliquos penitus celare, sed tamen id obtinere non potuit, praesertim quod acres virgarum vel flagellorum ictus, pedisequarum ejus, foris praestolantium, aures ferirent. Itaque nec fores diligenter obseratae, nec custodes quae sufficerent, illis appositae, id efficere potuerunt, ut ad hominum notitiam non pervenirent. Sed quia paucis explicari non potest, quemadmodum haec Christi famula carnem suam continenter crucifixerit cum vitiis et concupiscentiis, verba dominae Annae nurus ejus, caput hoc de asperitate vitae ejus absolvent: ea enim dicere solebat: « Vitas multorum Sanctorum cognitas habeo: sed nunquam quicquam in illis tam durum et asperum didici, quod non in Hedwige aut majus, aut consimile perspexerim. »

§ **23**. Sciebat illa amica Dei, hominem, donec in corpore est, peregrinari a Domino. Ne igitur in hoc exsilio esset sine consolatione divinâ, spiritu et animo semper conabatur se Domino exhibere praesentem, et dilecti, miris modis consolantis, et consolari scientis, praesentiam toto pectore suspirabat, ut arcanis ejus frueretur colloquiis, amoris experiretur dulcedinem, salutaris gratiae potiretur effectu, et cordis palato admirandae suavitatis ejus gustum hauriret. Id vero, ut et secretius et quietius fieret, certiusque ipsi contingeret, temporum et locorum captabat opportunitatem, dilectumque suum inquirendi diversos sibi modos instituebat. Et quia jam certâ experientiâ didicerat, omne tempus aptum esse et accommodum ad eum perquirendum, crebroque illum apparere vigilantibus, et ipsum quaerentibus priorem se cupide ostendere, prolixe, ut diximus, vigilare solebat, meditandoque et orando perpetim circuibat, quaerens quem diligebat

anima ejus. Ardebat pectus ejus, nec quiescere poterat prae amore Dei, quem amabat et cupiebat habere praesentem, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. Dies ergo noctibus, et noctes jungendo et continuando diebus, in sacris perseverabat excubiis, praestolando consolatoris adventum, ut venienti et pulsanti ad cordis januam, celeriter aperiret. Namque a Completorio usque ad profundae noctis silentia in preces prolixe incumbebat, ut quando homines desides solet occupare sopor, ipsa vocem audiret Dilecti pulsantis et dulciter alloquentis. Audiret, inquam, verbum illud a seculis absconditum, et a mundi tumultibus longe alienum: verbum utique dulcissimum, deliciis affluens, et salutaribus redundans sacramentis. Cujus verbi suavitate illa perfrui valde àppetens, sollicite vigilabat caeteris dormientibus, ut quasi furtive susciperet auris illius venas susurrii ejus. Dilectus vero hanc ei reddebat vicem, ut tam vigilanter ad vitam excubias agentem non transiret, nec declinaret ab ea. Subsistebat igitur, et amanter eam appellabat, corque illius incendebat, ut ex flammis amoris ejus illum praesentem cognosceret, et ex ea, quam in se sentiebat, mutatione eum adesse intelligeret, quem amabat. Ecquis hodie in nobis est adeo vigilans et observans tempus visitationis divinae, Sponsumque adventantem momentis omnibus eo studio sustinens, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiat ei, sicut haec beata? Quae tum demum paululum dormitabat, paululum dormiebat, cum post longas vigilias somnus irruens eam opprimeret. O quoties quaedam ei familiares dominae, apud eam manentes, somno bene refectae surrexerunt, cum eam adhuc vigilantem cernerent, et orantem in cubiculo ante lectum suum, et dulcia cum eo colloquia miscentem, qui est totus desiderabilis! Postquam autem exiguo relevata erat somno, rursus surgebat, vel mediae noctis tempus exspectans, vel certe diluculum antevertens: ut cum laudarent astra matutina Dominum, et jubilarent omnes filii Dei, ipsa quoque devotas Deo laudes persolveret. Sciebat enim docta divinitus, praeveniendum esse solem ad benedictionem Domini capiendam, et ad manna coelestis gratiae colligendum: atque eam ob rem perseveravit in laudibus Dei, etiam per diem non cessans a divinis colloquiis et precibus, nisi cum esset sumendus cibus, aut quippiam de Deo audiendum, aut misericordiae operibus vacandum. Sed neque tunc revera cessavit a precibus, quippe quae a bono opere non cessaret. Neque cibum percipiens, divina colloquia intermittebat: nam cum bene litterata esset, et Scripturas intelligeret, saepius ei ad mensam legebatur: cui sacrae lectioni non raro tam avide intendebat, ut morsellum manu apprehensum ori non admovèret, vel mandendi ejus oblita, ore retineret, lacrymasque funderet, ut posset jure dicere cum Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* (*Psal.* 118). Vivacior enim ei fuit

gustus mentis, quam ventris. Ita vero benedicebat illa Dominum in omni tempore, et semper laus ejus in ore illius. Attendebat etiam locum omnem opportunum esse ad benedicendum Deo, sicque in omni etiam loco dominationis ejus laudem Domini promebat anima ejus. At tamen loca secretiora, et Deo dicata, plus compunctionis et moeroris afferre non ignorans, ad adorandum Deum libentius ea adibat et frequentabat, ut aliorum vitato adspectu, facilius et familiarius scala devotionis parietem carnis transcenderet, mente ad Dilectum pertingeret, eique spiritu et animi fervore commodius conjungi posset. Hanc enim Dilectus ei vineam rependit, ut cum ulnis devotionis et amoris ardentius eum stringeret, etiam ab externa, si qua interdum incidisset, interpolatione vel interruptione eam virtute admiranda praeservaret.

§ **24**. Accidit quandoque, ut illâ sic separatim orante in quodam domicilio, minister ejus Boguslaus Sanonius, cui illa culinam pauperum commendarat peculiarius curandam, ollam, in qua aqua pro ipsa coqueretur, quam pro consuetudine biberet, ex eadem domo vellet auferre. Cumque appropinquaret ad locum, vidit eam orantem, tantâque luce circumfusam, ut territus, multoque pavore compulsus, inde se ocyus proriperet, neque rursus ausus esset eo accedere, immo vero subducere potius se festinaret. Sed ab illa revocatus, accepto vase, tremebundus abiit, ut ex illa luce visibili, et timore quo vir ille correptus fuit, perspicue liceret animadverti, eam mente tum proximam fuisse illi, qui lucem habitabat inaccessibilem, ejus lumine, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, specialiter fuisse illustratam. Quamobrem divinâ prohibente virtute, nihil tunc extrinsecus occurrere potuit, quod eam distraheret aut turbaret, quamdiu Domino visum esset, ut somno contemplationis et requie frueretur, et in cordis lectulo Dilecti consolationibus inhaereret. Quis vero non videat completum tunc in ea fuisse verbum illud Sponsi suavissimi: *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit?* (*Cantic.* II *et* III).

§ **25**. Cum in templis interesset rebus divinis, ab aliis se abscondebat sub quibusdam pannorum velaminibus, orans et flens tam largiter, ut domina Anna nurus ejus, pacis osculum sub sacrificio ab ea acceptura, oculos ejus prae lacrymis quasi cruentos, et faciem prae fletu madidam viderit. Saepius etiam, dum esset in precibus, vidit eam modo niveo, modo roseo vultu coruscam, et propemodum Angelicam faciem repraesentantem prae jubilo, in quo versabatur. Ejus enim Annae conspectum non semper illa declinare, nec penitus subterfugere potuit, quod inter omnes feminas ei esset praecipue familiaris, et in templo ei proxime adstaret: quae res in causa fuit, ut spiritales delicias et mentis laetitiam, quibus illa potiebatur, non raro animadverteret. Vidit

enim et illa, et ex adverso frater Herbordus, saepe pro devotione usque adeo raptam spiritu, ut esset insensibilis. Cosmas quoque strenuus miles, in ejus ministerio sedulus, dicere solebat : « Saepenumero cum domina mea Hedwigis esset in precibus, negotia quaedam me illam adire cogebant, reperique eam adeo a sensibus abstractam, ut me coram ipsa stantem non cerneret, donec post longum temporis spatium ad se rediret. » Surgebat animus ejus a cognitis ad incognita, seque de terrenis ad coelestia transferebat, atque a visibilibus ad invisibilia se conferens, in pulcris cognoscebat Pulcherrimum, nec satis poterat in creaturis magnificentiam Creatoris admirari. Saepe oculis in coelum intentis, studebat ex visa stellarum claritate et coeli specie, vivacius coelestis patriae amore et desiderio inflammari. Et plerumque sane ex siderum et corporum coelestium contemplatione, animi obtutus in Summae Majestatis thronum defigebat, divinique splendoris radios tantâ intus copiâ percipiebat, ut etiam extrinsecus posset animadverti : siquidem corpus ejus clarâ luce circumfusum , et terra in aëra sublatum cernebatur, ut fuit observatum a quibusdam. Ita nimirum lux illa exterior et visibilis praesentiam lucis aeternae, in anima radiantis, et corporis sublevatio mentis in Deum porrectae elevationem declarabat. Sub divinis officiis nulli faciebat copiam secum loquendi, nisi forte casus aliquis inopinatus, aut inevitabilis necessitas incidisset : indecorum plane et indignum existimans divinis eloquiis humanos intermiscere sermones, nulla rationabili vel urgente causâ diversum opportune exigente : cum non debeat quisquam permittere, ut per alium frustretur ea consolatione, quam potest ex Deo capere.

§ **26**. Etsi vero beata haec se diligenter celaret, ne secretum, quod inter Deum et ipsam agebatur, ullo pacto cuiquam innotesceret, at per rugitus tamen et suspiria, quae comprimere non poterat, prae amoris vi et devotionis dulcedine, saepius prodebatur. Et quamvis ad orandum, loca secreta, quantum fas esset, deligeret et optaret, ut suavitatem, quam divinitus percipiebat, citra impedimentum avidius haurire posset : at nihilo minus divina officia, quae publice peraguntur, nolebat privatim domi aut in conclavi suo audire, ut solent nonnunquam principes et magnates: sed semper in ecclesia preces nocturnas, quas Matutinas vocant, itemque Vespertinas, et Missam, atque alias Dei laudes coram se volebat cum cantu solemniter celebrari. Itaque ad signum precum nocturnarum mox cum juncta sibi familia ad ecclesiam properabat, non luto, non nivibus, non frigore, non pluvia, non asperitate ulla, vel aëris intemperie, nulla denique occasione eam retardante , nisi forte adversâ laboraret valetudine, quo minus ad templum se conferret, divinum illic officium auditura, quantumvis etiam ab ejus hospitio procul abesset. Quotquot habere poterat sacerdotes, qui Missas dicerent, eorum omnium sacrificiis singulari

quadam animi devotione interfuit, orans interim vel toto prostrata corpore, vel procumbens in genua, vel ulnis incumbens humo: ubi tum prae devotione et animi humilitate terrae pulverem crebro exosculabatur. Quicumque ad ejus aulam venissent sacerdotes, sive seculares illi essent, sive religiosi, vix unquam subterfugere poterant, quin coram ipsa sacrificium offerrent. Quod si in aula ejus deesset copia sacerdotum, quantam ipsa vellet, undecumque haberi poterant, accersebantur, ut Missarum paucitas suppleretur, quam illa aequo animo ferre non poterat. Ut enim capellani et qui in ejus ministerio erant, Missarum multitudine gravabantur: sic illa gravate ferebat, si multas habere non posset. Unde quidam e Clero hos de illa versus composuit:

In sola Missa non est contenta Ducissa:
Quot sunt presbyteri, tot Missas optat haberi.

§ 27. Cum vellet, die quodam, multis Missarum sacrificiis animum suum oblectare, Martinum capellanum tunc suum, postea Vratislaviensem canonicum, misit ad accersendum quemcumque sacerdotem, ut coram illa sacrificaret. Ille mandato ejus, cui reniti non posset, compulsus, abiit, casuque occurrentem ipsi calvum quendam monachum ex eorum numero, quos Conversos vocant, qui tum, expediendi cujusdam negotii causâ, ad Ducis aulam venerat, ad eam adduxit. Tum illa pro suo candore et simplicitate non Conversum ex habitu, sed tantum calvum cognoscens, putansque eum esse sacerdotem, rogavit obnixe, ut Missam ipsi diceret. Illo obstupescente et dicente, quod nec presbyter, nec litteratus esset, beata Hedwigis se sentiens deceptam, humiliter ab eo veniam petiit, ostenditque se non illudendi animo, sed ignorantiâ id fecisse: porro capellano comiter dixit: «Parcat tibi Deus, qui mihi sic imposuisti.» Hujusmodi enim verbis solebat reprehendere eos, qui illi molestiam aut verecundiam attulissent, ut jam supra dictum, quum de ejus patientia verba fecimus. Cum quanta autem animi devotione divinis officiis, praesertim Missarum celebrationi interfuerit, satis declarant non solum lacrymae et corporis prostrationes, de quibus diximus, sed permulta etiam religiosa opera et pia exercitia. Ad omnes enim Missas, quas audiret, vel per seipsam aliquid obtulit, vel per alium: atque a sacerdote, qui sacrificium fecerat, petebat, ut manus suas capiti ipsius imponeret, et aquâ benedictâ conspergeret, sine ulla haesitatione credens, per hoc specialem aliquam gratiam a Domino se percepturam, et mala valetudine levatum iri: id quod etiam saepius ita evenit, ut ipsa postea familiaribus suis revelavit. Frater Herbordus confessarius ejus de illa solebat dicere: «Qua devotione et fide fuerit beata Hedwigis erga officium Missae et praestantissimum Dominici Corporis sacramentum, nemo mortalium explicare posset.» Sciens

autem illa presbyteros sive sacerdotes tantae esse dignitatis, ut Dominum coeli et terrae tractent in sacramento altaris, atque ea conferant quotidie sacramenta, quibus, divinâ assistente virtute, fidelis sanctificatur et expiatur anima; sacerdotes et omnes qui in Clero sunt, tum seculares, tum religiosos multâ reverentiâ prosequebatur, nec parvo honore afficiebat, idque adeo, ut illos etiam, qui emolumenti alicujus causâ se sacerdotes fingerent, tamquam veros presbyteros honoraret. Itaque ad mensam assidère nolebat, nisi prius sacerdos, qui sacrificium fecerat, discumberet.

§ **28**. Coruscationes et tonitrua multum formidabat, quod his elementorum commotionibus extremi diei judicium, et divinae ultionis gladium ad memoriam revocaret, eaque commemorans, tota contremisceret, et cum beato Job quasi tumentes super se fluctus semper Dominum timeret. Nec cessavit is tremor, donec accitus aliquis sacerdos; sacratas manus pro divinae protectionis scuto ejus capiti imponeret, sub quarum umbraculo tamquam jam de periculo evadendo, genuflexionibus et orationibus durante tempestate insistebat. Tranquillitate post intemperiem redditâ, pro gratiarum actiones illas manus osculabatur: quas idcirco putabat posse resistere noxiae potestati, ut iram Dei avertant, vel Deum iratum concilient, quod sacratae sint. Peculiari vero afficiebatur amore erga illos, quos sciret studiose interesse Missarum sacrificiis: nec dubium quin plus etiam dilexerit eos qui parati essent ad Missas crebro devote celebrandas. Ad sacramentum Dominici Corporis percipiendum accessura, tanto lacrymarum imbre faciem perfundebat suam, tanto precandi, genua flectendi, corpus prosternendi studio tum specialiter occupabatur, ut fervor devotionis ejus non immerito intuentes ad devotionem efficaciter permoveret. Permultas habebat Sanctorum imagines et reliquias, quibus congruam praestabat reverentiam, easque sibi ad ecclesiam eunti voluit praeferri, et in loco orationis suae reponi: ut earum contemplatione rediret in vivaciorem memoriam meritorum eorum quos amabat, et per illorum suffragia, ad devotionis fervorem magis sese praepararet. Porro sanctissimam Christi Matrem inter alios Sanctos, ita ut par erat, ardentius amabat, atque eâ causâ illius apud se parvam semper ferebat imaginem, eamque saepius gestabat manibus, ut ex amore crebro eam posset intueri, et inspiciendo ad ejus amorem se posset amplius excitare. Eâ imagine cum interdum benediceret languidis, illico curabantur, uti etiam miraculorum virtute cunctis innotesceret, ad quantam meritorum celsitudinem illa jam pervenisset, quae ferventi amore incitata, hanc Matris Dei imaginem sedulo circumferret. Passionem quoque Domini Salvatoris quantâ animi devotione in suo pectore versarit, vel inde utcumque colligi potest, quod etiam res minimas, quae mysterium Dominicae crucifixionis

maternos pedes reverenter ablueret. Perseverante igitur Abbatissâ, et piâ quadam pertinaciâ in proposito permanente. tandem ejus precibus victa mater humillima, pedes lavandos exhibuit. Tumque Juliana soror, quae pelvim, in qua erat aqua, tenebat, vidit tam magnas in ejus pedibus scissuras, unde saepenumero cruor manabat frigido tempore: quem quidem, ipsa nesciente, in luto et nive familia eam subsequens, adhuc recentem, non raro conspexit. Viderunt etiam feminae, ei familiariter ministrantes, quemadmodum sanguis e plantis ejus erumpens, illis inhaereret. Cum post orationem quandoque fatigata, quietem captura, sese ad hypocaustum * contulisset, somno pressa obdormivit. Soror vero Jutha, monacha Trebniciensis, quae ei tum serviebat, superveniens, vidit concretum sanguinem, qui de pedum hiantibus rimis effluxerat, ipsis pedibus nonnihil extra vestimentum prominentibus. Itaque admirans severitatem poenitentiae, quam in sancta illa Dei famula cernebat, caute aliis eam indicavit. Quantacumque esset frigoris asperitas, nudis semper manibus tenebat Psalterium, cum illud legeret, et candelam. Orans etiam, nudis manuum articulis terrae saepius incumbebat: quae res in causa fuit, ut et manus ejus multis locis essent ruptae, e quibus saepe sanguis guttatim effluebat. Quae quidem sanctitatis signa licet ipsa accurate absconderet, at saepe tamen visa sunt a famulabus ei ministrantibus, cum aquam lavandis manibus ejus infunderent: nec potuit diu latère omnes quod ad gloriam suam Deus quandoque voluit fieri manifestum.

§ **21**. Asperum cilicium, e setis equorum confectum, ad nudum corpus ferebat, cui manicas albas e panno assuerat, ut pie eluderet oculos intuentium, ne ab eis latens intrinsecus vestis aspera cerneretur. Zonam quoque nodosam, ex equorum setis contortam, ad lumbos suos ferebat, eis adeo adstrictam, ut e carnibus ejus misere laceratis, oportuerit per familiares ei feminas ab ejus corpore eam èxtrahi et avelli et saniem ab ipsis putrefactis carnibus pannis mollioribus abstergi. Vir quidam religiosus ex Ordine Templariorum, zonam ejus generis, diligenter sacculo inclusam, ei obtulit corde simplici et religioso, praesente domina Anna nuru ejus, quae specialis familiaritatis freta fiduciâ, oblatum ei sacculum aperuit: cernensque in eo tam dirum lacerandae fragilis corpusculi instrumentum, multum animo commota, virum illum, qui zonam obtulerat, asperis objurgavit verbis, quod tale munus tali dominae exhibere ausus esset. Quod Dei famula audiens, ut erat semper mitis et placida, blandâ voce compescuit nurum: « Desine, inquiens, filia stomachari, et hominem divinum reprehendere. Dei enim voluntas est, quod ille fecit. Si enim Domino non placeret, ut zona hac ego salutariter utar, non fecisset ut pro munere mihi ab hoc homine offerretur.» Illa enim zona,

* Seu *calefactorium*.

qua prius lumbos strinxerat, quaeque corpus ejus diu corroserat, jam erat consumpta. Itaque novam hanc, tamquam a Domino missam, hilariter accepit. Verum domina Anna secum perpendens, in illa, diuturnis afflictionibus jam tunç pene confecta et viribus destituta, id quod supererat virium, ejusmodi zonae cruciatu penitus enervatum iri: fratrem Herbordum ejus confessarium rogavit, ut ei ob immoderatum rigorem, conscientiae scrupulum et religionem injiceret, atque hoc cruciamenti genus severissime interdiceret, compelleretque eam, rejecto cilicio et zonâ illâ, corpusculo suo molliorem tunicam adhibere. Ubi vero confessarius in eam rem incubuit, consiliisque eam flectere instituit, illa tristis dixit: « Deus ignoscat filiae meae, quod meum voluit secretum prodere: » nec tamen cilicinam deposuit vestem, sed usque in supremum vitae diem se illa castigans, in eâ defuncta est *. Ut enim salutis fructibus opulenta foret, glebam corporis sui continue conterebat, et agrum suum coluit diligenter, nullius neque precibus, neque consiliis acquiescens, cum ex iis se sentiret pati impedimenta. Quamobrem filius ejus, Dux Henricus ei, ut par erat, còndolens, saepius queribundus dicebat: « Matrem meam nullis possum precibus eo adducere, ut velit aliquid remittere de corporis sui afflictionibus et cruciamentis. Sed poterat illa ex sententia dicere cum Apostolo: Omnia possum in eo qui me confortat; vires enim, quas negabat muliebris infirmitas, virtus divina mirandum in modum illi suppeditabat.

§ 22. Lectus ei ita, ut decebat principem feminam et ducissam, praeparabatur: sed illa in eo non cubabat, in tabulis ligneis, aut pavimento corio instrato, somno eam post diuturnas vespertinas preces et vigilias opprimente, sese reponens. Si vero debili et infirmo nimiumque defatigato corpori interdum plusculum indulgere vellet, in straminibus panno crasso opertis, aut in sacco ad tempus aliquod cubavit. In culcitra vero nunquam, quantumlibet aegrota, dormire voluit. Fuit aliquando aegrotanti substrata culcitra: sed simul atque sensit, eam jussit amoveri. Porro supra humanas vires sacris vigiliis insistebat. Ad nocturnas enim preces saepe ante signum surgebat, nec postea redibat ad lectum, ut somni beneficio se recrearet: sed pèrvigil in orationibus pèrmanens, meditabatur nocte cum corde suo, et scopebat non solum fusis lacrymis spiritum suum, sed etiam scoparum verberibus corpus suum, acerrime illud flagellans. Sub illis enim nocturnis precibus, quas Matutinas vocant, in locum illum, qui Capitulum dicitur, ingrediens, usque adeo se caedebat virgis, ut guttae sanguinis de ejus corpore in corium manantes, ab aliis postea viderentur. Nec contenta plagis, quas suis ipsa manibus

* Ne S. Hedwigem defecisse putemus ab ea humilitate et simplicitate, quae superius extollitur, verisimile habendum est ipsam a suo confessario, Herbordo, demum consecutam fuisse, ut tam horribili cilicio corpus suum libere vexaret.

sibi inferebat, etiam quasdam familiares feminas permovit, ut ipsam crebro usque ad sanguinis effusionem flagellarent, quemadmodum postea illae cum lacrymis retulerunt. Rogata enim aliquando domina Demundis, cur fleret, respondit: « Et qui tandem possim non flere, quando cogor hominem flagellare, donec erumpat sanguis, in qua non nisi ossa sunt, arida cute contecta? » Dicebat hoc utique de beata Hedwige dômina sua, cui semper familiarissima fuit, eamque, illa jubente, flagellis cecìdit, idque praecipue in Quadragesima, in Sanctorum Vigiliis, diebus Quatuor Temporum, et sextis feriis ob memoriam Dominicae Passionis. Soror quoque Victoria, monialis Trebniciensis, tum jussis, tum precibus ejus compulsa, illam eumdem in modum saepissime flagellavit, uti post examinatores ab ejus ore didicerunt. Ita nimirum coelestis haec colona, mente in coelis habitans, culturâ spiritali carnis humum quotidie virgis proscindebat, solemnibus dumtaxat diebus exceptis. Sed neque morbi eam revocarunt, quo minus etiam male valens se virgis caedi juberet. Et nitebatur illa quidem hujusmodi duras corporis castigationes, quas ab aliis clam sibi volebat adhiberi, reliquos penitus celare, sed tamen id obtinere non potuit, praesertim quod acres virgarum vel flagellorum ictus, pedisequarum ejus, foris praestolantium, aures ferirent. Itaque nec fores diligenter obseratae, nec custodes quae sufficerent, illis appositae, id efficere potuerunt, ut ad hominum notitiam non pervenirent. Sed quia paucis explicari non potest, quemadmodum haec Christi famula carnem suam continenter crucifixerit cum vitiis et concupiscentiis, verba dominae Annae nurus ejus, caput hoc de asperitate vitae ejus absolvent: ea enim dicere solebat: « Vitas multorum Sanctorum cognitas habeo: sed nunquam quicquam in illis tam durum et asperum didici, quod non in Hedwige aut majus, aut consimile perspexerim. »

§ **23**. Sciebat illa amica Dei, hominem, donec in corpore est, peregrinari a Domino. Ne igitur in hoc exsilio esset sine consolatione divinâ, spiritu et animo semper conabatur se Domino exhibere praesentem, et dilecti, miris modis consolantis, et consolari scientis, praesentiam toto pectore suspirabat, ut arcanis ejus frueretur colloquiis, amoris experiretur dulcedinem, salutaris gratiae potiretur effectu, et cordis palato admirandae suavitatis ejus gustum hauriret. Id vero, ut et secretius et quietius fieret, certiusque ipsi contingeret, temporum et locorum captabat opportunitatem, dilectumque suum inquirendi diversos sibi modos instituebat. Et quia jam certâ experientiâ didicerat, omne tempus aptum esse et accommodum ad eum perquirendum, crebroque illum apparere vigilantibus, et ipsum quaerentibus priorem se cupide ostendere, prolixe, ut diximus, vigilare solebat, meditandoque et orando perpetim circuibat, quaerens quem diligebat

anima ejus. Ardebat pectus ejus, nec quiescere poterat prae amore Dei, quem amabat et cupiebat habere praesentem, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. Dies ergo noctibus, et noctes jungendo et continuando diebus, in sacris perseverabat excubiis, praestolando consolatoris adventum, ut venienti et pulsanti ad cordis januam, celeriter aperiret. Namque a Completorio usque ad profundae noctis silentia in preces prolixe incumbebat, ut quando homines desides solet occupare sopor, ipsa vocem audiret Dilecti pulsantis et dulciter alloquentis. Audiret, inquam, verbum illud a seculis absconditum, et a mundi tumultibus longe alienum: verbum utique dulcissimum, deliciis affluens, et salutaribus redundans sacramentis. Cujus verbi suavitate illa perfrui valde àppetens, sollicite vigilabat caeteris dormientibus, ut quasi furtive susciperet auris illius venas susurrii ejus. Dilectus vero hanc ei reddebat vicem, ut tam vigilanter ad vitam excubias agentem non transiret, nec declinaret ab ea. Subsistebat igitur, et amanter eam appellabat, corque illius incendebat, ut ex flammis amoris ejus illum praesentem cognosceret, et ex ea, quam in se sentiebat, mutatione eum adesse intelligeret, quem amabat. Ecquis hodie in nobis est adeo vigilans et observans tempus visitationis divinae, Sponsumque adventantem momentis omnibus eo studio sustinens, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiat ei, sicut haec beata? Quae tum demum paululum dormitabat, paululum dormiebat, cum post longas vigilias somnus irruens eam opprimeret. O quoties quaedam ei familiares dominae, apud eam manentes, somno bene refectae surrexerunt, cum eam adhuc vigilantem cernerent, et orantem in cubiculo ante lectum suum, et dulcia cum eo colloquia miscentem, qui est totus desiderabilis! Postquam autem exiguo relevata erat somno, rursus surgebat, vel mediae noctis tempus exspectans, vel certe diluculum antevertens: ut cum laudarent astra matutina Dominum, et jubilarent omnes filii Dei, ipsa quoque devotas Deo laudes persolveret. Sciebat enim docta divinitus, praeveniendum esse solem ad benedictionem Domini capiendam, et ad manna coelestis gratiae colligendum: atque eam ob rem perseveravit in laudibus Dei, etiam per diem non cessans a divinis colloquiis et precibus, nisi cum esset sumendus cibus, aut quippiam de Deo audiendum, aut misericordiae operibus vacandum. Sed neque tunc revera cessavit a precibus, quippe quae a bono opere non cessaret. Neque cibum percipiens, divina colloquia intermittebat: nam cum bene litterata esset, et Scripturas intelligeret, saepius ei ad mensam legebatur: cui sacrae lectioni non raro tam avide intendebat, ut morsellum manu apprehensum ori non admovèret, vel mandendi ejus oblita, ore retineret, lacrymasque funderet, ut posset jure dicere cum Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* (*Psal.* 118). Vivacior enim ei fuit

gustus mentis, quam ventris. Ita vero benedicebat illa Dominum in omni tempore, et semper laus ejus in ore illius. Attendebat etiam locum omnem opportunum esse ad benedicendum Deo, sicque in omni etiam loco dominationis ejus laudem Domini promebat anima ejus. At tamen loca secretiora, et Deo dicata, plus compunctionis et moeroris afferre non ignorans, ad adorandum Deum libentius ea adibat et frequentabat, ut aliorum vitato adspectu, facilius et familiarius scala devotionis parietem carnis transcenderet, mente ad Dilectum pertingeret, eique spiritu et animi fervore commodius conjungi posset. Hanc enim Dilectus ei vineam rependit, ut cum ulnis devotionis et amoris ardentius eum stringeret, etiam ab externa, si qua interdum incidisset, interpolatione vel interruptione eam virtute admiranda praeservaret.

§ **24**. Accidit quandoque, ut illâ sic separatim orante in quodam domicilio, minister ejus Boguslaus Sanonius, cui illa culinam pauperum commendarat peculiarius curandam, ollam, in qua aqua pro ipsa coqueretur, quam pro consuetudine biberet, ex eadem domo vellet auferre. Cumque appropinquaret ad locum, vidit eam orantem, tantâque luce circumfusam, ut territus, multoque pavore compulsus, inde se ocyus proriperet, neque rursus ausus esset eo accedere, immo vero subducere potius se festinaret. Sed ab illa revocatus, accepto vase, tremebundus abiit, ut ex illa luce visibili, et timore quo vir ille correptus fuit, perspicue liceret animadverti, eam mente tum proximam fuisse illi, qui lucem habitabat inaccessibilem, ejus lumine, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, specialiter fuisse illustratam. Quamobrem divinâ prohibente virtute, nihil tunc extrinsecus occurrere potuit, quod eam distraheret aut turbaret, quamdiu Domino visum esset, ut somno contemplationis et requie frueretur, et in cordis lectulo Dilecti consolationibus inhaereret. Quis vero non videat completum tunc in ea fuisse verbum illud Sponsi suavissimi: *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit?* (*Cantic.* II *et* III).

§ **25**. Cum in templis interesset rebus divinis, ab aliis se abscondebat sub quibusdam pannorum velaminibus, orans et flens tam largiter, ut domina Anna nurus ejus, pacis osculum sub sacrificio ab ea acceptura, oculos ejus prae lacrymis quasi cruentos, et faciem prae fletu madidam viderit. Saepius etiam, dum esset in precibus, vidit eam modo niveo, modo roseo vultu coruscam, et propemodum Angelicam faciem repraesentantem prae jubilo, in quo versabatur. Ejus enim Annae conspectum non semper illa declinare, nec penitus subterfugere potuit, quod inter omnes feminas ei esset praecipue familiaris, et in templo ei proxime adstaret: quae res in causa fuit, ut spiritales delicias et mentis laetitiam, quibus illa potiebatur, non raro animadverteret. Vidit

enim et illa, et ex adverso frater Herbordus, saepe pro devotione usque adeo raptam spiritu, ut esset insensibilis. Cosmas quoque strenuus miles, in ejus ministerio sedulus, dicere solebat: « Saepenumero cum domina mea Hedwigis esset in precibus, negotia quaedam me illam adire cogebant, reperique eam adeo a sensibus abstractam, ut me coram ipsa stantem non cerneret, donec post longum temporis spatium ad se rediret. » Surgebat animus ejus a cognitis ad incognita, seque de terrenis ad coelestia transferebat, atque a visibilibus ad invisibilia se conferens, in pulcris cognoscebat Pulcherrimum, nec satis poterat in creaturis magnificentiam Creatoris admirari. Saepe oculis in coelum intentis, studebat ex visa stellarum claritate et coeli specie, vivacius coelestis patriae amore et desiderio inflammari. Et plerumque sane ex siderum et corporum coelestium contemplatione, animi obtutus in Summae Majestatis thronum defigebat, divinique splendoris radios tantâ intus copiâ percipiebat, ut etiam extrinsecus posset animadverti: siquidem corpus ejus clarâ luce circumfusum, et terra in aëra sublatum cernebatur, ut fuit observatum a quibusdam. Ita nimirum lux illa exterior et visibilis praesentiam lucis aeternae, in anima radiantis, et corporis sublevatio mentis in Deum porrectae elevationem declarabat. Sub divinis officiis nulli faciebat copiam secum loquendi, nisi forte casus aliquis inopinatus, aut inevitabilis necessitas incidisset: indecorum plane et indignum existimans divinis eloquiis humanos intermiscere sermones, nulla rationabili vel urgente causâ diversum opportune exigente: cum non debeat quisquam permittere, ut per alium frustretur ea consolatione, quam potest ex Deo capere.

§ **26**. Etsi vero beata haec se diligenter celaret, ne secretum, quod inter Deum et ipsam agebatur, ullo pacto cuiquam innotesceret, at per rugitus tamen et suspiria, quae comprimere non poterat, prae amoris vi et devotionis dulcedine, saepius prodebatur. Et quamvis ad orandum, loca secreta, quantum fas esset, deligeret et optaret, ut suavitatem, quam divinitus percipiebat, citra impedimentum avidius haurire posset: at nihilo minus divina officia, quae publice peraguntur, nolebat privatim domi aut in conclavi suo audire, ut solent nonnunquam principes et magnates: sed semper in ecclesia preces nocturnas, quas Matutinas vocant, itemque Vespertinas, et Missam, atque alias Dei laudes coram se volebat cum cantu solemniter celebrari. Itaque ad signum precum nocturnarum mox cum juncta sibi familia ad ecclesiam properabat, non luto, non nivibus, non frigore, non pluvia, non asperitate ulla, vel aëris intemperie, nulla denique occasione eam retardante, nisi forte adversâ laboraret valetudine, quo minus ad templum se conferret, divinum illic officium auditura, quantumvis etiam ab ejus hospitio procul abesset. Quotquot habere poterat sacerdotes, qui Missas dicerent, eorum omnium sacrificiis singulari

quadam animi devotione interfuit, orans interim vel toto prostrata corpore, vel procumbens in genua, vel ulnis incumbens humo: ubi tum prae devotione et animi humilitate terrae pulverem crebro exosculabatur. Quicumque ad ejus aulam venissent sacerdotes, sive seculares illi essent, sive religiosi, vix unquam subterfugere poterant, quin coram ipsa sacrificium offerrent. Quod si in aula ejus deesset copia sacerdotum, quantam ipsa vellet, undecumque haberi poterant, accersebantur, ut Missarum paucitas suppleretur, quam illa aequo animo ferre non poterat. Ut enim capellani et qui in ejus ministerio erant, Missarum multitudine gravabantur: sic illa gravate ferebat, si multas habere non posset. Unde quidam e Clero hos de illa versus composuit:

In sola Missa non est contenta Ducissa:
Quot sunt presbyteri, tot Missas optat haberi.

§ 27. Cum vellet, die quodam, multis Missarum sacrificiis animum suum oblectare, Martinum capellanum tunc suum, postea Vratislaviensem canonicum, misit ad accersendum quemcumque sacerdotem, ut coram illa sacrificaret. Ille mandato ejus, cui renìti non posset, compulsus, abiit, casuque occurrentem ipsi calvum quendam monachum ex eorum numero, quos Conversos vocant, qui tum, expediendi cujusdam negotii causâ, ad Ducis aulam venerat, ad eam adduxit. Tum illa pro suo candore et simplicitate non Conversum ex habitu, sed tantum calvum cognoscens, putansque eum esse sacerdotem, rogavit obnixe, ut Missam ipsi diceret. Illo obstupescente et dicente, quod nec presbyter, nec litteratus esset, beata Hedwigis se sentiens deceptam, humiliter ab eo veniam petiit, ostenditque se non illudendi animo, sed ignorantiâ id fecisse: porro capellano comiter dixit: «Parcat tibi Deus, qui mihi sic imposuisti.» Hujusmodi enim verbis solebat reprehendere eos, qui illi molestiam aut verecundiam attulissent, ut jam supra dictum, quum de ejus patientia verba fecimus. Cum quanta autem animi devotione divinis officiis, praesertim Missarum celebrationi interfuerit, satis declarant non solum lacrymae et corporis prostrationes, de quibus diximus, sed permulta etiam religiosa opera et pia exercitia. Ad omnes enim Missas, quas audiret, vel per seipsam aliquid obtulit, vel per alium: atque a sacerdote, qui sacrificium fecerat, petebat, ut manus suas capiti ipsius imponeret, et aquâ benedictâ conspergeret, sine ulla haesitatione credens, per hoc specialem aliquam gratiam a Domino se percepturam, et mala valetudine levatum iri: id quod etiam saepius ita evenit, ut ipsa postea familiaribus suis revelavit. Frater Herbordus confessarius ejus de illa solebat dicere: « Qua devotione et fide fuerit beata Hedwigis erga officium Missae et praestantissimum Dominici Corporis sacramentum, nemo mortalium explicare posset.» Sciens

autem illa presbyteros sive sacerdotes tantae esse dignitatis, ut Dominum coeli et terrae tractent in sacramento altaris, atque ea conferant quotidie sacramenta, quibus, divinâ assistente virtute, fidelis sanctificatur et expiatur anima; sacerdotes et omnes qui in Clero sunt, tum seculares, tum religiosos multâ reverentiâ prosequebatur, nec parvo honore afficiebat, idque adeo, ut illos etiam, qui emolumenti alicujus causâ se sacerdotes fingerent, tamquam veros presbyteros honoraret. Itaque ad mensam assidère nolebat, nisi prius sacerdos, qui sacrificium fecerat, discumberet.

§ **28**. Coruscationes et tonitrua multum formidabat, quod his elementorum commotionibus extremi diei judicium, et divinae ultionis gladium ad memoriam revocaret, eaque commemorans, tota contremisceret, et cum beato Job quasi tumentes super se fluctus semper Dominum timeret. Nec cessavit is tremor, donec accitus aliquis sacerdos; sacratas manus pro divinae protectionis scuto ejus capiti imponeret, sub quarum umbraculo tamquam jam de periculo evadendo, genuflexionibus et orationibus durante tempestate insistebat. Tranquillitate post intemperiem redditâ, pro gratiarum actiones illas manus osculabatur: quas idcirco putabat posse resistere noxiae potestati, ut iram Dei avertant, vel Deum iratum concilient, quod sacratae sint. Peculiari vero afficiebatur amore erga illos, quos sciret studiose interesse Missarum sacrificiis: nec dubium quin plus etiam dilexerit eos qui parati essent ad Missas crebro devote celebrandas. Ad sacramentum Dominici Corporis percipiendum accessura, tanto lacrymarum imbre faciem perfundebat suam, tanto precandi, genua flectendi, corpus prosternendi studio tum specialiter occupabatur, ut fervor devotionis ejus non immerito intuentes ad devotionem efficaciter permoveret. Permultas habebat Sanctorum imagines et reliquias, quibus congruam praestabat reverentiam, easque sibi ad ecclesiam eunti voluit praeferri, et in loco orationis suae reponi: ut earum contemplatione rediret in vivaciorem memoriam meritorum eorum quos amabat, et per illorum suffragia, ad devotionis fervorem magis sese praepararet. Porro sanctissimam Christi Matrem inter alios Sanctos, ita ut par erat, ardentius amabat, atque eâ causâ illius apud se parvam semper ferebat imaginem, eamque saepius gestabat manibus, ut ex amore crebro eam posset intueri, et inspiciendo ad ejus amorem se posset amplius excitare. Eâ imagine cum interdum benediceret languidis, illico curabantur, uti etiam miraculorum virtute cunctis innotesceret, ad quantam meritorum celsitudinem illa jam pervenisset, quae ferventi amore incitata, hanc Matris Dei imaginem sedulo circumferret. Passionem quoque Domini Salvatoris quantâ animi devotione in suo pectore versarit, vel inde utcumque colligi potest, quod etiam res minimas, quae mysterium Dominicae crucifixionis

repraesentarent, veneratione affecit. Nam ubicumque humi conspexit jacentes stipulas, Crucis imaginem referentes, genibus flexis adorabat: tollensque eas et exosculans', tali eas loco reposuit, ubi non possent pedibus conculcari.

§ 29. Diligebat etiam decorem domus Dei: atque idcirco ornamenta pretiosa ecclesiis et altaribus donavit. Vestes quoque sacerdotales et Leviticas atque ministrorum altaris, suis impensis comparavit, immo et paravit tum per seipsam, tum per alias cum ipsa manentes feminas, quae ex auro et serico noverant egregie operari. Ita ergo illa, ut diximus, et ad sacramentum altaris accedebat, et sacra mysteria promovebat. Ita cum fidelibus terebat limina domus Dei: atque ejusmodi cum moderatione coram hominibus devotionis suae studia exercebat. Peractis autem divinis officiis, cunctisque qui adfuerant, tempore opportuno domum abeuntibus, ut corporis alimenta perciperent, et res suas externas curarent, illa cum paucis pedisequis in ecclesia rèmanens, ad internas mentis epulas et spirituales delicias in domo Domini captandas se diligenter accommodabat, cupiens illa divinarum consolationum suavitate uberius perfrui, cujus gustum suavissimum jam aliquoties experta esset. Et quia tunc aliis absentibus se solitariam sentiebat et praeparatam, liberius vacare potuit diversis modis quaerendi Dilectum. Itaque orando circumibat aras omnes, pectusque tundes, gemitus dabat et suspiria; levatisque in coelum oculis et manibus, atque etiam mente ipsa, stans preces Domino supplices offerebat: tum quoque humi se prosternens, ad pedes Domini Jesu cum Magdalena humiliter sese abjiciebat. Etsi autem Salvatoris nostri pedes corporaliter jam osculari non posset, at illorum tamen loco humum osculabatur saepissime, nec raro pavimentum et terram lacrymis irrigabat: utque et amoris, quo ardebat, nec celare poterat, fervorem Dilecto ostenderet, et peccatorum veniam copiosioremque gratiam impetraret, pulverem et cinerem se agnoscens, os suum humiliter ponebat in pulvere, idque eâ spe et fiduciâ, quod aeternae pacis osculum quandoque a Dilecto acceptura esset. Quamobrem etiam non mediocriter hujusmodi prostrationibus delectata, tamdiu saepe jacuit coram Domino in longum porrecta, ut tam debile corpusculum nullâ ratione id laturum fuerit, nisi devotionis fervore et Spiritus Domini fortitudine corroboratus esset. Soror Gaudentia aliquando curiosius explorare volens devotionem illius et orandi modum, a prandio se subduxit, intransque in templum, vidit illam toto corpore prostratam, tamdiu manere in precibus, ut ipsa interim dimidium absolverit psalterium. Porro ut majorem corpori fatigatione afferret, prae admirando fervore divini amoris, qui eam semper ad ardua impellebat, cum sic orando humi prostrata jacèret, pectus et caput sustollebat ad codicem coram ipsa expansum, atque in eo scriptas preces lectitabat.

Surgens tandem, crebro repetitis genuflectionibus honorabat eum qui pro nobis flexis genibus irridicule adoratus est. Nunquam inter orandum visa est sedere: sed cum aliquantisper stetisset, subito in nuda genua procumbebat, in quibus calli excreverunt magnitudine duorum ovorum, aut, ut alii asserunt, qui eos viderunt, duorum pugnorum, iique hiberno tempore magis intumescebant: sed hunc thesaurum illa pro viribus occultabat, nec cuiquam cognitus fuit, illa vivente, nisi paucissimis feminis illi famulantibus. Nimirum his illa Dei amica charitatis ornata insignibus, coram Dilecto apparebat, his illa enitebat margaritis. Haec amoris symbola, puta callos in genibus, fissuras in manibus et pedibus, plagarum livores in reliquis membris apud se semper circumferens, dilecti se obtutibus praesentabat. Ejusmodi laetitiae canticis et jucundis carminibus, nempe suspiriis et gemitibus, Regem demulcebat sempiternum. Hoc decachordo Psalterio, hac dulcisonâ citharâ, videlicet devotâ psalmodiâ et attentis precibus, amantissimo sponso jugiter canebat.

§ **30**. Id genus cordis tripudiis, his corporis gestibus, puta genuflexionibus et prostrationibus ludebat coram throno Dei et Agno, atque ita ex omni corde suo laudabat Dominum. Eum in modum etiam adhuc vivente marito, quotidie divinas celebravit laudes, ut ab hora matutina in templo perseveraret in precibus, donec a meridie, pedisequarum eam exspectantium, volens vitare taedium potius, quam suo satisfaciens desiderio, venit ad hospitium suum, exiguum illud, quod supra diximus, corporis sumptura alimentum. Superni enim illius convivii, cui tota mente inhaerebat, dulcedo adeo cordis illius gustum affecerat, ut eam sapores alimenti corporei minime delectarent. Unde pene quotidie contemplationis suae ferculis intenta, et internae consolationis vino refecta, vix sub horam vespertinam cibum corporis admittebat. Tam vero ardenti desiderio et flagranti amore ferebatur in Deum, ut non modo seipsam ei offerret per devotionis incendium, verum etiam quoscumque alios posset, hortaretur, ut ei pie et fideliter servirent. Eâ causâ tam per se, quam per administrum suum, cui id negotii dederat, homines simplices, ipsius aulam frequentantes, docebat confiteri peccata sua, et orare, et caetera quae ad animarum salutem pertinent. Inter alias ipsi ministrantes feminas habebat Lavandriam, mulierem grandaevam, Dominicae orationis prorsus ignaram. Eam tanto studio ipsa docuit orationem illam, ut ad decem hebdomadas etiam noctibus eam sibi adesse voluerit, et in cubiculo, quo ipsa cubabat, ante lectum suum permanere et somnum capere: idque fortassis, ut verba sacrae orationis, quae interdiu ipsi inculcaverat, noctibus quoque eam ruminare cogeret, atque ita tenacius memoriae commendare. Maritum quoque suum, ut continuis pietatis exercitiis salutis fructum optimum ei cumulare, praecipue

gustus mentis, quam ventris. Ita vero benedicebat illa Dominum in omni tempore, et semper laus ejus in ore illius. Attendebat etiam locum omnem opportunum esse ad benedicendum Deo, sicque in omni etiam loco dominationis ejus laudem Domini promebat anima ejus. At tamen loca secretiora, et Deo dicata, plus compunctionis et moeroris afferre non ignorans, ad adorandum Deum libentius ea adibat et frequentabat, ut aliorum vitato adspectu, facilius et familiarius scala devotionis parietem carnis transcenderet, mente ad Dilectum pertingeret, eique spiritu et animi fervore commodius conjungi posset. Hanc enim Dilectus ei vineam rependit, ut cum ulnis devotionis et amoris ardentius eum stringeret, etiam ab externa, si qua interdum incidisset, interpolatione vel interruptione eam virtute admiranda praeservaret.

§ **24**. Accidit quandoque, ut illâ sic separatim orante in quodam domicilio, minister ejus Boguslaus Sanonius, cui illa culinam pauperum commendarat peculiarius curandam, ollam, in qua aqua pro ipsa coqueretur, quam pro consuetudine biberet, ex eadem domo vellet auferre. Cumque appropinquaret ad locum, vidit eam orantem, tantâque luce circumfusam, ut territus, multoque pavore compulsus, inde se ocyus proriperet, neque rursus ausus esset eo accedere, immo vero subducere potius se festinaret. Sed ab illa revocatus, accepto vase, tremebundus abiit, ut ex illa luce visibili, et timore quo vir ille correptus fuit, perspicue liceret animadverti, eam mente tum proximam fuisse illi, qui lucem habitabat inaccessibilem, ejus lumine, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, specialiter fuisse illustratam. Quamobrem divinâ prohibente virtute, nihil tunc extrinsecus occurrere potuit, quod eam distraheret aut turbaret, quamdiu Domino visum esset, ut somno contemplationis et requie frueretur, et in cordis lectulo Dilecti consolationibus inhaereret. Quis vero non videat completum tunc in ea fuisse verbum illud Sponsi suavissimi : *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit ?* (*Cantic.* II *et* III).

§ **25**. Cum in templis interesset rebus divinis, ab aliis se abscondebat sub quibusdam pannorum velaminibus, orans et flens tam largiter, ut domina Anna nurus ejus, pacis osculum sub sacrificio ab ea acceptura, oculos ejus prae lacrymis quasi cruentos, et faciem prae fletu madidam viderit. Saepius etiam, dum esset in precibus, vidit eam modo niveo, modo roseo vultu coruscam, et propemodum Angelicam faciem repraesentantem prae jubilo, in quo versabatur. Ejus enim Annae conspectum non semper illa declinare, nec penitus subterfugere potuit, quod inter omnes feminas ei esset praecipue familiaris, et in templo ei proxime adstaret : quae res in causa fuit, ut spiritales delicias et mentis laetitiam, quibus illa potiebatur, non raro animadverteret. Vidit

enim et illa, et ex adverso frater Herbordus, saepe pro devotione usque adeo raptam spiritu, ut esset insensibilis. Cosmas quoque strenuus miles, in ejus ministerio sedulus, dicere solebat: « Saepenumero cum domina mea Hedwigis esset in precibus, negotia quaedam me illam adire cogebant, reperique eam adeo a sensibus abstractam, ut me coram ipsa stantem non cerneret, donec post longum temporis spatium ad se rediret. » Surgebat animus ejus a cognitis ad incognita, seque de terrenis ad coelestia transferebat, atque a visibilibus ad invisibilia se conferens, in pulcris cognoscebat Pulcherrimum, nec satis poterat in creaturis magnificentiam Creatoris admirari. Saepe oculis in coelum intentis, studebat ex visa stellarum claritate et coeli specie, vivacius coelestis patriae amore et desiderio inflammari. Et plerumque sane ex siderum et corporum coelestium contemplatione, animi obtutus in Summae Majestatis thronum defigebat, divinique splendoris radios tantâ intus copiâ percipiebat, ut etiam extrinsecus posset animadverti: siquidem corpus ejus clarâ luce circumfusum, et terra in aëra sublatum cernebatur, ut fuit observatum a quibusdam. Ita nimirum lux illa exterior et visibilis praesentiam lucis aeternae, in anima radiantis, et corporis sublevatio mentis in Deum porrectae elevationem declarabat. Sub divinis officiis nulli faciebat copiam secum loquendi, nisi forte casus aliquis inopinatus, aut inevitabilis necessitas incidisset: indecorum plane et indignum existimans divinis eloquiis humanos intermiscere sermones, nulla rationabili vel urgente causâ diversum opportune exigente: cum non debeat quisquam permittere, ut per alium frustretur ea consolatione, quam potest ex Deo capere.

§ **26**. Etsi vero beata haec se diligenter celaret, ne secretum, quod inter Deum et ipsam agebatur, ullo pacto cuiquam innotesceret, at per rugitus tamen et suspiria, quae comprimere non poterat, prae amoris vi et devotionis dulcedine, saepius prodebatur. Et quamvis ad orandum, loca secreta, quantum fas esset, deligeret et optaret, ut suavitatem, quam divinitus percipiebat, citra impedimentum avidius haurire posset: at nihilo minus divina officia, quae publice peraguntur, nolebat privatim domi aut in conclavi suo audire, ut solent nonnunquam principes et magnates: sed semper in ecclesia preces nocturnas, quas Matutinas vocant, itemque Vespertinas, et Missam, atque alias Dei laudes coram se volebat cum cantu solemniter celebrari. Itaque ad signum precum nocturnarum mox cum juncta sibi familia ad ecclesiam properabat, non luto, non nivibus, non frigore, non pluvia, non asperitate ulla, vel aëris intemperie, nulla denique occasione eam retardante, nisi forte adversâ laboraret valetudine, quo minus ad templum se conferret, divinum illic officium auditura, quantumvis etiam ab ejus hospitio procul abesset. Quotquot habere poterat sacerdotes, qui Missas dicerent, eorum omnium sacrificiis singulari

quadam animi devotione interfuit, orans interim vel toto prostrata corpore, vel procumbens in genua, vel ulnis incumbens humo: ubi tum prae devotione et animi humilitate terrae pulverem crebro exosculabatur. Quicumque ad ejus aulam venissent sacerdotes, sive seculares illi essent, sive religiosi, vix unquam subterfugere poterant, quin coram ipsa sacrificium offerrent. Quod si in aula ejus deesset copia sacerdotum, quantam ipsa vellet, undecumque haberi poterant, accersebantur, ut Missarum paucitas suppleretur, quam illa aequo animo ferre non poterat. Ut enim capellani et qui in ejus ministerio erant, Missarum multitudine gravabantur: sic illa gravate ferebat, si multas habere non posset. Unde quidam e Clero hos de illa versus composuit:

In sola Missa non est contenta Ducissa:
Quot sunt presbyteri, tot Missas optat haberi.

§ 27. Cum vellet, die quodam, multis Missarum sacrificiis animum suum oblectare, Martinum capellanum tunc suum, postea Vratislaviensem canonicum, misit ad accersendum quemcumque sacerdotem, ut coram illa sacrificaret. Ille mandato ejus, cui reniti non posset, compulsus, abiit, casuque occurrentem ipsi calvum quendam monachum ex eorum numero, quos Conversos vocant, qui tum, expediendi cujusdam negotii causâ, ad Ducis aulam venerat, ad eam adduxit. Tum illa pro suo candore et simplicitate non Conversum ex habitu, sed tantum calvum cognoscens, putansque eum esse sacerdotem, rogavit obnixe, ut Missam ipsi diceret. Illo obstupescente et dicente, quod nec presbyter, nec litteratus esset, beata Hedwigis se sentiens deceptam, humiliter ab eo veniam petiit, ostenditque se non illudendi animo, sed ignorantiâ id fecisse: porro capellano comiter dixit: «Parcat tibi Deus, qui mihi sic imposuisti.» Hujusmodi enim verbis solebat reprehendere eos, qui illi molestiam aut verecundiam attulissent, ut jam supra dictum, quum de ejus patientia verba fecimus. Cum quanta autem animi devotione divinis officiis, praesertim Missarum celebrationi interfuerit, satis declarant non solum lacrymae et corporis prostrationes, de quibus diximus, sed permulta etiam religiosa opera et pia exercitia. Ad omnes enim Missas, quas audiret, vel per seipsam aliquid obtulit, vel per alium: atque a sacerdote, qui sacrificium fecerat, petebat, ut manus suas capiti ipsius imponeret, et aquâ benedictâ conspergeret, sine ulla haesitatione credens, per hoc specialem aliquam gratiam a Domino se percepturam, et mala valetudine levatum iri: id quod etiam saepius ita evenit, ut ipsa postea familiaribus suis revelavit. Frater Herbordus confessarius ejus de illa solebat dicere: « Qua devotione et fide fuerit beata Hedwigis erga officium Missae et praestantissimum Dominici Corporis sacramentum, nemo mortalium explicare posset.» Sciens

autem illa presbyteros sive sacerdotes tantae esse dignitatis, ut Dominum coeli et terrae tractent in sacramento altaris, atque ea conferant quotidie sacramenta, quibus, divinâ assistente virtute, fidelis sanctificatur et expiatur anima; sacerdotes et omnes qui in Clero sunt, tum seculares, tum religiosos multâ reverentiâ prosequebatur, nec parvo honore afficiebat, idque adeo, ut illos etiam, qui emolumenti alicujus causâ se sacerdotes fingerent, tamquam veros presbyteros honoraret. Itaque ad mensam assidère nolebat, nisi prius sacerdos, qui sacrificium fecerat, discumberet.

§ 28. Coruscationes et tonitrua multum formidabat, quod his elementorum commotionibus extremi diei judicium, et divinae ultionis gladium ad memoriam revocaret, eaque commemorans, tota contremisceret, et cum beato Job quasi tumentes super se fluctus semper Dominum timeret. Nec cessavit is tremor, donec accitus aliquis sacerdos; sacratas manus pro divinae protectionis scuto ejus capiti imponeret, sub quarum umbraculo tamquam jam de periculo evadendo, genuflexionibus et orationibus durante tempestate insistebat. Tranquillitate post intemperiem redditâ, pro gratiarum actiones illas manus osculabatur: quas idcirco putabat posse resistere noxiae potestati, ut iram Dei avertant, vel Deum iratum concilient, quod sacratae sint. Peculiari vero afficiebatur amore erga illos, quos sciret studiose interesse Missarum sacrificiis: nec dubium quin plus etiam dilexerit eos qui parati essent ad Missas crebro devote celebrandas. Ad sacramentum Dominici Corporis percipiendum accessura, tanto lacrymarum imbre faciem perfundebat suam, tanto precandi, genua flectendi, corpus prosternendi studio tum specialiter occupabatur, ut fervor devotionis ejus non immerito intuentes ad devotionem efficaciter permoveret. Permultas habebat Sanctorum imagines et reliquias, quibus congruam praestabat reverentiam, easque sibi ad ecclesiam eunti voluit praeferri, et in loco orationis suae reponi: ut earum contemplatione rediret in vivaciorem memoriam meritorum eorum quos amabat, et per illorum suffragia, ad devotionis fervorem magis sese praepararet. Porro sanctissimam Christi Matrem inter alios Sanctos, ita ut par erat, ardentius amabat, atque eâ causâ illius apud se parvam semper ferebat imaginem, eamque saepius gestabat manibus, ut ex amore crebro eam posset intueri, et inspiciendo ad ejus amorem se posset amplius excitare. Eâ imagine cum interdum benediceret languidis, illico curabantur, uti etiam miraculorum virtute cunctis innotesceret, ad quantam meritorum celsitudinem illa jam pervenisset, quae ferventi amore incitata, hanc Matris Dei imaginem sedulo circumferret. Passionem quoque Domini Salvatoris quantâ animi devotione in suo pectore versarit, vel inde utcumque colligi potest, quod etiam res minimas, quae mysterium Dominicae crucifixionis

repraesentarent, veneratione affecit. Nam ubicumque humi conspexit jacentes stipulas, Crucis imaginem referentes, genibus flexis adorabat: tollensque eas et exosculans', tali eas loco reposuit, ubi non possent pedibus conculcari.

§ **29**. Diligebat etiam decorem domus Dei: atque idcirco ornamenta pretiosa ecclesiis et altaribus donavit. Vestes quoque sacerdotales et Leviticas atque ministrorum altaris, suis impensis comparavit, immo et paravit tum per seipsam, tum per alias cum ipsa manentes feminas, quae ex auro et serico noverant egregie operari. Ita ergo illa, ut diximus, et ad sacramentum altaris accedebat, et sacra mysteria promovebat. Ita cum fidelibus terebat limina domus Dei: atque ejusmodi cum moderatione coram hominibus devotionis suae studia exercebat. Peractis autem divinis officiis, cunctisque qui adfuerant, tempore opportuno domum abeuntibus, ut corporis alimenta perciperent, et res suas externas curarent, illa cum paucis pedisequis in ecclesia rèmanens, ad internas mentis epulas et spirituales delicias in domo Domini captandas se diligenter accommodabat, cupiens illa divinarum consolationum suavitate uberius perfrui, cujus gustum suavissimum jam aliquoties experta esset. Et quia tunc aliis absentibus se solitariam sentiebat et praeparatam, liberius vacare potuit diversis modis quaerendi Dilectum. Itaque orando circumibat aras omnes, pectusque tundes, gemitus dabat et suspiria; levatisque in coelum oculis et manibus, atque etiam mente ipsa, stans preces Domino supplices offerebat: tum quoque humi se prosternens, ad pedes Domini Jesu cum Magdalena humiliter sese abjiciebat. Etsi autem Salvatoris nostri pedes corporaliter jam osculari non posset, at illorum tamen loco humum osculabatur saepissime, nec raro pavimentum et terram lacrymis irrigabat: utque et amoris, quo ardebat, nec celare poterat, fervorem Dilecto ostenderet, et peccatorum veniam copiosioremque gratiam impetraret, pulverem et cinerem se agnoscens, os suum humiliter ponebat in pulvere, idque eâ spe et fiduciâ, quod aeternae pacis osculum quandoque a Dilecto acceptura esset. Quamobrem etiam non mediocriter hujusmodi prostrationibus delectata, tamdiu saepe jacuit coram Domino in longum porrecta, ut tam debile corpusculum nullâ ratione id laturum fuerit, nisi devotionis fervore et Spiritus Domini fortitudine corroboratus esset. Soror Gaudentia aliquando curiosius explorare volens devotionem illius et orandi modum, a prandio se subduxit, intransque in templum, vidit illam toto corpore prostratam, tamdiu manere, in precibus, ut ipsa interim dimidium absolverit psalterium. Porro ut majorem corpori fatigatione afferret, prae admirando fervore divini amoris, qui eam semper ad ardua impellebat, cum sic orando humi prostrata jacèret, pectus et caput sustollebat ad codicem coram ipsa expansum, atque in eo scriptas preces lectitabat.

Surgens tandem, crebro repetitis genuflectionibus honorabat eum qui pro nobis flexis genibus irridicule adoratus est. Nunquam inter orandum visa est sedere: sed cum aliquantisper stetisset, subito in nuda genua procumbebat, in quibus calli excreverunt magnitudine duorum ovorum, aut, ut alii asserunt, qui eos viderunt, duorum pugnorum, iique hiberno tempore magis intumescebant: sed hunc thesaurum illa pro viribus occultabat, nec cuiquam cognitus fuit, illa vivente, nisi paucissimis feminis illi famulantibus. Nimirum his illa Dei amica charitatis ornata insignibus, coram Dilecto apparebat, his illa enitebat margaritis. Haec amoris symbola, puta callos in genibus, fissuras in manibus et pedibus, plagarum livores in reliquis membris apud se semper circumferens, dilecti se obtutibus praesentabat. Ejusmodi laetitiae canticis et jucundis carminibus, nempe suspiriis et gemitibus, Regem demulcebat sempiternum. Hoc decachordo Psalterio, hac dulcisonâ citharâ, videlicet devotâ psalmodiâ et attentis precibus, amantissimo sponso jugiter canebat.

§ **30**. Id genus cordis tripudiis, his corporis gestibus, puta genuflexionibus et prostrationibus ludebat coram throno Dei et Agno, atque ita ex omni corde suo laudabat Dominum. Eum in modum etiam adhuc vivente marito, quotidie divinas celebravit laudes, ut ab hora matutina in templo perseveraret in precibus, donec a meridie, pedisequarum eam exspectantium, volens vitare taedium potius, quam suo satisfaciens desiderio, venit ad hospitium suum, exiguum illud, quod supra diximus, corporis sumptura alimentum. Superni enim illius convivii, cui tota mente inhaerebat, dulcedo adeo cordis illius gustum affecerat, ut eam sapores alimenti corporei minime delectarent. Unde pene quotidie contemplationis suae ferculis intenta, et internae consolationis vino refecta, vix sub horam vespertinam cibum corporis admittebat. Tam vero ardenti desiderio et flagranti amore ferebatur in Deum, ut non modo seipsam ei offerret per devotionis incendium, verum etiam quoscumque alios posset, hortaretur, ut ei pie et fideliter servirent. Eâ causâ tam per se, quam per administrum suum, cui id negotii dederat, homines simplices, ipsius aulam frequentantes, docebat confiteri peccata sua, et orare, et caetera quae ad animarum salutem pertinent. Inter alias ipsi ministrantes feminas habebat Lavandriam, mulierem grandaevam, Dominicae orationis prorsus ignaram. Eam tanto studio ipsa docuit orationem illam, ut ad decem hebdomadas etiam noctibus eam sibi adesse voluerit, et in cubiculo, quo ipsa cubabat, ante lectum suum permanere et somnum capere: idque fortassis, ut verba sacrae orationis, quae interdiu ipsi inculcaverat, noctibus quoque eam ruminare cogeret, atque ita tenacius memoriae commendare. Maritum quoque suum, ut continuis pietatis exercitiis salutis fructum optimum ei cumulare, praecipue

vero ad devotionis studium excitare eum posset, complures docuit preces. Hoc enim semper in votis illi erat, ut is, quem inter homines vel maxime diligebat in Domino, etiam Deo suo devoto corde serviret.

§ **31**. Donum pietatis et misericordiae usque adeo sibi vindicavit cor beatae hujus Christi ancillae, ut ad gloriam Dei et Sanctorum ejus, atque ad subveniendum proximis et animo et opere semper promptissima fuerit. Verbum illud Salvatoris nostri, *Estote misericordes*, habebat inscriptum altissime cordi suo, et factis accurate complevit. Erat illi innata clementia, quam augebat pietas Jesu Christi : cujus gratiâ eam instigante, studebat quicquid boni poterat manus ejus, instanter operari : quae vero per seipsam efficere non potuit, aliorum opera effecit. Inter alia misericordiae opera, summae pietatis existimabat animarum promovere salutem. Eam ob rem maritum suum consiliis et exhortationibus suis permovit, ut propriis impensis construeret Trebniciense monasterium sanctimonialium Cisterciensis Ordinis: quarum impensarum summa, ut a procuratoribus compertum est, triginta marcarum millia plus minus collegit. Nam soli parietes praeter tectum, quod per totum claustrum hodieque plumbeum est, vicies mille marcis constitit. Fundatum est autem hoc templum et monasterium ad honorem omnipotentis Dei, et gloriosissimae Virginis Mariae atque Bartholomaei Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo tertio, et dedicatum anno millesimo ducentesimo decimonono. Interim autem, dum ejus monasterii structura fieret, nullum sinebat cujuscumque facinoris causâ sententiâ principis vel curiae ejus morti adjudicatum interfici, sed vitâ illi condonatâ, ad eam structuram volebat eum suam conferre operam, donec ad praescriptum tempus pro facinore suo eâ ratione satisfecisset. Ita prout quisque plus minusve peccaverat, huic mancipatus operi inserviebat. Constructum jam monasterium Dux Henricus ex consilio beatae Hedwigis dotavit et auxit largissimis redditibus, qui ad omnes sumptus necessarios sufficerent mille personis, et perpetuae exercendae hospitalitati : suâ eleemosynâ promereri cupiens, ut dignus esset audire Dominum in extremo judicii die dicturum : *Hospes fui, et collegistis me* (*Matth.* XXV). Ipsa quoque beata Hedwigis contulit eidem monasterio bona sua dotalia, Sanons cum pagis adjacentibus, mansos, ut vocant, circiter quadringentos optimae terrae. Porro a Babenbergensi civitate et dioecesi monachas Cisterciensis instituti accivit, easque in hoc monasterio degere voluit, in quo temporis successu sanctimoniales centum inclusae, vixerunt in servitio Christi : atque hodie illic viginti supra centum degere feruntur. Prima ejus Abbatissa fuit Petrissa, quam beata Hedwigis habuit magistram pueritiae suae, et a Babenberga cum aliis monialibus accersivit. Quamvis autem monasterii ejus sororibus abunde provisum esset

de iis quae ad victum et vestitum, cultumque divinum, eis necessaria erant, nec sic tamen benignitati ejus fuit satisfactum, quin multa illis adderet, quibus ad ejusmodi res necessarias eis prospectum esset, idque vel maxime, cum eas putaret earum rerum pati defectum, quibus pro suo usu indigèrent.

§ **32**. Aliis quibusdam religiosis, quos Templarios vocant, a marito suo impetravit magna quaedam praedia, optimo terrae loco sita, ubi postea multi magni pagi sunt conditi. Non pauca sane religiosis, id est, monasticem professis, praestabat beneficia, magnoque eos propter Christum honore afficiebat, ut etiam ab aliis eis honor haberetur. Cum enim venirent ad eam, assurgebat eis, comiterque eos accipiens, sibi ad mensam voluit assidère: utique ab obtrectatorum venenatis linguis famam illorum tueretur, non modo coram se illos honorifice tractandos curavit, sed etiam honesta, donec illic morarentur, hospitia, inculpatosque ministros et socios eis adhibuit, misitque necessaria omnia, et apud Ducem illorum negotia accurate promovit, et ocyus expedivit. Cum autem abituri essent, in saccis eorum clam jussit reponi panes, pisces, et alios religiosorum cibos, ut haberent quibus in itinere vescerentur. Porro quibus in locis eos stantes viderat, ibi post discessum illorum tamquam ad Christi vestigia genua flectebat, Deum, quem in illis exceperat, adorans. Diversis quoque monasteriis largas praestabat eleemosynas, puta Lubensi, Henrichoviensi, Vratislaviae ad sanctam Mariam, sanctumque Vincentium Franciscanis et Dominicanis fratribus: itemque multis aliis, qui in religioso habitu Jesu Christi signum ferrent, compluribus quoque miseris et calamitosis hominibus non cessabat benefacere et gratificari, perinde ac si illam Evangelii sententiam, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.*xxv): semper ob oculos versaret, exequendamque susciperet. Eremitas et inclusas, ubicumque adire potuit, per seipsam invisere, et beneficiis afficere studebat: longe positis per nuncios vestes, esculenta, atque alia necessaria suppeditabat. Leprosorum singularis ei cura inerat pro amore illius, qui propter nos quasi leprosus reputari voluit. Leprosas quasdam feminas simul habitantes prope oppidum, quod Novum Forum * vocant, adeo sibi curandas suscepit, ut hebdomadatim aliquoties eis mitteret pecunias, carnes, etiam ferinas: vestes quoque et alias necessarias res largiter praeberet, atque ut peculiares filias foveret, de omnibus eis prospiciens. Mirâ quoque commiserationis teneritudine movebatur erga afflictos omnes qualicumque corporali molestia, colliquescebatque

* Novum Forum est *Neumarckt*, in districtu Wratislaviensi. — Leprosi, a sanis disjuncti, extra urbes et oppida vitam ducere cogebantur. At Ecclesia Catholica pro viribus, indesinenterque adlaboravit ut diram eorum conditionem leniret ac sublevaret: nunc hospitia et ecclesias pro ipsis aedificando, nunc Religiosorum Ordines, qui eisdem inservirent, instituendo, nunc demum, in suis Conciliis praesertim, salutares, idoneasque leges decernendo, improbatis, rejectisque illis, quae immiti animo in eos latae erant.

animus ejus erga pauperes et aegrotos, quibus et benevolentiam et auxilium impendebat. Si quo defectu aut penuriâ laborare quempiam cerneret, pii cordis benignitate ei opitulabatur. Dormientibus pedisequis ejus et ancillis, accurate inspiciebat calceos earum, et si quid in eis fractum reperisset, objurgabat illas, quod id dissimulassent, ocyusque refici jubebat. Si qua in monasterio decumberet, quotidie eam invisebat, flexisque coram lectulo ejus genibus, verbis consolatoriis eam confortabat, simul aliqua opportuna subsidia ei porrigens; neque enim unquam recessit ab infirmo, nisi prius collato munere eum consolata esset. Aegrotos quoque e familia sua adibat, medicamenta eis praeparabat, et medicos ad illos mittebat, instar matris curam illorum gerens. Dominicae illius sententiae suavitate illecta, *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* xxv), quoscumque comperire potuit infirmos, maxime pauperes, modo id fieri posset, visitavit. Si quo itura esset longiori itinere, ubi infirmum quempiam cognovit, ad eum, posthabito itinere, accedebat. Quos vero propter nimiam locorum distantiam visitare non poterat, iis nummos transmittebat. Quanto quis inter aegrotos esset miserabilior, tanto ab ea potiora consolationis beneficia percipiebat. Feminas in puerperio decumbentes, imprimis pauperes, invisebat, si qua ratione id fieri posset, eisque praebebat necessaria.

§ **33**. In carcerem conjectos etsi per seipsam adire non posset, non tamen omisit magnis eos beneficiis invisere. Ardenti enim desiderio cupiens quandoque audire vocem Domini in judicio, *In carcere fui, et visitastis me:* quandoquidem ipsa in carceres ingredi non potuit, per nuncios suos mittebat eis esculenta et poculenta, satisque vestium, ne frigore affligerentur; et ne pediculos nimium infestos sentirent, vestes lineas, aliasque mutatorias, quae sufficerent, eis suppeditavit, addens etiam candelas, ut beneficio luminis, carceris horrores et tenebras sibi minuerent, omni studio praecavens, ne rei alicujus defectu periculum eis crearetur. Sed et altiores charitatis gradus ascendens, etiam hostes et adversarios mariti sui, qui interdum in carceres mittebantur, ejusmodi beneficiorum non sinebat expertes esse: sed necessaria liberaliter eis porrigebat, convenienter illi sententiae : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi* (*Rom.* XII). Praeter omnia autem, quae captivis et in carceres detrusis beneficia praestitit, suâ intercessione saepissime eos a vinculis liberavit, et in libertatem vindicavit. Illis etiam, qui in mala gratia erant apud maritum ejus, non cessabat illius conciliare animum, flexis genibus et cum lacrymis tamdiu pro illis orans principem, donec se sentiret exauditam. Afflictis, modo ulla suppeteret facultas, efficaciter subveniebat. Nunquam plorantibus suam voluit deesse consolationem, neque indigentibus auxilium opportunum. Aere alieno oppressos, et qui propter aes

alienum vexarentur, aut in custodia detinerentur, suâ pecuniâ redimebat atque sublevabat. Morti adjudicatos, aut aliis ob sua maleficia afficiendos poenis, non raro suis precibus eripuit. Quidam e Clero, Gallus genere, ob crimen sacrilegii ex judicis sententiâ extremo supplicio afficiendus erat. Ubi illa pia matrona còmperit, Clericum in sortem Domini electum, tam miserabili destinatum neci, magis etiam misericordiâ permota sunt viscera ejus, ratione Cleri, quem censebat omni veneratione dignissimum. Itaque apud eum, qui erat in potestate, precibus institit, nec prius orare destitit, quam Clericum illum a tam praesenti periculo ereptum, incolumem conservaret.

§ **31**. Mater erat omnium pauperum, et praecipue viduarum atque orphanorum eximia consolatrix: quorum causas et negotia, cum id res posceret, apud Ducem promovebat, exhibebatque se illis fidelissimam advocatam. Non paucas quoque puellas, parentibus et amicis orbatas, apud se humaniter fovebat, singulis pròvidens, prout ei visum fuit saluti illarum praecipue expedire, alias matrimonio, alias monasteriis tradens. Cum sic autem perpetuis foveret beneficiis pauperes, quocumque ibat, sequebantur eam ut matrem. Semper enim in ecclesia coram ea positus erat acervus nummorum, qui distribuerentur egenis, e quibus multos ipsâ sua manu elargiebatur. Nec ausus erat quisquam ex ejus familia, eam subsequentes repellere pauperes, tametsi nimia illorum multitudo, non mediocrem saepenumero molestiam afferret plerisque ministris ejus. Cum die quodam coram altari, quod erat in conclavi ejus, prolixius oraret, mendici more suo exspectantes stipem, exclamare coeperunt: « Hodie domina nostris est subducta conspectibus; hodie pauperum consolatrix nobis vultum non ostendit suum, quandoquidem nullum adhuc ejus percepimus beneficium. » Id cum ei mox indicasset una ex familiaribus ejus, jussit eam abire propere, tollere pyxidem, in qua erant pro pauperibus nummi reconditi, dare inde singulis, quod divinitus ei esset inspiratum. Ita enim per alios distribuebat eleemosynas: interdum per seipsam erogabat. Illis qui in Clero erant, inopiam patientibus, tamquam divino cultui amplius addictis, et qui per vitae munditiam prae populo ad Christum propius accedere debeant, multa beneficia peculiariter tribuebat. Quamobrem ex locis remotioribus quandoque venientes ad eam a Vratislavia usque in Rochetincz, quod est tredecim milliarium iter, receperunt ab ea argentum, vestes et alia vitae degendae necessaria. Dominus Raslaus presbyter, et homo maturus, Vladislaviensis canonicus, testis operum pietatis et benignitatis sanctae Hedwigis, de seipso loquens: « Pauper tyrunculus, inquit, Vratislaviae, dabam litteris operam. Audiens illic beneficia, quae pro Christi amore daret egenis beata Hedwigis, cum sociis ter me contuli ad eam, semperque argento ab ea accepto, laeti ab

ea revertebamur. Quoties autem ad ejus aulam accederem, multam illic pauperum turbam conspexi. »

§ **35**. Ad loca vel limina Sanctorum profecturis, itemque Cruce signatis, et aliis peregrinis larga praebebat subsidia, ut promovendo illos in via salutis aeternae, eorum meritorum particeps fieret. Vix quisquam unquam stipem petens, ab ea vacuus recessit. Ut enim magister Hermannus, Canonicus Glogoviensis et pastor Swidnicensis asseruit, ex copiosis proventibus suis vix centesimam partem sibi suaeque familiae in usus necessarios servavit: quicquid reliquum erat, Ecclesiis et pauperibus elargiebatur. Deficientibus autem ipsi propriis pecuniis, ad principem Henricum maritum suum recurrebat, orans, ut ministrando egenis res necessarias, ipsius expleret vices. Chortem * quamdam bene magnam quatuor aratrorum habuit. Ea Zeuma dicebatur, unde magnam annonae et esculentorum copiam colligebat. Accidit autem quandoque ingens annonae caritas. Jussit tum illa locis publicis proclamari, ut egentes omnes ad eam chortem venirent, eleemosynam propter Deum reportaturi. Accurrerunt inopes grandi numero, jussit singulis distribui, quod corpori sustentando sufficeret. Frumento absumpto, carnes omnes, quae illic essent: deinde et caseos, ad extremum arvinas et salem ad condienda olera, et quicquid demum esculentum eo in loco reperiri potuit, erogavit fidelis dispensatrix et prudens, familiae Domini escam praebens tempore opportuno. Hunc vero modum et ipsa servavit, et maritum suum servare docuit, ut si multis pariter essent praestanda beneficia, aequales singulis portiones cederent, ne impares eleemosynae apud accipientes invidentiae materiam excitarent.

§ **36**. Habebat vero in aula sua speciales quosdam afflicta valetudine pauperes tredecim, quos in honorem Christi et duodecim Apostolorum ejus, cum aliquo proficisceretur, currribus impositos secum vehebat, et ubi ad hospitium ventum esset, primo illorum suscipiebat curam: jubensque illos coram se discumbere, priusquam ipsa mensae assidèret, illis ad mensam ministrabat, singulis apponens escas, genibus flexis. Deinde etiam ipsa accumbens, edebat more suo cibos aridos, optima fercula carnium aliorumque lautorum eduliorum ipsi proposita, tum illis, tum aliis pauperibus jussit offerri. Eâ re animadversâ, nobilium et principum filii, qui in ejus aula versabantur, dicebant se malle mendicos esse, ferculis dominae suae Hedwigis alendos, quam cum illa cibum sumere. Potum quoque optimum sibi oblatum, illis pauperibus volebat apponi. Eam rem moleste ferentibus Capellanis aliisque familiaribus, et interdum dicentibus, ut potum appositum permitteret coram se stare: ipsos daturos operam,

* *Chortis* vel *Curtis* est villa, seu habitatio rustica, aedificiis, colonis, servis, agris, personis, etc. ad rem agrestem necessariis instructa, alias *Colonia* dicta, *Vide* Du Cange.

ut pauperes habeant satis; illa respondit: « Immo vero hac de causa meum ego illis volo porrigi poculum, quod sciam eos alioqui tam bonum potum minime habituros. » Quicquid illi propositum esset, etiamsi non nisi pomum unum esset, cum pauperibus partiebatur: erga quos sane tantâ animi pietate et benevolentiâ afficiebatur, ut si ita decuisset, et absque aliorum murmure fieri potuisset, libentissime cum singulis ex illorum scutellis cibum sumptura fuerit. Pro illa autem pauperum turba, quae coram mensa ejus non versabatur, singularem habebat culinam, et quosdam ministros, illis specialiter deputatos: quibus in prandio et coena pro ratione temporis victui necessaria praebebantur. Videat hic lector, quam pauper spiritu fuerit haec ancilla Christi, quae in rerum mundanarum affluentia, et in mediis epularum deliciis in tantum egère voluit propter Christum, ut famem, sitim, et in frigoribus nuditatem perpessa sit. Magnum enim illa sibi videbatur instruxisse convivium, si laute àleret viscera pauperum: majorique charitatis inflammabatur ardore, cum egentium corpora vestibus confovèret. Est ergo non immerito dicenda fortis illa mulier, quae manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes, risura proculdubio ob tanta humanitatis et charitatis officia in die novissimo.

§ **37**. Porro etiam Dominum in Evangelio dicentem audiens: *Date, et dabitur vobis: dimittite, et dimittemini* (*Luc.* VI); cupiensque per omnia obedientem se illi praebere, non solum res suas in pios usus expendit, sed etiam liberaliter remisit, quae a subditis ei debebantur. Pensionum enim illis, qui eas persolverent, bonam partem remittebat, adeo ut Otho capellanus ejus, exclamarit quandoque: « Tam multa condonas rusticis tuis, domina, ut nos, qui tibi servimus, vix habituri simus, unde sustentemur. » Cui tum illa suaviter respondit: « Ne timeas; potest Deus providere nobis. » Et quia vel parum, vel nihil a suis pensionariis exigebat, scriptores * ejus dicebant ironice: « Nihil ex bonis dominae nostrae annotandum habebimus, nisi hoc, quod illa remittit. » Nam quandoque uno die pensionariis suis in Savon et Javor ad triginta marcas remisit. Cum autem ejusmodi pensionarios atque alios pauperes non posset aliâ viâ a judicum et aliorum officialium manu liberare, suâ pecuniâ illorum vexationes redimebat. Scriptorem habuit dominum Ludolphum, virum prudentem et honestum. Eum saepe rogavit cum lacrymis, ut erga homines suos humanitate et clementiâ uteretur, nec importune exigendis pensionibus eos gravaret: et ne judices fortassis severi nimium essent erga tales, ipsa judiciis saepe voluit coram interesse: neque tum per judicem, sed per aliquem ex Capellanis fiebat judicium, ut pauperes humanius acciperentur. Quid plura? Fons iste benignitatis adeo communis erat, et omnes

* Seu, italice *ragionieri*.

suae dulcedinis in tantum volebat esse participes, ut quotquot ei propinquarent, haustâ ejus suavitate, bono animo recederent Cunctis enim ad illam refugientibus, si interdum non posset pro cordis affectu operis effectum impendere, ad omnipotentis Dei gratiam se conferens, divino miraculo impetrabat, quod homines ab ea expetebant.

§ **38**. Animam hujus dilectae et electae suae, Christus Salvator tantâ impleverat gratiâ, ut et continuâ animi devotione sursum ageretur in Deum, et benignâ misericordiâ indesinenter afficeretur erga proximos. Familiaritatem autem illam et amicitiam qua erat conjuncta cum Deo, eâ adhuc vivente, quaedam signa haud obscure declarabant. Ob ejus enim amorem et merita, Deus miracula quaedam effecit: multa quoque ei futura revelavit: uti sic per miracula ostenderetur non ei deesse virtutem Apostolicam, et per rerum futurarum, occultorumque actuum revelationem, spiritu prophetico plenam esse. Raslaua sanctimonialis Trebniciensis admodum familiaris erat B. Hedwigi, quae eam a teneris annis educatam, in monasterium introduxerat, ubi postea custodis functa est officio, et deinde in Ouensconensi coenobio Abbatissae. Sedens illa quandoque ad mensam S. Hedwigis, et os piscis incaute admittens, nec glutire potuit, nec rejicere; sentiens sibi impendere periculum, surgit a mensa, conatur provocare vomitum, ut vel sic extrudatur os gutturi affixum. Nihil se efficere videns, redit fidenter ad Hedwigem adhuc mensae assidentem, indicat quid patiatur. Compatitur illa, bene precatur ei in nomine Domini, moxque signo Crucis edito, Raslaua expuit os cruentatum, et mortis se discrimen evasisse laetatur. Eadem dum nimium flet defunctum fratrem suum, albuginem permolestam contrahit in oculo. Ubi id conquesta est beatae Hedwigi, jubetur ab ea tollere psalterium ejus, et illo signum Crucis exprimere ad oculum male affectum. Tollit codicem, consignat se, et miratur repente suum sibi restitutum oculum.

§ **39**. Alia Trebniciensis monacha lacrymis oculos perdidit. Multa adhibita cura est, sed frustra. Venit tandem ad beatam Hedwigem, rogat, flexis genibus, ut Cruce consignet oculos ipsius. At illa prae humilitate obstupescens, planeque id facere recusans: « Deus, inquit, parcat tibi, quod rem tantam a me petere ausa es. » Non cessat tamen soror, instat precibus, donec illa pietate victa, Crucis signum ederet, dicens: « Dominus tibi benedicat, soror mea. » Confestim ad Crucis signum decem hebdomadarum caeca nox, ab oculis ejus depellitur, et redit serena lux. Sanata est etiam Germana quaedam mulier, diu caeca; quae cum mirifice ejus sanctitatem praedicaret, non parvam molestiam ei attulit, quippe quae laudibus haudquaquam delectaretur. Duos homines jam suspensos, et divinâ virtute propter ejus merita a morte servatos, jussit a patibulis deponi, multis stupentibus, qui

alterius supplicio interfuerant, eum manere incolumem et vivum. Jussit tum Henricus princeps, maritus ejus, ut ubicumque illa deinceps praeteriret publicas custodias, mox carceres et ergastula aperirentur, vinctique pro ejus reverentiâ a captivitate et vinculis absoluti, suae libertati redderentur. Mulier quaedam die Dominico molens, divinâ ultione percussa est, ligno quo molam agebat, adeo manui ejus adhaerente, ut nec mariti auxilio amovère illud posset. Amputato igitur supra et infra manum ejus ligno, ducta est a marito ad beatam Hedwigem. Orat sancta Hedwigis Dominum pro ea; aperit manum ejus, extrahit lignum, mandat ut rem apud se tacitam habeat: sed, latère non potuit, quod Dominus ad suam gloriam voluit innotescere. Quadam nocte, beata Hedwigis vigiliis et precibus defatigata, somno oppressa est, et lumen accensum, quod vigilans manu tenuerat, in librum, unde legebat, decidit. Et ecce rem admiratione dignissimam! Adhaeret libro candela, et tota comburitur, nec quicquam tamen laeditur codex.

§ **10**. At vero non solum admirandis operibus, sed etiam praeclarâ cognitione admodum conspicua fuit beata Hedwigis. Supernae enim lucis illustrata radiis, mente perspicue cernebat, quae corporeis oculis non videbat, multa quoque diu post futura praevidebat. Atque hoc dono ab ipsa juventute usque in vitae finem praedita fuit. Cum adhuc juvenis esset, quodam Salvatoris natalitio die venit quidam ad eam mensae assidentem, qui diceret cèrasum in horto florère. Mittit illa hominem, qui videat, qua parte arbor flores ferat. Renunciat is, in ramis inferioribus flores conspici. Tum illa: « Signum est, inquit, multos pauperes hoc anno morituros.» Quod res ipsa confirmavit. Maritum suum Ducem Henricum praemonuit, ne de castro Legniciensi exiret, sed diu intra illud sese contineret, brevi alioqui moriturus, si ab illo alio se transferret. Credidit ille, et triennio mansit in castro illo. Tandem inde recedens, et usque in Lesnicz perveniens, ibi decubuit, et intra dies octo migravit e vita anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo octavo, sepultusque est in monasterio Trebniciensi *. Femina quaedam Catharina, natione Prutena, a beata Hedwige e sacro baptismatis fonte suscepta, nutrita et matrimonio collocata fuit; eique ob multam familiaritatem non pauca futura praedixit, saepe etiam occultas ejus cogitationes illi exponens. Cum enim aliquando de vita praesenti animo versaret, Hedwigis ait ad eam: « Quid tu frustra praesentibus occuparis, Catharina, cum tibi jam prae foribus mors immineat? » Id illa audiens, expavit, sciens non nisi vera dicere Hedwigem. At beata Hedwigis immodice consternatam consòlans: « Noli, inquit, Catharina, moerore affici: morieris quidem, sed reviviscès; et hoc

* Est hic confusio et personarum et locorum. Nam Henricus Barbatus non Lissae, sed Crosnae obiit; Lissae, seu Lesnicz mortuus est Boleslaus, dicti Henrici pater.

tibi signum: Concipies et paries filiam, quae morietur, et tu post eam decedes. » Nondum gravida tum erat mulier: sed postea nata filia, defuncta est, et ipsa gravissimo correpta morbo, triduo visa est animam expirasse: non tamen mandata est sepulturae, quod perexiguum quiddam vitalis spiritus in ea superesse videretur, tametsi nec ignem corpori admotum sentiret. Reddita tandem saluti est, ut pie creditur, per beatae Hedwigis merita: ut et spiritus ejus propheticus declararetur, et virtus divina innotesceret, quae ob ejus merita vitae restituisset feminam illi valde addictam atque familiarem.

§ **11**. Procuratricem beata Hedwigis habuit, imprimis sibi gratam et familiari consuetudine conjunctam. Demundis ea dicebatur. Hujus absentis mortem S. Hedwigis non sine multa animi commiseratione praedicens, Demundis, inquit, ex ea vita morte odiosa discedet. Interim Hedwigis sancte migrat a corpore, Demundis aliquot annis supervivens, tandem subitaneâ morte exstinguitur. Triennio ante, quam caesus est Dux Henricus, sanctae Hedwigis filius, ipsa Adelheidi sanctimoniali dixit: « Sis memor, filii mei; non enim lecto decumbens morietur. » Territa illa ac stupens: « Absit, domina, inquit. Unicus tibi est: idcirco metuis, ne sic illi accidat: sed rejice hanc formidinem. » Respondit Hedwigis: « Non timeo, sed certissime scio illum interfectum iri. » Post annos tres, Tartari in Silesiam irrumpentes, in tantum grassati sunt, ut ipsa beata Hedwigis cum filia et nuru Anna in Crosnam castrum se transtulerit. Ubi cum esset, quadam nocte ait ad Demundim: « Noveris me orbatam filio meo. Unicus ille meus, instar aviculae, repente avolavit a me. » Princeps enim ille Henricus, qui patri successerat, collecto exercitu, occurrit Tartaris, a quibus occisus est anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo primo: sed caedis ejus nuncius nondum allatus erat. Demundis autem consolari eam volens, tamquam quae humana opinione id dixisset: « Domina, inquit, missam fac hanc persuasionem: necdum quicquam hujus compertum est. » At illa: « Sic est, ait, ut dixi: tu tamen vide, ne filiae aut nurui meae isthuc innotescat. » Post triduum ejus sententiam confirmavit certus nuncius caesi Principis. Domino Lutholdo Capellano et procuratori suo quandoque dicebat: « Miseret me tui, domine Lutholde: nepos enim meus Dux Boleslaus multa mala tibi faciet: te tuosque omnes rebus omnibus spoliabit. » Sed quod in magna Boleslai gratiâ tunc esset Lutholdus, prope indigne ferens beatae Hedwigis dictum ita respondit: « Utinam tibi, domina, liceat semper pace frui: mihi et meis nihil metuendum est a Boleslao. » Tum illa eum intuens: « Ego quidem, inquit, pace fruar: sed tu senties me tibi vera praedixisse. » Cum ad eumdem Boleslaum Ducem adduceretur filia Comitis Anhaltani, ejus futura uxor, excepta est a beata Hedwige: quae simul atque intuita est

eam, dixit permulta eam a Boleslao toleraturam. De eodem Boleslao praedixit, eum e monasterio Trebniciensi duas sorores suas, quae illic Domino traditae erant, vi extracturum. Omnia haec de Boleslao praedicta, rei probavit eventus: attamen altera harum sororum, domina Agnes, rediit ad monasterium, et in monastica professione defuncta est.

§ **42**. Quidam Fridericus beati Francisci institutum professus fuit. De eo sic dixit beata Hedwigis ad Annam nurum suam: « Multum doleo vicem dominae Sophiae. Video enim, proh dolor, filium ejus Fridericum a suo instituto per apostasiam defecturum. » Post annos decem Fridericus vilis apostata effectus est, suoque exemplo admonuit alios, ut qui stat, videat ne cadat, videat quomodo caute ambulet. Soror Raslaua in manica ferens hericium, ad beatam Hedwigem venit. Mox vero ab ea reprehenditur, quod immundum animal apud se ferat. Illa oblita hericii, pudibunda recedit, perquirit intra se, quid rei sit isthuc, cujus mentionem fecisset Hedwigis. Incidit ergo illi, fortassis hericium significare voluisse. Mox eo abjecto, redit ad eam. Tum illa: « Sic, inquit, filia ad me accedere debebas: de caetero vide, ne tam deforme animal circumferas. » Juliana monacha Trebniciensis, dato signo, properabat ad ecclesiam, praeteriensque locum, ubi nunc est altare beati Stanislai Episcopi et Martyris, nullam praestitit reverentiam, quippe cui nec causa appareret, cur id faceret, nullo illic altari extructo. Sic ergo properantem revocat beata Hedwigis, locumque demonstrans: « Filia Juliana, inquit, hic locus magno cuidam Sancto destinatus est, in cujus honorem altare hic condetur. Quoties igitur hac transibis, non omittas exhibere reverentiam. » Defunctâ beatâ Hedwige, cum anni quatuordecim lapsi essent, in eo ipso loco ara posita est in gloriam Dei et honorem S. Stanislai. Catharinam pedisequam suam hortabatur S. Hedwigis, ut disceret aureis filis operari, praedicens eam artem ipsi quandoque magno usui fore. Paruit Catharina, et ecce ab obitu beatae Hedwigis anno tertio, rebus suis omnibus amissis, hoc artificio multas sibi paravit opes, ita ut et divitiis et virtutibus esset locuples. Venit quandoque ad beata Hedwigem Mileiza, nobilis et honesta femina, non mediocriter illi cara: cumque aliquandiu apud eam mansisset, et jam domum cogitaret, vocavit eam ad se beata Hedwigis, aitque illi: « Mileiza mea, accede me, ut te exosculer: non enim posthac visura es Hedwigem in hac vita. » Osculatur illa sanctam, haud dubie non sine lacrymis, abit domum, Hedwigis non diu post obdormivit in Domino.

§ **43**. Sciens illa imminere dissolutionem corporis sui, adhuc incolumi corpore accivit ad se Catharinam, cujus paulo ante meminimus, mandans illi, ne moras nectat, sed ocyus advolet, servitura ipsi in aegritudine imminenti. Non cunctatur fidelis famula, venit propere, videt sanam, nec recedit tamen, sed in omnibus

officiose ei suam navat operam. Cum autem beata Hedwigis in quoddam esset cubiculum ingressa, Catharina videt tres daemones humanâ effigie cum ingenti strepitu in eam irruere, eamque atrociter flagellare, et dicere cum furore : « Quid tu adeo sancta es ? Cur tot sanctitatis opera efficis ? » Illa vero eam daemonum vim et impetum sustinens, et cum tremore Crucis signo se communiens, illaesa evasit. Cumque ab eo loco egrederetur, Catharina eam sequens, eique condolens, crebro a tergo illius signum Crucis exprimebat. Quod quidem Hedwigis videre corporeis obtutibus non potuit : virtutem autem Crucis Christi sentiens, converso ad eam vultu : « Catharina, inquit, semper hoc me signo munias. » Mirandam enim vim habet et efficaciam ex Domini passione. Priusquam in eum morbum incideret, qui ei vitae finem attulit, accito ad se fratre Matthaeo Cisterciensis instituti, qui tunc ei a sacris confessionibus erat, Extremae Unctionis sacramentum ab eo sibi petiit ministrari. Id ubi sanctimoniales compererunt, non mediocriter consternatae sunt, haud obscure inde colligentes propinquare jam tempus migrationis ejus a corpore : praesertim cum non ignorarent illam non temere id petere, quae spiritu prophetico polleret. Dolebant igitur et perturbabantur, quippe quae matrem, ipsas in Christo foventem ac diligentem, perdere formidarent. At soror Adelheidis pro singulari familiaritate ad eam accedens : « Domina, inquit, cur Sacram Unctionem expetendo nostros affligis animos, cum sis incolumis, nec ulla in te mortis signa visantur ? Neque enim hoc sacramentum ministrari solet, nisi ubi de aegroti periculo metus est ? » Cui illa respondit : « Scio, Adelheidis, scio ita esse, ut dicis, et morem Ecclesiae bene tu explicas : sed est tamen, quod hic advertere te oporteat. Cum enim Extremae Unctionis sacramento homo moriturus tamquam armis spiritalibus contra spiritales nequitias muniatur, ejusmodi praesidium cum summa devotione accipiendum est. Ego autem etsi incolumis adhuc sum, tamen mox secus habitura sum, vereorque ne, increscente morbi dolore, tam salutare auxilium cum tanto possim devotionis fervore percipere, quanto par est animam ad Dominum properantem. » Ita ergo satisfactum est ejus desiderio, et oleo sancto uncta est : nec diu post in morbum incidit, nec sacramentum hoc denuo percipere voluit. Sed hoc tamen, quod hic diximus, admirandum potius est, quam imitandum : cui spiritus Domini per revelationem tribuit efficaciam, et in quo, ut pie creditur, sancta devotio dispensavit.

§ 44. Postquam autem jam decumbere coepit, filia ejus Abbatissa Trebniciensis severe prohibuit cunctis sororibus, ut aliis ei ministrantibus, nulla accederet, et ne gravarent eam, aut gravari permitterent. Interim tamen multa ei pandebantur divinitus, quae ab homine ullo nec audierat, nec didicebat ; cognoscebatque ad se intrantes, cum tamen aversâ facie jacens, eos non videret :

praesentesque illos esse expressis eorum nominibus indicabat. Unde etiam post Tartarorum recessum, ad monasterium monialibus reversis, Wenceslauam sororem ad se accersivit, quae postea ejus monasterii Priorissa fuit, cum tamen nihil de ejus reditu audivisset. Sorores quoque ei decumbenti ministrantes, dominae Annae nurui ejus, quae tum apud Regem Boëmiae fratrem suum erat, celeriter indicare studuerunt, quo loco res ejus essent. Sed id illa prohibuit : « Nolite, inquiens, timere, nec laboretis mittendo aliquem ad filiam meam Annam : neque enim, illa absente, ego moriar. » Quod etiam revera ita evènit. Eo tempore cum sic admodum aegrota decumberet, duae monachae Trebnicienses, Pinnosa et Benedicta, eam visitarunt. Illa igitur Pinnosam propius assistentem intuens, instrumento quodam, quod tum manu tenebat, attigit eam, et ait: « Te quidem absque permissu Abbatissae huc venisse, negare non potes. Abi ergo, et pete hujus delicti veniam: copiâque impetratâ, ubi voles, ad me revèrtere. » Obstupuit soror, et quamvis multum timeret Abbatissam, tamen parère volens beatae Hedwigi, celeriter ad eam se contulit, quid fecisset indicavit; agnoscensque culpam suam, cum ejus bona venia rediit ad Hedwigem : quae tum averso vultu jacebat, nec eam corporeis oculis intrantem vidit, sed tamen spiritu cognoscens praesentem adesse, ei improperans dixit: « Egredere praevaricatrix instituti tui, egredere. » At illa procidens, petivit veniam. Libenter autem ignoscens beata Hedwigis: « Posthac, inquit, filia, nihil absque permissu superioris facias: magni enim meriti est obedientia. »

§ **45**. Eugenia monialis Trebniciensis hortabatur Gaudentiam germanam sororem suam, ejusdem loci sanctimonialem, ut cum ipsa iret ad beatam Hedwigem decumbentem. Gaudentia vero respondit: « Equidem id lubens facerem, sed vereor ne mea mihi peccata improperet, quemadmodum Pinnosae fecit et Raslauae. » Sed Eugenia eam excusationem non admittens, instantiâ suâ tandem vicit Gaudentiam. Abeunt ergo simul ad locum, in quo Hedwigis decumbebat: sed ingrediente Eugenia, ad fores substitit Gaudentia, prae timore non ausa ingredi. Nihil quicquam hujus vel visu vel auditu perceperat Hedwigis, cum ecce, spiritu revelante, dicit ad Eugeniam: « Abi ad Gaudentiam, quae stat prae foribus, et dic ei verbis Dei et meis: Tu haec atque illa peccata admisisti (singulatim autem ea exprimebat Hedwigis). Cito ergo confer te ad poenitentiae lamenta, et peccatorum maculas deterge. » Fecit Eugenia, ut erat jussa: « Gaudentia vero agnoscens vera, quae Edwigis dixisset, valde territa, confessione abolevit culpas suas. Atque ita repurgata, quoties postea visum est illi, secura ad beatam Hedwigem accessit. Morbo autem ingravescente, Gertrudis Abbatissa, filia ejus, sciscitabatur ex ea, ubi vellet humari. Illa, quae jam olim omnem rejecisset fastum, sincera animi

humilitate respondit : « In communi coemeterio cupio sepeliri : » sed cernens filiam non assentiri, in domo capitulari, ut vocant, elegit sepulturam. At neque hoc probante filia, sed dicente : « In ecclesia te, mater, in patris mei sepulcro reponemus, » respondit: « Si me omnino necesse est humari in ecclesia, contestor per Deum et obsecro te, filia, ne in tumulo patris tui, a cujus thoro multis annis separata fui, deponas corpus meum. Nolo enim vel mortua mortuo conjungi, a quo castitatis amore, quod ad cubilis consortium attinet, diu sejuncta fui. » Dicente rursus filia : « Condam igitur te in monumento fratris mei, filii tui, » illa dixit : « Cum nullo volo habere sepulcri consortium : sed si tamen plane decrevisti me tumulare in templo, fiat id, oro, ante aram beati Joannis Evangelistae. » In ecclesia enim illa coram hoc altari quidam nepotuli ejus sepulti erant : quorum amans innocentiam, illic humari voluit. Iterum dicente filia : « Coram altari beati Petri te sepeliemus, ut monumentum tuum semper nobis ob oculos versetur : » illa respondit, spiritu prophetico illustrata : « Id quidem si feceritis, brevi vos poenitebit ob crebras molestias, quas meum vobis pariet sepulcrum. » Et plane sic accidit. Magnam enim quietis suae jacturam fecere sorores ex nimia hominum frequentiâ, ejus monumentum visitantium. Sic illa beata multas res futuras, quas humanâ industriâ scire non potuisset, certo praedixit, docente illam intus luce verâ, cui familiaris erat : quamquam non omnia aliis indicavit quae intus didicerat. Abbatissa quoque quantum salvâ moderatione potuit, interdixit ei, ne revelata aliis explicaret, verita ne quid inde incommodi acciperet in tanta virium imbecillitate.

§ 46. At tandem adventante tempore, quo laborum suorum a Domino fructum perciperet, Dominus eam coelestibus consolationibus affecit, aeternae illius jucunditatis et beatitudinis praeludia quaedam ei exhibens. In ipsa enim nativitatis beatissimae Virginis solemnitate, cum aliis sororibus ad Vespertinas preces abeuntibus, sola Catharina apud eam esset, ipsa Catharina vidente, venerunt ad eam personae quaedam multa luce conspicuae : eademque Catharina audiente, Hedwigis ait ad illas : « Gratus mihi est adventus vester, dominae meae, sancta Magdalena, sancta Catharina, Tecla, Ursula, et caeterae, quas nominavit illa quidem, sed memoriâ non retinuit Catharina : quae etiam audivit eam latine cum illis loquentem. Finitis Vespertinis precis, visio illa cum luce disparuit. In ipsis quoque feriis beati Matthaei Apostoli venerunt ad illam invisendam sorores duae Pinnosa et Benedicta, quas illa genua flectere et orare jussit. Sciscitantibus cur id facerent : « An non, inquit, videtis sanctas Magdalenam et Catharinam ? Quemdam etiam sanctum Martyrem nominavit, cujus vocabulum, quod inusitatum esset, eis excidit. Tandem ut esset finis laboris, quem tamen illa vix senserat prae amore, animam

sanctissimam Christus transtulit in abyssum suae claritatis, anno salutis 1243, Idibus Octobris, sub horam vespertinam, ut quo tempore illa consuevisset cibo arido reficere corpusculum suum, transferretur ad immensas delicias paradisi, et ad interminatae quietis sabbatum, cum Sanctis omnibus celebrandum.

§ 47. Corpus exanime cum abluere vellet Wenceslaua Priorissa cum aliquot sororibus, invenit asperrimo indutum cilicio. et zona ex equorum setis confecta cinctum. Quibus cum illud exuissent, quaedam futurae gloriae signa in eo extitere. Nam color ejus, qui ex crebris jejuniis et perpetuis castigationibus pallidus sive croceus fuerat, atque ob aestus et algores ad nigredinem declinaverat: cutis quoque corrugata, sub omnium adspectu instar nivis splendescere coepit, lucisque repraesentare candorem. Facies ex morbo crocea, in defuncta visa est candida, genae rubore perfusae, labia rutilantia: ita ut quaedam pulcherrima conspiceretur effigies, signa mortui hominis nulla prae se ferens. Pedes ejus saepius antea squalidi, instar lactis nitidi visebantur. Calli genuum ejus, quos vivens diligentissime absconderat, tum a feminis circumstantibus pertractabantur, qui sane adspicientes admiratione afficiebant et jubilo, cum in tam illustri femina cernerent vestigia eximii fervoris in servitio summi Regis. Erant enim ii calli, ut testatur soror Jutha, quae eos suis oculis conspexit, duorum pugnorum magnitudine: quaedamque eis rupturae inerant, et congeries pulveris arenosi. Orans enim saepe nudis genibus, ex nudo pavimento, quibus ea affixerat, arenulas attraxerat, quae fissuris illis adhuc inhaerere videbantur. Loto corpore, et in feretro ita, ut par erat, honeste composito, monachae Trebnicienses cupidissime accurrentes, singulae quod poterant, de sacro corpore ejus sibi vindicabant. Aliae ungues e manibus et pedibus, pleraeque capillos praecidebant. Ad extremum cum congrua celebritate thesaurus ille inaestimabilis in ecclesiam deportatus, triduo illic inhumatus permansit, multis ad sacrum corpus vigilantibus et orantibus, cunctisque laudantibus Deum pro omnibus quae viderant et audierant. Soror Jutha ex incisa vena manum habuit periculose intumescentem et lividam. Accessit ad corpus, in feretro jacens et cilicio obvolutum, admovit illi manum, sentiensque odoris miram fragrantiam, manum retraxit incolumem. Soror Martha, innaturali quadam et inextinguibili siti biennium et eo amplius vexata crebroque reprehensa quod noctibus biberet, nimiâ eam siti cogente, cum ablutum esset corpus exanime sanctae Hedwigis, ejus meritis non immerito fidens, sic oravit eo in loco, ubi illa lotio facta fuerat: « Domina mea beata Hedwigis, libera me ab hac molestia, et improperiis, quae ejus causa patior. » Moxque accedens ad pelvim, cunctis absentibus, aquâ loti ejus corporis, quae illic relicta erat, os, collum et guttur suum abluit, et confestim curata est.

§ **18**. Tertio ab obitu ejus die, priusquam sepulturae mandaretur sanctum corpus, Abbatissa dixit Wenceslauae sorori, ut auferret ab ejus capite velamen, et aliud reponeret. Hoc enim velamen fuerat beatae Elizabeth, cujus matertera sancta Hedwigis, quoad vixit, illud multâ reverentiâ prosecuta erat, et pro ejus amore diligenter conservarat. Volebat eâ causâ Abbatissa illud sibi retinere. Accedens igitur Wenceslaua ad feretrum, detecta facie sanctae Hedwigis, videt eam aperto ore jacentem, et ab ore sentit proficisci odorem suavissimum: corpus quoque majori candore infusum, ut dos claritatis et stola gloriae in ea jam tunc quodammodo relucère viderentur... In Sanctos autem relata est illustrissima matrona et admodum venerabilis Hedwigis a Clemente Pontifice, ejus nominis quarto, anno Domini 1267, Idibus Octobris *: qui cum ante Pontificatum filiam ex legitimo matrimonio suscepisset, eaque luminibus orbata esset, cupiens ipse etiam aliquod beatae Hedwigis miraculum experiri, rogavit pro ea intra Missarum solemnia, ut si sancta esset Hedwigis, ipsius filiam sanaret, quod etiam facile consecutus est. Translatum est autem sacrum corpus anno 1268, 16 Calendas Septembris: quo die aperto sepulcro ejus, odor mirificus omnium nares complevit, animosque stupore et gaudio affecit. Ossa autem sacri corporis cum elevarentur, consumptis carnibus et membrorum compage soluta, tres digiti sinistrae manus ejus inventi sunt prorsus integri et incorrupti, et intra illos exigua imago beatissimae Matris Dei, quam illa vivens crebro apud se ferre solebat, et cum ea tumulata fuerat, quod moriens adeo eam digitis istis strinxerat, ut commode inde avelli non posset. Cerebrum quoque capitis ejus, quod fere vigintiquinque annis humatum fuerat, inventum est recentissimum, et divinâ virtute mirabiliter conservatum. Liquor etiam purus et clarus, instar olei olivarum, suavissimi mirandique odoris, e capite erumpebat, sindones et pannos, quibus illud involvebatur, madefaciens, perinde ac si e flumine extracti essent. In fine historiae Auctor orationem subjungit, quam nos ad verbum descripsimus: « Ora pro nobis supplicibus tuis, o beata Hedwigis, ut Dominus Deus noster, qui te ad aeternam transtulit gloriam, nos post praesentis vitae miseriam, ad societatem transferat Angelorum: qui vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen. »

* Agitur hic, ut patet, de solemnitatibus, quae ob S. Hedwigis canonizationem, per Silesiam illo tempore celebratae sunt, quum Bulla, quâ ipsa in Sanctorum Albo conscripta fuit, VII Kalend. aprilis (26 martiis) data sit. Caeterum, populi Silesiaci devotio et cultus erga suam Patronam, post tot rerum ac temporum vicissitudines hactenus mirabili fervore permanent; atque utinam semper permaneant!

VITA

SANCTI LUCAE EVANGELISTAE

PER D. HIERONYMUM SCRIPTA

Lib. De Viris illustribus.

Ad Christum conversus est probabil. anno 43 — Antiochenus.

§ 1. Lucas * medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, Graeci sermonis non ignarus fuit, sectator ** Apostoli Pauli, et omnis peregrinationis ejus comes. Scripsit Evangelium, de quo idem Paulus: *Misimus*, inquit, *cum illo fratrem*, *cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias* (2. *Cor*. VIII). Et ad Colossenses: *Salutat vos Lucas medicus carissimus* (*Colos*. IV). Et ad Timotheum: *Lucas est mecum solus* (2. *Tim*. IV). Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων praenotatur: cujus historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum.

§ 2. Igitur περιόδους Pauli et Teclae, et totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter caeteras ejus res, hoc solum ignoraverit? Sed et Tertullianus vicinus eorum temporum, refert presbyterum quendam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli, convictum a Joanne, quod auctor esset libri, et confessum se hoc Pauli amore fecisse, et ob id loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit, *Juxta Evangelium meum*, de Lucae significare volumine; et Lucam non solum ab Apostolo Paulo didicisse Evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed et a caeteris Apostolis, quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens: *Sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*. Igitur Evangelium sicut audierat, scripsit; Acta vero Apostolorum, sicut viderat, ipse composuit.

§ 3. Vixit octoginta et quatuor annos ***, uxorem non habens.

* In antiquis Martyrologiis non idem dies cultui S. Lucae Evangelistae adsignatur.

** Cujus religionis, ante suam ad Christum conversionem, S. Lucas fuerit, utrum nempe Judaeus an Gentilis decertant eruditi. Eum porro unum e septuaginta discipulis Jesu Christi fuisse quidam existimant; alii vero, unum ex duobus discipulis, qui Emmaus petebant, faciunt.

*** Circa S. Lucae obitum, pleraque nobis occurrunt incerta, obscuraque. Controvertitur enim ejus aetas, mortis genus et locus. Quod ad aetatem pertinet, en verba (in *Bollandistis*) D. Martianay: " Nullum exstat vestigium horum verborum (scilicet S. Hieronymi, qui asseruit S. Lucam 84 annos vixisse) in manuscriptis codicibus, neque novi, unde putrida haec commenta fluxerint. " S. Lucam senem vitâ defunctum fuisse omnes conveniunt, sed in annorum numero praefiniendo discrepant. Neque minor est inter antiquos opinionum diversitas in genere mortis indicando

Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem, vigesimo Constantii anno, ossa ejus cum reliquiis Andreae Apostoli translata sunt de Achaja *.

ITEM VITA B. LUCAE EVANG.

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE.

EXTAT IN OECUMENIO POST APOCALYPSIN ET VITAM B. JOANNIS APOSTOLI.

§ 1. Si justi memoriam cum encomiis celebrare divinus quidam vir ac sapiens divinâ lege statuit, quantam sane convenit Apostolo Christi nos simul afferre laudem? Siquidem hunc ** justitia mirum in modum fecit et Apostolatum dignum, et ut Paulo dilectus videretur. Verum enimvero, quoniam hic in Evangelio laudem adeptus est, relictis omnino encomiorum legibus, quaecumque de eo narrare necesse est, per modum historiae referemus. Quis Antiochenam ignorat civitatem, quem situm ac magnitudinem, quosve terminos habeat? et quaenam haec sit, et quantam occupet terram, quove irrigetur flumine? Orontes hic est, ubi primum homo Christiani appellatione ditatus est, ex qua S. Lucas ortus est: et naturam quidem ac indolem habens, ut quae generosa esset ac pretiosa, veluti ex hoc manifestum est, quod et vita apparuit studiosissimus, et sermonem tradidit vitae maxime conformem. Cum autem omni disciplinae generi vacasset a puero, et Syriacam ac Hebraicam *** linguam exactissime edoctus est, et velut arbor juxta fontes floridus jam et augmentatus, divinarum Scripturarum studio mirum in modum profecit.

§ 2. Adolescentiam itaque attingens, gymnasia frequentabat, quae tum in Graecia erant, tum in Aegypto, ac pulcherrimam apud Graecos eruditionem collegit, Grammaticen quidem ac Poëticen perfecte assequutus: ad Rhetorices vero, artisque bene dicendi cacumen pertingens neque in Philosophiae dignitatibus alicui cedens, sed Logicâ quidem ad Ethnicen, Ethice vero ad

quum alii naturali morte illum quievisse censeant, alii vero martyrii palmâ occubuisse opinentur. Quae opinio longe aliâ probabilior est dicenda. Circa demum obitus locum, sunt qui S. Lucam Thebis Aegyptiacis vel in Bithynia mortuum dicunt. Sed potius credendum est S. Hieronymo, caeterisque, qui eum lumina clausisse ac fuisse inhumatum in Achaja affirmant.

* Hoc accidisse videtur anno 357. Quomodo porro Constantinopoli seu ex Oriente in Occidentem corpus S. Lucae translatum fuerit, desunt documenta quae nos doceant. Interea plures sunt ecclesiae in Italia, in Gallia, in Belgio et in Hispania, quae se ditatas Sancti Evangelistae Reliquiis dicunt. Corpus vero, seu ejusdem pars praecipua, Patavii, in coenobio S. Justinae Ordinis S. Benedicti, adservatur.

** Alludit biographus ad illud *Proverbiorum* (x, 7): " Memoria justi cum laudibus. "

*** Hebraicam linguam calluisse S. Lucam nullo certo testimonio cognoscitur.

practicen tamquam gradu utens, ita omnibus bonis incumbens, tandem pulcherrimam simul ac humanissimam Medicinam assequitur, idque in tantum, ut ab hac ut plurimum designaretur ac appellaretur. Postquam autem ingenii dexteritate ac magnitudine omnem artem citius percurrit, quam volucris aëra, satisque humanae doctrinae adeptus est, ad sublimiorem ac meliorem transit habitum. Quis autem fuit modus transitus? Habebat quidem interim de mundi salute disputationes ac congressus is qui liber a peccato venerat, ut peccatores vocaret ad poenitentiam, idque post luctam contra adversarium et trophaea de illo relata, post auditum superne Patris testimonium, ac Spiritus descensum. Percurrebat autem fama universam Judaeam ac Galilaeam, et alicubi etiam extra terminos ea quae Evangelicae praedicationis erant, sequebantur. Tunc multi sane ad veram hanc doctrinam cordis aures obturabant, ac mentis oculos claudebant, neque vitae suscipere sermonem, neque veram lucem intueri digni erant. Hi autem, in quibus veritatis vestigium impressum erat, quique terrae bonae rationem ac proportionem habebant, totis (quod ajunt) oculis intuebantur, et arrectas adhibebant animae aures ad auscultationem, ac velocissime ad veritatem transferebantur, nihilque, quod facere decens erat, praetermittebant, ut ad id, quod honestum erat, accederent, et ad ipsam nudam animam transmitterent certam veritatem.

§ **3**. Horum unus erat admirandus hic praeco veritatis ac praeceptor, qui ad piam praedicationem mentis oculo illustratus, despicit cognationem omnem, despicit et naturae viscera, abjicit pecunias, possessiones, omnemque substantiam, ita ut nemo adeo facile pedum pulverem, ac manuum sordes abjiceret: ut ne vel hoc ipso prae festinantia occupari certe potuerit, quo facultates indigentibus distribueret. Utque breviter dicam, despectis cunctis inferioribus, superna velociter amplectitur, et ad Judaeam accedit, vaditque ad eum, quem concupiscebat, ac statim ad conspectum ac sermones Jesu, efficitur splendidum receptaculum ad pretiosum gratiae unguentum. Neque tamen illi frequentibus fuit opus sermonibus ac miraculis ad illius cognitionem, sed quanto doctrina ac prudentia, animique dexteritate in aliis praepollebat, tanto velocius et ipsam pure veritatem, et praedicatum sermonem cognoscit. Ab hoc tempore efficitur legitimus ac verus Christi discipulus. Cumque frequenter praeceptori adfuisset, et ejus signa ac prodigia assectatus esset, ne in salutaribus quidem ipsius afflictionibus deest. Et quemadmodum omnibus adfuerat, ita sane et resurrectionis conspector fuit. Cum Cleopha enim ad agrum Emaus proficiscenti adstans post resurrectionem Dominus (ô horrore plenum illum accessum), tarditatem ac cordis eorum incredulitatem improperat, et Scripturarum interpretationibus suam passionem, ac magnum resurrectionis mysterium confirmat.

[illegible] agricolam? [illegible] est decli- [illegible] Porro [illegible] recumbit. [illegible] mer- [illegible] percipiente. [illegible].

§ 4. [illegible] ac Sanctis- [illegible] Apostolis asseci- [illegible] Gentium praecepto- [illegible] mysterium, et [illegible] ac ba- [illegible] hic Lucas, prae- [illegible] sagena plures et [illegible] pro Evangelio, [illegible] Graecos ad disseminandos sermones accederet. Multa aspera sustinebat in terra, in mari, in singulis civitatibus. [illegible] dummodo aliquos in eo [illegible] quos Deo adduceret, ac transferret ad pietatem. Ubi autem et Paulus coelestia conscendisset, ut intueretur veritatem, et aperte eam praedicaret, ac abjectis erroris tenebris, veritati acquievisset, et choro discipulorum annumeratus esset, Lucas ipsi socius itineris ubique constituitur, ac peregrinationis comes, certamina pro pietate exoptans, et ob id se hujusmodi conjungens militi, et una cum eo usque ad vincula afflictus quasi malleficus, simulque cognitionis radios ad fines terrae emittens, adeo ipsi conformis ac domesticus, et per omnia gratus effectus, ut Paulus scribens fidelibus, Lucam frequenter nominaret dilectum: qui a Jerosolymis, et circumadjacentibus locis Illyricum usque, una cum ipso implevit Evangelium, et a Judaea Romam usque una cum eo vinctus, eisdem laboribus, eisdem afflictionibus, eisdem communicavit naufragiis, volens omnino particeps declarari etiam coronarum, propter hos labores recipiendarum.

§ 5. Itâ ergo, ubi variis modis in talento praedicationis simul cum Paulo negotiatus esset, atque tot gentes adduxisset ac irretiisset ad pietatem, totius dispensationis praeceptoris et vere amator, et amatus discipulus, sacrae Scriptor historiae, simul et Evangelista ostenditur, ut qui et prius assequutus esset, et ab his, qui ab initio ministri fuerant, haec cognovisset, aut etiam superne in sacris edoctus esset. Siquidem hic Evangelista mysterium retexuit Gabrielis paranymphi delatum ad Virginem, qui communem mundo gratiam annunciaverat. Hic etiam Christi nativitatem aperte exaravit, tamquam recens in praesepi jacentem manifestans, et fascias, ac pastores, gaudiique praecones Angelos

describens. Hic sententias ac doctrinas, omnem mentem excedentes, veri simul ac honesti amore manifestavit, rerum veritati sermonum ingenuitatem commiscens, ut et mentis simul ac linguae virtutem ob oculos poneret. In parabolis quoque doctrinas salutares retexuit, in hoc etiam copiosior caeteris. Utque breviter dicam, quemadmodum verbi descensum in terram dilucide cognoscendum dedit, ita et ascensum in coelos, et reditum ad thronum paternum, sicut quispiam e coelo veniens, manifestavit. Hoc autem inter caetera gratissimum est, quod ipsum quoque typum assumptae humanitatis Christi mei, ac signum ejus, quae illum pepererat, et assumptam humanitatem dederat, primus hic cerâ ac lineamentis tingens, ut ad haec usque tempora in imagine honorarentur, tradidit, tamquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum his quos desiderabat, quod ferventissimi amoris signum est. Neque id solum, sed et fidelibus omnibus, Christique amatoribus haec quae maxima erant, gratiose donavit.

§ **6**. At non in his solis Lucas gratiam spiritus, quae in se erat, coarctavit, neque ad solum Evangelium hic ministrantem habuit linguam, sed post finem miraculorum Christi, etiam Apostolorum exponit actiones: Et primum Salvatoris divinam in coelum assumptionem, deinde super ipsos in igneis linguis Spiritus descensum, dehinc Stephani lapidationem, Pauli conversionem, nempe per Christum factam de coelis vocationem, et transitum a littera ad spiritum, hujus in singulis locis vincula, carceres, plagas, flagellationes, varias gentium insidias, quomodo a Jerosolymis Romam pervenerit, labores in mari, afflictiones, pericula, calamitates, naufragia: quorum non spectator tantum, sed et particeps fuerat. Atque ob id diligens est horum enarrator. Sed Paulo quidem Romae relicto, rursum hic ad Orientem discedit, totamque Libyam percurrens, in Aegyptum pervenit. Et cum superiorem Thebaida intra suam doctrinam recepisset, ac ad magistrum per Evangelium * adduxisset, inferiorem Thebaida septem portarum civitatem accedit, in qua etiam pontifex ac pastor a spiritu praeponitur. Statuis, impurisque daemonum delubris in terram dejectis (id enim studio sibi erat, ut errorem totis, quod ajunt, pedibus fugientem demonstraret), sacra templa contra soli Deo erigit, eisque qui in profundis ignorantiae tenebris tenebantur, per Evangelium ad Dei cognitionem regeneratis, mites filios effici curat. Hujusmodi igitur fructibus magistro oblatis, impietate de medio sublatâ, erectis templis, altaribus stabilitis ac consecratis, et sub credentibus, presbyteris ac diaconis inter hos creatis, rectaeque fidei praefinitione ipsis tradita: et nunc quidem a veteris instrumenti scriptura adducens testimonia, nunc vero ab eo, quod ipse contexuerat, Evangelio

* Certum non est S. Lucam evangelicam veritatem in Aegypto disseminasse.

interpretans ipsis ea quae de Christo erant, et ostendens vetus instrumentum omnino consonum esse novo, unumque et eundem esse Deum, qui et hoc et illud statuerat, plenus jam dierum effectus, redit in pace ad Deum pacis, pulvere quidem pulveri relicto, animâ vero in manibus ejus, qui dederat, commendatâ, illuc transiens, ubi regio est viventium, ubi sonus festa celebrantium, ubi inhabitatio est omnium laetantium. Hujusmodi sunt certaminum Apostoli pro pietate narrationes: hic fuit ipsi finis laborum pro Christo perpessorum, quorum etiam manipulos nunc metit in laetitia, ita ut possit et ipse cum Paulo dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: propter quae reposita est mihi corona justitiae* (2. *Tim*. IV).

§ 7. Verumtamen his nunc consequens esse opinor mentionem facere, unde et quomodo, quibusve sane temporibus sacrae hujus reliquiae ex Achaja, veluti divinus quidam thesaurus reportatae sint, et clarae ac regiae civitati redditae. Transibat quondam a Sirmio ad Istrum Constantius, Constantini Magni filius, sed fratrum tertius: atque ad hanc Istri ripam non longo tempore castrametatus, audivit Barbaros, qui ultra Istrum erant, conflicturos cum Romanorum principatu: et ipse formidans, ne quid mali in suo principatu facerent, confestim ad Thraciam ac Byzantium equitavit. Cumque ad regionem Odrisiorum pervenisset, ubi Adrianus Romanorum Imperator extructâ civitate, sui appellationem loco dedit, accedit ad eum quidam Episcopus, veluti donum quoddam ipsi gratissimum deferens, Andreae ac Lucae Christi discipulorum corpora indicans in Achaja esse sepulta. Porro ille et nuncio gavisus est, et Artemium, quo maxime utebatur, et quem sciebat fervidum amatorem charitatis erga Christum * (attestatur vero divinum hujus amorem certamen ac periculum, temporibus Juliani propter Christum susceptum). Hunc ergo tanto fervore pro pietate spirantem amicum Artemium, ad pretiosorum corporum reductionem confestim emittit. Etenim erat hic Constantius et in caeteris moderatus, et moribus mitis ac modestus, ac magno admodum circa ecclesiarum aedificationem amore occupatus. Unde etiam ad patris sui civitatem circa illius sepulcrum, veluti reddens patri honorem, templum ab ipsis fundamentis maximum aedificat: in quo etiam, ubi Artemius sacrorum Apostolorum reliquias ex Achaja retulisset, in ipso divino altari sacrâ mensâ reposuit: Andreae quidem e civitate Patraeorum, Lucae autem ex Thebis Boeotiae translatis corporibus. Ac brevi tempore intermedio etiam Timotheum, qui in choro discipulorum Christi velut perspicua quaedam stella splenduerat, ex Epheso refert Joniae, ministro quoque rursum ad hoc usus Artemio. Sed habuit et ipsum sacrae mensae ambitus veluti reddentem debitum quoddam pietatis suis auxiliatoribus. Verum

* *Supple:* vocavit.

Timotheus quidem hujusmodi habuit corporis reductionem. Porro in sancti Lucae reductione tale editur miraculum, sermone ac memoria dignum.

§ 8. Anatolius quidam Eunuchus unus eorum, qui tunc e regio erant cubiculo, misero corporis morbo detentus erat. Ubi ergo majorem novit esse morbum, quam qui medicorum posset arte curari, probe sciens ille, quod quae impossibilia sunt apud homines, Deo possibilia sunt, omnibus aliis relictis, ad Lucam Christi discipulum confugit, et hoc auxiliatore utitur adversus morbum. Ubi enim urna, quae pretiosum continebat ipsius corpus, ad sacrum templum jam esset delata, quod a fundamentis Constantius erexerat, accedens hic dictus Anatolius, simulque bajulans cum his qui illam portabant, confestim deprimente morbo absolvitur; et vivens ex mortuo tale adeptus beneficium, totâ suâ vitâ non intermisit gratias agere Apostolo ac Deo, qui per ipsum hujusmodi edebat miracula. Ita igitur primum ex Thebis relatum divinissimi Lucae corpus, honorifice admodum ac magnifice una cum Andrea ac Timotheo in templo repònitur, quod a Constantio aedificatum erat: cum circa sacrarum reliquiarum repositionem fidei opera ac fervidum Constantii desiderium plurimum demonstrata sunt. Quamquam hic postea maligni laqueis aliquantulum captus (o casum miserum, heu turbulentam subversionem!) Arrianorum dogma ebibit.

§ 9. Multis autem postmodum temporibus, Justinianus, assumptis Imperii sceptris, multo adhuc amplificentius circa haec sacra Apostolorum corpora afficitur, et thecâ argenteâ haec concludens, circa ipsum altare vehementi Dei amore reponit, nempe pretiosa in pretioso conditorio. Et quidem sacris altaris mensam theca constituit: porro communi Apostolorum nomine templum appellatur. Ad quod sane omnes qui conveniunt fideles, laudant hunc tamquam discipulum, celebrant ut Evangelistam, beatificant tamquam eum, qui in sacris sudoribus ac laboribus divino Paulo semper fuit socius. Et inde sanctificationem participantes, spirituali implentur gaudio: idque gratia ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

B. PETRI DAMIANI

SERMO DE S. LUCA EVANGELISTA

§ 1. Quia per Evangelium, dilectissimi, de tenebris ad lucem reductus est mundus, merito Evangelistarum gloriam celebrat populus Christianus. Sed inter caeteros beatus Lucas, cui praesens famulaturus est sermo, dum geminâ styli specie et Evangelicam, et Apostolicam contexit historiam, tamquam diversis

agrum Ecclesiae frugibus dicat, unde videlicet populus esuriens vivat. Hae plane sunt fruges, quas Joseph fratribus contulit; haec pecunia, quam in ore sacci praecepit imponi. Haec pecunia nunc in Ecclesiae mensa proponitur, ut usura postmodum a negotiatoribus requiratur. Sed et Benjamin hoc etiam prae caeteris additur, ut in sacco ejus etiam scyphus cum pecunia reponatur. Quem enim Joseph per mysterium indicat, nisi Redemptorem nostrum, quem suo jam tunc ille mysterio praefigurabat? Ait enim Scriptura: *Quia vertit nomen illius Pharao, et vocavit eum lingua Aegyptiaca Salvatorem mundi* (*Gen.* XLI). Quid per fratres, nisi sancti designantur Apostoli? Quid per Benjamin, nisi Paulus, qui de tribu Benjamin originem duxit? Omnes ergo fratres fruges praedicationis accipiunt, quas serere per mundum debeant; et pecuniam, quam ad usurae lucrum in mensa proponant. Soli vero Benjamin etiam scyphus adjicitur, ut per Paulum, quem ille signabat, non tabernaculi cyathus Gentibus, sed amplum et patulum verbi poculum propinetur. Hinc est enim, quod ait: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, angustiamini in nobis* (*2. Cor.* VI). Ac si dicat: Quia me vobis verbi potum per uberem scyphum large videtis afferre, et vos sitibundi cordis ad hauriendum ora laxate, ut decurrens unda non inaniter fluat, sed capacia vasa, in quae transfundatur, inveniat. De quo videlicet potu per Isaiam Dominus dicit: *Glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo* (*Psal.* XLIII). Quid enim bestia designat agri, nisi gentilitatem utique rationis expertem? Quid per dracones, nisi malitiosi? Quid vero per struthiones, qui pennati sunt, sed volare nequeunt, nisi hypocritae figurantur? Hae ergo bestiae Deum glorificant, dum Christus gentili populo, qui desertus erat et invius, exuberantis Evangelii verba propinat.

§ 2. Scyphus itaque Evangelicae praedicationis, in Benjamin datus est Paulo, ut ipse desertum gentilitatis specialiter excolat, et ariditates ejus largo sanctae praedicationis imbre perfundat. De quo scilicet imbre scriptum est: *Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam* (*Psal.* 146). Unde et ipse Paulus, qui se Apostolum, et magistrum gentium esse testatur, ait ad Galatas: *Cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes* (*Gal.* II). Ubi notandum, quanta beati Pauli dignitas, quanta sit gloria. Nimirum qui beatum Petrum et caeteros Apostolos adhuc passibilis ac mortalis edocuit, ipse Paulum, jam glorificatus et super Angelos exaltatus, instruxit. Magister Apostolorum extitit Christus, cum hominum subjaceret injuriis; Paulum docere non dedignatus est, cum jam virtutum coelestium vallaretur obsequiis. Cum

aliis degebat Apostolis, dum nostrae mortalitatis adhuc infirma perferret; Paulum sibi familiarem fecit, cum calcato ac potenter everso mortis imperio, paternae majestatis solio praesidèret. Hinc est, quod ait: *Notum vobis facio, fratres, evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* (*Gal.* I). Ideoque licet sancti Apostoli per corporales obtutus cuncta Salvatoris nostri gesta perspexerint, in nullo tamen beati Pauli praecessere notitiam, dum idem hunc de coelo Magister instruxit, qui ante cum illis in terra corporaliter habitavit. Unde est, quod ad Corinthios per interrogationem dicit: *Non sum Apostolus? Nonne Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino?* (1. *Cor.* IX). Deo itaque revelante, ad tantam pervènit scientiae plenitudinem, atque ita perductus est in omnem Evangelicae regulae veritatem, ut cum omnes superessent, Apostolorum magisterio non egeret. Hinc est, quod ad Galatas dicit: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos*. Quando autem ierit, aperuit cum subjungit: *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum* (*Gal.* I): videre, non discere.

§ **3**. Sed dicat aliquis: Hic sermo non Lucam Evangelistam, sicut promiserat, loquitur, sed in Pauli Apostoli disputatione versatur. Verum plane, nec possumus diffiteri. Sed cum beatus Lucas ejusdem Apostoli individuus comes extiterit, atque ab eo didicerit omne quod scripsit, ubi dignitatem praeceptoris exprimimus, alumni quoque praeconium non tacemus. Et doctoris laus redundat in discipulum, dum Evangelicae veritatis historiam, quam ille divinitus didicit, hic ex ejus ore percipiens, fideliter apicibus exaravit. Quantae ergo dignitatis, quantaeque sit excellentiae beatus Lucas, in hoc liquido deprehenditur, quia cum Marcus a beato Petro edoctus, et Matthaeus atque Joannes, qui Evangelium descripserunt, Redemptoris nostri gesta in terra didicerint, iste solus (ut ita loquar) hoc Evangelium scribere meruit, quod de coelo descendit, dum scilicet hoc Spiritus Sanctus Paulo coelitus revelavit, et postmodum per eumdem Paulum, quasi per organum suum, beato Lucae Christus innotuit. Hinc est, quod ipse Paulus ait: *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (2. *Cor.* XIII). De coelo ergo Christus in Paulum gestorum suorum sacramenta profudit, eademque per Paulum in Lucam, velut aureâ fistula mediante, transfudit, ut huic beato viro non immerito congruere videatur, quod per Isaiam dicitur: *Primus ad Sion dicet, Ecce adsum: et Jerusalem Evangelistam dabo* (*Is.* XLI). Ideoque non casu, sed Spiritus

Sancti magisterio factum est, ut beatus Matthaeus, qui a conversante in terra Domino Evangelium didicit, quadraginta generationes enumerando descendat. Per quadragenarium quippe numerum labor exprimitur, quo videlicet Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, per diversa vitae hujus tempora fatigatur. Hinc est, quod Moyses et Elias per quadraginta dies continuavere jejunium. Sed et ipse Dominus sub eodem numero abstinuit a perceptione ciborum. Per Moysem itaque lex, per Eliam prophetia, per Christum vero, novi testamenti patenter intelligitur gratia. Per afflictionem ergo legis, prophetiae simul et gratiae, labor innuitur universalis Ecclesiae, per universa mortalis hujus vitae secula fatigatae. Hinc est, quod filii Israel aerumnis atque laboribus diutinae peregrinationis attriti, post quadraginta annos terram sunt promissionis ingressi: quia videlicet omnes electi post emensum hujus peregrinationis excursum, mox haereditario jure terram viventium possidebunt.

§ 4. Per numerum ergo, quem Matthaeus ordinat, susceptio laboriosae mortalitatis nostrae: per illum vero, quem Lucas posuit, indubitanter exprimitur mysterium nostrae redemptionis. Per illum similiter numerum edocemur, quia Christus juxta prophetiam peccata nostra ipse portavit; per istum vero consequenter addiscimus, quia secundum Apostolum omnia nobis delicta donavit. Ipse quippe est Agnus, qui oblatus est, quia ipse voluit; ipse est, qui et abstulit peccata mundi. Septuagenarius quippe septimus numerus, quem Lucas posuit, remissionem significat peccatorum, sicut ipse Dominus innuit, cum Petro quaerenti, quoties essent dimittenda fratri peccata, respondit: *Dico tibi, non tantum septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII). Nec mirum, si per hunc numerum, qui ab undenario et denario nascitur, humanae pravitatis abolitio designatur. Undenarius quippe numerus, si septies multiplicatur, profecto septuaginta septem summa completur. Sed denarius, qui perfectus est numerus, decalogum signat. Per undenarium vero, qui hunc transgreditur, quid nisi legalis transgressio figuratur?

§ 5. Cum ergo in totâ illâ summa legis simul et transgressionis, uterque numerus comprehendatur, quid mirum, si per eam scelerum remissio designetur? Septenarius plane numerus, qui supra Dominum in columba descendit, nostrae pravitatis undenarium abolevit. De quo scilicet charismatum numero per Isaiam dicitur: *Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Domini* (*Is.* II). Unde beatus Lucas, ut expiari nos a nostris sceleribus per adventum nostri Salvatoris ostendat, non ab Evangelicae narrationis exordio, sed a baptismo dumtaxat, Christi cognationis ordinem inchoat. Quod etiam in libro Geneseos evidenter ostenditur, ubi Lamech uxoribus

suis dixisse narratur: Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Ultio quippe de Lamech septuagies septies danda dicitur, quia septuaginta septem homines de femoribus ejus perhibentur egressi, ac postmodum diluvio vorante referuntur absorpti. Sed quia Lamech percutiens, sive percussus exprimitur, quid per hunc, nisi primus parens humani generis figuratur, qui nimirum peccati telum, quo primus ipse percussus interiit, universo quoque generi successurae posteritatis infixit? De hoc ergo Lamech septuagies septies ultio data est, quia peccatum, quod primus homo contraxit, per septuaginta septem generationes in humano genere viguit. Usque ad Christum siquidem peccatum originale permansit, quod ipse per baptismi sui (unde Lucas incipit) sacramenta delevit. Ubi videlicet de illo dicitur: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I).

§ 6. Redemptionis ergo nostrae materiam uterque sanctus Evangelista sic invicem dividunt, et narrationis partem sibi quisque congruam sumunt, ut Matthaeus per generationum lineam descendendo, Christum ad nos peccatores de coelis advenisse perhibeat; Lucas autem a sacramento baptismatis ad patrem usque, conscendens, traxisse nos secum ad coelestem gloriam, peccatorum sordibus ablutos, ostendat. Ille siquidem adstruit Christum ad terram misericorditer descendentem; iste fatetur eum nos ad coelestia sublevantem. Ostendit ille pastorem nonaginta novem oves in deserti pascuis relinquentem; docet iste, quam perdiderat ovem, scapulis impositam, ad ovile proprium revocantem. Ille perhibet descendisse medicum ad aegrotos; fatetur iste ad incolumitatis aeternae gaudia secum nos reduxisse sanatos. Ostendit ille solum Unigenitum a Patre ad nos missum; docet iste, quoniam ad coelestem patriam multitudinem transtulit electorum. Porro utriusque Evangelistae intentionem una beatus Paulus comprehendit, dicens: *Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne* (*Rom.* VIII). Nam cum dicit: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati:* ostendit susceptionem mortalitatis nostrae, quam Matthaeus aperte declarat, cum ab Abraham descendendo, quadraginta generationes enumerat. Cum vero subjungit: *Et de peccato damnavit peccatum in carne:* abolitionem perhibet peccatorum, quam Lucas indubitanter exprimit, cum septuaginta septem cognationum lineam texit. Quam videlicet utramque sententiam idem Paulus uno alibi versiculo complexus est, dicens: *Jesus Christus traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Descendit enim Christus, ut nos a peccatis eriperet; surrexit autem, ut candore justitiae nitidos exhiberet.

§ 7. Quae nimirum utriusque beati Evangelistae diversitas

Verumtamen quae fuit hujus divinae collocutionis agricolatio? Ignis divinus jam in horum animis relucet, jamque die declinante, manere secum Dominum quodam modo coëgerunt. Porro ipse majori Dei cognitione illos afflare volens, non solum vulgari modo congressus est, verum etiam ad mensam una recumbit, panisque fractione exactius agnitus hic idem, qui triduo mortuus fuerat, tandem disparuit, nullo eorum sensu id percipiente, effectâ hoc modo in eis firmiori resurrectione mortuorum.

§ 4. Praeterea a Salvatoris in coelum assumptione, ac Sanctissimi Spiritus inde descensione, hic duodecim Apostolis associatus, et eadem gratiâ ac potestate repletus, Gentium praeceptor designatur, divino modo docens dispensationis mysterium, et multos ad Creatoris cognitionem ex errore manuducens, ac baptismate consecrans. Siquidem currebat divinus hic Lucas, praedicationem ubique disseminans, et sermonum sagena plures ex profunda ignorantia ad Deum adducebat, afflictus pro Evangelio, cum ad pessimos Graecos ad disseminandos sermones accederet. Multa aspera sustinebat in terra, in mari, in singulis civitatibus. Desertum dicebatur ei amicum solum, dummodo aliquos in eo inveniret, quos Deo adduceret, ac transferret ad pietatem. Ubi autem et Paulus coelestia conscendisset, ut intueretur veritatem, et aperte eam praedicaret, ac, abjectis erroris tenebris, veritati adhaesisset, et choro discipulorum annumeratus esset, Lucas ipsi socius itineris ubique constituitur, ac peregrinationis comes, certamina pro pietate exoptans, et ob id se hujusmodi conjungens militi, et una cum eo usque ad vincula afflictus quasi maleficus, simulque cognitionis radios ad fines terrae emittens, adeo ipsi conformis ac domesticus, et per omnia gratus effectus, ut Paulus scribens fidelibus, Lucam frequenter nominaret dilectum: qui a Jerosolymis, et circumadjacentibus locis Illyricum usque, una cum ipso implevit Evangelium, et a Judaea Romam usque una cum eo vinctus, eisdem laboribus, eisdem afflictionibus, eisdem communicavit naufragiis, volens omnino particeps declarari etiam coronarum, propter hos labores recipiendarum.

§ 5. Itâ ergo, ubi variis modis in talento praedicationis simul cum Paulo negotiatus esset, atque tot gentes adduxisset ac irretiisset ad pietatem, totius dispensationis praeceptoris et vere amator, et amatus discipulus, sacrae Scriptor historiae, simul et Evangelista ostenditur, ut qui et prius assequutus esset, et ab his, qui ab initio ministri fuerant, haec cognovisset, aut etiam superne in sacris edoctus esset. Siquidem hic Evangelista mysterium retexuit Gabrielis paranymphi delatum ad Virginem, qui communem mundo gratiam annunciaverat. Hic etiam Christi nativitatem aperte exaravit, tamquam recens in praesepi jacentem manifestans, et fascias, ac pastores, gaudiique praecones Angelos

describens. Hic sententias ac doctrinas, omnem mentem excedentes, veri simul ac honesti amore manifestavit, rerum veritati sermonum ingenuitatem commiscens, ut et mentis simul ac linguae virtutem ob oculos poneret. In parabolis quoque doctrinas salutares retexuit, in hoc etiam copiosior caeteris. Utque breviter dicam, quemadmodum verbi descensum in terram dilucide cognoscendum dedit, ita et ascensum in coelos, et reditum ad thronum paternum, sicut quispiam e coelo veniens, manifestavit. Hoc autem inter caetera gratissimum est, quod ipsum quoque typum assumptae humanitatis Christi mei, ac signum ejus, quae illum pepererat, et assumptam humanitatem dederat, primus hic cerâ ac lineamentis tingens, ut ad haec usque tempora in imagine honorarentur, tradidit, tamquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum his quos desiderabat, quod ferventissimi amoris signum est. Neque id solum, sed et fidelibus omnibus, Christique amatoribus haec quae maxima erant, gratiose donavit.

§ **6**. At non in his solis Lucas gratiam spiritus, quae in se erat, coarctavit, neque ad solum Evangelium hic ministrantem habuit linguam, sed post finem miraculorum Christi, etiam Apostolorum exponit actiones: Et primum Salvatoris divinam in coelum assumptionem, deinde super ipsos in igneis linguis Spiritus descensum, dehinc Stephani lapidationem, Pauli conversionem, nempe per Christum factam de coelis vocationem, et transitum a littera ad spiritum, hujus in singulis locis vincula, carceres, plagas, flagellationes, varias gentium insidias, quomodo a Jerosolymis Romam pervenerit, labores in mari, afflictiones, pericula, calamitates, naufragia: quorum non spectator tantum, sed et particeps fuerat. Atque ob id diligens est horum enarrator. Sed Paulo quidem Romae relicto, rursum hic ad Orientem discedit, totamque Libyam percurrens, in Aegyptum pervenit. Et cum superiorem Thebaida intra suam doctrinam recepisset, ac ad magistrum per Evangelium * adduxisset, inferiorem Thebaida septem portarum civitatem accedit, in qua etiam pontifex ac pastor a spiritu praeponitur. Statuis, impurisque daemonum delubris in terram dejectis (id enim studio sibi erat, ut errorem totis, quod ajunt, pedibus fugientem demonstraret), sacra templa contra soli Deo erigit, eisque qui in profundis ignorantiae tenebris tenebantur, per Evangelium ad Dei cognitionem regeneratis, mites filios effici curat. Hujusmodi igitur fructibus magistro oblatis, impietate de medio sublatâ, erectis templis, altaribus stabilitis ac consecratis, et sub credentibus, presbyteris ac diaconis inter hos creatis, rectaeque fidei praefinitione ipsis tradita: et nunc quidem a veteris instrumenti scriptura adducens testimonia, nunc vero ab eo, quod ipse contexuerat, Evangelio

* Certum non est S. Lucam evangelicam veritatem in Aegypto disseminasse.

interpretans ipsis ea quae de Christo erant, et ostendens vetus instrumentum omnino consonum esse novo, unumque et eundem esse Deum, qui et hoc et illud statuerat, plenus jam dierum effectus, redit in pace ad Deum pacis, pulvere quidem pulveri relicto, animâ vero in manibus ejus, qui dederat, commendatâ, illuc transiens, ubi regio est viventium, ubi sonus festa celebrantium, ubi inhabitatio est omnium laetantium. Hujusmodi sunt certaminum Apostoli pro pietate narrationes: hic fuit ipsi finis laborum pro Christo perpessorum, quorum etiam manipulos nunc metit in laetitia, ita ut possit et ipse cum Paulo dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: propter quae reposita est mihi corona justitiae* (2. *Tim.* IV).

§ 7. Verumtamen his nunc consequens esse opinor mentionem facere, unde et quomodo, quibusve sane temporibus sacrae hujus reliquiae ex Achaja, veluti divinus quidam thesaurus reportatae sint, et clarae ac regiae civitati redditae. Transibat quondam a Sirmio ad Istrum Constantius, Constantini Magni filius, sed fratrum tertius: atque ad hanc Istri ripam non longo tempore castrametatus, audivit Barbaros, qui ultra Istrum erant, conflicturos cum Romanorum principatu: et ipse formidans, ne quid mali in suo principatu facerent, confestim ad Thraciam ac Byzantium equitavit. Cumque ad regionem Odrisiorum pervenisset, ubi Adrianus Romanorum Imperator extructâ civitate, sui appellationem loco dedit, accedit ad eum quidam Episcopus, veluti donum quoddam ipsi gratissimum deferens, Andreae ac Lucae Christi discipulorum corpora indicans in Achaja esse sepulta. Porro ille et nuncio gavisus est, et Artemium, quo maxime utebatur, et quem sciebat fervidum amatorem charitatis erga Christum * (attestatur vero divinum hujus amorem certamen ac periculum, temporibus Juliani propter Christum susceptum). Hunc ergo tanto fervore pro pietate spirantem amicum Artemium, ad pretiosorum corporum reductionem confestim emittit. Etenim erat hic Constantius et in caeteris moderatus, et moribus mitis ac modestus, ac magno admodum circa ecclesiarum aedificationem amore occupatus. Unde etiam ad patris sui civitatem circa illius sepulcrum, veluti reddens patri honorem, templum ab ipsis fundamentis maximum aedificat: in quo etiam, ubi Artemius sacrorum Apostolorum reliquias ex Achaja retulisset, in ipso divino altari sacrâ mensâ reposuit: Andreae quidem e civitate Patraeorum, Lucae autem ex Thebis Boeotiae translatis corporibus. Ac brevi tempore intermedio etiam Timotheum, qui in choro discipulorum Christi velut perspicua quaedam stella splenduerat, ex Epheso refert Joniae, ministro quoque rursum ad hoc usus Artemio. Sed habuit et ipsum sacrae mensae ambitus veluti reddentem debitum quoddam pietatis suis auxiliatoribus. Verum

* *Supple:* vocavit.

Timotheus quidem hujusmodi habuit corporis reductionem. Porro in sancti Lucae reductione tale editur miraculum, sermone ac memoria dignum.

§ 8. Anatolius quidam Eunuchus unus eorum, qui tunc e regio erant cubiculo, misero corporis morbo detentus erat. Ubi ergo majorem novit esse morbum, quam qui medicorum posset arte curari, probe sciens ille, quod quae impossibilia sunt apud homines, Deo possibilia sunt, omnibus aliis relictis, ad Lucam Christi discipulum confugit, et hoc auxiliatore utitur adversus morbum. Ubi enim urna, quae pretiosum continebat ipsius corpus, ad sacrum templum jam esset delata, quod a fundamentis Constantius erexerat, accedens hic dictus Anatolius, simulque bajulans cum his qui illam portabant, confestim deprimente morbo absolvitur; et vivens ex mortuo tale adeptus beneficium, totâ suâ vitâ non intermisit gratias agere Apostolo ac Deo, qui per ipsum hujusmodi edebat miracula. Ita igitur primum ex Thebis relatum divinissimi Lucae corpus, honorifice admodum ac magnifice una cum Andrea ac Timotheo in templo repònitur, quod a Constantio aedificatum erat: cum circa sacrarum reliquiarum repositionem fidei opera ac fervidum Constantii desiderium plurimum demonstrata sunt. Quamquam hic postea maligni laqueis aliquantulum captus (o casum miserum, heu turbulentam subversionem!) Arrianorum dogma ebibit.

§ 9. Multis autem postmodum temporibus, Justinianus, assumptis Imperii sceptris, multo adhuc amplificentius circa haec sacra Apostolorum corpora afficitur, et thecâ argenteâ haec concludens, circa ipsum altare vehementi Dei amore reponit, nempe pretiosa in pretioso conditorio. Et quidem sacris altaris mensam theca constituit: porro communi Apostolorum nomine templum appellatur. Ad quod sane omnes qui conveniunt fideles, laudant hunc tamquam discipulum, celebrant ut Evangelistam, beatificant tamquam eum, qui in sacris sudoribus ac laboribus divino Paulo semper fuit socius. Et inde sanctificationem participantes, spirituali implentur gaudio: idque gratia ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

B. PETRI DAMIANI

SERMO DE S. LUCA EVANGELISTA

§ 1. Quia per Evangelium, dilectissimi, de tenebris ad lucem reductus est mundus, merito Evangelistarum gloriam celebrat populus Christianus. Sed inter caeteros beatus Lucas, cui praesens famulaturus est sermo, dum geminâ styli specie et Evangelicam, et Apostolicam contexit historiam, tamquam diversis

agrum Ecclesiae frugibus dicat, unde videlicet populus esuriens vivat. Hae plane sunt fruges, quas Joseph fratribus contulit; haec pecunia, quam in ore sacci praecepit imponi. Haec pecunia nunc in Ecclesiae mensa proponitur, ut usura postmodum a negotiatoribus requiratur. Sed et Benjamin hoc etiam prae caeteris additur, ut in sacco ejus etiam scyphus cum pecunia reponatur. Quem enim Joseph per mysterium indicat, nisi Redemptorem nostrum, quem suo jam tunc ille mysterio praefigurabat? Ait enim Scriptura: *Quia vertit nomen illius Pharao, et vocavit eum lingua Aegyptiaca Salvatorem mundi* (*Gen.* XLI). Quid per fratres, nisi sancti designantur Apostoli? Quid per Benjamin, nisi Paulus, qui de tribu Benjamin originem duxit? Omnes ergo fratres fruges praedicationis accipiunt, quas serere per mundum debeant; et pecuniam, quam ad usurae lucrum in mensa proponant. Soli vero Benjamin etiam scyphus adjicitur, ut per Paulum, quem ille signabat, non tabernaculi cyathus Gentibus, sed amplum et patulum verbi poculum propinetur. Hinc est enim, quod ait: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, angustiamini in nobis* (*2. Cor.* VI). Ac si dicat: Quia me vobis verbi potum per uberem scyphum large videtis afferre, et vos sitibundi cordis ad hauriendum ora laxate, ut decurrens unda non inaniter fluat, sed capacia vasa, in quae transfundatur, inveniat. De quo videlicet potu per Isaiam Dominus dicit: *Glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo* (*Psal.* XLIII). Quid enim bestia designat agri, nisi gentilitatem utique rationis expertem? Quid per dracones, nisi malitiosi? Quid vero per struthiones, qui pennati sunt, sed volare nequeunt, nisi hypocritae figurantur? Hae ergo bestiae Deum glorificant, dum Christus gentili populo, qui desertus erat et invius, exuberantis Evangelii verba propinat.

§ 2. Scyphus itaque Evangelicae praedicationis, in Benjamin datus est Paulo, ut ipse desertum gentilitatis specialiter excolat, et ariditates ejus largo sanctae praedicationis imbre perfundat. De quo scilicet imbre scriptum est: *Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam* (*Psal.* 146). Unde et ipse Paulus, qui se Apostolum, et magistrum gentium esse testatur, ait ad Galatas: *Cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes* (*Gal.* II). Ubi notandum, quanta beati Pauli dignitas, quanta sit gloria. Nimirum qui beatum Petrum et caeteros Apostolos adhuc passibilis ac mortalis edocuit, ipse Paulum, jam glorificatus et super Angelos exaltatus, instruxit. Magister Apostolorum extitit Christus, cum hominum subjaceret injuriis; Paulum docere non dedignatus est, cum jam virtutum coelestium vallaretur obsequiis. Cum

aliis degebat Apostolis, dum nostrae mortalitatis adhuc infirma perferret; Paulum sibi familiarem fecit, cum calcato ac potenter everso mortis imperio, paternae majestatis solio praesidèret. Hinc est, quod ait: *Notum vobis facio, fratres, evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* (*Gal.* I). Ideoque licet sancti Apostoli per corporales obtutus cuncta Salvatoris nostri gesta perspexerint, in nullo tamen beati Pauli praecessere notitiam, dum idem hunc de coelo Magister instruxit, qui ante cum illis in terra corporaliter habitavit. Unde est, quod ad Corinthios per interrogationem dicit: *Non sum Apostolus? Nonne Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino?* (1. *Cor.* IX). Deo itaque revelante, ad tantam pervènit scientiae plenitudinem, atque ita perductus est in omnem Evangelicae regulae veritatem, ut cum omnes superessent, Apostolorum magisterio non egeret. Hinc est, quod ad Galatas dicit: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos.* Quando autem ìerit, aperuit cum subjungit: *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum* (*Gal.* I): videre, non discere.

§ **3**. Sed dicat aliquis: Hic sermo non Lucam Evangelistam, sicut promiserat, loquitur, sed in Pauli Apostoli disputatione versatur. Verum plane, nec possumus diffiteri. Sed cum beatus Lucas ejusdem Apostoli individuus comes extiterit, atque ab eo didicerit omne quod scripsit, ubi dignitatem praeceptoris exprimimus, alumni quoque praeconium non tacemus. Et doctoris laus redundat in discipulum, dum Evangelicae veritatis historiam, quam ille divinitus didicit, hic ex ejus ore percipiens, fideliter apicibus exaravit. Quantae ergo dignitatis, quantaeque sit excellentiae beatus Lucas, in hoc liquido deprehenditur, quia cum Marcus a beato Petro edoctus, et Matthaeus atque Joannes, qui Evangelium descripserunt, Redemptoris nostri gesta in terra didicerint, iste solus (ut ita loquar) hoc Evangelium scribere meruit, quod de coelo descendit, dum scilicet hoc Spiritus Sanctus Paulo coelitus revelavit, et postmodum per eumdem Paulum, quasi per organum suum, beato Lucae Christus innotuit. Hinc est, quod ipse Paulus ait: *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (2. *Cor.* XIII). De coelo ergo Christus in Paulum gestorum suorum sacramenta profudit, eademque per Paulum in Lucam, velut aureâ fistula mediante, transfudit, ut huic beato viro non immerito congruere videatur, quod per Isaiam dicitur: *Primus ad Sion dicet, Ecce adsum: et Jerusalem Evangelistam dabo* (*Is.* XLI). Ideoque non casu, sed Spiritus

Sancti magisterio factum est, ut beatus Matthaeus, qui a conversante in terra Domino Evangelium didicit, quadraginta generationes enumerando descendat. Per quadragenarium quippe numerum labor exprimitur, quo videlicet Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, per diversa vitae hujus tempora fatigatur. Hinc est, quod Moyses et Elias per quadraginta dies continuavere jejunium. Sed et ipse Dominus sub eodem numero abstinuit a perceptione ciborum. Per Moysem itaque lex, per Eliam prophetia, per Christum vero, novi testamenti patenter intelligitur gratia. Per afflictionem ergo legis, prophetiae simul et gratiae, labor innuitur universalis Ecclesiae, per universa mortalis hujus vitae secula fatigatae. Hinc est, quod filii Israel aerumnis atque laboribus diutinae peregrinationis attriti, post quadraginta annos terram sunt promissionis ingressi: quia videlicet omnes electi post emensum hujus peregrinationis excursum, mox haereditario jure terram viventium possidebunt.

§ 4. Per numerum ergo, quem Matthaeus ordinat, susceptio laboriosae mortalitatis nostrae: per illum vero, quem Lucas posuit, indubitanter exprimitur mysterium nostrae redemptionis. Per illum similiter numerum edocemur, quia Christus juxta prophetiam peccata nostra ipse portavit; per istum vero consequenter addiscimus, quia secundum Apostolum omnia nobis delicta donavit. Ipse quippe est Agnus, qui oblatus est, quia ipse voluit: ipse est, qui et abstulit peccata mundi. Septuagenarius quippe septimus numerus, quem Lucas posuit, remissionem significat peccatorum, sicut ipse Dominus innuit, cum Petro quaerenti, quoties essent dimittenda fratri peccata, respondit: *Dico tibi, non tantum septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII). Nec mirum, si per hunc numerum, qui ab undenario et denario nascitur, humanae pravitatis abolitio designatur. Undenarius quippe numerus, si septies multiplicatur, profecto septuaginta septem summa completur. Sed denarius, qui perfectus est numerus, decalogum signat. Per undenarium vero, qui hunc transgreditur, quid nisi legalis transgressio figuratur?

§ 5. Cum ergo in totâ illâ summa legis simul et transgressionis, uterque numerus comprehendatur, quid mirum, si per eam scelerum remissio designetur? Septenarius plane numerus, qui supra Dominum in columba descendit, nostrae pravitatis undenarium abolevit. De quo scilicet charismatum numero per Isaiam dicitur: *Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Domini* (*Is.* II). Unde beatus Lucas, ut expiari nos a nostris sceleribus per adventum nostri Salvatoris ostendat, non ab Evangelicae narrationis exordio, sed a baptismo dumtaxat, Christi cognationis ordinem inchoat. Quod etiam in libro Geneseos evidenter ostenditur, ubi Lamech uxoribus

suis dixisse narratur: Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Ultio quippe de Lamech septuagies septies danda dicitur, quia septuaginta septem homines de femoribus ejus perhibentur egressi, ac postmodum diluvio vorante referuntur absorpti. Sed quia Lamech percutiens, sive percussus exprimitur, quid per hunc, nisi primus parens humani generis figuratur, qui nimirum peccati telum, quo primus ipse percussus interiit, universo quoque generi successurae posteritatis infixit? De hoc ergo Lamech septuagies septies ultio data est, quia peccatum, quod primus homo contraxit, per septuaginta septem generationes in humano genere viguit. Usque ad Christum siquidem peccatum originale permansit, quod ipse per baptismi sui (unde Lucas incipit) sacramenta delevit. Ubi videlicet de illo dicitur: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I).

§ 6. Redemptionis ergo nostrae materiam uterque sanctus Evangelista sic invicem dividunt, et narrationis partem sibi quisque congruam sumunt, ut Matthaeus per generationum lineam descendendo, Christum ad nos peccatores de coelis advenisse perhibeat; Lucas autem a sacramento baptismatis ad patrem usque, conscendens, traxisse nos secum ad coelestem gloriam, peccatorum sordibus ablutos, ostendat. Ille siquidem adstruit Christum ad terram misericorditer descendentem; iste fatetur eum nos ad coelestia sublevantem. Ostendit ille pastorem nonaginta novem oves in deserti pascuis relinquentem; docet iste, quam perdiderat ovem, scapulis impositam, ad ovile proprium revocantem. Ille perhibet descendisse medicum ad aegrotos; fatetur iste ad incolumitatis aeternae gaudia secum nos reduxisse sanatos. Ostendit ille solum Unigenitum a Patre ad nos missum; docet iste, quoniam ad coelestem patriam multitudinem transtulit electorum. Porro utriusque Evangelistae intentionem una beatus Paulus comprehendit, dicens: *Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne* (*Rom.* VIII). Nam cum dicit: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati:* ostendit susceptionem mortalitatis nostrae, quam Matthaeus aperte declarat, cum ab Abraham descendendo, quadraginta generationes enumerat. Cum vero subjungit: *Et de peccato damnavit peccatum in carne:* abolitionem perhibet peccatorum, quam Lucas indubitanter exprimit, cum septuaginta septem cognationum lineam texit. Quam videlicet utramque sententiam idem Paulus uno alibi versiculo complexus est, dicens: *Jesus Christus traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Descendit enim Christus, ut nos a peccatis eriperet; surrexit autem, ut candore justitiae nitidos exhiberet.

§ 7. Quae nimirum utriusque beati Evangelistae diversitas

etiam in hoc evidenter ostenditur, quia Matthaeus per Salomonem, in cujus matre David per adulterium corruit, Dominicae generationis lineam descendendo producit; Lucas autem per Nathan ascendit, per cujus videlicet aequivocum prophetam, hoc ipsum ejusdem David peccatum Dominus expiavit, et sic quasi lapsum miseratus erexit. Ille itaque docet, Dei Filium ad nos humiliter inclinatum; iste pronunciat nobiscum simul cum triumphali gloria coelitus exaltatum. Descendit enim Christus ad jacentes, ut eos secum pròvehat in astra victores. Unde non sine divino factum praesagio creditur, quod beatus hic Evangelista tali vocabulo nuncupatur. Lucas enim Hebraice, Ipse consurgens, sive elevans, vertitur in Latinum. Hoc igitur in proprio nomine praetulit, quod ipse postmodum de Salvatore conscripsit. Redemptor enim noster et ipse de morte surrexit, et nos ad coelestia viventes de mortuis elevavit. Unde et per Apostolum dicitur: *Qui nos conresuscitavit, et consedere fecit secum in coelestibus* (*Ephes.* II). Ipse itaque principaliter consurgens, sive elevans dicitur: quoniam ad hoc de morte surrexit, ut nos in morte prostratos erigeret: ad hoc ascendit in coelum, ut secum nos ad coelestia sublevaret. Quod igitur beatus Lucas de Christo scribendo perhibuit, hoc quasi prophetice proprio nomine designavit. Et hoc magnum certe mysterium, quod beatus Lucas a baptismo Salvatoris incipit, et usque ad Deum Patrem generationum lineam ascendendo producit. Per lavacrum quippe sancti baptismatis a peccatis abluimur, et sic Deo Patri per Mediatorem Dei et hominum reconciliamur. In baptismo itaque est nostrae ascensionis initium, et sic ad Deum a viventibus pervenitur per boni operis incrementum.

§ **8**. Nec praetereundum, quia cum Redemptor noster verus utique sit Rex et sacerdos, sicut beatus Matthaeus regiam ejus texuit describendo progeniem, sic e diverso Lucas sacerdotalem indicat per omnem textum sui voluminis dignitatem. In sacerdotali quippe plerumque versatur officio, et dum diversa Dominici operis gesta percurrit, ab his tamen, quae ad sacerdotium pertinent, non recedit. Modo enim sacerdoti delegatum narrat officium, modo progeniem, modo vicem, modo sacrificium, modo nominat templum; et cum plurima intra sacrae historiae seriem comprehendat, in intentione tamen, quae coeperat, prosequendi sacerdotii, persevèrat. Nam in ipso suae narrationis initio sic exorsus est, dicens: *Fuit in diebus Herodis Regis Judaeae sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor illius, de filiabus Aaron* (*Luc.* I). Deinde ipsum sacerdotem ad adolendum ante altare sacrificium statuit. Postmodum quoque ad ejusdem sacerdotis domum Mariam Virginem dirigit. Tria quoque cantica in Ecclesia cantanda describit (quod nullum Evangelistarum praeter eum fecisse reperitur), unum scilicet Zachariae, secundum

Mariae, tertium Simeonis. Quadragesimo vero die, postquam natus est, Dominum cum muneribus in templo narrat oblatum. Deinde duodennem in eodem templo inter doctores constituit residentem. Parentes quoque Domini narrat per singulos annos in solemnitate paschali orationis gratia Jerusalem ascendere solitos. Postremo Evangelium suum hoc fine concludit, ut dicat: *Ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum* (*Luc.* XXIV).

§ **9**. Unde fit, ut beatus Lucas vituli speciem teneat, sicut et Ezechiel Propheta, et Joannes Evangelista se vidisse pronunciant. Vitulus siquidem in templo solebat offerri. Et bene vitulus, quia sacrae linguae vomere cordis nostri arva prosulcat, eaque Evangelici seminis jactu vitali fruge fecundat. Vel certe idcirco beatus Lucas vituli praetendit imaginem, quia dum Evangelicam atque Apostolicam describit historiam, hostes Christi atque adversarios verae fidei, tamquam duobus cornibus ventilat, eosque, ne aream catholicae Ecclesiae depopulentur, expugnat. His autem cornibus praemunitur, quibus et Judaeos feriat non credentes, et haereticos hinc inde concludat, a regula verae fidei declinantes. Scripsit itaque beatus Lucas Apostolorum labores et actus, quibus et ipse collaborator interfuit. Scripsit et Evangelium, quod quasi signatum magni thesauri pondus de coelo percepit. Cui videlicet illud Isaiae vaticinium congruenter aptatur, quo dicitur: *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: et respondebit: Non possum: signatus est enim* (*Is.* XXIX). Quis est enim liber ille signatus, nisi sanctum Evangelium, mysticis figurarum sententiis obvolutum, et ab humanae mentis intelligentia procul arcanâ quadam profunditate remotum? Hic profecto liber ille est, de quo Joannes ait: *Vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem* (*Apoc.* V). Quae sunt autem sigilla, quibus liber Evangelicus obsignatus dicitur, nisi septem illa sacramenta, quibus utique totus ordo Dominicae dispensationis impletur, videlicet incarnatio Domini, nativitas, passio, resurrectio, ad coelos ascensio, deinde judicium, postremo regnum? His itaque sigillis liber Evangelicus ita signatus est, ut nisi eum Christus aperuisset, cuilibet omnino patére non posset. Unde subjungitur: *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus* (*Apoc.* V). In actibus vero Apostolorum, dum quasi nudam narrat historiam, quodammodo nascentis Ecclesiae teneram lactat infantiam.

§ **10**. Sed, si diligenter attendimus, quia medicus est ille, qui scribit, nil aliud in illa reperimus historiâ, nisi dumtaxat animarum languentium medicinam. Humanae quippe conversationi quasi quamdam rectitudinis lineam tendit, et per eam nos quasi semitam dirigit: ut sicut perpendimus primitivam Ecclesiam

vixisse, inquantum facultas suppetit, et ipsi vivere studeamus, quatenus eadem puritas, quae de origine fontis emanat, etiam per declivia nihilominus postrema decurrat; et qualis oriendo progreditur, talis in fine servetur. Unus est enim ipse de quatuor fluminibus paradisi, qui videlicet uberibus doctrinae suae fluentis universam mundi latitudinem irrigavit. De quibus videlicet aquis per Isaiam dicitur: *Scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine: et quae erat arida, in stagnum: et sitiens, in fontes aquarum* (*Is.* xxxv).

§ **11**. Recurramus itaque, dilectissimi, ad innocentiam primitivae Ecclesiae, ut discamus et possessa relinquere, et in regiae paupertatis simplicitati gaudere. Non ad ima nos terrenae substantiae pondus deprimat, quos ad supernae Jerusalem gloriam Rex coelestis invitat. Non nos ab hoc itinere carnalis illecebrae retrahat lenocinium, quibus utique per praecedentis nostri redemptoris introitum patet aula coelorum. Nam dum generationis ejus ordo ab humilitate baptismatis ad Patrem usque producitur, liquet proculdubio, quia patriae coelestis ingressum se sequentibus pollicetur; et quo prior introivit, sibi ministrantibus viam stravit. *Volo,* inquit, *Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus* (*Jo.* xii). Ut nimirum ad caput se membra colligant, et (sicut eodem spondente promittitur) ubi fuerit corpus, et aquilae congregentur. *Adeamus ergo cum fiducia thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (*Heb.* iv; viii). Nam (sicut idem dicit Apostolus) talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in coelis, sanctorum minister, et veri tabernaculi, quod fixit Deus, et non homo. Illuc itaque se jam noster spiritus dirigat, illuc, diruptis terrenae concupiscentiae vinculis, aestuanter evolare contendat, et ubi caput eminere considerat, se quoque secuturum esse confidat. De quo videlicet dicitur: *Non in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* (*Heb.* ix). Illic ergo habemus Pontificem, qui justificet peccatores; illic habemus Regem, qui coronet post victoriam triumphantes; qui nimirum ad hoc dignatus est de summis ad ima nostra descendere, ut nos secum ab infimis ad propria sublevaret, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM S. JUSTI SIVE JUSTINI *

UT EUM HISTORIA VOCAT, NOVEM ANNORUM PUERI, EX VENERABILIS BEDAE ** TOMO III PER LAUR. SURIUM COMPREHENSIUS DESCRIPTA, CUM ILLIC HABEATUR NON PROSA ORATIONE, SED QUAE CARMINIS POTIUS FORMAM QUAMDAM REFERAT.

Passus est seculo III — Nat. Gallus.

§ 1. Christo Domino ac Salvatore nascituro, edictum exiit ab Augusto Caesare, ut describeretur universus orbis. Ille enim, ut ait Gregorius Papa, apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in aeternitate, quos sacrae fidei professio commendaret: quam qui digne colunt cum operibus bonis, quae sunt ceu census quidam Domino gratissimus, coelestis civitatis municipes fiunt. Quem censum uterque sexus et aetas omnis solvit, ut testantur martyres innumeri, non viri dumtaxat, sed et feminae: nec solum maturi aevi, sed etiam permulti aetate tenera. In quibus sanctus Justinus novem annorum puer, quo pacto per passionem migravit ad Dominum, sequens oratio explicabit. Diocletiano et Maximiano saevissimis tyrannis Romani Imperii dignitatem obtinentibus, tam crudelis extitit persecutio Christianorum, ut omni suppliciorum genere affici juberentur, qui Christum profitebantur. Et ne quis latitandi superesset locus, ubique struebantur insidiae, ut nulli fas esset emere quippiam, aut vendere, vel etiam haurire aquam, nisi prius infandis daemonum idolis thura cremaret. Eà tempestate fuit Praefectus quidam missus in Gallias, perfidiosus, ferox, immanis Christi et Christianorum hostis, Rictiovarus nomine. Is sitiens innoxiorum hominum sanguinem, cum venisset Basileam, multos illic Christianos in aquas demergi jussit; edictoque locis omnibus proposito, praecepit ne quisquam Christianus sineretur vivere.

§ 2. Per id tempus Antissiodori *** fuit Matthaeus quidam, vir bonus et justus, filios habens Justinianum et Justinum: quorum ille aetate, hic morum maturitate anteibat, per vitam immaculatam senectutem induens, et brevi consummatus, longa explens tempora, meritorum ejus laude durante in secula, quandoquidem placuit

* Animadverte, Lector, hic factam fuisse nominum confusionem, quum e duobus Sanctis, loco et tempore distinctis, unus conflatus fuerit; id quod, Bollandistae monent, in re hagiologica non inusitatum est.

** Falso haec metrica Historia a Surio comprehensius descripta, Ven. Bedae tribuitur.

*** Gallice, *Auxerre* in Burgundia. Ibi natus est S. Germanus, ejusdem civitatis Episcopus. Cfr. *Surium*, Vol. VII.

Deo anima illius. Ante autem, quam hic Justinus in lucem ederetur, frater ejus Justinianus ab hostibus captus, et procul abductus est. At beatus puer Justinus a teneris annis rebus divinis animum appulit, Domino illi quotidianae gratiae suae incrementa largiente. Cumque esset virtutibus ornatus, etiam futurorum praenotionem et scientiam divinitus accepit. Itaque ex Domini revelatione didicit fratrem suum agere in servitute, atque ejus herum Lupum Ambianis * habitare. Idque mox refert ad patrem, adhortans eum, ut iter suscipiat ad filium redimendum. Respondente patre, se nescire iter illud, sanctus puer animo accensus, urbem omnem Antissiodorensem pèragrat, ducem aliquem ejus itineris quaeritans. Sed cum nullus esset, redit ad patrem, indicat se neminem quidem invenisse, qui eo velit proficisci : at nec sic tamen cessandum esse. « Pergamus, inquit, pater, Christo comite, qui non sinet nos votis frustrari nostris : nec quicquam illo praeeunte nobis adversi occurret : sed ibimus illaesi incolumesque redibimus. » Rursus pater : « Equidem fortassis, mi fili, tantum iter perferre potero, viribus fretus corporis : tu vero cum sis tenellus puer, vereor sane ut possis. » Justinus respondit : « Christi ego servus sum, cui ego bene confido, cuique me semper commendare soleo. Eamus, pater, in ejus nomine, illi totius itineris effectum committentes, gratumque habentes, quicquid ei facere visum erit. » Acquievit pater, et rebus ad iter necessariis comparatis, iter ingressi sunt.

§ **3**. Ea nocte Meloduni ** manserunt, ad cujus portas pauper quidam eis venit obviam, et pedum officio, et oculorum lumine orbatus, ad ea incommoda accedente etiam dîrâ fame et corporis nuditate. Petit miser stipem a Justino. Justinus indicat patri et ab eo acceptas escas dat inopi. Porro suâ se tunicâ spolians, ea vestit nudum gemino beneficio afflictum refovens. Eâ re nonnihil commotus pater, coepit objurgare eum, illud benignitatis et humanitatis officium, dispendium vocans. Contra vero sanctus puer Justinus : « Noli, inquit, pater factum hoc dispendii loco habere, cum nobis pro illo aeterna in coelis beatitudo promittatur, dicente Spiritu Sancto per prophetam : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus, et ab auditu malo non timebit*. Mala dies erit impiis, cum in extremo judicio damnabuntur a Deo, arsuri cum diabolo igne sempiterno. A malo autem timebunt audito, qui tunc audient vocem illam terribilem : *Ite, maledicti, in ignem aeternum*. In hac die mala, qua damnabuntur impii, illi liberabuntur, qui praestant eleemosynam : nec eos auditus malus terrebit, sed potius audient a Christo : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis*

* Gallice, *Amiens*, urbs sede episcopali ditata, Petri, qui *Eremita* dicitur, patria.
** Gallice, *Melun*.

mihi manducare: Nudus eram, et cooperuistis me, etc. Quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* xxv). Vides, mi pater, quae bona reposita sint nobis, si ex iis quae suppetunt nobis, gratificemus inopi? »

§ 4. Cum ergo noctem illam Meloduni exegissent, mane coepto pergunt itinere: Christoque duce, Lutetiam Parisiorum perveniunt. Ubi Hippolytus quidam eos hospitio accepit, et humaniter tractavit, cum ei causam adventus sui exposuissent. Ab illo autem dimissi, Isaram * fluvium ut attigerunt, non invenere navim qua eum possent transmittere. Moleste id ferente patre beati pueri, ille perturbatum consolatur, indicans ei quod divina revelatione didicerat, quemdam adfuturum propediem cum navi, qui eos traducat. Adhuc puero haec loquente, quidam nauta venit cum suâ cymbâ. Ad quem accedentes, rogant ut ipsos evehat in aliud litus, justâ mercede accepta. Ille promptus annuit, nec tamen naulum recipere vult, gratis suam eis operam offerens. Trajecto flumine, Ambianos properant, urbemque ingressi, sciscitantur quae sit domus Lupi, apud quem Justinianus serviat. Repertâ domo, accedunt Lupum, offerunt preces supplices, priorque Justinus ita eum appellat: « Venìmus, Lupe, ad humanitatem tuam, orantes ut captivum fratrem nobis restituas, quem scimus apud te servire. Afferimus nostram substantiolam, ut accepto pretio, pro tua clementia eum nobis reddas. » Lupus vero rogat, quinam sint. Respondent se Christianos esse, civesque Antissiodorenses, fratrem suum Justinianum dici, et apud ipsum commorari. Tum Lupus: « Ego, inquit, vobis praebebo hospitium, et pueros meos omnes ostendam: in quibus si fratrem vestrum videritis, pretio redimatis. »

§ 5. Vespere igitur in Lupi domum intrant, et ille duodecim pueros suos in eorum conspectum adducit: sed in iis non erat Justinianus, quem quaerebant. Itaque beatus Justinus oculos circumferens, videt quemdam extra illos assistentem puerum, manu sua lampadem accensam tenentem. Is vero erat beati Justini frater, ante eum diem nunquam illi visus. Sed ille plenus Spiritu Sancto, nullo homine docente, eumdem germanum fratrem suum hactenus incognitum, ocyus cognovit, Sanctorum enim animi Deo inhaerentes, interna et arcana persentiunt, et prophetico spiritu res ignotas edocentur. Videmus hoc in Actibus Apostolicis, ut Spiritus loquatur Petro, Paulo, et aliis. Cognito igitur fratre, Justinus dicit ad Lupum: « Meus iste frater est, qui manu fert lampadem. Hujus redimendi causa, pater meus ad te accessit. Tu, ut es pollicitus, benignum te nobis exhibe, ut illo comite possimus abire domum. » Haec ut audivit Justinianus, obstupuit, quod nunquam illi visus, tam facile cognosceretur. Admirabantur etiam alii, qui aderant, ob rei inusitatam

* Cum duo sint fluvii, qui hoc vocantur nomine, hic est qui gallice nuncupatur *Oise*.

novitatem. Gratulabantur fideles, in Domino laetantes, et pro tanta virtute Deo gratias agentes.

§ 6. Aderant tum fortassis quidam Rictiovari praefecti retiarii: qui ut eos Christianos esse sensere, propere ad dominum suum referunt. Is confestim mittit, qui eos adducant: aut si nolint sequi, in custodiam abducant, donec possint opportune coram ipso sisti. Lupus vero, qui eos hospitio exceperat, noctu eos excitat, hortatur ut ante diluculum mature proficiscantur. « Adfuerunt enim, inquit hîc Rictiovari administri, qui ut Christianos vos esse animadverterunt, mox illi significarunt. Fratrem ergo vestrum vobiscum abducite: nullum ego redemptionis pretium expeto. Tantum ocyus hinc abscedite, ne vos persecutores comprehendant. » Illis itaque profectis, repente advolant missi a judice: sed non invenientes eos, redeunt ad illum, ajunt jam abiisse homines. Mox ille jubet quatuor equites summo studio eos insequi, et ad suum tribunal comprehensos pertrahere: si vero reluctentur, confestim eos trucidare. Properant equites, abeuntium persequuntur vestigia: qui cum jam fere venissent ad locum, quem Luperam * vocant, non longe aberant illi, qui eos insequebantur, crudeles carnifices. Ait autem Justinianus ad Justinum: « Locum hunc opportunum cernis et hauriendae aquae, et cibo sumendo. Si lubet igitur paulisper hîc assideamus, ut cibo et potu refocillati, expeditiores simus ad prosequendum iter. » Justinus jam futurorum praescius, respondet: « Si quippiam gustare hîc vultis, faciendum id est celeriter. Appropinquant enim missi a judice, qui nos, modo id possint, ad illum adducant poenas luituros. Ocyus ergo cibum capite: ego vero interim contemplabor, num quis huc veniat, ex judicis mandato nobis insidiaturus. Quod si quem persensero eo animo ad nos accedere, ego cum illo colloquar, vos autem in hanc specum vos subducite. »

§ 7. Haec cum prophetico Spiritu Sanctus dixisset puer, mox adsunt carnifices, quos ille adfuturos praedixerat. Iis conspectis, caeteri in speluncam sese abdunt: beatus vero Justinus stat intrepidus, ad martyrii gloriam a Christo praedestinatus. Ad eum igitur accedunt quatuor illi equites, sciscitantur quis sit, quae ejus sit professio, quinam illi aut ubi sint, quos habuisset socios. Ille per ordinem omnia explicans: « Ego inquit, Justinus dicor, Christianum me libere profiteor. Et quia Christiani nominis persecutores vos estis, non licet mihi vobis prodere comites meos, ne hac ratione poenis illi subjiciantur. » At illi: « Nisi, ajunt, illos cito prodideris, nos te quamprimum gladio feriemus, tum quod indicare eos non vis, tum quod Christianum te profiteris. » Respondet Justinus: « Sanctum Evangelium promittit nobis, si quis propter Christum perdat animam suam, in vitam

* Gallice, *Louvre*.

aeternam custoditurum eam. Atque eâ causâ propter eum poenas perpeti non recuso, eo dilecto malens emori, quam offenso vivere. Quod autem vultis a me prodi comites meos, id sacrosanctum vetat Evangelium, quando ipse Christus Dominus noster in passione sua noluit prodere discipulos suos, sed captus, jussit ut eos sinerent abire. Notum ergo sit vobis, me nec sanctissimum Christi nomen metu mortis abnegaturum, nec socios indicaturum. »

§ **8**. His auditis, ira perciti carnifices, sine ullâ morâ in ejus necem conspirant, unusque ex eis, caeteris hortantibus, caput illi amputat. Ita martyr Christi cum laude et gloria in coelum proficiscitur, geminum percepturus bravium, quod et in Christi confessione perduraret, et usque ad mortem proximos suos dilexerit. Ut vero quae ejus esset gloria testatum fieret, insigne mox miraculum declaratur. Praecisum enim caput manibus apprehendit corpus truncum, et coram lictoribus illis immobile constitit. At illi eâ re perterriti, fugam capessunt. Pater vero ejus et frater e specu egressi, vident sanctum corpus ejus stare immotum, miranturque suis manibus proprium ferre caput. Varie interim animis afficiuntur, hortante martyrii gloria ut exultent, naturâ invitante ut plorent. Maxime vero anxios eos habet, quod nesciant, quomodo sepulturae mandandus sit. Cumque ea de re inter se conferrent, caput beati Martyris eos disertis appellans verbis: « Abite, inquit, ad locum, quem Luperam dicunt, atque illic meum humate corpusculum. Porro matri hoc meum apportate caput, ut amoris erga se mei hoc apud se pignus habeat. Quod si mei tenetur desiderio, studeat sequi me in paradiso jam degentem, ubi animae Sanctorum feliciter quiescunt *. »

§ **9**. Tum illi faciunt, ut erant jussi, corpusque sepeliunt loco eis indicato. Caput vero adferunt matri, quae illud cum gaudio excepit, Deo agens gratias, quod innocentem ejus animam ad se evocasset. « Tibi, inquit, Christe honor, laus et jubilatio, qui dignatus es hunc assumere puerum, et adjungere beatis Martyribus tuis. At tu, beati Justine, fili mi dulcissime, qui in Christi regnum ingressus es cum palma victoriae, ibi memor esto mei in tuis suffragiis. » Haec illa cum lacrymis orante, lux ingens effusa est super illud domicilium, in quo sanctum Justini caput repositum erat. Cumque ea luce omnia circumquaque irradiarentur, idque in ipsis noctis tenebris, mirabantur quotquot in ea urbe erant. Tandem Episcopo ejus civitatis caput illud sancti Martyris honorifice condente, caeca quaedam puella superveniens. « Adjuva me, inquit, beate Christi Martyr, ut lumen diu negatum, Domino Christo praestante, tuo patrocinio adipisci

* Circa hoc miraculorum genus, Bollandistae saepius monent, quam cautissime versandum est.

merear, ut laudetur nomen ejus in martyrio tuo. » Sic illa oravit, et mox voto potita suo, laude et praedicatione effert inclytum Martyrem, plebsque omnis exultans, gratias agit benignissimo Salvatori, cui est honor et potestas per aeterna secula, Amen.

VITA S. MONONIS MART.

IN NASSONIA LEODIENSIS DIOECESIS QUIESCENTIS

UT HABETUR IN ANTIQUO MS. LIBRO ECCLESIAE COLLEGIATAE EJUSDEM S. MONONIS NASSONIEN. QUAM VITAM FIDELITER EXSCRIPTAM NOBIS TRANSMISIT DOMINUS JOANNES CHARLIER EJUSDEM ECCLESIAE PRAEPOSITUS. DICTIONEM TAMEN SUBINDE MUTAVIMUS, QUAM IN ALIO MS. CODICE INVENIMUS LATINIOREM.

Passus est ante medium sec. VII — Hibernus.

PROLOGUS AUCTORIS

Quotiescumque, fratres carissimi, unice percolendi, ortum, vitam, et obitum digne recolimus Sanctorum, quorum memoria redolet pretiosa, toties fructum salutis nostris miseriis credimus affuturum. Quapropter sanctissimi patroni nostri Mononis, Martyris scilicet egregii, nostrae fragilitati specialiter a Domino bonorum largitore praedestinati, ortum, vitam, ac martyrii palmam, secundum sermonis nostri ariditatem aliquantulum recitantes, eodem Christo Domino propitiante, aggredimur describere.

§ 1. Fuit igitur sanctus Monon de occiduis mundi partibus oriundus, videlicet ex Scotia, quae multos sanctorum velut stellas lucifluas ad diversas mundi transmisit partes, ut fuit pretiosus confessor Furseus, quem Parrona retinet laeta, cum fratre suo Ultano; et Foillanus eorum frater, magni meriti vir, cujus praesentiâ castrum congaudet Fossense; sanctus quoque Bertuinus; sanctus Fredegandus; necnon sanctus Eloquius confessor magnificus, quem Walciodorum * veneratur coenobium; aliique complures Sancti, quorum numerum et nomina sanctae praedestinationis continet liber. Huic ergo memorato Mononi post vigilias nocturnales, quibus Deus velut miles invictus serviebat, cum se sopori dedisset, nuncius coelestis affuit in haec verba: « Monon,

* Gallice, *Waulsort*, in provincia Namurcensi.

serve Dei fidelis, mandat tibi Altissimus coelorum possessor, ut Gallias ìmpiger adeas, locumque in silva Arduenna, cui nomen Fridier, perquiras, quem fons Nasania leniter irrigat, ibique locum tuae habitationis vendicabis, donec generalis dies examinis, peccatoribus reatus sui tormentum, justis vero ac tibi aeternae vitae bravìum pro labore redditurus est. » Qua visione vir Dei sollicitus petiit, ut si a Deo haec esset visio, secundo ac tertio sibi appareret: quod et ita factum est. Nec mora, jam de Angelica visitatione certior factus, sumptis necessariis quibus indigebat, iter suum vir justus arripuit, hunc psalmi versum decantans: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die* (*Psal.* 24). Huic tamen sedit in voto prius limina Apostolorum Petri et Pauli invìsere, quatenus eorum fretus auxilio, postmodum in locum sibi destinatum felici perveniret omine.

§ **2**. Eâ vero tempestate, dignae memoriae Joannes, dictus ob morum simplicitatem Agnus (cujus possessio paterna fuerat villa Tihancia * juxta Hoyum castrum sita), cum benedictione Apostolica Romae accepta, jam transgressis in redeundo alpium jugis, Tongrensis Episcopii partes repetebat, viro sancto factus est obvius, Mononus scilicet jam Levitico ordine sublimato: a quo auditis sui itineris causis, et quid inde esset acturus, benedictionem ei elargitur, demandans tamquam fidissimo ex mutua collocutione facto amico, ut in redeundo pallium Episcopale, quod ex maturandi itineris anxietate intermiserat, sibi fidelis deferat bajulus. Locum autem a Deo sibi designatum ad se revertenti promisit certius se ostensurum, suumque illi consilium et auxilium, prout tempus et ratio exposceret, in omnibus praebiturum: quod ita factum constat: nam reversus, a praedicto Joanne Episcopo venerabiliter susceptus est. Quantus vero qualisve postmodum fuerit in famulatu praelibati pontificis, breviter enarrabimus. Fuit namque dapsilis et largus in pauperes, pernox in orationibus, jejuniorum executor laudabilis, pacis amator praecipuus, proximorum defensor promptissimus, ac Dei amator ferventissimus. Quid plura? Quicquid in servis Dei attenditur laudabile, loco in isto ejus famulo ubertim crescebat quotidie, intantum, ut consodales ejus videntes talia in Dei homine dona, inde pessumdati sunt ad pejus, unde sublimari debuerant in melius.

§ **3**. Hic vero Dei justus, inter ista non ìmmemor visionis nocturnae divinitus sibi factae, cum licentia praescripti Episcopi èxpetit locum ab Angelo praesignatum, quem truncis ac vepribus pro posse mundatum in oratorium commutavit et consecravit, ubi congrue Deo redderet solemnia precum vota. Huic operi sic incumbenti obtulit Christi miseratio largiflua levamen amabile,

* Gallice, *Thiance*, vicus ad dextram Mosae. — Hoyum, gall. *Huy*.

videlicet nolam * ferream, in viri Dei praesentia a porco de terra effossam, quae adhuc in sua dependet ecclesia. Quo dono non parum laetificatus, agnovit intrepidus, pium Jesum inchoato operi benigne favère. Mox fama quietis nescia circumquaque volitans, pagenses excitavit non mediocriter, ut huic Dei homini adhaereret, quorum ope et labore nimium sustentatus erexit aediculam, divitiis quidem seculi vacuam, sed virtute supera plenam. Nam promerentibus ejus meritis vivacibus, multorum languentium corpora inibi sua offerentium munera, ex integro sospitati restituta sunt. Verum hostis humani generis supra modum indigne ferens, etiam locum istius erèmi titulo Christianitatis a justo viro sic nobilitari, anxius quid ageret, qualiterve coeptum opus interrumperet, secum tractabat. Tandem face accensus invidiae, qua protoplastum patrem nostrum Adamum, proh dolor! expulit ab horto deliciarum, appulit sibi suae voluntatis compotes, scilicet latrones sicarios, quos jamdiu sibi obsecundantes sciebat aegre ferre, quod vir totius sanctitatis exemplar, lustra suarum inhabitaret silvarum. Sine mora igitur irruentes, pestiferoque cuneo perstrepentes, crudeli morti mancipant Sanctum Dei. Sic martyr effectus gloriosus Monon, calcato mundo cum suis concupiscentiis, indefectivis fruitur gaudiis, conspiciens cum Angelis desiderabilem vultum Dei, associatus haud dubio Prophetarum choris, Apostolorum collegiis, Martyrum dignitati, Confessorum sodalitati, Virginum dulcisonis choreis.

§ 4. Quae res postquam vicinorum gravissimo pèrculit aures nuncio, accurrentes, ac Sanctum Dei letali affectum vulnere conspicientes, lacrymarum rivulos prae dolore abunde effuderunt; gaudebant tamen spiritu, quod in suis confiniis talem merebant habere patronum ac tutorem apud Dominum, vigilantissimum. Inde quamplurimi Martyris pretiosi locum adeunt, quem undique sentientes divino lumine illustrari, gloriosas exequias celebrant, ac corporis thesaurum incomparabilem invictissimi testis Christi sepulturae tradunt, candidis undique (ut decebat) honorificatum ornamentis. Quo loco quot postea derivarint beneficia Dei in aegrotantium membra, claudorum scilicet, caecorum, aridorum, febricitantium, aliisque plurimis detentorum doloribus, nullus sermo noster ad dicendum sufficit.

§ 5. Beatus vero Joannes memoratus Episcopus, ad exemplum sequentium adhuc superstes, indoluit Servum Dei sibi in familitio devinctum a conversatione hominum, quos sanctis monitis informabat, exemploque dignos Deo reddebat, sic vitae transitoriae insperato percurrisse stadium: quamvis sciret, potius ei congaudendum jam in coelestibus immortalitatis gloria coronato. Hic autem, cooperantibus fidelibus vicinis, basilicam condecentem sibi aedificavit, quam in honorem beatae Mariae semper virginis

* Seu, italice *campanello*, gall. *clochette*.

ac matris Dei consecratam, ab omni exactione liberam. Episcopali auctoritate, in sua provinciali synodo, perpetuo esse decrevit. Et ne ex tunc deesset officium sacerdotale in ecclesia Hoyensi et villa Amania, ad persolvendum divinum officium sacerdotes instituit, qui per vices sibi mutuo succedentes Missarum solemnia ad honorem praedicti Martyris, Deo persolverent, quousque per temporis intervalla eadem ecclesia ex fidelium donatione proficiens, propriis stipendiis cultui divino sufficeret. Haec autem sacerdotalis successio eodem in loco duravit a tempore D. Joannis praedicti Episcopi usque ad tempus Pipini III, qui regnum Francorum adeptus, deficiente regiâ stirpe Clodovei, a Papa Zacharia unctus est in Regem ob defensionem Romanae Ecclesiae. Hic itaque Pipinus Rex, dum inter venandum Arduennensem perlustraret silvam, Deo disponente ad ecclesiam sancti Mononis devenit, eamque (ut erat vir magni affectus erga Deum et Sanctos ejus) devotionis causâ oraturus intravit. Qui, vis miraculorum monimentis ex infirmorum curatione ibidem relictis, summopere admiratus est sancti Martyris virtutes; ac prostrato corpore, devote exorabat ejus apud Deum suffragia. Atque ut ibidem relinqueret memoriam sui regalis beneficii, per pileum quod capite gestabat, auro gemmisque ornatum, omnes decimas quas habebat inter fluvium Urtam et Letiam, perpetuo jure tradidit beato Mononi possidendas *. Ipsumque pileum, in testimonium hujus largitionis suae, in eodem loco servandum reliquit. Atque exinde facta est ecclesia collegiata, constitutis ibidem Canonicis, qui tempore diurno ac nocturno persolverent odas Domino, ejusque glorioso Martyri Mononi, orantes pro felici statu regni Francorum, maximeque pro salute Regis Pipini, cujus munificentiâ dotata est et exaltata eadem ecclesia: praestante et adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnat Deus in omnia secula, Amen.

Praescripta omnia cantantur in lectionibus matutinalibus praenominatae ecclesiae sancti Mononis, in festo ejusdem et per octavas: habenturque in libro Lectionum ex pergameno laudabiliter conscripta, qui conservatur in eadem ecclesia Nassoniensi.

* Gallice, *Ourthe* et *Lesse*, rivi, qui ex Arduenna silva scaturiunt.

VITA

S. PETRI DE ALCANTARA CONF.

EX BULLA CANONIZATIONIS A CLEMENTE PP. X, ANNO 1670 EDITA *

Obiit anno 1562 — Hispanus.

Clemens episcopus, servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

PROOEMIUM. Romanorum gesta Pontificum (praesertim majorem Dei gloriam ac Sanctorum ejus laudes et honorem concernentia), super quibus, illorum superveniente obitu, litterae apostolicae confectae non fuerunt, recenseri justum reputamus et rationi cònsonum, ut illa universis christifidelibus innotescant.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa IX, praedecessor noster, devotae considerationis indagine pèrscrutans, quod inter coelestes heroës, quorum eximia vitae sanctitas rite comprobata promeretur singularem christianae reipublicae cultum, illis praecipue Sancti nominis immortalitatem Apostolica Sedes decernere consuevit, quorum honor cum eximiâ sit populorum utilitate conjunctus. Hinc illi, qui peculiari alicui vitae instituto ìdeam sanctitatis exhibuerunt, et sacrorum praesertim Ordinum fundatores insigni virtute ac prodigiis illustres, libentissime sacras ad aras accipiuntur; quibus junguntur ii, qui religiosas familias jam virtute florentes ad severiorem disciplinam revocarunt, et ad sanctioris instituti studium ab excelsâ virtute commendati invitarunt; quorum merita èxigunt ut Sanctorum albo adscribantur. Magna siquidem haud dubium est, in sacram eorum militiam atque in universam Ecclesiam commoda profectura, quam egregio exemplo ad sanctitatem ardentius provocabunt. Quamobrem, cum sanctissimus Deoque gratissimus vir Petrus de Alcantara optime meritus sit de christianâ republicâ, eo quod inculpatam religione et doctrinâ sancti Francisci familiam foetu novae prolis adauxerit, eamque, jam per Hispaniae et Indiarum regna dilatatam, per semitas strictissimae paupertatis ambulare docuerit, et omnibus Christi fidelibus praebuerit exemplar incredibilis poenitentiae cum summâ innocentiâ conjunctae,

* Qui Sanctorum numero Petrum de Alcantara inscripsit fuit Clemens Pp. IX, anno 1669; sed Bulla canonizationis, quam ipse confecerat, nec, morte praeventus, expedire potuit, a Clemente Pp. X, ejus successore, edita fuit.

deesse illi non debeat sancti nominis gloria, et populo christiano insigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutem incitamentum. Gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens praedecessor, qui sibi hanc mentem inspirasset decernendi supremos honores huic Viro admirabili, quem praecipuo cultu venerabatur, et a quo salutarem opem in maximis hisce infelicium temporum discriminibus, praesertim contra superbiam et ferociam Turcarum, implorabat. Ut autem celeberrima Petri sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur, et ejus eximias virtutes universis Christifidelibus imitandas exhiberet, ac illius in terris admiratione dignam et laudabiliter transactam vitam explicaret, sic proponere decreverat:

§ 2. Exortus in lucem erat sanctissimus hic vir Norbae Caesareae, vulgo Alcantarae, in Baeturia Hispaniarum regione, anno reparatae salutis MCDXCIX, ex parentibus genere ac pietate nobilibus, Petro Garabito et Maria Villela, idemque Petri nomen, quod in sacrâ familiâ perpetuum illi fuit, sacro e fonte susceperat. Ab ineunte aetate ambulans in innocentiâ, vitans lubrica et voluptatibus obnoxia, et hominum commercium fugiens, contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut amore coelestium incensus, aliquando extra se raperetur: ideoque, sapientiâ crescens et gratiâ, mensuram aetatis moribus senilibus excedebat. Studium litterarum ingressus acri ingenio ingentem spem suis parentibus et magistro indidit. Quia vero noverat sapientem futurum, qui cum sapientibus graditur, religiosorum virorum consortio delectabatur, ac, divinae praesertim inhians sapientiae, sacros avidissime quaerebat libros, a profanis abhorrens. Et quoniam ab infantiâ secum creverat misericordia, omnibus se charitatis operibus assidue dabat; infirmos proinde, in carcere positos, et egenos quantum poterat sublevabat. Cum autem in alios pius esset et misericors, sibi tamen ex tunc incipiebat esse austerus; nam non solum singulari abstinentiâ sensuales appetitus frenare, sed et levissimos quoscumque defectus flagellis asperis consueverat expiare.

§ 3. Licet autem, etiam dum in seculo versaretur, animo coelum recoleret, magis tamen ac magis abundans in scientiâ et in omni sensu probavit potiora; et, annum aetatis sextumdecimum ingressus, in custodiâ S. Evangelii seu Extremadurae (quae nunc S. Gabrielis provincia dicitur) fratrum Minorum Discalceatorum habitum et evangelicam vivendi formam suscepit. Quod consilium insigni prodigio approbavit Deus. Cum enim festinanti ad religiosi Ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tunc forte imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas esset, effusus in preces, in alterâ se ripâ divinitus constitutum extemplo reperit Petrus. In coenobio tam magnos in virtute statim progressus fecit, ut initio tirocinii emeritis Christi militibus eminèret,

ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosternens se. Praecinxit illum Deus virtute, et posuit immaculatam viam ejus; paupertate, religiosae disciplinae rigore, rarâ oculorum modestiâ, incredibili siti cruciatuum magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

§ 4. Solemnem professionem, expleto tirocinii anno, emisit, et sese èlevans supra se, humana omnia transcendens et anhelans ad coelestia, oculis tamen in terram semper dejectis, ignorabat an chorus ecclesiae (quem perpetuo adibat) fornice obductus esset, an laqueari; an cellula sua ex lapidibus, an ex lignis constaret; et exactis in quodam sui Ordinis coenobio tribus annis, fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens per triennium quosdam in ore lapillos detulit, ut vel sic loquendi pruritum coërceret. Senili prudentiâ juventutem supergressus, vigesimo aetatis anno, praeter sacri Ordinis morem, custos coenobii Sanctae Mariae Angelorum renunciatus est; ubi tot charismatum dona coelitus illi collata sunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruscaret. Cum enim annona omnis defecisset, ac fratres ègredi ad petendam eleemosynam prohiberentur altissimâ nive conventum obsidente, conqueri de Petro coeperunt, qui etiam rigente hieme ipsis cogitare de crastino vetuisset, quidquid mensae supererat quotidie in pauperes distribuere consuetus. At ille, certo sciens enutriendos esse qui jactant cogitatum suum in Domino, jussit ad ostium puerulos pergere, ubi, super acervum nivis postibus haerentem, praegrande canistrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, et itinere altâ nive òbsito, nonnisi ab angelis eo delatum: quam divinae providentiae curam aliis quoque vicibus est expertus.

§ 5. Sed mirabilior erat Petri vita, quae ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad sanctitatem. Pro quovis praeconio sufficeret referre illa, quae de hoc viro sanctissimo dixit sanctissima pariter virgo Teresia Carmelitarum Reformatorum parens, videlicet, ne momento quidem diei ac noctis Petrum ab oratione cessasse; et, ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tantum indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Teresiâ teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depressa erat, ut flexis genibus et curvis semper humeris in illâ haerere cogeretur. Per quadraginta annorum decursum sesquihoram tantum somno concessit. Jejunium amavit adeo ut ad triduum ordinarie, et ad octo aliquando dies inediam protraxerit: asperrimo praeterea cilicio armatus, bracteâ ferreâ per viginti annos praefixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissime animadvertens, itinera, quamvis longissima atque asperrima, capite semper detecto, nudisque pedibus per aestus et

frigora suscipiens; ita ut, cum nudum caput imbribus et nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, et aestate praefervidâ exurentibus solis radiis capite vehementissime cruciaretur; respondere solitus interrogantibus cur, detecto capite, semper incederet: *nefas esse coram Deo tecto capite ambulare.* Cum vetustum ac vilem saccum abluebat, madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente hieme sese plerumque injiciebat. Praeter haec, familiare illi erat, hieme summâ, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram et januam cellae reserare, ut, frigidissimo excepto aëre et gelu, acrius torqueretur caro, mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram clausisset et januam. Eo devenit hac saevâ maceratione membrorum, ut, ex narratione sanctae Teresiae, arido et exangui corpore radicum arboris speciem exhibuerit; oculis autem in caveam recedentibus, et sulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile poenitentiae simulacrum videretur.

§ 6. Ex hac eximiâ vitae sanctitate vires hausit ad egregia quaevis praestanda in honorem divinitatis, eaque prodigioso morum suorum exemplo assequi potuit. Latère ille quidem praeoptasset, et, paternam sancti Francisci humilitatem secutus, regale sacerdotium formidasset accipere, nisi ad illud superiorum imperio coactus fuisset. Itaque, non sumens sibi honorem, sed vocatus a Deo tamquam Aaron, sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus viderentur fons hortorum et puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. Jussus etiam est suggestum ascendere, ac verbi divini panem ex tempore populis esurientibus frangere: cumque de ore ejus erumperent quasi sagittae potentis acutae, innumeros felicissime sauciatos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii Dei. Praeterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo infimi et populares, sed etiam nobiles ac principes viri; quos mirâ suavitate et efficaciâ verborum ad salutarem poenitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V Caesarem declinavit, captus amore solitudinis et demissionis, ac metu discriminum aulae regalis.

§ 7. Plura coenobia sui Ordinis sanctissime temperavit, videlicet illud S. Honuphrii in provinciâ S. Gabrielis, S. Michaëlis Placentiae, aliaque. Subinde provinciae definitor et custos, ac deinde omnium suffragiis in provincialem electus est provinciae S. Gabrielis; cujus regimini sedulo incumbens exemplis et verbis, quasdam edidit constitutiones, quibus strictioris observantiae nitor refloreret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Arrabidorum provinciam juvaret et promovèret. Cum autem arctiorem sui Ordinis disciplinam vigère desideraret et longius extendi, superatis gravissimis difficultatibus, divino munitus praesidio, et apostolicâ fretus auctoritate, primum novae reformationis

ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosternens se. Praecinxit illum Deus virtute, et posuit immaculatam viam ejus; paupertate, religiosae disciplinae rigore, rarâ oculorum modestiâ, incredibili siti cruciatuum magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

§ 4. Solemnem professionem, expleto tirocinii anno, emisit, et sese èlevans supra se, humana omnia transcendens et anhelans ad coelestia, oculis tamen in terram semper dejectis, ignorabat an chorus ecclesiae (quem perpetuo adibat) fornice obductus esset, an laqueari; an cellula sua ex lapidibus, an ex lignis constaret; et exactis in quodam sui Ordinis coenobio tribus annis, fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens per triennium quosdam in ore lapillos detulit, ut vel sic loquendi pruritum coërceret. Senili prudentiâ juventutem supergressus, vigesimo aetatis anno, praeter sacri Ordinis morem, custos coenobii Sanctae Mariae Angelorum renunciatus est; ubi tot charismatum dona coelitus illi collata sunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruscaret. Cum enim annona omnis defecisset, ac fratres ègredi ad petendam eleemosynam prohiberentur altissimâ nive conventum obsidente, conqueri de Petro coeperunt, qui etiam rigente hieme ipsis cogitare de crastino vetuisset, quidquid mensae superesset quotidie in pauperes distribuere consuetus. At ille, certo sciens enutriendos esse qui jactant cogitatum suum in Domino, jussit ad ostium puerulos pergere, ubi, super acervum nivis postibus haerentem, praegrande canistrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, et itinere altâ nive òbsito, nonnisi ab angelis eo delatum: quam divinae providentiae curam aliis quoque vicibus est expertus.

§ 5. Sed mirabilior erat Petri vita, quae ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad sanctitatem. Pro quovis praeconio sufficeret referre illa, quae de hoc viro sanctissimo dixit sanctissima pariter virgo Teresia Carmelitarum Reformatorum parens, videlicet, ne momento quidem diei ac noctis Petrum ab oratione cessasse; et, ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tantum indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Teresiâ teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depressa erat, ut flexis genibus et curvis semper humeris in illâ haerere cogeretur. Per quadraginta annorum decursum sesquihoram tantum somno concessit. Jejunium amavit adeo ut ad triduum ordinarie, et ad octo aliquando dies inediam protraxerit; asperrimo praeterea cilicio armatus, bracteâ ferreâ per viginti annos praefixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissime animadvertens, itinera, quamvis longissima atque asperrima, capite semper detecto, nudisque pedibus per aestus et

frigora suscipiens; ita ut, cum nudum caput imbribus et nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, et aestate praefervidâ exurentibus solis radiis capite vehementissime cruciaretur; respondere solitus interrogantibus cur, detecto capite, semper incederet: *nefas esse coram Deo tecto capite ambulare.* Cum vetustum ac vilem saccum abluebat, madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente hieme sese plerumque injiciebat. Praeter haec, familiare illi erat, hieme summâ, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram et januam cellae reserare, ut, frigidissimo excepto aëre et gelu, acrius torqueretur caro, mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram clausisset et januam. Eo devenit hac saevâ maceratione membrorum, ut, ex narratione sanctae Teresiae, arido et exangui corpore radicum arboris speciem exhibuerit; oculis autem in caveam recedentibus, et sulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile poenitentiae simulacrum videretur.

§ 6. Ex hac eximiâ vitae sanctitate vires hausit ad egregia quaevis praestanda in honorem divinitatis, eaque prodigioso morum suorum exemplo assequi potuit. Latère ille quidem praeoptasset, et, paternam sancti Francisci humilitatem secutus, regale sacerdotium formidasset accipere, nisi ad illud superiorum imperio coactus fuisset. Itaque, non sumens sibi honorem, sed vocatus a Deo tamquam Aaron, sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus viderentur fons hortorum et puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. Jussus etiam est suggestum ascendere, ac verbi divini panem ex tempore populis esurientibus frangere: cumque de ore ejus erumperent quasi sagittae potentis acutae, innumeros felicissime sauciatos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii Dei. Praeterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo infimi et populares, sed etiam nobiles ac principes viri; quos mirâ suavitate et efficaciâ verborum ad salutarem poenitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V Caesarem declinavit, captus amore solitudinis et demissionis, ac metu discriminum aulae regalis.

§ 7. Plura coenobia sui Ordinis sanctissime temperavit, videlicet illud S. Honuphrii in provinciâ S. Gabrielis, S. Michaëlis Placentiae, aliaque. Subinde provinciae definitor et custos, ac deinde omnium suffragiis in provincialem electus est provinciae S. Gabrielis; cujus regimini sedulo incumbens exemplis et verbis, quasdam edidit constitutiones, quibus strictioris observantiae nitor reflореret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Arabidorum provinciam juvaret et promovèret. Cum autem arctiorem sui Ordinis disciplinam vigère desideraret et longius extendi, superatis gravissimis difficultatibus, divino munitus praesidio, et apostolicâ fretus auctoritate, primum novae reformationis

merear, ut laudetur nomen ejus in martyrio tuo. » Sic illa oravit, et mox voto potita suo, laude et praedicatione effert inclytum Martyrem, plebsque omnis exultans. gratias agit benignissimo Salvatori, cui est honor et potestas per aeterna secula, Amen.

VITA S. MONONIS MART.

IN NASSONIA LEODIENSIS DIOECESIS QUIESCENTIS

UT HABETUR IN ANTIQUO MS. LIBRO ECCLESIAE COLLEGIATAE EJUSDEM S. MONONIS NASSONIEN. QUAM VITAM FIDELITER EXSCRIPTAM NOBIS TRANSMISIT DOMINUS JOANNES CHARLIER EJUSDEM ECCLESIAE PRAEPOSITUS. DICTIONEM TAMEN SUBINDE MUTAVIMUS, QUAM IN ALIO MS. CODICE INVENIMUS LATINIOREM.

Passus est ante medium sec. VII — Hibernus.

PROLOGUS AUCTORIS

Quotiescumque, fratres carissimi, unice percolendi, ortum, vitam, et obitum digne recolimus Sanctorum, quorum memoria redolet pretiosa, toties fructum salutis nostris miseriis credimus affuturum. Quapropter sanctissimi patroni nostri Mononis, Martyris scilicet egregii, nostrae fragilitati specialiter a Domino bonorum largitore praedestinati, ortum, vitam, ac martyrii palmam, secundum sermonis nostri ariditatem aliquantulum recitantes, eodem Christo Domino propitiante, aggredimur describere.

§ 1. Fuit igitur sanctus Monon de occiduis mundi partibus oriundus, videlicet ex Scotia, quae multos sanctorum velut stellas lucifluas ad diversas mundi transmisit partes, ut fuit pretiosus confessor Furseus, quem Parrona retinet laeta, cum fratre suo Ultano; et Foillanus eorum frater, magni meriti vir, cujus praesentiâ castrum congaudet Fossense; sanctus quoque Bertuinus; sanctus Fredegandus; necnon sanctus Eloquius confessor magnificus, quem Walciodorum * veneratur coenobium; aliique complures Sancti, quorum numerum et nomina sanctae praedestinationis continet liber. Huic ergo memorato Mononi post vigilias nocturnales, quibus Deus velut miles invictus serviebat, cum se sopori dedisset, nuncius coelestis affuit in haec verba: « Monon,

* Gallice, *Waulsort*, in provincia Namurcensi.

serve Dei fidelis, mandat tibi Altissimus coelorum possessor, ut Gallias ìmpiger adeas, locumque in silva Arduenna, cui nomen Fridier, perquiras, quem fons Nasania leniter irrigat, ibique locum tuae habitationis vendicabis, donec generalis dies examinis, peccatoribus reatus sui tormentum, justis vero ac tibi aeternae vitae bravìum pro labore redditurus est. » Qua visione vir Dei sollicitus petiit, ut si a Deo haec esset visio, secundo ac tertio sibi appareret: quod et ita factum est. Nec mora, jam de Angelica visitatione certior factus, sumptis necessariis quibus indigebat, iter suum vir justus arripuit, hunc psalmi versum decantans: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die* (*Psal.* 24). Huic tamen sedit in voto prius limina Apostolorum Petri et Pauli invìsere, quatenus eorum fretus auxilio, postmodum in locum sibi destinatum felici perveniret omine.

§ 2. Eâ vero tempestate, dignae memoriae Joannes, dictus ob morum simplicitatem Agnus (cujus possessio paterna fuerat villa Tihancia * juxta Hoyum castrum sita), cum benedictione Apostolica Romae accepta, jam transgressis in redeundo alpium jugis, Tongrensis Episcopii partes repetebat, viro sancto factus est obvius, Mononus scilicet jam Levitico ordine sublimato: a quo auditis sui itineris causis, et quid inde esset acturus, benedictionem ei elargitur, demandans tamquam fidissimo ex mutua collocutione facto amico, ut in redeundo pallium Episcopale, quod ex maturandi itineris anxietate intermiserat, sibi fidelis deferat bajulus. Locum autem a Deo sibi designatum ad se revertenti promisit certius se ostensurum, suumque illi consilium et auxilium, prout tempus et ratio exposceret, in omnibus praebiturum: quod ita factum constat: nam reversus, a praedicto Joanne Episcopo venerabiliter susceptus est. Quantus vero qualisve postmodum fuerit in famulatu praelibati pontificis, breviter enarrabimus. Fuit namque dapsilis et largus in pauperes, pernox in orationibus, jejuniorum executor laudabilis, pacis amator praecipuus, proximorum defensor promptissimus, ac Dei amator ferventissimus. Quid plura? Quicquid in servis Dei attenditur laudabile, loco in isto ejus famulo ubertim crescebat quotidie, intantum, ut consodales ejus videntes talia in Dei homine dona, inde pessumdati sunt ad pejus, unde sublimari debuerant in melius.

§ 3. Hic vero Dei justus, inter ista non ìmmemor visionis nocturnae divinitus sibi factae, cum licentia praescripti Episcopi èxpetit locum ab Angelo praesignatum, quem truncis ac vepribus pro posse mundatum in oratorium commutavit et consecravit, ubi congrue Deo redderet solemnia precum vota. Huic operi sic incumbenti obtulit Christi miseratio largiflua levamen amabile,

* Gallice, *Thiance*, vicus ad dextram Mosae. — Hoyum, gall. *Huy*.

videlicet nolam * ferream, in viri Dei praesentia a porco de terra effossam, quae adhuc in sua dependet ecclesia. Quo dono non parum laetificatus, agnovit intrepidus, pium Jesum inchoato operi benigne favère. Mox fama quietis nescia circumquaque volitans, pagenses excitavit non mediocriter, ut huic Dei homini adhaereret, quorum ope et labore nimium sustentatus erexit aediculam, divitiis quidem seculi vacuam, sed virtute supera plenam. Nam promerentibus ejus meritis vivacibus, multorum languentium corpora inibi sua offerentium munera, ex integro sospitati restituta sunt. Verum hostis humani generis supra modum indigne ferens, etiam locum istius erèmi titulo Christianitatis a justo viro sic nobilitari, anxius quid ageret, qualiterve coeptum opus interrumperet, secum tractabat. Tandem face accensus invidiae, qua protoplastum patrem nostrum Adamum, proh dolor! expulit ab horto deliciarum, appulit sibi suae voluntatis compotes, scilicet latrones sicarios, quos jamdiu sibi obsecundantes sciebat aegre ferre, quod vir totius sanctitatis exemplar, lustra suarum inhabitaret silvarum. Sine mora igitur irruentes, pestiferoque cuneo perstrepentes, crudeli morti mancipant Sanctum Dei. Sic martyr effectus gloriosus Monon, calcato mundo cum suis concupiscentiis, indefectivis fruitur gaudiis, conspiciens cum Angelis desiderabilem vultum Dei, associatus haud dubio Prophetarum choris, Apostolorum collegiis, Martyrum dignitati, Confessorum sodalitati, Virginum dulcisonis choreis.

§ 4. Quae res postquam vicinorum gravissimo pèrculit aures nuncio, accurrentes, ac Sanctum Dei letali affectum vulnere conspicientes, lacrymarum rivulos prae dolore abunde effuderunt; gaudebant tamen spiritu, quod in suis confiniis talem merebant habere patronum ac tutorem apud Dominum, vigilantissimum. Inde quamplurimi Martyris pretiosi locum adeunt, quem undique sentientes divino lumine illustrari, gloriosas exequias celebrant, ac corporis thesaurum incomparabilem invictissimi testis Christi sepulturae tradunt, candidis undique (ut decebat) honorificatum ornamentis. Quo loco quot postea derivarint beneficia Dei in aegrotantium membra, claudorum scilicet, caecorum, aridorum, febricitantium, aliisque plurimis detentorum doloribus, nullus sermo noster ad dicendum sufficit.

§ 5. Beatus vero Joannes memoratus Episcopus, ad exemplum sequentium adhuc superstes, indoluit Servum Dei sibi in familitio devinctum a conversatione hominum, quos sanctis monitis informabat, exemploque dignos Deo reddebat, sic vitae transitoriae insperato percurrisse stadium : quamvis sciret, potius ei congaudendum jam in coelestibus immortalitatis gloria coronato. Hic autem, cooperantibus fidelibus vicinis, basilicam condecentem sibi aedificavit, quam in honorem beatae Mariae semper virginis

* Seu, italice *campanello*, gall. *clochette*.

ac matris Dei consecratam, ab omni exactione liberam. Episcopali auctoritate, in sua provinciali synodo, perpetuo esse decrevit. Et ne ex tunc deesset officium sacerdotale in ecclesia Hoyensi et villa Amania, ad persolvendum divinum officium sacerdotes instituit, qui per vices sibi mutuo succedentes Missarum solemnia ad honorem praedicti Martyris, Deo persolverent, quousque per temporis intervalla eadem ecclesia ex fidelium donatione proficiens, propriis stipendiis cultui divino sufficeret. Haec autem sacerdotalis successio eodem in loco duravit a tempore D. Joannis praedicti Episcopi usque ad tempus Pipini III, qui regnum Francorum adeptus, deficiente regiâ stirpe Clodovei, a Papa Zacharia unctus est in Regem ob defensionem Romanae Ecclesiae. Hic itaque Pipinus Rex, dum inter venandum Arduennensem perlustraret silvam, Deo disponente ad ecclesiam sancti Mononis devenit, eamque (ut erat vir magni affectus erga Deum et Sanctos ejus) devotionis causâ oraturus intravit. Qui, vis miraculorum monimentis ex infirmorum curatione ibidem relictis, summopere admiratus est sancti Martyris virtutes; ac prostrato corpore, devote exorabat ejus apud Deum suffragia. Atque ut ibidem relinqueret memoriam sui regalis beneficii, per pileum quod capite gestabat, auro gemmisque ornatum, omnes decimas quas habebat inter fluvium Urtam et Letiam, perpetuo jure tradidit beato Mononi possidendas *. Ipsumque pileum, in testimonium hujus largitionis suae, in eodem loco servandum reliquit. Atque exinde facta est ecclesia collegiata, constitutis ibidem Canonicis, qui tempore diurno ac nocturno persolverent odas Domino, ejusque glorioso Martyri Mononi, orantes pro felici statu regni Francorum, maximeque pro salute Regis Pipini, cujus munificentiâ dotata est et exaltata eadem ecclesia: praestante et adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnat Deus in omnia secula, Amen.

Praescripta omnia cantantur in lectionibus matutinalibus praenominatae ecclesiae sancti Mononis, in festo ejusdem et per octavas: habenturque in libro Lectionum ex pergameno laudabiliter conscripta, qui conservatur in eadem ecclesia Nassoniensi.

* Gallice, *Ourthe* et *Lessae*, rivi, qui ex Arduenna silva scaturiunt.

videlicet nolam * ferream, in viri Dei praesentia a porco de terra effossam, quae adhuc in sua dependet ecclesia. Quo dono non parum laetificatus, agnovit intrepidus, pium Jesum inchoato operi benigne favère. Mox fama quietis nescia circumquaque volitans, pagenses excitavit non mediocriter, ut huic Dei homini adhaereret, quorum ope et labore nimium sustentatus erexit aediculam, divitiis quidem seculi vacuam, sed virtute supera plenam. Nam promerentibus ejus meritis vivacibus, multorum languentium corpora inibi sua offerentium munera, ex integro sospitati restituta sunt. Verum hostis humani generis supra modum indigne ferens, etiam locum istius erèmi titulo Christianitatis a justo viro sic nobilitari, anxius quid ageret, qualiterve coeptum opus interrumperet, secum tractabat. Tandem face accensus invidiae, qua protoplastum patrem nostrum Adamum, proh dolor! expulit ab horto deliciarum, appulit sibi suae voluntatis compotes, scilicet latrones sicarios, quos jamdiu sibi obsecundantes sciebat aegre ferre, quod vir totius sanctitatis exemplar, lustra suarum inhabitaret silvarum. Sine mora igitur irruentes, pestiferoque cuneo perstrepentes, crudeli morti mancipant Sanctum Dei. Sic martyr effectus gloriosus Monon, calcato mundo cum suis concupiscentiis, indefectivis fruitur gaudiis, conspiciens cum Angelis desiderabilem vultum Dei, associatus haud dubio Prophetarum choris, Apostolorum collegiis, Martyrum dignitati, Confessorum sodalitati, Virginum dulcisonis choreis.

§ 4. Quae res postquam vicinorum gravissimo pèrculit aures nuncio, accurrentes, ac Sanctum Dei letali affectum vulnere conspicientes, lacrymarum rivulos prae dolore abunde effuderunt; gaudebant tamen spiritu, quod in suis confiniis talem merebant habere patronum ac tutorem apud Dominum, vigilantissimum. Inde quamplurimi Martyris pretiosi locum adeunt, quem undique sentientes divino lumine illustrari, gloriosas exequias celebrant, ac corporis thesaurum incomparabilem invictissimi testis Christi sepulturae tradunt, candidis undique (ut decebat) honorificatum ornamentis. Quo loco quot postea derivarint beneficia Dei in aegrotantium membra, claudorum scilicet, caecorum, aridorum, febricitantium, aliisque plurimis detentorum doloribus, nullus sermo noster ad dicendum sufficit.

§ 5. Beatus vero Joannes memoratus Episcopus, ad exemplum sequentium adhuc superstes, indoluit Servum Dei sibi in familitio devinctum a conversatione hominum, quos sanctis monitis informabat, exemploque dignos Deo reddebat, sic vitae transitoriae insperato percurrisse stadium : quamvis sciret, potius ei congaudendum jam in coelestibus immortalitatis gloria coronato. Hic autem, cooperantibus fidelibus vicinis, basilicam condecentem sibi aedificavit, quam in honorem beatae Mariae semper virginis

* Seu, italice *campanello*, gall. *clochette*.

ac matris Dei consecratam, ab omni exactione liberam. Episcopali auctoritate, in sua provinciali synodo, perpetuo esse decrevit. Et ne ex tunc deesset officium sacerdotale in ecclesia Hoyensi et villa Amania, ad persolvendum divinum officium sacerdotes instituit, qui per vices sibi mutuo succedentes Missarum solemnia ad honorem praedicti Martyris, Deo persolverent, quousque per temporis intervalla eadem ecclesia ex fidelium donatione proficiens, propriis stipendiis cultui divino sufficeret. Haec autem sacerdotalis successio eodem in loco duravit a tempore D. Joannis praedicti Episcopi usque ad tempus Pipini III, qui regnum Francorum adeptus, deficiente regiâ stirpe Clodovei, a Papa Zacharia unctus est in Regem ob defensionem Romanae Ecclesiae. Hic itaque Pipinus Rex, dum inter venandum Arduennensem perlustraret silvam, Deo disponente ad ecclesiam sancti Mononis devenit, eamque (ut erat vir magni affectus erga Deum et Sanctos ejus) devotionis causâ oraturus intravit. Qui, vis miraculorum monimentis ex infirmorum curatione ibidem relictis, summopere admiratus est sancti Martyris virtutes; ac prostrato corpore, devote exorabat ejus apud Deum suffragia. Atque ut ibidem relinqueret memoriam sui regalis beneficii, per pileum quod capite gestabat, auro gemmisque ornatum, omnes decimas quas habebat inter fluvium Urtam et Letiam, perpetuo jure tradidit beato Mononi possidendas *. Ipsumque pileum, in testimonium hujus largitionis suae, in eodem loco servandum reliquit. Atque exinde facta est ecclesia collegiata, constitutis ibidem Canonicis, qui tempore diurno ac nocturno persolverent odas Domino, ejusque glorioso Martyri Mononi, orantes pro felici statu regni Francorum, maximeque pro salute Regis Pipini, cujus munificentiâ dotata est et exaltata eadem ecclesia: praestante et adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnat Deus in omnia secula, Amen.

Praescripta omnia cantantur in lectionibus matutinalibus praenominatae ecclesiae sancti Mononis, in festo ejusdem et per octavas: habenturque in libro Lectionum ex pergameno laudabiliter conscripta, qui conservatur in eadem ecclesia Nassoniensi.

* Gallice, *Ourthe* et *Lesse*, rivi, qui ex Arduenna silva scaturiunt.

VITA

S. PETRI DE ALCANTARA CONF.

EX BULLA CANONIZATIONIS A CLEMENTE PP. X, ANNO 1670 EDITA *

Obiit anno 1562 — Hispanus.

Clemens episcopus, servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

PROOEMIUM. Romanorum gesta Pontificum (praesertim majorem Dei gloriam ac Sanctorum ejus laudes et honorem concernentia), super quibus, illorum superveniente obitu, litterae apostolicae confectae non fuerunt, recenseri justum reputamus et rationi cònsonum, ut illa universis christifidelibus innotescant.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa IX, praedecessor noster, devotae considerationis indagine pèrscrutans, quod inter coelestes heroës, quorum eximia vitae sanctitas rite comprobata promeretur singularem christianae reipublicae cultum, illis praecipue Sancti nominis immortalitatem Apostolica Sedes decernere consuevit, quorum honor cum eximiâ sit populorum utilitate conjunctus. Hinc illi, qui peculiari alicui vitae instituto ìdeam sanctitatis exhibuerunt, et sacrorum praesertim Ordinum fundatores insigni virtute ac prodigiis illustres, libentissime sacras ad aras accipiuntur; quibus junguntur ii, qui religiosas familias jam virtute florentes ad severiorem disciplinam revocarunt, et ad sanctioris instituti studium ab excelsâ virtute commendati invitarunt; quorum merita èxigunt ut Sanctorum albo adscribantur. Magna siquidem haud dubium est, in sacram eorum militiam atque in universam Ecclesiam commoda profectura, quam egregio exemplo ad sanctitatem ardentius provocabunt. Quamobrem, cum sanctissimus Deoque gratissimus vir Petrus de Alcantara optime meritus sit de christianâ republicâ, eo quod inculpatam religione et doctrinâ sancti Francisci familiam foetu novae prolis adauxerit, eamque, jam per Hispaniae et Indiarum regna dilatatam, per semitas strictissimae paupertatis ambulare docuerit, et omnibus Christi fidelibus praebuerit exemplar incredibilis poenitentiae cum summâ innocentiâ conjunctae,

* Qui Sanctorum numero Petrum de Alcantara inscripsit fuit Clemens Pp. IX, anno 1669; sed Bulla canonizationis, quam ipse confecerat, nec, morte praeventus, expedire potuit, a Clemente Pp. X, ejus successore, edita fuit.

deesse illi non debeat sancti nominis gloria, et populo christiano insigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutem incitamentum. Gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens praedecessor, qui sibi hanc mentem inspirasset decernendi supremos honores huic Viro admirabili, quem praecipuo cultu venerabatur, et a quo salutarem opem in maximis hisce infelicium temporum discriminibus, praesertim contra superbiam et ferociam Turcarum, implorabat. Ut autem celeberrima Petri sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur, et ejus eximias virtutes universis Christifidelibus imitandas exhiberet, ac illius in terris admiratione dignam et laudabiliter transactam vitam explicaret, sic proponere decreverat:

§ 2. Exortus in lucem erat sanctissimus hic vir Norbae Caesareae, vulgo Alcantarae, in Baeturia Hispaniarum regione, anno reparatae salutis MCDXCIX, ex parentibus genere ac pietate nobilibus, Petro Garabito et Maria Villela, idemque Petri nomen, quod in sacrâ familiâ perpetuum illi fuit, sacro e fonte susceperat. Ab ineunte aetate ambulans in innocentiâ, vitans lubrica et voluptatibus obnoxia, et hominum commercium fugiens, contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut amore coelestium incensus, aliquando extra se raperetur: ideoque, sapientiâ crescens et gratiâ, mensuram aetatis moribus senilibus excedebat. Studium litterarum ingressus acri ingenio ingentem spem suis parentibus et magistro indidit. Quia vero noverat sapientem futurum, qui cum sapientibus graditur, religiosorum virorum consortio delectabatur, ac, divinae praesertim inhians sapientiae, sacros avidissime quaerebat libros, a profanis abhorrens. Et quoniam ab infantiâ secum creverat misericordia, omnibus se charitatis operibus assidue dabat; infirmos proinde, in carcere positos, et egenos quantum poterat sublevabat. Cum autem in alios pius esset et misericors, sibi tamen ex tunc incipiebat esse austerus; nam non solum singulari abstinentiâ sensuales appetitus frenare, sed et levissimos quoscumque defectus flagellis asperis consueverat expiare.

§ 3. Licet autem, etiam dum in seculo versaretur, animo coelum recoleret, magis tamen ac magis abundans in scientiâ et in omni sensu probavit potiora; et, annum aetatis sextumdecimum ingressus, in custodiâ S. Evangelii seu Extremadurae (quae nunc S. Gabrielis provincia dicitur) fratrum Minorum Discalceatorum habitum et evangelicam vivendi formam suscepit. Quod consilium insigni prodigio approbavit Deus. Cum enim festinanti ad religiosi Ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tunc forte imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas esset, effusus in preces, in alterâ se ripâ divinitus constitutum extemplo reperit Petrus. In coenobio tam magnos in virtute statim progressus fecit, ut initio tirocinii emeritis Christi militibus eminèret,

ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosternens se. Praecinxit illum Deus virtute, et posuit immaculatam viam ejus; paupertate, religiosae disciplinae rigore, rarâ oculorum modestiâ, incredibili siti cruciatuum magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

§ 4. Solemnem professionem, expleto tirocinii anno, emisit, et sese èlevans supra se, humana omnia transcendens et anhelans ad coelestia, oculis tamen in terram semper dejectis, ignorabat an chorus ecclesiae (quem perpetuo adibat) fornice obductus esset, an laqueari; an cellula sua ex lapidibus, an ex lignis constaret; et exactis in quodam sui Ordinis coenobio tribus annis, fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens per triennium quosdam in ore lapillos detulit, ut vel sic loquendi pruritum coërceret. Senili prudentiâ juventutem supergressus, vigesimo aetatis anno, praeter sacri Ordinis morem, custos coenobii Sanctae Mariae Angelorum renunciatus est; ubi tot charismatum dona coelitus illi collata sunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruscaret. Cum enim annona omnis defecisset, ac fratres ègredi ad petendam eleemosynam prohiberentur altissimâ nive conventum obsidente, conqueri de Petro coeperunt, qui etiam rigente hieme ipsis cogitare de crastino vetuisset, quidquid mensae supererat quotidie in pauperes distribuere consuetus. At ille, certo sciens enutriendos esse qui jactant cogitatum suum in Domino, jussit ad ostium puerulos pergere, ubi, super acervum nivis postibus haerentem, praegrande canistrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, et itinere altâ nive òbsito, nonnisi ab angelis eo delatum: quam divinae providentiae curam aliis quoque vicibus est expertus.

§ 5. Sed mirabilior erat Petri vita, quae ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad sanctitatem. Pro quovis praeconio sufficeret referre illa, quae de hoc viro sanctissimo dixit sanctissima pariter virgo Teresia Carmelitarum Reformatorum parens, videlicet, ne momento quidem diei ac noctis Petrum ab oratione cessasse; et, ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tantum indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Teresiâ teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depressa erat, ut flexis genibus et curvis semper humeris in illâ haerere cogeretur. Per quadraginta annorum decursum sesquihoram tantum somno concessit. Jejunium amavit adeo ut ad triduum ordinarie, et ad octo aliquando dies inediam protraxerit; asperrimo praeterea cilicio armatus, bracteâ ferreâ per viginti annos praefixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissime animadvertens, itinera, quamvis longissima atque asperrima, capite semper detecto, nudisque pedibus per aestus et

frigora suscipiens; ita ut, cum nudum caput imbribus et nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, et aestate praefervidâ exurentibus solis radiis capite vehementissime cruciaretur; respondere solitus interrogantibus cur, detecto capite, semper incederet: *nefas esse coram Deo tecto capite ambulare.* Cum vetustum ac vilem saccum abluebat, madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente hieme sese plerumque injiciebat. Praeter haec, familiare illi erat, hieme summâ, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram et januam cellae reserare, ut, frigidissimo excepto aëre et gelu, acrius torqueretur caro, mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram clausisset et januam. Eo devenit hac saevâ maceratione membrorum, ut, ex narratione sanctae Teresiae, arido et exangui corpore radicum arboris speciem exhibuerit; oculis autem in caveam recedentibus, et sulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile poenitentiae simulacrum videretur.

§ 6. Ex hac eximiâ vitae sanctitate vires hausit ad egregia quaevis praestanda in honorem divinitatis, eaque prodigioso morum suorum exemplo assequi potuit. Latère ille quidem praeoptasset, et, paternam sancti Francisci humilitatem secutus, regale sacerdotium formidasset accipere, nisi ad illud superiorum imperio coactus fuisset. Itaque, non sumens sibi honorem, sed vocatus a Deo tamquam Aaron, sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus viderentur fons hortorum et puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. Jussus etiam est suggestum ascendere, ac verbi divini panem ex tempore populis esurientibus frangere: cumque de ore ejus erumperent quasi sagittae potentis acutae, innumeros felicissime sauciatos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii Dei. Praeterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo infimi et populares, sed etiam nobiles ac principes viri; quos mirâ suavitate et efficaciâ verborum ad salutarem poenitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V Caesarem declinavit, captus amore solitudinis et demissionis, ac metu discriminum aulae regalis.

§ 7. Plura coenobia sui Ordinis sanctissime temperavit, videlicet illud S. Honuphrii in provinciâ S. Gabrielis, S. Michaëlis Placentiae, aliaque. Subinde provinciae definitor et custos, ac deinde omnium suffragiis in provincialem electus est provinciae S. Gabrielis; cujus regimini sedulo incumbens exemplis et verbis, quasdam edidit constitutiones, quibus strictioris observantiae nitor refloreret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Arabidorum provinciam juvaret et promovèret. Cum autem arctiorem sui Ordinis disciplinam vigère desideraret et longius extendi, superatis gravissimis difficultatibus, divino munitus praesidio, et apostolicâ fretus auctoritate, primum novae reformationis

coenobium angustissimum et pauperrimum sub Immaculatae Conceptionis titulo, prope Pedrosum Cauriensis dioecesis in Baeturia, vulgo Extremadura, oppidum, construxit: ubi cum paucis sociis apostolicam sui patris Francisci vitam renovavit. Hinc, a Paulo IV summo Pontifice, ejusdem Clementis ac nostro praedecessore, commissarius generalis novae reformationis institutus, alios aedificavit conventus; ex quibus et quibusdam aliis ejus se regimini ultro subdentibus provinciam S. Josephi fundavit. Mox, destinatis ad regnum Valentiae sociis, provinciae S. Joannis Baptistae fundamenta jecit. Ac tandem illud strictissimum vitae genus in varias Hispaniae provincias ad Indias et Japonium usque feliciter dilatatum est, ubi ex ipsâ reformatione multi martyrio coronati sunt. Sanctam quoque virginem Teresiam in stabiliendâ Carmelitarum reformatione indefessus adjùvit, ita ut, ipsamet testante, recentis illius propaginis sit praecipuus promotor existimandus. Et revera multas pro re tantâ peregrinationes suscepit et labores tulit; immo et absenti opem et consilium laturus aliquando miraculose apparuit.

§ 8. Quam gratum acciderit Deo studium hoc observantiae strictioris, et quanto haberi vellet in pretio seraphicum zelum hujus Viri, Deus ipse prodigiis ingentibus comprobavit; cum, non solum rapidissimas Tagi et alterius fluminis aquas siccis ipse pedibus aliquando transivit, sed et puer, qui asello insidens canistrum panibus refertum ad illum et fratres deferebat. Petri de Alcantara nomine invocato, jumentum impulit in flumen, quod solidum ac tutum supra suas aquas ingressum eidem praebuit. Cum Joannes de Neira, Petri in itinere socius, inediâ et siti confectus pene decideret, in loco, ubi ad orandum sanctus hic Vir se composuerat, fons illico erupit, et panis cum pisce ad esum paratus apparuit. Infixus ab eo terrae aridus baculus in viridem ficulneam excrevit, cujus fructus etiam nunc aegris salutem redonant. Atrocem pertinacis mulieris injuriam non modo patientissime toleravit; verum etiam, flexis coram eâ genibus, pro culpâ, quam non patrarat, humillime deprecatus est. Semel crucem in horto Pedrosi devotis oculis contemplans, sursum ferri et in aëre coram ipsâ suspendi et lucidissimos quoque ex oculis radios in eamdem crucem emittere visus est, candidàque nube caput ejus circumdari. Quemdam adolescentem benedictionem suam enixe efflagitantem, cum ab urbe quamprimum recedere decrevisset, de gravi discrimine quod illi imminebat in haereticam quamdam opinionem incidendi praemonuit. Scholarem alium respiciens, mundo quamprimum renunciaturum sacrumque religionis habitum suscepturum divinitus agnovit. In magnâ siccitate precibus suis copiosum a Deo imbrem obtinuit. Accensum ignem in quodam conventu per flammas ipsas innoxius incedens sine morâ extinxit. Demersum in puteo infantem, chordâ

qua cingebatur in eum locum demissâ, mirabiliter extraxit. Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, datâ ei benedictione, protinus illuminavit. Feminam quamdam, a daemone per multum temporis deceptam, de pravâ illâ consuetudine, quam cum maligno tentatore habuerat, commonefecit et liberavit. In reditu ad conventum de Arenas a civitate Abulae òbrutus fuisset nivibus, quarum vis ingens e coelo devolvebatur, nisi ejus precibus coërcitae in aëre pendulae constitissent, et prodigiosum tabernaculi genus artificioso fornice composuissent, quo inclusus Petrus ab aliarum laesione nivium prohibebatur. Imbres quoque copiosissimi eum madefacere non sunt ausi, quod etiam, dum augustum Missae sacrificium offerret, ipsi et circumstantibus semel evènit. Corporaliter videndum se praebuit plurimis procul distantibus. Prophetico lumine remotissima locorum ac temporum spatio praedixit. Demum usque adeo fuit in deliciis Divinitati, ut omnium vota, quando Petrus intercessorem exhiberet se, implenda esse professus fuerit sanctae virgini Teresiae, ut ipsamet sibi semper accidisse fatetur. Et illius quidem preces adeo incensae erant igne divino ut inter orandum brachiis in modum crucis expansis in altum saepissime ferretur, ac dum sacrum faceret elevari in sublime coram populo aliquoties conspectus fuerit; immo tanta ejus erat assiduitas orationis, ut nunquam ab eâ cessaret, et intuentibus ipsum homo alterius seculi videretur.

§ 9. Edoctus ergo, etiam dum in terris agebat, ad coelum evolare, tandem meritis plenus, aetatis anno sexagesimo tertio in febrim ac dolores molestissimos incidit. Augebatur simul cum aegritudine hilaritas Petri, prohibentis religiosam suam familiam a lacrymis, in quas ob amittendum amantissimum parentem agebatur. Ecclesiae sacramentis rite susceptis, ac praedictâ mortis horâ, non jacens, sed humi erectus in genua, in altissimam extasim raptus, ac deinde sensibus restitutus: *Laetatus sum* (inquit) *in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus;* et, manu fratribus benedicens, ita illos est allocutus: « Non intuemini, fratres mei, SS. Trinitatem, et dominam meam gloriosissimam Virginem Mariam et sanctum Joannem evangelistam? » Quibus dictis, adhuc excepto genibus corpore, migravit animo in coelum, et sancta Teresia, procul distans ab oppido de Arenas in quo Petrus decesserat, illum vidit recto et lucido tramite delatum ad sempiternam felicitatem; ac saepe postea eidem oranti apparuit plenus immensâ gloriâ et purissimae lucis radiis circumfusus. Corpus vero pulcherrimum, coelesti quodam colore perfusum, oculis apertis et miro splendore radiantibus, suavissimo de membris odore manante, intuentes replebat admiratione, utque fidelium adventantium devotioni satisfieret, in eminentiori extra portam loco expositum fuit, ad cujus conspectum populus suspiriis ac vocibus Sanctum inclamabat, auxilium ab eo petebat, vel

minimam habitus particulam pro summo quilibet bono reputabat. Inde processum est ad funus, numeroso populo cum facibus ac candelis accensis sacrum depositum comitante. Contigit autem inter caetera notabilia quod coelum imbre ac vento furens, delato in medium corpore, subito placaretur, dum in circuitu omnia streperent et inundarent, ita ut a valetudinario, in quo decesserat, usque ad conventum, duobus milliaribus distantem, quieto coelo, omnes immadefacti processerint, et ceram pro funere honorando accensam in tanto spatio nihil imminutam repererint. Ejus corpus, in ecclesiâ fratrum Minorum Discalceatorum depositum, singulari populorum veneratione invisitur. Excessit anno salutis MDLXII, XVIII die octobris.

§ 10. Plurimis etiam post mortem miraculis coruscavit. Alphonsus Sanchez faber lignarius, fracti cruris integrandi mortalem * omnem spem projecerat; sed ad sepulcrum Petri momento temporis convaluit. Laborantem exitiali morbo Mariam de Paramo, et a medicis desperatam, haustus aquae, reliquiarum Petri contactu sacrae, dicto citius integrae sanitati restituit. Sacramento Extremae Unctionis munita jam erat Maria Velasquez, quae Petri opem exposcens illico surrexit incolumis. Franciscus Ramirez sexennis puer, cruribus contractus, oleo lampadis ante Petri sepulcrum lucentis inunctus, repente sanatur. Baltasari Rodriguez sexenni puero, fracto utroque latere, ac defluentibus intestinis pene confecto, effusae ante Petri sepulcrum preces saluti fuerunt. Francisca Martinez triennio claudicans, quae, desperatâ fracti pedis salute, genibus et manibus reptaverat ad Petri sepulcrum, incolumis, et solido pede innixa, regressa est domum. Utràque aure surdus Bartholomaeus Garzia, contactu aquae, cui fuerant admotae Petri reliquiae, recuperavit auditum. Et eodem contactu visum momento recepit Isabella Gonzalez a tribus mensibus caeca. Et foedo apostemate laborans in dextro genu Joannes puer bimus repente convaluit.

§ 11. Jacuit autem Petri corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat; sed, cum undique ad illud ex totâ conflueretur Hispaniâ, episcopi Abulensis auctoritate in locum decentiorem a religiosis conventus de Arenas translatum est, et oleo similem liquorem distillans repertum, candidis velis fuit involutum, retentâ quadam reliquiae particulâ, et in arcâ prope altare majus iterum muro inclusum.

§ 12. Gratias igitur immortales agebat omnipotenti Deo idem Clemens praedecessor noster, et in illo cor suum exultabat, quod, nullis ejus suffragantibus meritis, sed altitudine divitiarum sapientiae et scientiae suae, hanc servi sui Petri de Alcantara canonizationis solemnitatem per ejus humilitatis ministerium ad sui nominis gloriam et catholicae fidei exemplum voluerit celebrari.

* Legendum est forte *moralem*.

Cum enim, praeter eximia prodigia quibus Petri vita effulsit, post mortem etiam quamplurimis aliis miraculis ejus sanctitatem testaretur Deus, aditus aperiebatur ad sacros honores Petro deferendos.... Deo igitur optimo maximo, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, gratias agere eumdem Clementem praedecessorem nostrum decebat: qui benedixit hunc servum suum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso et curreret in via mandatorum divinorum dilatato corde ab eximia charitate; cumque illum divina pietas huic nostro seculo indulserit, qui antiqua prodigia sanctitatis instauraret, eumdem singulari cultu prosequeretur, ejusque auxilium in hisce christianae reipublicae necessitatibus enixius imploraret.....

MARTYRIUM SS. PTOLOMAEI ET LUCII

AUCTORE B. JUSTINO PHILOSOPHO ET MARTYRE *

EX APOLOGIA I. PRO CHRISTIANIS, INTERPR. JOACH. PERIONIO BENEDICT.

Passi sunt, Romae, versus annum 165.

§ 1. Ut eorum omnium, quae Urbicio praefecto gesta sunt, causam perspiciatis, rem, ut gesta est, narrabo. Mulier quaedam viro, qui libidini deditus erat, nupserat. Ea cum antea libidinose vixisset, posteaquam Christi praecepta et disciplinam cognita habuit, se ad meliorem frugem mentemque convertit, viroque ut idem faceret, suadere conabatur praeceptis proferendis, proponendaque poena, quae in aeterno igne maneret eos, qui non pudice, nec ex ratione recta degerent. Ille autem, qui in eadem libidine perstaret, factis suis uxorem a se abalienabat. Nefas enim et impium rata mulier, deinceps cum viro habitare, qui contra legem naturae et contra jus, viam libidini ac voluptati omni ex parte patefacere studeret, a conjugio disjungi separarique constituit. Cumque ab eo proposito abduceretur a suis, qui ei etiam manendum suaderent, quod spes esset, fore ut aliquando vir ejus vitam moresque mutaret, vim sibi inferens, invita mansit.

§ 2. Postea vero, quam vir Alexandriam profectus, graviora et indigniora scelera admittere renunciatus esset, ne socia et particeps ejus scelerum flagitiorumque fieret, si in conjugio maneret, victuque communi uteretur, et in eodem lecto cubaret,

* De S. Justino Mart. vide *Surium*, Vol. IV.

dato eo, quod apud nos repudium * dicitur, separata est. Praeclarus autem ejus vir, qui laetari debuisset mulierem, quae libenter jampridem cum servis ac conductis operis, ebrietate omnique scelere se oblectans fecisset, ea quidem facere destitisse, seque ab eis abstinere voluisse, cum ipse nollet, eam se a conjugii nuptiarumque jure ac foedere distraxisse: eam in crimen vocavit, et accusavit, quod esset Christiana. Ac illa quidem libellum tibi, Imperator **, attulit, petens ut sibi rebus suis consulere liceret: deinde objecto crimini se responsuram, cum rebus suis consuluisset, promisit, idque concessisti. Tum vero ille, qui aliquando vir ejus fuerat, cum jam nihil in praesens in eam dicere posset, in Ptolemaeum quemdam, in quem Urbicius animadvertit, quemque praeceptorem in Christiana disciplina illa audiverat, impetum fecit hoc modo: Centurioni, qui Ptolemaeum in vincula conjecerat, et quem amicum habebat, persuasit ut ex Ptolemaeo hoc unum quaereret, num esset Christianus. Ptolemaeum veritatis studiosum, non fraudulentum, neque mendacem, cum Christianum se esse professus esset, in vinculis Centurio esse voluit, eumque in carcere diuturnâ poenâ afflixit. Ad ultimum cum in Urbicii conspectum productus, simili modo hoc unum rogaretur, num Christianus esset, rursum sibi recti virtutisque ex Christi doctrina conscius, divinae virtutis disciplinam confessus est. Qui enim se esse negat, is aut rem, quam improbavit, negat; aut certe re indignum se et ab ea alienum sciens, vitat confessionem: quorum neutrum in verum Christianum cadit. Cumque eum ad supplicium Urbicius rapi jussisset, Lucius quidam, qui etiam Christianus erat, cum ita contra jus et aequitatem judicium fieri videret, his verbis cum Urbicio egit: « Quae (malum) ratio te eo insaniae adegit, ut hunc, quem nec adulterii, nec stupri, nec caedis, nec furti, nec rapinae, nec denique ullius sceleris crimine convinctum haberes, sed Christiani tantum nominis appellationem profitentem, poenâ capitis afficeres? Non judicas, Urbici, ex Pii Imperatoris, nec filii Caesaris, qui est Philosophus, nec Senatus dignitate. » Ille Lucio qui nihil aliud responderat: « Mihi, inquit, tu quoque videris esse hujusmodi. » Qui cum Maxime, respondisset, eum etiam rapi ad mortem jussit, gratiam ei se habere profitentem, quod se ab improbis talibus dominis liberatum esse sciret, et ad parentem Regemque coelorum proficisci. Tertius *** etiam alius cum accessisset, morte mulctatus est.

* Non viris dumtaxat uxores repudiare legibus concessum erat, sed et mulieribus, ut eruitur tum ex sacris, tum ex profanis scriptoribus.

** Marcus Aurelius erat, qui ab anno 161 usque ad 180 dominatus est. Ipso regnante, martyrii laureâ decorati sunt Ptolomaeus et Lucius.

*** Quisnam fuerit hic tertius Martyr, ignoratur.

MARTYRIUM SS. VARI ET SOCIORUM EJUS

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. EX TOMIS ALOYSII.

Passi sunt circa annum 307. — Aegyptii.

§ 1. Cum Maximianus * Tyrannus per universum fere orbem terrae impium edidisset edictum; misissetque etiam ad Praesides, qui erant in Aegypto, ut vel omnes in ea existentes Christiani, execranda gustarent sacrificia, et suam abjurarent fidem: vel variis tormentis et suppliciis vita eis adimeretur, et hac de causa multi fideles fuissent comprehensi; et alii quidem pro Christo mortem gloriose sustinuissent, alii autem in carceres et vincula conjecti essent, fameque et siti premerentur: vir quidam ex numero militum Aegyptiorum, qui in magno quidem erat pretio apud Maximianum, et apud ipsum exercitum, erat autem terribilis hostibus nomine Varus, genere insignis, glorià conspicuus, ac virtute clarus. Is clam singulis noctibus carcerem ingrediens, partim quidem eos curabat, qui erant in vinculis; partim autem eos rogabat, ut pro ipso orarent, quo aeque, atque ipsi, certamen perageret. Timebat enim adhuc suam aperire religionem, quod satellites impietatis, caedem et furorem spirarent adversus pios et quos deprehendissent Christianos, alios quidem igni, alios autem aliis tormentis et morti traderent.

§ 2. Cum autem Praesidi fuisset renunciatum, quod quidam ex fidelibus, qui habitabant in solitudine, comprehensi fuerant a ministris impietatis, nuncio laetatus, eos quidem jubet in praesentia includi in tuta custodia; die autem sequenti parari tormenta, et ipsos introduci ad habendam de eis quaestionem. Cum res ergo venisset ad aures beati Vari, pecunià datâ iis, qui praeerant custodiae, noctu ad eos ingreditur, et eos quidem solvit e vinculis, pedes autem e cippo amovet. Cumque eos curasset, et ut cibum sumerent effecisset, qui totos octo dies jam jejuni manserant, procidens humi, obsecrabat: « Rogo vos, dicens, germani ac sinceri Christi famuli, Deo pro me supplicate, ut me quoque eadem, qua vos, parte dignetur, et adversus mala et aspera det mihi fortitudinem. Nam ego quoque sum servus Christi, et ejus Sanctorum: sed varia et acerba supplicia et Judicum saevitia me volentem prodire in medium, abducunt, et timorem incutiunt. Orate ergo pro me, sancti Martyres, orate. Vos enim cras in Domino consummabimini. » Ad haec Sancti: « Nemo,

* Galerius Maximianus, qui ab anno 305 ad annum 308 in Aegypto et Syria supremum dominatum, ut imperator exercuit.

ajunt, o frater Vare, potest metere in exultatione, nisi prius in lacrymis semina dejecerit, et qui in eis spargendis suscipiuntur, labores sustinuerit. Similiter autem athleta quoque non coronatur, nisi prius legitime certaverit. Agedum ergo, o frater, sis nobis comes itineris, et perfectus miles Christi. Habemus enim illum ipsum, pro quo supplicia suscipimus, nos benigne e superis defendentem, et latenter nobis magnum praebentem auxilium.» Sanctis haec dicentibus, veniunt quidam milites, quibus jussum fuerat, ut eos deducerent ad Praesidem. Qui cum adspexissent beatum Varum jacentem ad pedes Martyrum, et novo spectaculo essent veluti obstupefacti, ideo benignis, ut sibi videbantur, verbis cum eo agentes: « Insanis, ei dicunt, o homo? Non times omnino, ne si haec res nota fuerit Praesidi, cum militari dignitate vitam quoque simul amittas? » Ad quos beatus Varus: « Utinam, inquit, inveniat perfectus Christianus, et liceat mihi esse horum Sanctorum socium certaminis, et in eisdem habitare tabernaculis. Persuadet autem amicitia, ut ego vobis fidam, et eorum, quae hîc dicuntur aut fiunt, nihil habeam suspectum. »

§ 3. His sic dictis, milites Sanctos, qui erant sex numero (erant enim omnes quidem septem, sed unus jam mortuus fuerat in solitudine) catenâ vinctos adduxerunt ad Presidem. Ille autem sedebat in excelso tribunali, et eum circumsistebat multitudo militum, qui omnino pendebant a verbis illius et nutu. Cum ergo jussisset eos exutos introduci, statim quidem rogavit. « Quodnam est vobis genus et quaenam conditio, quaenam autem vestra nomina? » Et responsum mox ab eis exigebat: « Praepotentem enim vobis juro, ajebat, deorum virtutem ac justitiam, quod vos adhuc superstites apponam feris edendos et canibus. » Sancti autem neque fastum tantae auctoritatis, neque verborum saevitiam extimescentes: « Nobis, dicebant, o Judex, nulla patria est in terra. Sumus enim revera hospites et advenae. Nam Christianis vera patriae et civitas in coelis est aedificata. Crede nobis haec ita se habere: minas autem tuas parum curamus: immo vero optamus, ut minae tuae non se usque ad verba solum sistant, sed ad effectum etiam deducantur. Sic enim erit manifestum nostrum in Christum desiderium; et ipse scies omnino, quale auxilium ab ipso assequamur. » Cum Sancti haec dixissent, Tyrannus conversus ad assessores: « Video, inquit, hos infelices unum et idem tamquam ex consensu meditari. Parentur ergo flagella, et eos plagae abunde excipiant. » Cum autem valde quidem verberarentur, nihil autem responderent, Judex intulit interrogationem, dicens: « Qui maxime quaeritur septimus ex vobis, ubi est? » Hoc dicto, cursim statim e turba egressus praeclarissimus Varus, stans in medio dicit Praesidi: « Ille quidem jam diu abhinc ex hac vita excessit, me autem suum

haeredem instituit. Si quid ergo ab illo debebatur, adsum ipse redditurus. »

§ 4. Audivit Praeses, et totus ad iram est conversus: « Quis hic sit, inquit, dicat, et e quanam sit legione. » Ille autem: « Ex legione quidem Tyanensi *, miles vero clarus; » respondit Praeses autem ea de causa obstupefactus: « Quis malus daemon, inquit, effecit, ut te in manifestum impelleres periculum, ut et gloriosam tuam militiam, et quam ex ea habes tesseram frumentariam, nihilifacias, et tuam animam in tanta mala injicias? » Beatus autem Varus: « Panem, inquit, qui de coelo descendit, et divinum calicem pretiosi sanguinis Christi Domini mei praetuli tuis honoribus et stipendiis: gloriam quae semper manet, ei quae fluit: et vitam, quae nunquam desinit, ei in quam cadit interitus, et est ad breve tempus. » Tunc Judex aperte ostendens se esse animo perturbatum, adspiciens ad Sanctos, concitate et acerbe dixit: « Testis sit mihi virtus maximorum deorum, vobis prius adimam in malis vitam, qui me tali milite privaveritis. Hoc enim fuerit vestrum, et non alterius. » Martyres autem verba ejus nihilifacientes: « Exspecta parumper, dixerunt, o Judex: et videbis qualia sint arma hujus militiae. Ad ordinem enim Angelorum hominem adduximus. » Hoc dicto, ille quidem conabatur persuadere Sanctis, ut assentirentur impietati, et rebus vanis offerrent sacrificium, ipse plane vanus et stolidus. Illi autem ne aurem quidem ejus verbis praebentes, contra referebant: « Dii, qui coelum et terram non fecerunt, pereant. » Post quos beatus Varus iram magis accendens Judici: « Quid, dixit, Sanctis exhibes molestiam, stulta dicens, et ad nihil utilia? Stultus autem stulta loquetur (Magnus Isaias hoc tibi dicit, et non ego): idque cum nec eos quidem contra intueri, nec cum eis omnino conferre sermonem velis, vel potius non possis. »

§ 5. Haec cum ille audiisset, non poterat amplius cohiberi, sed majore irâ plenus, jussit quidem Varum in ligno sublimem extolli. Sanctis autem dixit: « Si fuero a vestra superatus constantià, cultum quoque deorum omnino abnegabo. » Adeo res valida et acris est veritas, et quae saepe arguit animi imbecillitatem, qui non potest ejus ferre libertatem. Christi autem Martyres: « Experire, dixerunt, in hoc nostro fratre quid possis: et si eo fueris superior, fortassis, ut speras, in nobis res quoque recte succedet. » Ad haec Judex cum Sanctis quidem esset minatus gravissima, jubet in cyppum duci Martyrem; et perinde ac si existimaret non sufficere hoc supplicium adversus tam generosum, et tam bene instructum animum, jussit, ut extensus loris in terra caederetur crudeliter: deinde per quatuor viros tractum, validis clavis conteri et confringi. Forti ergo et generoso

* Vel quae ex Tyanis est. Cohortes enim a civitate, in qua conscribebantur, frequenter nuncupatae sunt, legiones non item.

animo haec mala ferens Athleta, ad Sanctos omnibus audientibus conversus: « Benedicite famulo vestro, sancti patres, inquit, benedicite. Rogate, ut mihi vires confirmentur a Domino, et me ejus dextera suscipiat. Novit enim humana imbecillitatem, qui eam ipse quoque gestare voluit, et dixit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI). » Sancti igitur, cum oculos in coelum sustulissent: « Deus, dixerunt, Deus virtutum, ipse emittet tibi virtutem ex alto, et capiti tuo imponet galeam salutis, et te induet vestimentis ultionis. Manus illius defendet te, et brachium te corroborabit, et praeclaras praebebit victorias contra adversarium. *Exsurge ergo, exsurge, induere fortitudine brachii tui* (*Isa.* LI), hoc discens a divina Scriptura, et sciens qualis ab alto adsit nobis adjutor, et qualium bonorum perceptio eos manet, qui propter illum haec pati lubenter voluerunt. » Martyr autem Christi cum interea verberaretur, et quodammodo sentiret manum opem e coelo ferentem, in exultatione animae dixit Sanctis: « Nulla propter me tristitia subeat corda vestra. Ecce enim vestrae preces, quae Deo persuaserunt, aspera tormenta plana effecerunt et levia, et molestiam mutarunt in recreationem, adeo ut nec plagas quidem sentiam. »

§ **6**. Post haec rursus aggressus est Tyrannus persuadere, et Athletam attrahere ad negandum, bona ei pollicens, et horum ipsorum, quae sustinuit, tormentorum, non in illum, sed in alios Christi Martyres culpam conferens. Postquam autem vidit Sanctum callida illius inventa amplius irridentem, ira magis accensus, jubet Varum rursus suspendi in ligno comparato ad torquedum, et eum ferreis discerpi ungulis. Cum autem Martyri dum caederetur corpus, plurimae carnes in terram caderent et illius sanguine solum cruentaretur, bonus quidem Varus, tamquam nihil patiens, erat quietus: Sanctis autem graviter affectus erat animus, et eorum viscera laniabantur propter animi consensionem. Non ferentes itaque Judicis crudelitatem: « Quid vero non intelligis, inquit, o tu, vel feris ipsis agrestior, quod et lapides et ferrum passa essent, percussa toties? » Ipse autem nec sic quidem potuit molliri; et eam rem quodammodo habuit ludibrio: « Christus, inquiens, vester accedat, ipsumque a meis liberet manibus; » nesciens stultus, quod haec ferre posse magno et forti animo, significabant illum affuisse et liberasse, et suum rorem dedisse dolorum medicinam. Beatus autem ille, etiam dum discerperetur: « Nolim, inquit, liberari ab his, quae ad tempus durant, tormentis: sed ab iis, quae manent, meus me Christus liberaverit: te autem, et tuam crudelitatem talibus merito condemnabit. »

§ **7**. Hanc judex ipso facto ulciscens orationem, in viscera martyris intulit novaculam: « Videat, dicens, execrandus ante oculos, tamquam aquam, sua effundi intestina. » Sed ne hujus

quidem tormenti acerbitas effecit, ut Christi Martyr aliquid remitteret de suâ in patiendo pro Christo constantiâ, nec ut molle aut ignavum aliquod verbum loqueretur, vel aliquod parvum, aut magnum ostenderet, quo significaret se cedere: immo majorem amorem ei in Christum accendit, et adversus graves cruciatus fecit eum ferire judicem responsis gravioribus. « Nam tu quidem, inquit, o maligne malorum daemonum administer, et hostis hominum, et qui bonis valde adversaris, mea fortasse intestina educere poteris: mei autem cordis in Christum fides mihi eripi non poterit. » Sancti autem cum vidissent intestina Martyris disrumpi, et per terram dispergi, tenere et miserabiliter flentes, Christi invocabant auxilium, pro quo haec patiebatur. In quos cum judex conjecisset oculos, et humanitatis, aut potius amoris in fratrem, signum vidisset lacrymas, quae erant in oculis, veluti quadam repletus laetitiâ: « Superati estis omnino, superati estis, inquit vociferans. Hujus autem indicium est haec magna tristitia et lacrymae. Si enim posset, inquit, vester Deus hanc, quam vos fingitis, immortalem vitam vobis praebere, quanam de causâ lugeretis amicum, qui vobis male perit? » Illi autem ei dixerunt: « Haec gutta lacrymarum naturalem significat commiserationem. Nam nos nostrâ sententiâ nunquam defleverimus fratrem, qui tali morte decedit; immo vero propter talem decessum eum beatum ducimus, et felicem vocamus, quod hoc, quod est ad tempus tormento, illud, quod semper manet, regnum conciliavit. Non hunc ergo, ut diximus, sed tuum potius deflemus interitum, et gravia mala, quae tibi sunt eventura. Christi enim lex nos jubet flere etiam pro nostris inimicis, charitatis lege et benignitatis. »

§ 8. Interim autem dum haec dicebantur Sanctos quidem rursus excepit carcer donec consideraret judex, quibusnam eos traderet suppliciis. Beatus autem Varus sublimis adhuc pendebat in ligno: sic enim jussum fuerat ut maneret, donec emitteret animam. Postquam autem vidit Sanctos vinctos, et cum custodibus duci in carcerem, magnâ voce: « Bono animo, inquit, patres mei, bono animo estote: ego enim nihilifacio, quae mihi inferuntur supplicia: sed me meo Christo commendate, et Salvatori, et confidenter ad ipsum vadam vestrarum orationum munitus praesidio. » Cum ergo quinque horis se fortiter gessisset in hoc tormento, in pace spiritum Deo committit. Eum autem adhuc vivere putantes qui praeerant tormentis, ne decaetero quidem cessarunt: sed instar corvorum torquebant etiam post mortem. Postquam vero ab ipsis cognitum fuit, et a tyranno, mortuum esse Varum, corpus deposuerunt: et cum per mediam traxissent civitatem, canibus canes exedendum tradiderunt. Atque Varus quidem talem, et tam felicem invenit exitum. Postridie autem cum sistendos Martyres curasset parricida, neque posset persuadere

(volebat enim, et omni ope contendebat conspici victor in persuadendo iis qui erant tam constantes), post multa et varia supplicia eos condemnat, ut gladio mortem subeant. Martyribus autem laeto et alacri animo consummatis, cum sacras eorum reliquias noctu quidam Christiani sustulissent, in insigni loco sancte deposuerunt.

§ **9**. Quaedam autem mulier ex iis, quae in solo Deo spem posuerant, orta in Palaestina, nomine Cleopatra, quae prope aderat, cum decertaret martyr Varus, et videbat acerba illa tormenta, quae subierat propter Christum, et in corde gravem plagam accipiebat, et magnâ afficiebatur molestiâ, Deumque obsecrabat, jejunio vacans et orationi, ut suam visitaret haereditatem ad majorum revocationem : ipsa, inquam, cum suum filium, qui primam agebat aetatem, noctu cum aliis assumpsisset, et venisset in locum, in quo jacebat corpus Martyris, id tollit, ac pretiosis unxit aromatibus, et splendidis induit vestibus. Et quoniam vehemens erat fluctus impietatis adversus Christianos, et gravia tunc capiti imminebant, timens in aperto ostendere pietatem, cum sub suum lectum tulisset quantum terrae sufficiebat, eum deponit reverenter, accedens lucem, et suffitibus, ut potuit, ei honorem tribuens. Procedente autem tempore cum idolorum marcesceret impietas, venit ei in mentem alienam dimittere regionem, et redire in patriam. Cum autem non posset corpus transferre Martyris, nisi id prius significaret Praesidi, rebus omnibus suis bene compositis, per quemdam ex iis qui adscripti erant in numerum oratorum, accedit ad loci Praesidem, et eum pecuniis aggrediens rogabat, ut sibi corpus mortuum efferre concederet. Quodnam autem esset corpus, et quisnam modus mortis explicans, dicebat suum maritum, qui primas obtinuerat partes in exercitu, multaque praeclara et insignia trophaea adversus hostes erexerat, cum in eos multa strenue et fortiter gessisset, ex hac vita excessisse, ne sepulturam quidem, quam par erat, consecutum. Hujus, inquit, ego corpus valde studeo in suam transferre regionem. Cedit itaque provinciae Praeses petitioni, et permittit ei facere quod postulabat. Illa autem sui quidem mariti corpus, qui in aliena regione diu ante e vivis excesserat, monumento mandaverat, in id injecto pulvere.

§ **10**. Cum igitur Martyris corpus sustulisset, et id rursus unxisset, et splendidius composuisset, et ne hoc Christianus quispiam scire posset, in arcâ oleaginâ imposuisset, et abscondisset (nam primum quidem timebat gentium insaniam ; deinde autem, et multo magis piorum fervorem, omnibus, ut par erat, maximo studio contendentibus, ne tollerentur reliquiae eorum, qui passi erant pro Christo), venit in Palaestinam. Cum illic fuisset in quodam vico, qui situs erat juxta Thaborium, cui nomen erat Edra, deponit divinum corpus Martyris, lampadesque accendens, et

urens multa odorifera, id habebat in omni honore. Postea videns magnam hominum multitudinem venientem ad loculum (erat enim is jam omnium sermone celebratus, et odor ejus gratiarum omnes cito vocabat, tam qui gravi aliquo morbo laborabant, quam quos maligni spiritus vexabat operatio: omnes enim per accessum ad loculum, mox liberabantur ab iis quae eis molestiam afferebant, existimavit oportere Martyri templum excitare venerandum, mulier amans Martyrum. Cum autem magno sumptu, et magna contentione urgeret aedificationem (quibusnam quidem gratiis, quanam autem cum voluptate, elegantiâ et specie illic non arridente?), ipsa referta laetitiâ (laetatur enim anima, rei pulcrae curam gerens, partim quidem, quod bono naturâ sit insitum, ut iis qui id operantur, conciliet laetitiam; partim autem etiam propter eam, quae speratur, remunerationem), pecuniam mittit ad eos, qui rerum potiebantur, petens ut honore suum dignarentur filium. Statim autem ad eam sunt missae litterae Imperatoriae, dignitatem filio tribuentes.

§ **11**. Illa vero rem quidem differt interim, ut quae in aedificando laboraret diligentissime. Cum autem finitum esset templum, idque staret extructum in honorem Martyris, convocat quidem provinciae Episcopos et presbyteros ad templi consecrationem. Convocat autem monachos etiam, qui virtute resplendebant. Et cum e loculo sacrum corpus Martyris extulisset, id in magnifico lecto praeclare deposuit. Imposuit etiam chlamydem, et zonam dignitatis, quam filius suus erat induturus, volens ut primum benedicerentur ab iis qui illuc convenerant, deinde utrumque indueret. Itaque cum pernoctem simul cum toto populo fecisset glorificationem, ipsa et filius simul subeuntes primi corpus Martyris, et id ferentes, sacrosancte deponunt in sacra ara templi. Post haec autem amans Martyrum Cleopatra, ardenter instans et lacrymans, filio suo et sibi bona fideliter petebat a Martyre. Interim autem divino ministerio sacrosancte peracto, variâ quidem et splendidâ mensâ accepit eos qui illuc convenerant. Quae autem pertinebant ad hoc ministerium, filio et sibi imponebat. Filio vero mater jusserat, ut nec cibum, nec potum sumeret, priusquam finitum esset convivium. Deinde finito convivio, et die jam inclinante. (Sed id, quod nunc dicendum est, turbabit quidem aures, et animos eorum qui sunt pusilli et abjecti animi: eorum autem, qui, quoad ejus fieri potest, Dei modum norunt, et magnae illius sapientiae providentiam admirabilem, magis movebit linguam ad benedicendum, et factum admittendum propter eam, quae ex eo evenit, utilitatem.) Puer defessus in suo lecto recumbebat; mater autem filii osculata oculos: « Surge, fili, dicebat, et cum matre cibum sume. Quomodo enim defesso et jejuno fuerit somnus jucundus? » Ille autem cum a vehementi et acutâ febre detineretur, ne matri quidem poterat respondere. Tum mater:

ajunt, o frater Vare, potest metere in exultatione, nisi prius in lacrymis semina dejecerit, et qui in eis spargendis suscipiuntur, labores sustinuerit. Similiter autem athleta quoque non coronatur, nisi prius legitime certaverit. Agedum ergo, o frater, sis nobis comes itineris, et perfectus miles Christi. Habemus enim illum ipsum, pro quo supplicia suscipimus, nos benigne e superis defendentem, et latenter nobis magnum praebentem auxilium.» Sanctis haec dicentibus, veniunt quidam milites, quibus jussum fuerat, ut eos deducerent ad Praesidem. Qui cum adspexissent beatum Varum jacentem ad pedes Martyrum, et novo spectaculo essent veluti obstupefacti, ideo benignis, ut sibi videbantur, verbis cum eo agentes: « Insanis, ei dicunt, o homo? Non times omnino, ne si haec res nota fuerit Praesidi, cum militari dignitate vitam quoque simul amittas? » Ad quos beatus Varus: « Utinam, inquit, inveniat perfectus Christianus, et liceat mihi esse horum Sanctorum socium certaminis, et in eisdem habitare tabernaculis. Persuadet autem amicitia, ut ego vobis fidam, et eorum, quae hîc dicuntur aut fiunt, nihil habeam suspectum. »

§ 3. His sic dictis, milites Sanctos, qui erant sex numero (erant enim omnes quidem septem, sed unus jam mortuus fuerat in solitudine) catenâ vinctos adduxerunt ad Presidem. Ille autem sedebat in excelso tribunali, et eum circumsistebat multitudo militum, qui omnino pendebant a verbis illius et nutu. Cum ergo jussisset eos exutos introduci, statim quidem rogavit. « Quodnam est vobis genus et quaenam conditio, quaenam autem vestra nomina? » Et responsum mox ab eis exigebat: « Praepotentem enim vobis juro, ajebat, deorum virtutem ac justitiam, quod vos adhuc superstites apponam feris edendos et canibus. » Sancti autem neque fastum tantae auctoritatis, neque verborum saevitiam extimescentes: « Nobis, dicebant, o Judex, nulla patria est in terra. Sumus enim revera hospites et advenae. Nam Christianis vera patriae et civitas in coelis est aedificata. Crede nobis haec ita se habere: minas autem tuas parum curamus: immo vero optamus, ut minae tuae non se usque ad verba solum sistant, sed ad effectum etiam deducantur. Sic enim erit manifestum nostrum in Christum desiderium; et ipse scies omnino, quale auxilium ab ipso assequamur. » Cum Sancti haec dixissent, Tyrannus conversus ad assessores: « Video, inquit, hos infelices unum et idem tamquam ex consensu meditari. Parentur ergo flagella, et eos plagae abunde excipiant. » Cum autem valde quidem verberarentur, nihil autem responderent, Judex intulit interrogationem, dicens: « Qui maxime quaeritur septimus ex vobis, ubi est? » Hoc dicto, cursim statim e turba egressus praeclarissimus Varus, stans in medio dicit Praesidi: « Ille quidem jam diu abhinc ex hac vita excessit, me autem suum

haeredem instituit. Si quid ergo ab illo debebatur, adsum ipse redditurus. »

§ 4. Audivit Praeses, et totus ad iram est conversus: « Quis hic sit, inquit, dicat, et e quanam sit legione. » Ille autem: « Ex legione quidem Tyanensi *, miles vero clarus; » respondit Praeses autem ea de causa obstupefactus: « Quis malus daemon, inquit, effecit, ut te in manifestum impelleres periculum, ut et gloriosam tuam militiam, et quam ex ea habes tesseram frumentariam, nihilifacias, et tuam animam in tanta mala injicias? » Beatus autem Varus: « Panem, inquit, qui de coelo descendit, et divinum calicem pretiosi sanguinis Christi Domini mei praetuli tuis honoribus et stipendiis: gloriam quae semper manet, ei quae fluit: et vitam, quae nunquam desinit, ei in quam cadit interitus, et est ad breve tempus. » Tunc Judex aperte ostendens se esse animo perturbatum, adspiciens ad Sanctos, concitate et acerbe dixit: « Testis sit mihi virtus maximorum deorum, vobis prius adimam in malis vitam, qui me tali milite privaveritis. Hoc enim fuerit vestrum, et non alterius. » Martyres autem verba ejus nihilifacientes: « Exspecta parumper, dixerunt, o Judex: et videbis qualia sint arma hujus militiae. Ad ordinem enim Angelorum hominem adduximus. » Hoc dicto, ille quidem conabatur persuadere Sanctis, ut assentirentur impietati, et rebus vanis offerrent sacrificium, ipse plane vanus et stolidus. Illi autem ne aurem quidem ejus verbis praebentes, contra referebant: « Dii, qui coelum et terram non fecerunt, pereant. » Post quos beatus Varus iram magis accendens Judici: « Quid, dixit, Sanctis exhibes molestiam, stulta dicens, et ad nihil utilia? Stultus autem stulta loquetur (Magnus Isaias hoc tibi dicit, et non ego): idque cum nec eos quidem contra intueri, nec cum eis omnino conferre sermonem velis, vel potius non possis. »

§ 5. Haec cum ille audiisset, non poterat amplius cohiberi, sed majore irâ plenus, jussit quidem Varum in ligno sublimem extolli. Sanctis autem dixit: « Si fuero a vestra superatus constantià, cultum quoque deorum omnino abnegabo. » Adeo res valida et acris est veritas, et quae saepe arguit animi imbecillitatem, qui non potest ejus ferre libertatem. Christi autem Martyres: « Experire, dixerunt, in hoc nostro fratre quid possis: et si eo fueris superior, fortassis, ut speras, in nobis res quoque recte succedet. » Ad haec Judex cum Sanctis quidem esset minatus gravissima, jubet in cyppum duci Martyrem; et perinde ac si existimaret non sufficere hoc supplicium adversus tam generosum, et tam bene instructum animum, jussit, ut extensus loris in terra caederetur crudeliter: deinde per quatuor viros tractum, validis clavis conteri et confringi. Forti ergo et generoso

* Vel quae ex Tyanis est. Cohortes enim a civitate, in qua conscribebantur, frequenter nuncupatae sunt, legiones non item.

animo haec mala ferens Athleta, ad Sanctos omnibus audientibus conversus: « Benedicite famulo vestro, sancti patres, inquit, benedicite. Rogate, ut mihi vires confirmentur a Domino, et me ejus dextera suscipiat. Novit enim humana imbecillitatem, qui eam ipse quoque gestare voluit, et dixit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI). » Sancti igitur, cum oculos in coelum sustulissent: « Deus, dixerunt, Deus virtutum, ipse emittet tibi virtutem ex alto, et capiti tuo imponet galeam salutis, et te induet vestimentis ultionis. Manus illius defendet te, et brachium te corroborabit, et praeclaras praebebit victorias contra adversarium. *Exsurge ergo, exsurge, induere fortitudine brachii tui* (*Isa.* LI), hoc discens a divina Scriptura, et sciens qualis ab alto adsit nobis adjutor, et qualium bonorum perceptio eos manet, qui propter illum haec pati lubenter voluerunt. » Martyr autem Christi cum interea verberaretur, et quodammodo sentiret manum opem e coelo ferentem, in exultatione animae dixit Sanctis: « Nulla propter me tristitia subeat corda vestra. Ecce enim vestrae preces, quae Deo persuaserunt, aspera tormenta plana effecerunt et levia, et molestiam mutarunt in recreationem, adeo ut nec plagas quidem sentiam. »

§ **6**. Post haec rursus aggressus est Tyrannus persuadere, et Athletam attrahere ad negandum, bona ei pollicens, et horum ipsorum, quae sustinuit, tormentorum, non in illum, sed in alios Christi Martyres culpam conferens. Postquam autem vidit Sanctum callida illius inventa amplius irridentem, ira magis accensus, jubet Varum rursus suspendi in ligno comparato ad torquedum, et eum ferreis discerpi ungulis. Cum autem Martyri dum caederetur corpus, plurimae carnes in terram caderent et illius sanguine solum cruentaretur, bonus quidem Varus, tamquam nihil patiens, erat quietus: Sanctis autem graviter affectus erat animus, et eorum viscera laniabantur propter animi consensionem. Non ferentes itaque Judicis crudelitatem: « Quid vero non intelligis, inquit, o tu, vel feris ipsis agrestior, quod et lapides et ferrum passa essent, percussa toties? » Ipse autem nec sic quidem potuit molliri; et eam rem quodammodo habuit ludibrio: « Christus, inquiens, vester accedat, ipsumque a meis liberet manibus; » nesciens stultus, quod haec ferre posse magno et forti animo, significabant illum affuisse et liberasse, et suum rorem dedisse dolorum medicinam. Beatus autem ille, etiam dum discerperetur: « Nolim, inquit, liberari ab his, quae ad tempus durant, tormentis: sed ab iis, quae manent, meus me Christus liberaverit: te autem, et tuam crudelitatem talibus merito condemnabit. »

§ **7**. Hanc judex ipso facto ulciscens orationem, in viscera martyris intulit novaculam: « Videat, dicens, execrandus ante oculos, tamquam aquam, sua effundi intestina. » Sed ne hujus

quidem tormenti acerbitas effecit, ut Christi Martyr aliquid remitteret de suâ in patiendo pro Christo constantiâ, nec ut molle aut ignavum aliquod verbum loqueretur, vel aliquod parvum, aut magnum ostenderet, quo significaret se cedere: immo majorem amorem ei in Christum accendit, et adversus graves cruciatus fecit eum ferire judicem responsis gravioribus. « Nam tu quidem, inquit, o maligne malorum daemonum administer, et hostis hominum, et qui bonis valde adversaris, mea fortasse intestina educere poteris: mei autem cordis in Christum fides mihi eripi non poterit. » Sancti autem cum vidissent intestina Martyris disrumpi, et per terram dispergi, tenere et miserabiliter flentes, Christi invocabant auxilium, pro quo haec patiebatur. In quos cum judex conjecisset oculos, et humanitatis, aut potius amoris in fratrem, signum vidisset lacrymas, quae erant in oculis, veluti quadam repletus laetitiâ: « Superati estis omnino, superati estis, inquit vociferans. Hujus autem indicium est haec magna tristitia et lacrymae. Si enim posset, inquit, vester Deus hanc, quam vos fingitis, immortalem vitam vobis praebere, quanam de causâ lugeretis amicum, qui vobis male perit? » Illi autem ei dixerunt: « Haec gutta lacrymarum naturalem significat commiserationem. Nam nos nostrâ sententiâ nunquam defleverimus fratrem, qui tali morte decedit; immo vero propter talem decessum eum beatum ducimus, et felicem vocamus, quod hoc, quod est ad tempus tormento, illud, quod semper manet, regnum conciliavit. Non hunc ergo, ut diximus, sed tuum potius deflemus interitum, et gravia mala, quae tibi sunt eventura. Christi enim lex nos jubet flere etiam pro nostris inimicis, charitatis lege et benignitatis. »

§ 8. Interim autem dum haec dicebantur Sanctos quidem rursus excepit carcer donec consideraret judex, quibusnam eos traderet suppliciis. Beatus autem Varus sublimis adhuc pendebat in ligno: sic enim jussum fuerat ut maneret, donec emitteret animam. Postquam autem vidit Sanctos vinctos, et cum custodibus duci in carcerem, magnâ voce: « Bono animo, inquit, patres mei, bono animo estote: ego enim nihilifacio, quae mihi inferuntur supplicia: sed me meo Christo commendate, et Salvatori, et confidenter ad ipsum vadam vestrarum orationum munitus praesidio. » Cum ergo quinque horis se fortiter gessisset in hoc tormento, in pace spiritum Deo committit. Eum autem adhuc vivere putantes qui praeerant tormentis, ne decaetero quidem cessarunt: sed instar corvorum torquebant etiam post mortem. Postquam vero ab ipsis cognitum fuit, et a tyranno, mortuum esse Varum, corpus deposuerunt: et cum per mediam traxissent civitatem, canibus canes exedendum tradiderunt. Atque Varus quidem talem, et tam felicem invenit exitum. Postridie autem cum sistendos Martyres curasset parricida, neque posset persuadere

(volebat enim, et omni ope contendebat conspici victor in persuadendo iis qui erant tam constantes), post multa et varia supplicia eos condemnat, ut gladio mortem subeant. Martyribus autem laeto et alacri animo consummatis, cum sacras eorum reliquias noctu quidam Christiani sustulissent, in insigni loco sancte deposuerunt.

§ **9**. Quaedam autem mulier ex iis, quae in solo Deo spem posuerant, orta in Palaestina, nomine Cleopatra, quae prope aderat, cum decertaret martyr Varus, et videbat acerba illa tormenta, quae subierat propter Christum, et in corde gravem plagam accipiebat, et magnâ afficiebatur molestiâ, Deumque obsecrabat, jejunio vacans et orationi, ut suam visitaret haereditatem ad malorum revocationem : ipsa, inquam, cum suum filium, qui primam agebat aetatem, noctu cum aliis assumpsisset, et venisset in locum, in quo jacebat corpus Martyris, id tollit, ac pretiosis unxit aromatibus, et splendidis induit vestibus. Et quoniam vehemens erat fluctus impietatis adversus Christianos, et gravia tunc capiti imminebant, timens in aperto ostendere pietatem, cum sub suum lectum tulisset quantum terrae sufficiebat, eum deponit reverenter, accedens lucem, et suffitibus, ut potuit, ei honorem tribuens. Procedente autem tempore cum idolorum marcesceret impietas, venit ei in mentem alienam dimittere regionem, et redire in patriam. Cum autem non posset corpus transferre Martyris, nisi id prius significaret Praesidi, rebus omnibus suis bene compositis, per quemdam ex iis qui adscripti erant in numerum oratorum, accedit ad loci Praesidem, et eum pecuniis aggrediens rogabat, ut sibi corpus mortuum efferre concederet. Quodnam autem esset corpus, et quisnam modus mortis explicans, dicebat suum maritum, qui primas obtinuerat partes in exercitu, multaque praeclara et insignia trophaea adversus hostes erexerat, cum in eos multa strenue et fortiter gessisset, ex hac vita excessisse, ne sepulturam quidem, quam par erat, consecutum. Hujus, inquit, ego corpus valde studeo in suam transferre regionem. Cedit itaque provinciae Praeses petitioni, et permittit ei facere quod postulabat. Illa autem sui quidem mariti corpus, qui in aliena regione diu ante e vivis excesserat, monumento mandaverat, in id injecto pulvere.

§ **10**. Cum igitur Martyris corpus sustulisset, et id rursus unxisset, et splendidius composuisset, et ne hoc Christianus quispiam scire posset, in arcâ oleaginâ imposuisset, et abscondisset (nam primum quidem timebat gentium insaniam ; deinde autem, et multo magis piorum fervorem, omnibus, ut par erat, maximo studio contendentibus, ne tollerentur reliquiae eorum, qui passi erant pro Christo), venit in Palaestinam. Cum illic fuisset in quodam vico, qui situs erat juxta Thaborium, cui nomen erat Edra, deponit divinum corpus Martyris, lampadesque accendens, et

urens multa odorifera, id habebat in omni honore. Postea videns magnam hominum multitudinem venientem ad loculum (erat enim is jam omnium sermone celebratus, et odor ejus gratiarum omnes cito vocabat, tam qui gravi aliquo morbo laborabant, quam quos maligni spiritus vexabat operatio: omnes enim per accessum ad loculum, mox liberabantur ab iis quae eis molestiam afferebant, existimavit oportere Martyri templum excitare venerandum, mulier amans Martyrum. Cum autem magno sumptu, et magna contentione urgeret aedificationem (quibusnam quidem gratiis, quanam autem cum voluptate, elegantiâ et specie illic non arridente?), ipsa referta laetitiâ (laetatur enim anima, rei pulcrae curam gerens, partim quidem, quod bono naturâ sit insitum, ut iis qui id operantur, conciliet laetitiam; partim autem etiam propter eam, quae speratur, remunerationem), pecuniam mittit ad eos, qui rerum potiebantur, petens ut honore suum dignarentur filium. Statim autem ad eam sunt missae litterae Imperatoriae, dignitatem filio tribuentes.

§ **11**. Illa vero rem quidem differt interim, ut quae in aedificando laboraret diligentissime. Cum autem finitum esset templum, idque staret extructum in honorem Martyris, convocat quidem provinciae Episcopos et presbyteros ad templi consecrationem. Convocat autem monachos etiam, qui virtute resplendebant. Et cum e loculo sacrum corpus Martyris extulisset, id in magnifico lecto praeclare deposuit. Imposuit etiam chlamydem, et zonam dignitatis, quam filius suus erat induturus, volens ut primum benedicerentur ab iis qui illuc convenerant, deinde utrumque indueret. Itaque cum pernoctem simul cum toto populo fecisset glorificationem, ipsa et filius simul subeuntes primi corpus Martyris, et id ferentes, sacrosancte deponunt in sacra ara templi. Post haec autem amans Martyrum Cleopatra, ardenter instans et lacrymans, filio suo et sibi bona fideliter petebat a Martyre. Interim autem divino ministerio sacrosancte peracto, variâ quidem et splendidâ mensâ accepit eos qui illuc convenerant. Quae autem pertinebant ad hoc ministerium, filio et sibi imponebat. Filio vero mater jusserat, ut nec cibum, nec potum sumeret, priusquam finitum esset convivium. Deinde finito convivio, et die jam inclinante. (Sed id, quod nunc dicendum est, turbabit quidem aures, et animos eorum qui sunt pusilli et abjecti animi: eorum autem, qui, quoad ejus fieri potest, Dei modum norunt, et magnae illius sapientiae providentiam admirabilem, magis movebit linguam ad benedicendum, et factum admittendum propter eam, quae ex eo evenit, utilitatem.) Puer defessus in suo lecto recumbebat; mater autem filii osculata oculos: « Surge, fili, dicebat, et cum matre cibum sume. Quomodo enim defesso et jejuno fuerit somnus jucundus? » Ille autem cum a vehementi et acutâ febre detineretur, ne matri quidem poterat respondere. Tum mater:

« Certe, inquit, nec ego quidem cibum, aut aliquid aliud gustabo, nisi prius intellexero, quomodo haec res evenerit filio. » Ei igitur assidens insomnis, et morbi ardorem, ut poterat, refrigerans, aut potius sibi ignem accendens e visceribus, circa mediam noctem (qualia sunt Dei judicia!) vidit filium morbo confectum, et jacentem mortuum.

§ 12. Cum ergo acerbum hunc vidisset eventum, primum quidem caligans humi decidit, eamque statim vox defecit, cum repentinus dolor fuisset linguae instar vinculi. Sed cum parum ad se rediisset, et nonnihil resipuisset, humeris tollens mortuum corpus filii, et ad sacram id aram ferens, ibi deponit : et capillos vellens, luget filium : « Perdidi, dicens, o fili, meam, quae in te collocata erat, spem. Hei mihi, o fili, hei mihi, o care flos, qui sic ante tempus marcuisti miserabiliter! Hei mihi, tuum ego finem video, quae sperabam esse a te alendam in senectute! Talem nunc, o carissime, alimentorum mihi vicem reddis? Tales ego, misera, spei meae colligo fructus? Quo ore, quanam lingua, quibus deflebo oculis? Utinam meam pro tua mortem adspexissem, et filii mihi caris manibus mandàta essem monimento. Utinam ipsa tibi jacerem potius mortua, et honorarer tuo processu ad sepulcrum. Sic enim ego essem felix. Sic in me utique conservata esset lex matrum. »

§ 13. Sic dicebat, et procidens rursus lugebat; et tamquam adhuc animatum alloquebatur corpus Martyris : « Quodnam tantum, dicens, o Christi Martyr, sceleris admisimus, ut in hanc tam acerbam incideremus calamitatem? Non, marito in externa regione relicto, pluris quae reliqua omnia feci tuum exportare corpus? Non ab ipsis fundamentis tibi templum extruxi? Non, si nihil aliud, tibi obtuli meum animi propositum? Quid autem haec sibi volunt? Non, quod pro iis petebatur, bonum erat, salus filii? Non, ut usque ad senectutem simul maneret cum parente? Hei mihi, a quanta spe decidi? pro qualibus qualia vidi? Sed, o Martyr Christi, vel mihi filium redde superstitem, sicut Eliseus Sunamitidi; vel ne mihi mortem invideas utilem : sed quae tam infeliciter peperi et alui, fac me etiam interire cum filio. » Interim autem dum Cleopatra filium acerbe defleret, et eos, qui aderant, moveret ut et ejus casus misererentur, et profundam Dei judiciorum abyssum admirarentur, somnus illi parum obrepens, eam fecit quiescere; et filius ei omnino apparuit cum Martyre. Nam et adstantem videbatur intueri Athletam, ejus filium suo sinu, tamquam proprium, complectentem. Amictus autem erat utrisque pulcherrimus et splendidissimus : et coronae eorum capita ornabant suavissime. Coronarum autem dixisses esse divinam quamdam, et quae lingua non potest exprimi, pulcritudinem.

§ 14. Videbatur autem Martyr dicere : « Cur non laetaris, o

mulier, sed tuus gravis luctus cor tuum afflixit? Num sum adeo ingratus, ut qui nihil senserim eorum quae a te facta sunt? Num pro iis non sum te praeclare remuneratus? Non vides qualem gloriam sit tuus filius consecutus? Qualis eum circumfulget gratia? Cur non ergo, hac relictâ tristitiâ, transis ad animi tranquillitatem? Sed si videtur, tuis oculis magis appropinquet filius, et eum diligenter contemplare, ut ipsa quoque recte intelligas, quomodo is se habeat. » Sic dixit, et visus est vocare puerum : « Accede, o puer, ad matrem, ut cum ea viderit, quomodo te habeas, tu ejus multas consoleris lacrymas » Puer autem magis adhaerebat Martyri, nolens eum omnino relinquere, nec volens omnino venire ad matrem; sed, « Abi, mater mea, abi, » dicebat resistens; « apud te mane, et minime te dedas his luctibus. Malle enim vitam vestram, quam hanc mortem, aeque absurdum existimo, atque dolorem praeferre voluptati, quae non desinit, et vitam brevem, et quae est ad tempus, aevo sempiterno. » Haec cum mater audivisset a filio, et esset veluti oblita lamentationum, ut ipsa quoque assumeretur ad filium, et ex iis quae cernebantur, acciperet consolationem, vehementer rogabat Martyrem. Ille autem suadebat, ut magis eam viam sequeretur, quae ducit ad salutem. Tandem autem, datâ pace, abiit ille cum puero ad suam habitationem : et uterque discessit ab illius oculis.

§ **15**. Illa autem statim experrecta, et ad se reversa, quantum ob Martyris et filii adventum assecuta esset animi tranquillitatem ac laetitiam, narravit iis qui aderant. Omnium autem animos invasit admiratio ob admirabilem, et quae opinionem superabat, narrationem. Deinde cum filii sui desiderabile illud corpusculum beata illa splendide unxisset, et composuisset, id commendat Martyri, totâ nocte cum consanguineis, et iis qui ad eam attinebant, faciens gratiarum actionem. Deinde etiam cum mysticum curasset paragendum sacrificium, in quo eam oportebat initiari, ad lautam invitat coenam eos qui sacrorum hymnorum fuerant cum ea participes. Deinde cum sic mundum valere jussisset, et in thesauros, qui non possunt eripi, in pauperum, inquam, ventres, omnes suas contulisset divitias, et se tenui induisset tunicâ, sepulcro ministrabat Martyris: et sic jejuniis vacans et orationibus, internum tantum purgabat hominem, ut singulis Dominicis ei Martyr appareret cum filio in eodem, in quo prius, amictu, ejus dolorem consolantes. Septimo autem anno suae in melius vitae mutationis, cum plena esset diebus spiritus, in pace pacis quidem Deo spiritum, corpus autem commendat filio, ut quos una habebat domus, eos etiam unus conderet loculus, et ne ipse quidem amborum pulvis disjungeretur. Cum quibus det quoque nobis Deus esse partis eorum qui servantur, et videre regionem viventium: Quoniam ipsum decet omnis gloria et adoratio in secula seculorum, Amen.

VITA S. AQUILINI EPISC. EBROICENSIS

SCRIPTA AD AUDOËNUM.

EST HISTORIA GRAVIS, SED CODICES MSS. NOMEN AUCTORIS NON HABENT.

STYLUM L. SURIUS PASSIM NONNIHIL CORREXIT.

Claruit sec. VII — Nat. Gallus.

PRAEFATIO AUCTORIS

In corpore nostrae congregationis honesto valde et utili membro domino Audoëno, inter caeteros pene ultimus frater. N. * quicquid coelo dignum mens sana in Domino arbitratur. Si quis in ovium grege positus, lanam a capris petat, is sane aut ignorat quid habeat, aut alteri ejus inopiam nescienti illam pròdere conatur. Ita tua dilectio, dum me ad opus invitat, quod virium mearum excedit facultatem, aut nescit ipsa, in quanta doctissimorum hominum frequentia versetur, aut imperitiam meam mihi ob oculos statuere vult. Porro autem non ignoras, non esse speciosam laudem Dei in ore peccatoris, et eum qui solvit et docet unum ex mandatis, in praesenti coelorum regno minimum vocari, in futuro autem nullum prorsus locum habiturum. Cujus enim vita despicitur, quid restat, nisi ut et praedicatio hic contemnatur, et praevaricatrix conversatio illic puniatur, ubi non arbor ex foliis, sed e fructu aestimabitur? Inde igitur mihi animus quippiam scriptitandi desit et deficit, etiamsi videatur non abesse facultas, quod dum bona aliorum praedicare volo, meipsum accuso, utpote in quo nihil praedicandae virtutis reperiam. Inde etiam ignavia quaedam subrèpit, quâ libet silère potius, quam aliquid dicere, unde ego prior pudore afficiar, qui aliis viam ostendere nitor: ego ipse in foveam cadam, qui aliis lucernam praefero: ego maneam in tenebris, nihilque ejus claritatis in me habens, ferar per praecipitia, dum aliis ducem exhibere me volo. Bene enim dicere, et vivere non bene, quid aliud est, quam suo se ense jugulare? Longe ergo praestabilius mihi est intra silentium me tenere, et in meo tuguriolo privatam celare paupertatem, quam oris aperto ostio alienas praedicare divitias, et propriam inopiam detegere, dum ingenii tenuitas ipso sermone proditur, et vitae ratio qualicumque linguae praedicatione discussa, a sua sententia discrepare sentitur. Sed fortasse dices omnino obtemperandum mihi esse, nec quicquam prodesse hanc

* Indubium est hanc Vitam a quodam Monaco Benedictino exaratam esse. Quisnam porro fuerit, quo nomine vocetur, et ubi natus fuerit, incertum valde est, cum is sub littera *N* semetipsum penitus occultaverit.

verecundiam, ex qua taciturnitatis inertia proficiscatur: cum praestet a seipso quempiam judicari, et sua ipsius voce objurgatum, torporis somnum discutere, quam sub silentii umbra stertendo, nec de virtutibus alienis dicere, nec de propriis obtinendis meditari. Fit enim plerumque, ut cum ille, qui laude dignus non est, laude et praedicatione effert, quod ipse non habet, sese contra se erigat, pudeatque diutius supinum jacère in illis, in quibus hactenus jacuerit, incipiatque dare operam, ut idoneus laudator et encomiastes fiat, suisque dictis et adhortationibus primus ipse obtemperet. Forsitan etiam illud addes, servum, qui talentum Domini sui in terram abscondat, non immerito eum censendum esse, qui ingenium litterarum studiis et cognitioni semel applicatum, qua, si vellet, posset ad coelestia sustolli, discussisque paleis, grana amplecti, et eadem piae operationis studio mòlere, terrenis occupationibus, curis et commodis immergat. Unde etiam me excusare non possum, qui cum Scripturis divinis vacare deberem, crebro aliis operibus occupo tempus mihi commodatum, potius quam lectionibus sanctis. Quod quidem tum ex ea, quam diximus, ignavia proficiscitur, ut qualibet potius non alta inquirendo progredi libeat, quam amplius onerari scientiâ veritatis; tum ex infirmitate carnis, quae me perpetuo affligens, cogit ejusmodi amplecti opera, ut utcumque aegritudinis molestiam ferendo vivam, et otium animae inimicum evitem. Quin et illud forsan adjungere voles, ineptam verecundiae speciem videri, si homo inops alienâ domo uti erubescat, donec possit habere propriam: atque ita non posse absurdum censeri a sapientibus, si tantisper ego immorer alienis praedicandis virtutibus, donec proprias adipiscar: quemadmodum pueri solent tamdiu maternis pedibus provehi, quousque suis possint consistere. Ad extremum, si sic necesse sit, obedientiae fraternae titulum oppones, eaque omnes excusationum mearum sepies vias, nec ullum relinques, per quod elàbi liceat, foramen. Quod quidem si facturus es, quid mihi conferre possit ad objecta respondère? Tuis igitur precibus obsecundans, opus aggrediar, faciamque quod beatus Legislator * noster etiam de gravibus et impossibilibus imperiis sive jussis praescribit, ingrediarque pelagus conscribendae vitae sancti Aquilini. Tu interim id impetra precibus tuis, ut possim attingere litus, ad quod tendo, adjutus meritorum ejus suffragiis, de quo acturi sumus.

§ 1. Etiamnum omnipotens Deus antiqua declarans miracula, non cessat multis tum corporalibus, tum spiritalibus signis et documentis testatum efficere, quam immensa erga nos sit bonitas sua. Ut enim animorum nostrorum pellat fastidium, varia nobis proposuit virtutum pharmaca, ut ex tam multivariis speciebus

* Scilicet S. Benedictus

aliquam tollat, qui male habet, et suae infirmitati accommodum inde remedium adhibeat: uti vel hoc, vel illo virtutis exemplo inflammetur, quisquis ab Aquilonis frigida regione ad Sancti Spiritus Austrum se transferre concupiscit. Hinc adeo in hujus vitae nocte tot nobis spiritalia oriuntur sidera, quot praeclara Sanctorum gesta nobis proponuntur diversis illorum solemnibus feriis, toto anno opportune distinctis, ut aliâ recedente, ita alia succedat, quemadmodum stellae fixae et inerrantes, divinitus instituta oriendi et occidendi vicissitudine, aliae alias consequuntur. Legimus columnam ignis et nubis antecessisse, cum populus Israëliticus mare transiturus, ab Aegypto proficisceretur, et primum phase felici initio dedicaret: quod quidem si rectâ nobiscum viâ reputemus, etiam nunc fieri videmus. Quid enim aliud est, modo sanctorum Martyrum, modo beatorum Confessorum pia celebrare natalitia, nisi sequi columnam ignis et nubis, ad transmittendum hujus seculi pelagus, tamquam alterum quoddam rubrum mare; ut et ab illis accendamur, quorum sanguine iter nostrum rutilare videmus; et ab istis irrigemur, quorum doctrinis hujus mundi aestum nobis temperare debemus? Et ne nos consecuturos desperemus, quod illos jam adeptos legimus, non solum triumphos virginum audimus, sed etiam promuntur nobis viduarum et conjugatorum palmae: neque id ex antiquis dumtaxat sed etiam modernis temporibus, uti ne ullo torpore deprimi nos sinamus, qui tot remediis erigimur *.

§ 2. En beatissimus confessor Domini, et Ebroicensis urbis Episcopus Aquilinus, nobis imitandus exhibetur, qui de conjugii extremitate sublatus, et ad pontificiae celsitudinis gradum sublimatus, primum ex Aegypto carnalis copulae in desertum vidualis pudicitiae, ac deinde per Jordanem Episcopalis gratiae, in aeternae promissionis terram ingressus est. Cui ipsum suum vocabulum quoddam videtur perhibere testimonium, quod solem justitiae immotâ animi acie contemplatus, ejus amore pennas mutarit, et instar aquilae instauratus, novitatem vitae in sanctitate et justitia et veritate susceperit. Nam quasi carnis quadam vetustate incurvus incedere videbatur, cum adhuc carnali conjugio deditus esset. Sed pennas in superiora se transferendo mutavit, quando amorem conjugis, aeternitatis permutavit amore; et filiis carnis filios spirituales anteponens, ex se defecit, ut in Deo proficeret.

§ 3. Fuit ille Bajocensi ** civitate ortus, parentum nobilitate clarus, sed morum dignitate illustrior, antiqua insignia novis virtutum ornamentis obscurans. Cumque sacris litteris institutus, et summo studio enutritus esset, pluviamque suo tempore effundendam ceu nubes matutina collegisset, transmissis adolescentiae

* Haec sane praeclare admodum et cogitata et scripta sunt.
** Gallice, *Bayeux*, urbs episcopalis.

spatiis, ad juventutem pertigit: in qua pueritiae marcescentibus floribus, humanae probitatis et virtutum solent prodire fructus, et ad maturitatem sègetes propinquare. Quaeritur ei uxor, nobilitati ejus congrua: invenitur, ducitur, nuptiali celebritate conjungitur: proles terrena primum gignitur, ut postmodum coelestis procreetur. Sentitur carnalis amor, ut eo propudiato, spiritalis ferventius sentiatur: quemadmodum pueri cibo solido gustato, ubera respuunt. Enimvero et proximi dilectio, quae praecedit, divini amoris, qui praecellit dignitate, licet ordine sequatur, nutrix esse solet: si tamen dilectio est dicenda, quae carnaliter exhibetur. Altiori enim intellectu, nec seipsum, nec proximum tamquam seipsum diligit, qui Deum diligere, seque in Deo amare nescit. At tamen juxta quemdam modum, discit unusquisque in proximo, quid debeat Deo; et sicut servus major natu, domini adhuc parvuli paedagogus efficitur: ita fraternus amor, creatoris nutrit amorem. Aquilinus igitur post unius sponsae còpulam, multarum animarum strenuam curam quandoque suscepturus, et Christi vices impleturus, discit in conjuge, quam fidem praesul olim effectus, Ecclesiae sibi conjungendae praestare debeat.

§ 4. Interea accitus a Clodoveo * Rege, qui ea tempestate rerum potiebatur, cum caeteris urbium praefectis adversum barbaros **, qui in extremis regni Francorum finibus coeperant efferatis animis insolescere, proficiscitur, et antequam spiritale contra spiritales nequitias bellum suscipiat, hostium visibilium pugnis et victoriis exercetur. Exacto inde triennio et mensibus sex, omnibus facta est domum redeundi potestas. Ejus autem pia conjux dum abesset ille, non cessavit a precibus, intantum sollicita pro reditu ejus, ut etiam votum Domino nuncuparit pro illo, quod tamen quodammodo videretur esse contra illum: puta si Dominus salvum et incolumem illum reduceret, se toto anno cum illo continenter victuram, de ejus consensu usque adeo nihil haesitans (quippe quae ejus pudicitiam satis compertam haberet), ut etiam sine illo promittere non dubitarit, quod non nisi illo consentiente exequi posset. Ubi ergo optatum ejus reditum cognovit, non potuit continere sese, quin ei obviam procederet, et animi sui gaudium anteverteret. Assumptâ igitur familiâ et commeatu, qui tantae rei congrueret, usqueadeo acceleravit iter, ut Carnotum *** veniens, marito, prior adfuerit, eumque in alienae civitatis hospitio, perinde atque in sua domo exceperit. Ibi tum se mutuis stringentes amplexibus, pariter admirabantur. Aquilinus conjugis pudicitiam et amoris integritatem, conjux Aquilini sinceritatem. Amor enim castus et pudicitia compulerant conjugem, ut reditum ejus praeveniens, prius eum videre festinaret, quam domum

* Scilicet Clodovaeo II, qui ab anno 638 usque ad 656 sceptra gessit.
** Fuisse videantur *Winidi* vel *Venedae*.
*** Gallice, *Chartres*, urbs episcopali sede exornata.

reversus esset: cum soleant infideles et impudicae feminae redeuntium maritorum reformidare potius et horrere, quam appetere, conspectum. Denique solemni illo congratulandi peracto officio, et colloquendi expleto vel temperato desiderio, corpora reficiuntur. Deinde familia, noctis invitante silentio, abit cùbitum, felices conjuges rèmanent in secreto cubiculo, ubi erant arcana explicanda consilia. quae, absente Aquilino, pudica uxor ejus non sine Sancti Spiritus gratia conceperat.

§ 5. Cernens autem illa oblatam sibi familiaris colloquii opportunitatem: « Amantissime conjux, inquit, quaeso te, ne me arguas temeritatis, ne graviter feras quod feci, si cognoveris me id fecisse zelo amoris tui. Timens enim, ne te semper carerem, si accideret tibi quod nollem, malui Deo promittere, quod anno uno a te praesente abstinerem, tuque interim conjugii oblectamenta suspenderes, quam te e medio sublato, perpetuâ viduitate afflicta discerem vel invita, quod sponte non didicissem. Qua in re si quid videor egisse inconsulte, tua me charitas compulit, ut de te mihi polliceret id, quod pollicita sum: nec eo me impulit propria temeritas, sed de tuo consensu nihil ambigens, tametsi eum ignorabam, illud vovi, quod de mea mihi voluntate constabat. » His auditis, Aquilinus quidnam ageret, aut quo pacto vicem redderet mulieri de sui mariti salute tam bene merenti? Non ille arguendam existimabat, quam seipso fideliorem sibi experiebatur, idque pro sua incolumitate promisisse sentiebat, quod ipse optarat, tametsi non promiserat. Gratias igitur agit omnipotenti Deo, qui talem ipsi dedisset conjugem, quae castitatem, quam ipse animi studio jam complexus esset, licet id verbis nondum exposuisset, voluntariâ devotione offerret, cum sibi vix promittere ausus esset, eam etiam rogatam id facturam fuisse. Miratur ergo Dei famulus suum in femina pectus; miratur se ab uxore praeventum, non potuisse primas sibi vindicare in ipsa virtute, qui prior esset conditione virili, et prior etiam esse putaretur desiderio castitatis, nisi posterior inventus esset conceptae voluntatis significatione et enunciatione. « Tu, inquit, carissima, me dicendo antevertisti, quem desiderando antevertere non potuisti. Hoc enim est, quod equidem jampridem peroptavi, sed celavi interim, tempus opportunum sustinens, quo tuum mihi assensum conciliarem. Ita nimirum terram pectoris tui, quam ego colere volebam, divinitus cultam et complutam video, multumque laetor, et summo cultori gratias ago. Unum tantum adjicere volo, quod a te sentio praetermissum, et tamen puto necessarium. Tu annuam promisisti continentiam, ego opto et polliceor perpetuam, ut pariter non annuam, sed sempiternam possimus coronam adipisci. Confido autem eum, qui omni habenti, nempe bonam voluntatem, etiam facultatem dandam pollicetur, nobis affectum pudicitiae perseverantem praebiturum: ut addatur gratia gratiae, sicut additur

promissio promissioni. » Haec cum ille dixit, conjux gratissimo animo assensit. O beatam copulam, in qua carnalis affectio abiit in spiritalem aemulationem, et terrena conjunctio in coeleste commercium: ut qui hactenus fuissent in carne una, deinceps una essent anima, et socii corruptionis, fierent aeternitatis consortes. Dividuntur ergo corpora, corda sociantur: jugum contagionis excutitur, suscipitur jugum sanctitatis. Nox illa in diem conversa, spiritalibus consultationibus transacta est, carnique renunciatum, et spiritui facta professio atque mancipatio: felixque copula dissoluta, et felicior inita est.

§ 6. Insequenti die suscepto itinere domum revertuntur, ingens omnium laetitia existit, et tanto viro, postliminio redeunti debita praestatur gratulatio. Manent Aquilinus et conjux sub uno tecto, animis conjuncti, carnali consortio separati. Impendunt sua post se, et ut perfectum sit castitatis sacrificium elargiuntur res suas pauperibus, ut transeat in holocaustum. Magna fuit prior charitas, sed major posterior, quae priorem superavit, et ut mors corpus occidit, ita carnalia desideria in animis eorum extinxit et interemit: siquidem consentaneum id erat, ut plus se spiritu diligerent, quam carne dilexissent, qui illo flagrabant igne, quem Dominus misit in terram, et voluit vehementer accendi. Inde adeo factum est, ut nemo hanc in eis perciperet dexterae Excelsi mutationem, cunctis videntibus formam pristinae conversationis et argumenta consuetae societatis ex unius tecti habitatione colligentibus. Sicque thesaurus ille soli Deo notus, furibus manebat occultus. Videres tamen sub habitu vetusto opus novum, et sub seculari tegumento signa evidentissima gratiae specialis. Enimvero par illud innoxiae consuetudinis et convictus certatim fervebat studio pietatis, ita ut non immerito admirari posses, quomodo sic illi repente mutati essent, ut qui vultus eorum contemplaretur, ipsos agnosceret: qui facta inspiceret, alios existimaret. Denique adeo illi corpora sua jejuniis et vigiliis exarabant, animas eleemosynis recreabant, ut ipsis quoque monachis et crucis habitum gerentibus nihil eos cedere putares. Ita enim hospitibus ministrare, et in eis Christo cum omni humilitate servire conspiceres, ut domum illam potius xenodochium diceres, quam aliud quippiam: atque interim tamen in laico habitu degere eos pariter, ac si etiamnum carnali inter se consuetudine uterentur. Ecquis vero vel meliores coenobitas quaereret, si castitatis eum secretum non lateret? Sed hic erat modius, sub quo ardentes lucernae delitescebant, puta vestes seculares, quibus utebantur, et humanas a se laudes repellebant. Verumenimvero qui eos diutius latere noluit occasionem obtulit, qua amator latibuli Aquilinus super candelabrum poneretur, sicque videretur ab omnibus, cunctisque spectandus et imitandus proponeretur.

§ 7. Beato namque Aeterno, Ebroicensis urbis Episcopo, ex

hac luce ad aeternam translato, ut re ipsâ esset, quod verbo hactenus dicebatur: totius Cleri et populi animi divinitus inflammantur, ut Aquilinus ille occultus Dei servus, qui se abscondens, proximis negabat exemplar pietatis, ei substituatur. Non ibi una vox, aut unius partis personuit acclamatio, sed diversarum vocum generalis electio adeo inter se pulcre consensit et conspiravit, ut nulli esset ambiguum , quod vulgus peteret, id et inspirari et imperari divinitus. Nec quaesitum est ab electo, quid ipsi videretur: quandoquidem qui latere didicerat, Christoque contentus esse decreverat, apparere utique nollet, si quis ejus consensum requireret. Sed rapitur ab omnibus et trahitur, quasi non suus deinceps futurus, sed communiter omnium. Primoque fit clericus: inde gradatim promotus, ad Episcopale cacumen evehitur, ut totius Ebroicensis Ecclesiae domum gubernet, et curam pastoralem ei impendat, qui suae domui tam praeclare praefuerat, ut manens in seculo, etiam in ipso matrimonio jam mortuus esset mundo, et viveret Christo: qui uxori conjunctus spiritu, carne disjunctus, assuevisset spiritales procreare filios , et e vetustis utribus novum vinum depromere; id est, sub vetustatis velamine novum pietatis exhibere gustum.

§ 8. Cumque ordinatus, et tanti sacerdotii Apostolica benedictione consecratus esset, quod ei difficile non erat, uxorem mutavit, eamque quam jussus erat, sibi despondit, qui cum illa sine illa vivere didicerat, quam etiam retinendo reliquerat. Extitit vero in plebe mira exultatio, tamque jucunda ejus adventantis exceptio, cunctis ei obviam procedentibus, et ejus laudes consonis vocibus celebrantibus: ut nulli dubium foret ignem illum e coelo missum , qui in tot cordibus isthoc excitarat incendium, ut tam generalis et concors, nullo discrepante, omnium concentus fieret, ubi Aquilinus in sua sede collocandus adveniret. Suscepto autem, non corvino hiatu, sed columbinâ simplicitate sacerdotio, jam aperte uxor vertitur in sororem: in quam etiam ante transierat, sed occulte. Nec amoris casti ardor extinguitur, immo vero geminatur: tum quia pudicitia immobilis in promoto pèrmanet, tum quia fecunditas spiritalis multiplicata, ad utriusque coronam referenda est, sicut et hujus fecunditatis causa, promissa castimonia. Communis quippe utriusque est utilitas, uti etiam sacri conceptio propositi communis fuit: quae cum centuplicem protulerit fructum, ab uno patre tot filiis adoptatis, diligit soror tantae benedictionis fratrem, per quem tantae augmentationis consors efficitur, cujusque manibus gratiâ sacerdotali perunctis, tam ipsa, quam tota, cujus est membrum, Ecclesia Ebroicensis benedicitur et expiatur. Videt enim factum eum sequestrum et advocatum populi totius, atque ad Deum quendam internuncium, qui fuerat quondam ipsius unius maritus. Videt in tam multos ramos diffusam arborem, quae succisa videbatur,

quando ab ejus connubio avulsus, atque eâ re quasi truncus ille cernebatur. Neque vero illa sic diligens, minus amatur: quando flamma charitatis, licet tam multas in partes distracta esset, non tamen illic imminuta est, ubi nata et unde propagata fuit: immo potius tanto fervet magis, quanto fit auctior.

§ **9**. Jam vero qui etiam ante, quam pastor esset, vigilare consueverat, gregis curâ susceptâ speculator effectus, prolixius vigilabat, atque in preces incumbens, contemplationi dabat operam: ut tantum sanctitate cresceret, quantum creverat dignitate: talemque se opere praeberet, qualis et quam novus et perspicax ex suo nomine designabatur. Atque ut liberius posset contemplationi vacare, et pro peccatoribus, mundi hujus tumultibus deditis, Dominum deprecari, non longe a muro civitatis, ab ecclesia vero centum passuum spatio distantem elegit cellam, in portae Rhotomagensis regione sitam: ibique secretum, quod propter pastoralis curae inquietudines amiserat, repetens, animarum causas et negotia tanto curabat melius, quanto plus corporum declinabat: magis proficiens in iis quae ad populi causas attinerent, orando, quam posset concionando. Est enim hoc peculiare electis, semper optare secretum, quemadmodum reproborum est appetere turbas et tumultus. Illi enim mundum, quem non diligunt, nec videre volentes, usque adeo Christi vultum sitiunt, ut mortalitatis vincula, quibus se sentiunt obligatos, perrumpere cupiant: et quia non possunt semper animi obtutus in superna defigere propter corporis imbecillitatem, ad seipsos non sine animi dolore redeant, atque mundum hunc, quem propemodum evasissent, si in illa claritate persistere potuissent, adspiciant inviti. Isti vero semper videre cupiunt, quod nolunt deserere: atque eâ causâ si sint extra hominum frequentiam, eam inquirunt, ut semper adsint res vanae, quibus suos oculos oblectent: qui cum intus tenebrosi et obscuri sint, nullam aliam norunt lucem praeter eam quam foris spectant. Sed Aquilinus, verus Israëlita, potius anachoreta effici cupiens, quam instar vilis margaritae jacère in sterquilinio, secretum petiit oratorium, ibique latitans, Episcopalis frequentiae strepitus vitavit: eo verius Episcopus, quo minus frequentatus ab hominibus, et coelestibus magis adjunctus. Ibi lectio et oratio vicissim sibi succedentes, sine intermissione continuabantur; ibi psalmorum et canticorum spiritalium resonabat melodia, Sancti Spiritus gratiam adducens. Ibi non abrupto ab Ecclesiae suae corpore, sed retorto ad pennulas capite, columbina illa anima immolans, pro sanguine lacrymarum imbres fundebat. non sine gemitu èxprimens desiderium, quo cupiebat, ne incolatus ejus prolongaretur: sed breviato exsilio, aperiretur ei aditus in patriam coelestem.

§ **10**. Putas ne autem lecti illum mollitiem illic consectatum, aut aliud sibi voluisse, in quo cubaret, substernere, praeter

nudum pavimentum? Carnales pastores, ut sese uberius pascant, ipsâ suâ refectione pascendis ovibus Christi se providere simulant, et perinde ac si in domibus Regum sint, mollibus se vestiunt, ne alii nudi remaneant, qui melius in spiritu tegerentur. Si sunt pastores, minus pretiosis, magisque religiosis vestibus operiantur. Sed ajunt laborem se ferre non posse, nisi sic reficiantur et induantur. Verum dum necessitati consulere se fingunt, consulunt voluptati, et indulgent superfluitati: non utique imitantes vestigia magni illius Martini Turonensis, aut Germani Antisiodorensis: qui non pro diurna, sed pro aeterna mercede militantes, paverunt gregem Christi jejuniis, vigiliis et laboribus suis, ut eorum exemplo disceret eo redire jejunando, unde in primo parente èxcidit manducando. Nemo enim sic invitat concionando, quantum faciendo: nec bene jejunia suggerit, qui sub quocumque praetextu epulis vacat. Quod sane cavens Aquilinus, abstinendo et vigilando melius pascebat subditos, quam si abstinentiam illis praedicans, ipse epularetur: aliisque mortificandae carnis asperitatem commendans, ipse molliter et delicate viveret.

§ II. Legitimum ergo ille Christo testimonium perhibuit, et Christus illi quoque reddidit testimonium. Sicut enim ille quos poterat, intus illuminabat, curabat, erigebat: ita Christus ei praestitit gratiam et facultatem etiam extrinsecus illuminandi, sanandi et erigendi: adeo ut Crucis signo liberaret, quos per eam liberandos praedicabat: nec ulla corporalis infirmitas ejus precibus resisteret, qui suis exemplis et doctrina spiritales aegritudines depellebat. Cur enim Christus ei argentum negaret, cui largiebatur aurum? Cui animorum curandorum gratiam contulerat, cur corporum non conferret, quorum et facilior est medicina, et jactura minor? Immo per evidentia, quae praestabat, munera, latentia in eo charismata et confirmabat, et declarabat. Sed Vir Domini in cunctis, quae per eum Christus efficiebat sui custodiam non omittens, intantum timebat, ubi merito timor adhibendus erat, ut illic etiam plerumque trepidaret, ubi non erat timor. Eam ob rem semper Dominum precabatur, ut fenestras corporis sui aut obstrueret, aut custodiret, ne per eas noxia irreperet concupiscentia. eum qua mors solet ingredi. Malle enim se testabatur orbatum luminibus intrare in regnum Dei, quam illis integris mitti in gehennam. Ejus vero precibus annuens is, qui omnes in suo nomine, hoc est, veram salutem suam petentes exaudit, exteriores capitis ejus fenestras, lucis ministras, qua pietate rogatus est, clausit; sed cumulatius cordis oculos aperiens, multiplici foenore lucis externae orbitatem compensavit. Ita enim sine oculorum adminiculo ad ecclesiam veniebat, ac si illis plane integris viam cerneret, quam calcabat. Immo etiam hoc ipso, quod lumen nocturnis horis non requirebat, sicut faceret, si

videret, expeditius pergebat: et mirandum in modum se gerebat, ut nulli dubium relinqueret, quin Angelo lucis ductore uteretur. Secure itaque et misericorditer ei, ut erat rogatus, immisit oculorum caecitatem, qui et videbat promptae mentis ejus sinceritatem, et praevidebat duplicandam illi eam, quam amissurus erat, claritatem. Ita ergo qui caecis reddebat lumen, ipse caecitatem patiebatur, non minus de se exauditus ne videret, quam de aliis, ut viderent. Quid enim caligo exterior sensui pervigili et in divinis perspicaci officiebat: quae etsi mundi speciem ei subduceret, certe Christi vultum non subducebat: quin potius tanto plus conferebat, quanto magis visibilium rerum formas excludebat.

§ **12**. Porro autem Vir beatus, sedulus erat custos innocentiae, amator continentiae, cultor sobrietatis, cupiditatis hostis, obtrectationis inimicus, persecutor improbitatis: quas ad res multum ei caecitas corporis conferebat: sicut ad populum paternâ pietate admonendum et exhortandum, pastoralique diligentiâ custodiendum, nihil impedimenti afferebat. Non enim segnius vel orabat, vel vigilabat, vel minus ad populum concionabatur: immo tanto ferventius in Christo, coelestis meditabatur et tractabat, quanto a terrenis sensibus minus ponderis percipiens, ea ex parte liberior erat, qua homo terrenus proclivius et propensius peccat: atque ibi acutius cernere coeperat, ubi pars hominis excellentior habetur, atque ubi ad superna obtutus dirigitur, ut divina claritas conspiciatur. Itaque quanto expeditius eo tendens, de ipso luminis potabat fonte, tanto splendidiores pro concione radios ad inferiora vibrabat, eoque suaviores suis in exhortationibus promebat sermones, quod eos potius ab ipsa veritate, quam a veritatis testibus, puta libris, quos legere non poterat, hauriret; nec verba ejus cadebant in terram: quippe quem perspicua attollebat virtus, quam in morbis omnibus curandis exhibebat.

§ **13**. Tandem bonorum operum, sanctarumque institutionum piis exercitiis comprobatus, refocillandorum pauperum studiis elimatus, optatae caecitatis medicinali cauterio ab omni mundanae vanitatis sorde purgatus, cum duos et quadraginta annos, tamquam mansiones totidem usque ad Jordanem suae evocationis exegisset, ubi jam transiturus erat ad patriam semper optatam, Christo reddidit illibatum et incontaminatum spiritum, illi semper inhaesurum, illamque sine dubio vocem exultationis et benedictionis auditurum, quam meruerat servus bonus et fidelis, qui talentum a Domino acceptum, tam multiplici auctum lucro redderet ita ut integram Ecclesiae unius custodiam Domino suo consignaret, totque paroeciae suae populos, tam verbo conceptos, quam exemplis suis editos, quot carnis suae filios habere non potuisset, summo pastori praesentaret. Laetatus est certe ille beatus coelestium spirituum exercitus, olim quorumdam ruina

mutilatus, paulatim multorum accessione instaurandus: laetatus est, inquam, ejus adventu, cujus opera non unus, sed permulti peccatores poenitentiam agentes, coelestis patriae civibus sunt adjuncti. Si enim gaudent illi super uno peccatore poenitentiam agente, multo magis illo laetantur et exultant, per quem non unus, sed multi e numero impiorum, ad electorum contubernia translati sunt.

§ 11. Verumenimvero quam laetati sunt illi, ad quos beata illa commigravit anima: tam afflicti et moerore affecti sunt ii, a quibus tam bonus, pius, egregiusque pastor recessit. Nollent enim praemittere patrem filii, sed potius subditi a suo praemitti pastore: mallentque in coelis carere novo isto patrocinio, quam in terris assueta consolatione destitui. Porro cum omni reverentiâ sacerdotum et populi frequentiâ celebratis exequiis, peractisque tanto funeri debitis vigiliis, sepelitur coelestis illa margarita in basilica, quam apud civitatis suburbium condiderat; atque illic reponitur depositum, cui debetur corona justitiae, donec reddatur ei a justo judice in illo regenerationis die. Imploramus ergo pietatem tuam, confessor beatissime et praesul eximie, sancte Aquiline, ut qui de paucis acceptis multa et magna reddidisti, illamque sedem illustrasti, quam rexisti, id nobis divinitus obtinere digneris, ut quod profitemur ordine et instituto, id opere exequamur, atque in novitate vitae ambulantes, et sicut aquilae pennas vitiorum in virtutum mutantes, quemadmodum habitum mutavimus, illi placere valeamus, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM SS. CAPRASII ET FIDEI

UT EXTAT IN PERVETUSTIS MSS. CODD.

QUIBUS CONSENTIUNT ANTIQUA MARTYROLOGIA HOC LOCO ET VI. OCTOBRIS, UBI S. FIDEI MEMINERUNT.

Martyrio decorati sunt anno verisim. 303, in Aquitania.

§ 1. Sancta Fides Agennensium * civitate oriunda fuit, et ex parentibus clarissimis splendidissima proles procreata, alumna loci illius in ortu, facta est patrona in passionis obitu. Nobilis quoque veterum et generosa stirpe parentum, facta est Christi munere nobilior: quia candidâ stolâ virginitatis induta, fulgens fide, in Domino Jesu Christo odorem bonae suavitatis protulit. Haec prima in civitate Agenno decus et exemplum martyrii

* Gallice, *Agen*, urbs episcopalis.

cunctis Christifidelibus fuit. Vitam namque temporalem perdere voluit, ut possideret aeternam: quia ab infantiae cunabulis Dominum Jesum Christum dilexit, et suum duxit esse auctorem. Juvenis quidem illatae passionis fuisse dicitur tempore, sed sensu et opere senex manebat. Pulcra erat facie, sed pulcrior mente; virginitatis quoque candore formosissima, vultusque hilaritate serena.

§ 2. Eodem igitur tempore Praeses sceleratissimus, nomine Dacianus, directus a profanis Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, qui tunc Romanae arcis primatum regere videbantur, cum Agennensem urbem ingrederetur, dolo instigatus diaboli, quatenus sacrilegos beneficiis remuneraret, atque Christianis ibidem metu ipsius latentibus atrocissimas poenas inferret, continuo beatissimam virginem Fidem jussit accersiri et suis conspectibus repraesentari. At illa se sponte ministris offerens, corpusque suum undique signo sanctae Crucis muniens, orabat ad Dominum, dicens: « Domine Jesu Christe, qui tuos semper in omnibus adjuvas, adesto nunc mihi famulae tuae, et praebe ori meo sermonem acceptabilem, quem in conspectu tyranni hujus respondeam. » Et armata vexillo sanctae Crucis in fronte, ore et pectore, sanctoque roborata spiritu, hilari animo perrexit. Cum autem adstaret coram Praeside, ait ad eam blando sermone: « Quod est nomen tuum? » Cui sancta Fides, nullo perterrita metu, respondit: «Fides nomine et opere vocor. » Praeses dixit: « Quis cultus religionis ac fidei tuae? » Sancta Fides respondit: « Ab exordio juventutis meae Christiana sum, et Domino meo Jesu Christo totâ mentis devotione deservio, illiusque nomen confiteor, illi me tota intentione committo. » Praeses vero callidâ simulatâque tranquillitate paulo indulgentius respondit: « Accipe, inquiens, o juvencula, consilium pulcritudini atque juventuti tuae necessarium, et cessa ab hac confessione, et sacrae Dianae sacrifica, quia ipsa est sexui vestro consimilis: et multis muneribus te amplificabo. » Quam promissionem Christi virgo velut nihilum reputans, ita respondit: « A patrum traditionibus cognovi, quia omnes dii gentium daemonia sunt, et tu mihi blanditiis persuadere vis, ut ego eis sacrificare debeam? »

§ 3. Praeses vero, irâ motus, ait ad eam: « Utquid praesumpsisti deos nostros dicere daemonia esse? Aut prostrato corpore quantocyus diis sacrifica, aut diversis te faciam interire tormentis. » Tunc sancta Fides secura de praemio, exemplo magnorum Martyrum roborata, has audiens minas, et desiderans a terrena vita ad supernam gloriam migrare, in hanc vocem prorupit, dicens: « Ego pro amore Domini mei Jesu Christi non solum pati diversa sum parata tormenta, sed etiam mortem pro ejus confessione subire desidero. » Tunc Praeses magis succensus, jussit satellitibus ut sanctam Virginem inferrent in lectum aereum, et

superpositam per quatuor partes extenderent, ignemque supponerent, ut ejus tenera membra tam crudeli disrumperentur supplicio. Itaque candentem craticulam sancta Virgo ultro conscendens, divaricatis membris per quatuor partes extenditur, lorisque ferreis coarctata, per flammeam cratem provolvitur. Cui impii ministri ferreis batillis prunas ardentes subjiciunt: adipeque flammis injecto, ad latera usque torrida incendia subvolare cogunt. Quod videntes qui aderant, unâ voce clamaverunt, dicentes: « O impietas et injusta judicia, innocens et Dei cultrix, et primae dignitatis honore praefulgens, cur absque ullo facinore gravissimis suppliciis mancipatur? » Multi enim qui videbant sanctae Fidis constantiam, crediderunt in Dominum Jesum Christum, et gloriosam sunt martyrii coronam consecuti.

§ 4. Dum haec ita agerentur, a Deo electus, martyrque futurus, sanctus Caprasius cum caeteris Christicolis persecutionem sacrilegi tyranni declinans, ad septentrionalem urbis plagam sub foramine cujusdam rupis positus latebat, et omnia quae intra muri ambitum gerebantur, clara oculorum acie exinde prospiciebat. Qui sub ejusdem diei articulo, ab ipso speluncae foramine ad urbis propugnacula adspectum dirigens, vidit sanctam Martyrem super carbonum incendia impiorum immanitate torqueri. Elevatis igitur oculis, et coelum intuens, orationem Domino, profusis precibus, effundebat, ut famulam suam in praesenti certamine faceret esse victricem. Rursusque Athleta Christi elevatis oculis in coelum totâ mentis aviditate prospexit, et iterum humo prostratus petebat a Domino, ut ei coelestem ostenderet virtutem; statimque petitionis suae desideratum consecutus est effectum. Vidit namque de nubibus columbam, ut nivem candidam descendere, et coronam interlucentibus gemmis supra solis splendorem rutilantem, coelestibusque margaritis refulgentem, super caput gloriosae Martyris ponere. Ipsam quoque Dei famulam niveo splendidoque habitu indutam prospiciens, agnovit perpetuae salutis bravìum esse assecutam, quam tanto munere videbat ditatam. Columba igitur e coelo veniens, ut divina potentia in reliquum tempus circa Martyrem sacram mirabilior fuisse praedicaretur, blando alarum volatu dulcique pennarum applausu cum imbrifero rore, totam vim flammarum extinxit, pyramque incendii torridi quasi irriguis fontibus tali volatu repressit. Vir etiam sanctus vidit beatissimam Fidem veluti pugilem egregiam, non tortorum ictibus laesam, non igni exustam, neque corpore sauciatam, sed coelestibus ornamentis stare redimitam. Quam virtutem tàm praeclaram tamque mirabilem mox ut praedictus Dei famulus Caprasius oculis spiritalibus conspexit, supernis gaudiis dignam eam futuram intellexit.

§ 5. Tunc securus non imparibus meritis eamdem gloriam subiturus, rupem, sub qua habitabat, dexterâ suâ percussit, et

continuo inde fons jugis aquae emanavit. Quae usque in hodiernum diem currens indeficienter salutis remedium cunctis advenientibus in virtute Dei praestare non desinit. Quocumque enim taedio languorum quilibet detentus fuerit, mox ut de ipsius rupis fluento haustum gustaverit, optatam salutem recipiet meritis ipsius sancti Martyris. Hic ergo vultu hilaris, spiritu alacer, corde intrepidus, caeteris ignorantibus, ad locum, ubi gloriosa virgo et martyr Fides flammarum incendia sustinebat, improvisus advenit, Christum publicâ vocem praedicans. Quem statim ad audiendum impius tyrannus suis adspectibus statui jussit. Ille vero intrepidus coram eo stetit, et praeses ejus nomen, patriam, genusque requirit. Ad quem sanctus Caprasius dixit: « Imprimis, quod praeclarum est, Christianum me confiteor, et in regenerationis lavacro Caprasius a sacerdote nuncupor. » Hoc audito, praeses blandis eum coepit lenire sermonibus: « Video, inquit, te decorum juvenem, qui si forte sermonibus meis acquieveris, poteris in palatio summorum principum amicitia perfrui, et multa praedia consequi. » Tunc S. Caprasius coelestibus admonitus mirabilibus, sanctae Fidis Martyris exemplo ad supernam gloriam spem totam figens, ita respondit: « In illius desidero habitare palatio, quem a baptismo dilexi et Redemptorem omnium in se credentium agnovi. » Praeses dixit: « Vellem te, o juvenis, ab hac malesana pertinacia revocare, et praediorum amplis possessionibus ditare. » Ad haec S. Caprasius respondit: « Ab illo credo consequi indeficientia praedia, qui est fidelis in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. » Praeses ergo, ut vidit immutabilem ejus mentem et invincibilem sermonem, ait suis: « Vereor cum homine isto diutius verbis concertare, ne ab eo jurgiis fatigatus vincar. » Tunc jubet ministris suis eum assumi, et sine pietate carnes ejus laniari. Cumque hoc factum fuisset, fortiter poenas toleravit, atque alacri vultu constanter Christi nomen populis praesentibus praedicavit. Qui pietatis affectu super eum lacrymantes, magnoque ejulatu frementes, una voce clamabant, dicentes: « O impietas et inaudita judicia, cur sanctum Dei et omni pietate ornatum tanta crudelitate vis perditum iri? »

§ **6**. Erat enim sanctus Martyr amabilis omnibus; et inter tormentorum examinationem speciali decore vir Angelicus. Cujus constantiam nulla injuriarum vi superandam, nulloque excogitatorum argumento cruciatuum reprimendam, duo fratres nomine et meritis Primus et Felicianus * admirantes, amore Dei anhelo pectore flagrantes, tam fide quam opere continuo huic se agoni sociaverunt, mortisque periculis alacriter injecerunt. Quos omnes ad jugulum mortis unâ conspiratione collectos mox ut

* Hi Martyres, qui SS. Fidis et Caprasii passionis socii feruntur, iidem non sunt, quos die 9 Junii (vide *Surium*) colit Romana Ecclesia tamquam Martyres sibi proprios.

vidit saevus ille carnifex, blandimentis eos demulcere minisque terrere coepit; sed nec sic ullo modo flectere potuit. Sicque irâ gravi commotus, ubi se adversus eos nullatenus posse praevalere sensit, ad ultimum datâ sententiâ, omnes simul cum beata Virgine et gloriosa Martyre Fide duci ad delubrum praecepit, ubi aut diis immolare, aut capitibus flexis, omnibus certum esset debere vitam finire. Ducti sunt ergo Christi milites una cum beata Fide ad praedictum locum. Ibi vero cum nullâ vi possent compelli ad sacrificandum, capitibus caesis unius diei hora cum triumpho martyrii ad coronam gloriae feliciter simul pervenire meruerunt; ut quibus pulcra et venerabilis extitit in fidei constantia societas, esset pulcrior atque excellentior in martyrii societate felicitas. Dignum namque et felicem Agennensis urbis deputamus locum, qui origine Martyrum floruit, atque per eorum gloriosa certamina fidem Christi promeruit, et post agones tumulanda eorum corpora recepit. Quos Christus cum summa veneratione coelestium virtutum, inter beatorum spirituum consortia ovantes adscivit: cum quibus stolâ immortalitatis decorati, et corona immarcescibilis gloriae laureati, inenarrabili claritate perfruuntur, atque cum Deo et Agno sine fine regnaturi, divinae visionis jucunditate potiuntur.

§ 7. Horum autem corpora tormentis miserabilibus lacerata, caesisque capitibus obtruncata, infidelis gentilitas in platea tamquam neglecta reliquit: quae devota Christi plebecula cum summa veneratione latenter colligens, et sacri effusionem sanguinis mundissimis pannis extergens, in loco tantae sanctitati digno sepulturae commendaverunt, ubi non tam sepelisse eos, quam metu tyrannorum abscondisse viderentur. Gravi enim percussi pavore, verebantur ne Sanctorum corpora malignorum invidiâ alio transferrentur, vel, quod nefarium est, tetris vicini fluminis gurgitibus submergerentur. Sed Dei providentiâ a fidelibus actum est, ut urbs, quae eos habuerat inquilinos tripertito honore, videlicet ortus, passionis ac sepulturae ditata, eosdem ad promerendam Dei omnipotentis gratiam habere mereretur et patronos. Quo in loco multis annorum recursibus jacuerunt sanota corpora, donec, ablatâ omni gentilitatis profanitate, sanctus Dulcitius Episcopatum susciperet, et pastoralem curam gerens, pro omnium salute vigilaret. Cui ante omnia placuit, ut sanctorum Martyrum reliquias ab indecenti loco elevans, in eorum veneratione constructa novâ basilica, in lucem efferret, ecclesiam ipsam sanctae virginis titulo dedicans. Qui cum tantum thesaurum aperire non incredulus, sed metu et reverentiâ territus, dubitaret diutius: ad ultimum per quietem noctis admonitus, ne negligenter dimitteret quod fideliter crederet, convocatis monachorum turbis, ac reliqui ordinis praelatis secretum suum omnibus dètegit, quorum consilio adjutus, ad effectum usque perduxit. Eorum

autem et votis caetera plebs concordans, Sanctorum reliquias de ignobili loco èrigunt, et in locum sacrum recondunt, quorum meritis ad salutem omnium innumera coelitus ostenduntur miraculorum insignia: praestante Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat unus Deus per omnia secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM S. ARTEMII

AUCTORE SIM. METAPHRASTE; EX TOMIS ALOYSII.

Martyrio coronatus fuit anno 363, Antiochìae.

§ 1. Post Domini et Salvatoris nostri in coelos ascensum, cum ejus disciputi et Apostoli universum orbem terrae Evangelio comprehendissent, et in omnes quidem partes jam distributa esset praedicatio pietatis: is autem, qui ab initio generi hominum adversatur, intolerandis tormentis per eos, qui tunc rerum potiebantur, subjiceret fideles: oportebat aliquando Christianos solvi a malis et molestiis, et cum acerba nube impietatis, solvi etiam tempestatem tormentorum, quibus afficiebantur, et sisti virgam peccatorum, quae immittebatur adversus haereditatem justorum. Cum autem ad hoc esset opus viro, qui haberet insignem animi nobilitatem: talis autem erat Constantii et Helenae filius, Constantinus Magnus cognominatus: is a patrio quidem recedit errore, arcano quodam et divino consilio, et accedit ad veritatem. Vincit enim, ut omnes sciunt, inimicos per Crucis in coelo apparitionem; et Magnus statim appellatur, et propter pietatis magnitudinem, et in hostes victoriam. Deinde etiam magno Regi, et communi omnium Domino victoriae reddens gratias, mittit per omnes partes orbis terrae decreta, quae erant contraria decretis priorum Imperatorum: nempe, ut diruerentur templa idolorum, et funditus everterentur: in Christi autem nomine rursus aedificarentur, et ejus discipulorum et martyrum aedes insignes: et quas prius impii everterant ecclesias, eae rursus priorem decorem reciperent.

§ 2. Quid ergo, qui bonis invidet, diabolus? Non ferens tantam mutationem, et alioqui sciens fieri non posse, ut qui tunc tenebat imperium, rediret ad vanum cultum simulacrorum, aliunde in nos bellum excitat: et cum in Ecclesiam Alexandrinam impium Arrium induxisset, et tamquam instrumento aliquo ejus linguâ esset usus, audet praedicare, Dei Filium esse creatum, et dogmate statuere, eum esse alienum a Dei et Patris essentia. Hac

autem malâ Arrii opinione cito extinctâ, utpote quod pius Imperator Niceae divinorum Patrum congregasset synodum; et ipsum quidem Arrium movisset e coetu Sacerdotum; verum autem Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, ejusdem esse cum Patre essentiae, et coaeternum, sicut prius, praedicasset: inimicus rursus rabie agitabatur, et priorem suam religionem rursus conabatur movere; et qui pro dignitate ei rei inserviret, diligenter inquirebat. Cum magnus ergo et primus Christianorum Imperator, pie simul et pulcre tricesimosecundo anno sui imperii, in provincia Bithynorum, quando expeditionem incepit facere contra Persas, deposuisset imperium, et Constantius filius patris successisset imperio, postquam is quoque exsolvit debitum *, ipsius patruelis Julianus, qui etiam transgressor, propter ea quod veram fidem esset aspernatus, et se ad gentilem traduxisset religionem, jure fuit appellatus, sceptra tyrannice apprehendit. Constantii autem patruelem eum diximus, quoniam natus fuit ex Constantio Constantini fratre, diversi tamen generis. Etenim ex vere beata Helena ipse Constantinus solus natus est patri. Ex Theodora autem filia Maximiani, qui etiam dictus est Herculius, hi tres nati sunt, Dalmatius, Anaballianus et Constantius. Porro ex Constantio Gallus, et is, de quo in praesentia agitur, turpissimus Julianus. Qui quidem cum, ut diximus, ex tyrannide accepisset imperium, gravissimum rursus bellum excitatur, et gravissima earum, quarum unquam fiat mentio, oritur persecutio.

§ 3. Quo quidem tempore magnus et pietate insignis, divinus, inquam, Artemius fuit martyrii coronâ redimitus. Id vero apertius docebit procedens oratio. Cum Magnus Constantinus jam e vita excessisset, ut est praemissum, in tres partes fuit divisum Romanum imperium, cum ejus filii Constantinus, Constantius et Constans id divisissent. Et primo quidem, nempe Constantino, superiores Galliae, et quae sunt ultra Alpes, et insulae Britannicae usque ad Occidentis Oceanum obtigerunt. Constanti autem, ut postremo, inferior Gallia, seu Italia, et ipsa Roma. Constantius autem, secundus ex filiis Constantini, qui tunc rebus praeerat Orientis, decertans adversus Persas, partem Orientis accepit, et Byzantium, nomine mutato in Constantinopolim, et novam Romam, facit regiam: et ab Illyrico usque ad Propontidem omnem tractum, Asiam deinde, Syriamque, et Palaestinam, et Mesopotamiam, et Aegyptum omnesque insulas, et quaecumque Romanis parebant, vectigalia suo reddit imperio. Magnus autem Artemius, cum esset valde notus Imperatori Constantio, in omni tempore, et omni negotio perpetuo cum eo versabatur, ut qui esset amicus optimus, et ex iis, qui erant virtute et doctrina insignes, et ardens amator fidei Christianorum, quo nomine ejus amicitiae et familiaritatis agnoscebatur longe studiosissimus. Ejus autem

* Constantinus Magnus animam exhalavit anno 337.

patriam et genus nemo scriptis mandavit, nisi quod erat magno et illustri loco natus vir beatissimus, et ex hominibus genere nobilibus genus ducebat, virtuteque et magnitudine animi erat insignis. Unde etiam haec de eo scripta sunt, quod sanctarum reliquiarum Christi Apostolorum, Andreae, inquam, et Lucae, et Timothei, ipse est, qui a Constantio jussus fuit facere exportationem: ut suo tempore significabit oratio.

§ 4. Cum ergo essent tres Imperatores, ut dictum est, et unusquisque eorum suae partis teneret imperium, primus Constantinus a sua parte discedens, et ultimi fratris, quae ei obtigerat, partem invadens, cum ille Romam esset profectus, aggressus est quiddam injustum facere contra fratrem, ipsumque absentem est criminatus, quod res non fuissent recte divisae, et quod imperii, quod ad ipsum pertinebat, magnam partem frater usurpasset. Regionis autem Duces et custodes, quos Constans constituerat, dixerunt se citra illius sententiam et voluntatem nihil posse omnino movere: esset enim impium. Ille autem se statim parat ad bellum, et arma movet adversus eum, qui nullam fecerat injuriam. Cadit itaque Constantinus in bello pugnans, et partem alienam cupiens, eam etiam amisit, quam juste videbatur tenere. Unde etiam ejus populus deficit ad Constantem; et in illius redigitur potestatem imperium Occidentis, cum ad id nullum studium posuisset; Deus vero in justa statera universum judicasset: qui etiam non movere terminos patrum, neque de sulco propinqui aliquid detrahere latâ lege semel constituit, ne, dum improbe se gerit quis in propinquum, imprudens justâ Dei irâ condemnetur. Obtinet ergo Constans imperium totius Occidentis, duas partes in unam conjungens, et ex ambobus unum faciens imperium.

§ 5. Non multum intercessit temporis, et Constans ad comessationes declinans et ebrietates, et alienos amores, segniter universum gerebat imperium, per ludum et saltationem tantam molem sustinens. Ergo ei parantur insidiae a quodam Duce exercitus, nomine Magnentio: et cum imperio simul quoque vitam amittit. Cûm is cecidisset, imperium occupat Magnentius, cum quo simul invaserunt tyrannidem Nepotianus et Brettanion. Haec cum accepisset Constantius ex litteris sororis, et ab Oriente venisset ad Occidentem, bello manus conserit cum illis, et vi vicit, cum Brettanion ad eum defecisset. Quo quidem tempore signum Crucis maximum, et mirifice apparens, adeo ut admirabili splendore superaret lucem diei, visum est Jerosolymis circa tertiam horam diei, cum esset dies festus, qui dicitur Pentecoste, pertingens, a loco, qui dicitur Calvariae, usque ad montem Oliveti, unde fuit assumptus noster Salvator *. Imperium ergo tenet Constantius, relictus solus ex Magni Constantini filiis. Cum ergo ad

* Hanc Crucis apparitionem celebravere etiam Historici Socrates et Sozomenus.

imperii magnitudinem defixisset oculos, et caligasset, ut qui esset homo, et non haberet ex suo genere, qui eum defenderet (neque enim ei natus fuerat filius, neque remanserat aliquis ex fratribus), et timeret, ne in eum rursus aliquis insurgeret Tyrannus, statuit ex cognatis aliquem accipere cohaeredem, et imperii defensorem: quod etiam fecit. Nam cum Gallum Juliani fratrem Sirmii Caesarem creasset * (erat autem ei Gallus patruelis; Constantius enim Galli et Juliani pater, frater fuerat Magni Constantini), ei dat uxorem, suam sororem Constantiam **, ut res esset firmior et cautior: et praebet ei magistratus, quos ipse constituerat (non enim Gallo licebat id sibi assumere, cum esset Caesar), Domitianum quidem et Thalassium emittens Praefectos Praetorios: Montium autem Imperatoriis praeficiens rationibus, quem etiam solemus vocare Quaestorem, et simul eum etiam ornans honore Patricii.

§ 6. Gallus autem, ut qui tunc a Constantio missus esset ad Orientem, erat intentus rebus gerendis. Quem cum primum accepissent Persae venisse Antiochiam, timore sunt affecti, cum audivissent eum esse juvenem, et ad res gerendas acrem et vehementem, nec fecerunt amplius excursiones in agros Romanorum. Et ille quidem erat Antiochiae Syriae, ut ostensum est; Constantius autem res constituebat in Occidente: et tunc erat maxime quietum Romanorum imperium, ut quod ab utrisque custodiretur. Et haec quidem hoc modo se habebant. Gallus autem cum Caesaris induisset purpuram, et jam coepisset ascendere primos gradus imperii, non mansit in eadem sententia et fide, quam dederat Constantio, nimis pro imperio res gerere aggrediens, et cum magna audacia et arrogantia constituens. Quos enim cum ipso magistratus emiserat Constantius, qui imperialium et civilium rerum erant judices, Praetorii Praefectum Domitianum (mortuus enim erat Thalassius) et Quaestorem Montium, quod non parèrent, et inservirent a ratione alienis, et quae cohiberi non poterant, ejus appetitionibus, cum jussisset militibus alligare funes eorum pedibus, jussit trahi per forum, et utrumque occidit, cum viri fuissent in gerendis magistratibus egregii, et quovis lucro et emolumento inventi essent superiores. Quos cum composuisset civitatis Episcopus, sepeliit, insignem eorum virtutem revèritus.

§ 7. Constantius autem cum audiisset id, quod acciderat, Gallum ad se accersit. Ille autem cum sciret quidem, se non vocari ad bonum aliquod, rursus autem cogitaret, quod si nollet parère, oporteret bellum facere, armis protinus correptis, eligit potius pacem. Et praemissa uxore ad mitigandum Constantium, ipse quoque sua sponte adibat periculum. Atque Constantia quidem statim profecta est, ut fratrem prior conveniret, et in animo habens rogare pro marito, ut nihil grave in eum statueret. Cum autem

* Anno 351. ** Quae vidua erat Anaballiani.

prompto et àlacri animi studio iter iniisset, inter eundum incidit in morbum. Et cum ascendisset in Bithyniam, in quadam ejus statione, quae Gallicana dicitur, est mortua. Gallus autem et si hoc, quod praeter opinionem acciderat, magnam reputasset calamitatem, ibat tamen ulterius, non desistens ab iis quae statuerat. Postquam vero venit ad Noricorum civitatem, quae vocatur Pytaviota *, huc Mediolano, cum illic tunc esset Constantius, mittitur Dux exercitus Barbation, qui Gallo aufert purpuram. Et cum eum fecisset privatum, relegat in quandam insulam Dalmatiae. Cum Gallus autem venisset in insulam, Eusebius Eunuchus, qui Praepositi tunc habebat honorem, et qui cum eo erant, persuadent Constantio, ut quamprimum Gallum tolleret de medio. Ille vero persuasus, mittit qui ipsum interficerent. Cum ii autem jam irent, Constantius rursus motus est misericordia: et misit ocyssime litteras, quae Gallum a morte liberabant. Eusebius autem, et qui cum eo erant, persuadent Magistrano, qui mittebatur, ne prius veniret ad ostendendas litteras, quam audivisset Gallum fuisse de medio sublatum. Haec facta sunt, et Gallus fuit interfectus **.

§ 8. Constantius autem veritus, quod non posset solus totum regere imperium, maxime cum Galli, quando vellent, promptissime incitarentur adversus imperium, tam propter vires corporis, quam propter levitatem animorum, jam ducebatur poenitentiâ quod Gallum de medio sustulisset. Et cum reputasset eos, qui sunt genere conjuncti, esse externis et alienis longe tutiores ad regni societatem, Julianum fratrem Galli ex Jonia accersitum Mediolanum, creat Caesarem; et cum suam sororem Helenam ei dedisset in matrimonium, fideque ab eo accepta sibi cavisset, eum quidem misit in Galliam, illic futurum custodem imperii. Ipse autem in Illyricum veniens, degebat Sirmii. Cum autem audivisset, quod Barbari, qui agebant trans Danubium, essent ducturi exercitum contra imperium Romanorum, Sirmio profectus transiit Danubium. Cum autem longo tempore ibi fuisset ad ipsam ripam, et rursus intellexisset Barbaros non esse se loco moturos, profectus est in Thraciam. Postquam vero fuit apud Odrysos, ubi Adrianus constructâ civitate ***, ei loco suam reliquit appellationem, audivit a quodam Episcopo, quod corpora Christi Apostolorum Andreae et Lucae sepulta erant in Achaja, Andreae quidem Patris, Lucae autem Thebis Boeotiae. Postquam autem Imperator haec audivit Constantius, propter id est laetatus, et magnâ voce clamavit, et iis, qui aderant, dixit: « Vocate mihi carum Artemium. » Cum is autem quamprimum venisset: « Gratulor tibi, inquit, virorum omnium religiosissime, et una tecum laetor. » Ille vero illi dixit: « Mihi perpetuo laeteris, o Imperator, nec te

* Germanice, *Pettau*, in Styria. ** Anno 354.
*** Quae est *Adrianopolis*, vel *Andrinopolis*, Thraciae urbs etiamnum principalis.

unquam aliquid molestum comprehendat. » Imperator autem : « Quaeris ne aliquid, o amicorum optime, gratius ac jucundius inventione corporum Christi Apostolorum ? » Magnus vero Artemius: « Quisnam aut undenam, inquit, o domine, est is, qui hunc hodie thesaurum aperuit? » Constantius autem : « Achajae, inquit, Episcopus, qui nunc praesidet Patris. Sed abi, o virorum amicorum optime, et ea quamprimum exporta Constantinopolim. » Haec cum ab Imperatore magnus audisset Artemius, recta ivit ad Apostolos, eorum sanctas allaturus reliquias. Quas quidem cum valde admirabiliter exportasset, in templo, quod ab ipso Constantio extructum est a fundamentis in nomine Apostolorum, prope sepulcrum patris eas deposuit. Ei autem in praemium ministerii dedit Imperator, rogantibus Episcopis, munus rectionis Aegypti. Talis fuit Artemius etiam ante certamina martyrii, et adeo erat apud omnes venerandus.

§ **9**. Atque proficiscebatur quidem Magnus Artemius in Aegyptum, Ducis modo susceptâ dignitate. Constantius autem profectus Constantinopoli, tendebat in Syriam: et cum in magnam pervenisset Antiochiam, ibidem figit tabernaculum, bellum parans adversus Persas. Cum ibi autem maneret in civitate, venerunt ad eum litterae, insurrectionem Juliani significantes. Julianus enim, ut a me jam ante fuit declaratum, ad custodiam Occidentis in Gallia Caesar creatus a Constantio, non ferens amplius esse in habitu Caesaris, induit diadema, et se appellat nomine Imperatoris *. Postquam autem sibi imperium usurpavit, nihil jam parvum cogitabat, neque statuebat sibi amplius esse cunctandum: sed volens in suam redigere potestatem totam Europam, quae obedit Romanis, instructo exercitu, per Germanos perrexit ad Danubium. Et cum ulteriorem ripam apprehendisset, per loca illius ducebat exercitum. Latens vero praefectos, et Italiae Taurum, qui vocabatur, et Illyrici Florentium, postquam venit ad Paeonas **, transiens ad alteram partem fluvii, statim et universam Illyricam regionem in suam redegit potestatem, et Italiam, et usque ad Oceanum Occidentalem universas gentes, quae erant imperii Romanorum.

§ **10**. Constantius autem cum haec audivisset, fuit conturbatus, ut est consentaneum, et de Constantinopoli admodum timens, ne quod ille animo cogitabat, eam prior in suam redigeret potestatem, eam totis viribus festinabat praeoccupare. Interim autem dum ab eo colligebatur exercitus, dispersus per civitates Orientis, et se parabat ad tantam viam, significat Episcopis, ut eum praecedentes veniant quamprimum Niceam. Erat enim in ea secundam Synodum congregaturus, ab impiis Arrianis incitatus adversus *Homousion*. Cum vero, transmissâ Ciliciâ, venisset ad Mopsi,

* Anno 360.
** Hodie *Paeonia* pars est provinciae Scutarensis, ad mare Adriatici adjacentis.

qui vocantur, fontes *, quaedam imbecillitas ei repente accidit, nec poterat ulterius progredi. Postquam autem sensit se jam male habere, et non victurum esse amplius, Antiochiae Episcopo celerrime accersito Euzojo, petit ut baptizetur. Et cum baptizatus, parum fuisset superstes, illic e vita excedit **, cum imperasset integros quadraginta annos, viginti quidem cum patre, solus autem reliquos.

§ **11**. Cum eum autem deflevisset exercitus, et justa ei fecisset, in arca posuerunt, cum corpus instruxissent iis, quae solent fieri ad hoc, ut duret, et cum in currum imposuissent, tulerunt Constantinopolim, cum propriis armis unusquisque eum sequentes in eodem ornatu, quem, dum viveret, habebat inter principes. Atque ii quidem venerunt Constantinopolim, ducentes corpus. Venit autem et Julianus, proficiscens ex Illyrico, et jam firmiter tenens universum imperium, nullo post mortem Constantii auso ei repugnare. Cum autem ferretur corpus in templum Apostolorum, ubi prope patrem eum erant posituri, Julianus ipse praecedebat lectum, capiti ablato diademate. Postquam autem eum sepelierunt, jam veniens in regiam, tunc rursus imposuit diadema, et rerum potiebatur, solus jam Romanorum universum adeptus imperium. Cum ergo excessisset Constantius, in eos, qui restabant, et maxime qui propter invidiam praebuerant causam Galli occisionis, irae suae fervorem ostendit Julianus. Et statim Eusebio quidem Praeposito caput àdimit, quod omnino videretur suis calumniis Gallo caedem adornasse; Paulum autem Hispanum, qui erat unus ex scribis Imperatoris, tradit igni, ut qui in Gallum fuerat acerbe invectus. Ambos namque Chalcedonem *** misit, et illic utrumque suo affecit supplicio. Interfecit etiam Gaudentium Ducem exercitus Africae, et quosdam alios, qui ei insultaverant. Sed eos quidem puniit per litteras: Christi autem Martyrem, et fortem Athletam Artemium, ipse per se Antiochiae praesens praesentem propter Christi confessionem inhumane puniit, et ea, quam habebat, privavit potestate, non ferens ejus dicendi libertatem et constantiam. Julianus enim, cum, ut ostensum est, Romanorum usurpasset imperium, maxime studebat gentium errorem in suum locum restituere. In omnes itaque partes mittens litteras, jubebat deorum templa et altaria prompto et alacri animi studio extrui, et quoscumque redditus Magnus Constantinus attribuit ecclesiis, et ejus filius Constantius, eos ademit, et templis consecravit idolorum, pro Episcopis, Presbyteris et Diaconis, constituens aedituos, aspersores, sacrificos et canephoros, et quaecumque nomina nugae imponunt gentilium. Haec quidem et alia fiebant Constantinopoli.

* Scilicet *Mopsucrenem*. ** Anno 361.
*** Quae in Bithynia, Constantinopoli contra, exsurgit. A Turcis nuncupatur Kadi-Kevi. Ibi, anno 451, Concilium oecumenicum quintum celebratum fuit ad impii Eutychis errores damnandos.

§ 12. Post haec autem cum matris suae haberet fratrem, nomine Julianum, qui ut illi gratificaretur, Christianismi fidem abjuraverat, et pro errore gentium ostendebat promptum, et alacre animi studium, emisit Orientis rectorem, quem vocant Comitem, jubens ut res quidem Ecclesiarum vexaret et perderet, ubique autem et omni ratione errorem gentium augeret et extolleret. Ille igitur cum venisset Antiochiam, conabatur re ipsâ plura praestare, quam ei fuerat imperatum. Et ecclesiis quidem aufert quaecumque habebant pretiosa, tam in argento et auro, quam in sericis vestimentis. Quin etiam claudit ecclesias, ne quis in eas ingrederetur precandi causâ, claustris et vectibus januis impositis. Et haec quidem Antiochiae faciebat Comes Orientis. Imperator autem Julianus Constantinopoli aliquod adhuc morabatur tempus, res confirmans et corroborans, prout ei maxime expedire videbatur imperio: et ut error gentium magnifice extolleretur, considerans et procurans. Postea vero discedens Constantinopoli cum universo exercitu, iter faciebat in Syriam.

§ 13. Cum itaque universam pervasisset Phrygiam, et ad ejus ultimam venisset civitatem, quae vocatur Iconium, declinavit relictâ Isauriâ. Et cum Taurum, qui dicitur, superasset, venit ad civitates Ciliciae. Cum vero accessisset ad stationem, quae est in Isso, illic castrametatur, Macedonem Alexandrum imitatus. Nam ille quoque in Isso cum Dario Rege Persarum commisit proelium. Quo victo, locum reddidit insignem. Illinc sinum transmisit Issicum, et venit Antiochiam, iram spirans adversus Christianos, et se eos esse omnino eversurum minitans. Cum Antiochiam ergo venisset tyrannus, et in domum divertisset imperatoriam, et nec unum quidem diem quievisset, ad eum adducti sunt, veluti signo dato accusati, Eugenius et Macarius, qui ipsi quoque erant pars presbyteratus ecclesiae Antiochenae. Quos cum protinus curasset sistendos: « Quinam estis, inquit, et quodnam est vobis vitae studium ? » Dixit Eugenius: « Christiani sumus, et Christi gregis pastores. Haec est nobis vita, haec conditio, hoc studium.» Dicit autem Imperator: « Ubi est is, quem dicitis Christi gregem ? » Eugenius autem: « Universus, inquit, orbis terrae, quem sol adspicit, et qui in eo sunt homines. » Julianus autem: « Nos, inquit, quibusnam praesumus, et in quosnam hodie obtinemus imperium, o tu infelix et miser homuncule, si quamcumque terram Sol adspicit, Christus gregem possidet ? » Martyr vero: « Eidem, inquit, gregi praees, o Imperator, cujus nos sumus pastores. Per Christum enim Reges regnant, et tyranni in terra dominantur. Ipse quoque Christus hodie quidem tibi dedit imperium, etiam si apparueris ingratus in benefactorem: cras autem dabit alii. Es enim unius diei, et ipse imperas iis qui sunt unius diei. Illi autem est regnum aeternum, et quod nunquam finem accipit. »

§ **14**. Qui autem defecerat Julianus: « Impie, et a deorum, inquit, aliene benevolentia, cum hesternus, inquit, sit Christus tuus, et unius diei, et ab Augusti tempore coeperit, a quonam hodie fuit creatus Rex aeternus? » Martyr autem: « Quod ad humanitatem quidem attinet, ineffabilisque et inenarrabilis dispensationis, seu carnis susceptae mysterium ita habet, o Imperator. Nam quod attinet quidem ad ejus divinam, et quae est ante secula generationem, nullum invenietur tempus ea superius.» Imperator autem existimans Martyrem esse agrestem quempiam, et nulla praeditum eruditione, irridens, inquit: « Tuus ergo Christus, o infelix, bis fuit generatus? Si vero propterea gloriaris, sunt etiam apud Graecos viri sapientissimi, non solum bis, sed etiam ter geniti. Nam et Mercurius, cognomine Trismegistus, ter venit se in mundo ostendens, quomodo narrant ejus sacri et admirandi libri; et ideo nominatur Trismegistus, id est, ter maximus. Similiter autem Pythagoras, qui hoc fuit posterior, ipse quoque ter venit in vitam, ut qui primo quidem fuerit nauclerus Aegyptius; deinde Euphorbus, de quo Homerus meminit: postremo autem Pythagoras, Mnesarchi filius, Samius. »

§ **15**. Martyr autem suaviter irridens elegantias, vel potius nugas sapientis Imperatoris, et impiorum gentilium, quam verbis ostendunt, stultitiam, conjectans autem Tyrannum per haec verba conari irridere Christi generationem, acerbe ei dixit et fortiter: « Oportebat nec tibi quidem omnino respondere, o iniquissime, nec te ullâ dignari allocutione: sed propter eam, quae adest, multitudinem, quoniam complures ex iis sunt de grege Christi, dixi quaecumque dixi, et nunc etiam dicam parumper, curam gerens eorum salutis: Christum ab alto repetentes, multis ante seculis Prophetae prius annunciarunt, multaque sunt ejus adventus testimonia, tam ex iis quae sunt apud nos oraculis, quam ex ipsis scriptis Sibyllinis. Ejus autem susceptae carnis causâ fuit propter salutem et reparationem lapsus hominum. Nam cum venisset in terram, omnem morbum expulit, et omnem infirmitatem; et admirabiliter uno verbo excitavit mortuos qui foetebant. Quod autem est omnium maxime admirabile, pro salute mundi passus mortem per Crucem, tertio die surrexit a mortuis, testibus iis militibus qui servabant ejus sepulcrum, et plusquam quingentis hominibus, ne locum habeat, qui vult calumniari ejus resurrectionem. Et cum surrexisset a mortuis, visus est suis discipulis, totos quadraginta dies cum eis versans, eisque videntibus et adspicientibus, fuit assumptus in coelos. Denique eis Sancti Spiritus donum demisit et virtutem, adeo ut loquerentur linguis alienigenarum, et non opus haberent interprete. Loquebatur enim in eis Sanctus Spiritus, et dabat eis, ut viderent quae erant procul remota, et futura praedicerent. Qui quidem egressi, ipsum ubique praedicarunt, et nihil inferentes, praeter solam

ejus virtutem quae non cadebat sub adspectum, neque clypeum, lanceam aut ensem tenentes: sed nudi, inermes, et pauperes, mundum ceperunt universum, mortuos excitantes, leprosos mundantes, daemonia ejicientes. Quinam autem haec fecerunt? Piscatores, et ignari litterarum, et qui mundi sapientiae non erant participes.

§ **16**. « Quos autem ipse induxisti, ludificans Christi generationem, viros sapientes et maximos, ut nunc dixisti, etiamsi concesserimus vere fuisse has nugas, quid bis, et ter, et quater geniti mundo profuerunt, vel mundi parvae, atque adeo minimae parti? Quis ex Mercurii et Pythagorae libris mortuos suscitavit, aut leprosos mundavit, aut daemones expulit, quos vos colitis? Sed Mercurius quidem, qui a vobis dicitur Trismegistus, fuit homo Aegyptius, et in legibus educatus Aegyptiis; et cum duxisset uxorem, peperit filios, quorum natu majorem Tat nominant, cum quo ipse loquitur, ei suas dedicans orationes, et cum Asclepio ex Epidauro, qui, ut vos vultis, fuit auctor et princeps scientiae medicinae: cui etiam suam explicat, quae sic habet, Theologiam: Deum intelligere quidem est difficile, sed ut eum verbis exprimas, minime potest fieri. Est enim in terna consistens hypostasi, essentia et natura, quae non potest explicari, non habens apud homines assimilationem. Quos autem deos nominant homines, ii multas et periculosas ad se attraxerunt fabulas. Quin etiam de Christi adventu ipse quoque obscuram quamdam refert prophetiam, ut qui non ex se, sed ex Hebraeorum eam hauserit Theologia. Sed quid mihi cum putridis et male olentibus Mercurii verbis, quae a vobis quidem in honore habentur, jam autem diu ante putruerunt et effluxerunt? Neque enim de vivis fas est rogare mortuos iis qui ex divinis eloquiis habent veros martyres, qui adventum Christi et divinitatem praenunciarunt.

§ **17**. « Pythagoras autem, qui sectae Italicae fuit auctor et princeps, quid magnum et admirandum fecit, ter in vitam productus? An quod cum fuisset Olympiae, ut vos dicitis, aureum suum femur ostendit Hellano dicis? Vel quod mugientem bovem sacrificaturus: Habet, inquit, animam viri mihi amicissimi, et per mugitum me salutat infelix? Seu quod aquilam, quae sublime volabat, per incantationem fecit cadere in terram? Haec miracula fecit, cum esset Olympiae ter genitus Pythagoras, insano gloriae amore captus, et visione haec apprehendens ter infelix, qui quaterniorem * jusjurandum constituebat, et eum dicebat fontem aeternae naturae, qui fabas colebat, propter quas periit, cum suis familiaribus simul expulsus a Tarentinis. Nam cum nollet calcare locum, in quo fabae erant dispersae, ibidem interficitur cum

* Etsi de quaternione pythagorico diu et subtiliter eruditi disseruerint, quidnam sit, adhuc incertum est.

familiaribus et discipulis, et consumitur ab inimicis. Theano autem ejus uxor et discipula, cum nollet dicere causam, propter quam faba non vescuntur, ipsa quoque, ei linguâ amputatâ, perimitur.

§ **18**. « Haec sunt sapientum Philosophorum privilegia, qui bis et ter sunt geniti, ut ipse dixisti oratorie. Illa autem sunt mei Christi miracula, propter generis humani salutem et restitutionem. Et Pythagoras quidem et Mercurius hominum animas deducunt ad profundum inferorum, quasdam earum transmigrationes et traductiones introducentes, aliquando quidem in animalia rationis expertia, et bestias eas traducentes; aliquando autem in pisces et plantas; et alias quasdam revocationes, et ambitus fingentes. Christus autem, ut Deus verus et aeternus, cum animam fecisset immortalem, et senii expertem divino, qui fuit ab initio, spiritus et insufflatione, quando fabricatus fuit primum hominem (ut divini, et quos nemo potest calumniari, referunt libri Mosis) eam rursus per inobedientiam lapsam, et deceptionem serpentis, qui affert animis exitium, ipse veniens in terram, et in ea degens, et viam salutis nobis ostendens, per baptismum et resurrectionem a mortuis, ab inferis reduxit ad coelos. Et rursus veniens ad judicandum vivos et mortuos, faciet surgere corpora, et conjunget suis animabus, et reddet unicuique secundum sua opera. »

§ **19**. Haec cum Martyr fuisset philosophatus, iniquus Julianus: « Videte, inquit, viri Romani et Graeci, hunc sceleratum et execrandum hominem, quantas ex Graecis disciplinis effudit nugas in nostram religionem. Per solem mihi carissimum, non amplius feram Graecis disciplinis institui maxime impium genus Christianorum. Ecce enim sacrae doctrinae aliqua ex parte effectus particeps his canis, licet non recte, multas tamen et injucundas ineptias effudit circa historiam. » Haec cum dixisset, jubet Martyrem tradi lictoribus, et flagris caedi ad quingentas usque plagas. Illi autem eum acceptum flagris caedebant inhumane. Et praeco clamabat: « Fac quod vult, Imperator; desine stulta loqui, et liberaberis ab iis qui te puniunt. » Martyr autem fortiter tolerabat, dum verberaretur, tacens, et nihil omnino loquens. In beatum vero Macarium oculos defigens Imperator, ei dicit: « Tu autem quid dicis de teipso, infelix homuncule? » Beatus autem dixit Martyr: « Tu es reverâ infelix, et omnium hominum miserrimus: ego autem vere beatus *, habens appellationem rei convenientem, quoniam Christum confitens adoro: ipse autem eum negasti, daemonibus adhaerens, et diabolo, qui te vel invitum transmittent ad ignem aeternum. » Transgressor autem Julianus: « Scio, inquit, te mortem cupere, et studere me ad iram movere, ut te cito consumam. Verum non ita erit, ut sperasti.

§ **20**. « Sed hoc mihi primum responde, quidnam vobis visum

* *Macarius* graeco idiomate idem est ac *beatus* latine.

sit, o execrandi, quod cum nulla vobis jusserit potestas, omnes partes obeuntes, magnorum deorum studetis evertere libamina atque sacrificia, docentes homines, eos non esse deos, neque servatores orbis terrae, nec humani generis curam gerere, quos ab aevo et multis retro seculis, a patribus data hominum consuetudo, colendos tradidit et adorandos: Christum autem qui heri coepit esse, et non multum ante nostram aetatem, Deum ante secula, et Regem universorum praedicatis. » Macarius autem: « Non tibi suffecerunt, o vir iniquissime, sapientes Eugenii demonstrationes, quod eadem et de iisdem semper interrogas? Caeterum ego quoque tibi eodem modo, quo ipse, reddam responsa: Quod Christus, quem tu irrides ac ludificaris, ipse suis dixit discipulis: *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII). Qui etiam profecti haec docuerunt, fugere vana simulacra, et converti ad Deum vivum qui creavit coelum et terram. Dii autem tui, quos ipse adoras, sunt figmenta daemonum, et inventa fabularum, diabolicaeque foetus operationis. De iis enim dicit nostra Scriptura: *Dii qui coelum et terram non fecerunt, pereant* (*Jer.* X). Nec hoc solum, sed alia quoque lex Imperatoria a Constantino tuo cognato lata, eos expellit ab adoratione, et dissolvit eorum cultus: qui cum in Christum credidisset, idolorum templa evertit omnia, et quae eis offeruntur, sacrificia aperte fecit cessare. Quid ergo mali facimus, o Imperator, si quae Deus jussit, et magnus statuit Imperator, servamus, et homines ad ea hortamur: quae autem veterum, ut dixisti, virorum ignorantia ex daemonum invenit machinatione, interdicimus, et modis omnibus prohibemus? »

§ **21**. Transgressor autem Julianus: « Sed Constantinus, inquit, cum miserrime quaedam innovasset propter ei grata scelera, defecit a diis, deceptus a vobis Galilaeis, ut qui esset nullâ doctrinâ praeditus, et nec Romanis, nec Graecis legibus ac moribus confirmatus. Ego autem, o impie, qui perveni ad summum Graecae et Romanae eruditionis, et in veterum virorum theologia, Mercurii, inquam, Orphei, et Platonis sum exercitatus, et in Judaicis quoque Scripturis non parum versatus, vestras nihili faciens praestigias, jubeo homines redire ad morem et cultum a patribus traditum, et antiquissimum, et pium, multum valere jubens inanes indoctorum opiniones. Sed hic quoque veste exuatur, et flagellorum faciat periculum, ut ex hoc effectus modestior, vel invitus nostris se submittat legibus. »

§ **22**. Cum hi ergo inhumane cruciarentur, et gravissimis afficerentur verberibus, beatus et pius Artemius qui, ut prius est ostensum, Dux et Augustalis Aegypti fuit a Constantio constitutus: et propterea quod se recte et integre gereret in administratione, rerum quoque Syriae acceperat procurationem, postquam

audivit imperium tenere Julianum, et ad bellum Persicum properare, et accepit litteras quae jubebant, ut cum toto exercitu ad Imperatorem accederet, ipse quoque Antiochiam venit, ut jussus fuerat, et cum eo, cum quo par erat, honore et satellitibus adstitit Imperatori, quando de Martyribus habebat quaestionem. Haec autem videns, et corde sauciatus, et se erroris esse defensorem, si tacitus ea quae fiebant, praeteriret, arbitratus, libere de pietate loquitur ac vera religione, et dicit ei : « O Imperator, cur adeo inhumane torques viros sanctos, et Deo consecratos, et cogis fidem suam abnegare? Scias te quoque ipsum esse hominem, obnoxium iisdem affectionibus, et participem ejusdem naturae, et earumdem perpessionum, etiamsi te Deus creavit Imperatorem, si modo a Deo accepisti imperium, et non potius malus daemon te adversus nos petitum accepit, ut cribret Christi triticum, et superseminet zizania. Sed est vanus ejus conatus. Non sunt enim ei vires, ut antea. Ex quo enim venit Christus, et fixa est Crux, et in ea fuit Christus in altum sublatus, cecidit daemonum supercilium, et sunt contemptui habitae eorum artes. Ne fallaris ergo, o Imperator, neque daemonibus gratificans, aggrediaris persequi genus Christianorum : sed disce Christi virtutem esse omni ex parte invictam et insuperabilem. Ea autem quae dico, tibi sunt satis cognita et persuasa, si te non vis decipere, ex responsis quae ad te nuper attulit Oribasius tuus medicus et quaestor a Delphico Apolline. Ego autem, et si nolis, ipsum tibi legam responsum. Sic enim habet :

Dicite vos Regi : Pulcherrima corruit aula.
Non tectum pulcher, nec laurum vatibus aptam,
Phoebus habet : fontisque extincta est lympha loquentis. »

§ **23**. Haec cum audiisset Imperator, repletus fuit stupore et admiratione, itâque excitatus, ingenti voce exclamavit : « Quisnam et unde est iste sceleratus, qui tantam et tam sonoram pro tribunali edidit concionem? » Nondum enim eum viderat, eo quod eum quidem praefecisset Constantius, cum ipse interea versaretur in Gallia. « Dux est Alexandriae, ait cohors militum, o domine. » Imperator autem eum agnoscens ex signis magistratus : « Artemius est, inquit, qui fratri meo mortem acerbam procuravit? » — « Certe, o optime Imperator, is est, » respondit cohors. Julianus autem : « Gratias, inquit, ago diis immortalibus, et Apollini Daphnaeo, quod hunc sceleratum virum et perniciosum, se suaque indicantem et profitentem reddidere manifestum. » Et dicit : « Auferatur ergo ei cingulum dignitatis *, quo is est indigne cinctus, et det poenas hujus nunc audaciae. Pro caede autem mei fratris et sanguine, cras, si dii velint, mihi dabit supplicium. Non enim unâ eum

* Signum exauctorati militis erat, cinguli depositio, quod insigne erit militiae, quandoque pro ipsa militia usurpabatur.

morte consummam, sed innumerabilibus, et eum puniam tamquam parricidam: immo vero gravius, quam parricidam, quoniam non viri communis, sed Imperatoris, fudit sanguinem, idque cum nihil grave ab eo esset passus. » Haec cum Imperator Julianus oratorie dixisset in Martyrem, arripitur statim a satellitibus: et zonâ privatus, stat pro tribunali, et traditur lictorum manibus. Ille autem cum manibus et pedibus ejus funes annexuissent, a quatuor partibus extendunt, ventremque et tergum Martyris boum nervis adeo crudeliter verberabant, ut ter mutati sint ii qui percutiebant; licebatque videre ejus novam quamdam et non humanam tolerantiam. Neque enim gemitus, nec vox, nec aliquid aliud ex iis quae accidunt hominibus qui torquentur, ab ipso emittebatur: sed vultu penitus immutato cernebatur. Terra autem, impleta erat sanguine, adeo ut omnes qui aderant, quin etiam ille ipse Imperator miraretur. Jubet itaque sanctum relaxatum cum aliis Martyribus abduci in custodiam.

§ 24. Cum ergo abducerentur Martyres Christi, psallebant: *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Posuisti afflictiones super dorsa nostra. Imposuisti homines super capita nostra* (*Psal.* 65). Restat ergo, ut *transeamus per ignem et aquam, ut nos educas in refrigerium.* Precibus autem finitis, veluti secum loquens, magnus dixit Artemius: « Artemi, ecce Christi stigmata in tuo corpore sunt insculpta. Oportet itaque te pro illo ipsam quoque profundere animam. » Et adjiciens: « Ago tibi gratias, Domine, dicebat, quod tibi placuerit, ut ego glorificarer, susceptis pro te perpessionibus, et me connumerari in chorum tuorum Sanctorum. Sed, o benigne Domine, consumma cursum meum in tua confessione, et ne me judices hoc coepto indignum. Ego enim me totum contuli ad tuas miserationes. » Haec cum apud se esset precatus, venit in custodiam cum sanctis Martyribus Eugenio et Macario, et traduntur custodi carceris: et sic erant communiter Deum glorificantes. Mane autem cum Christi Martyres curasset sistendos foedifragus Julianus, et eos nullâ dignatus esset interrogatione, nisi quod solum jussit magnum separari Artemium, fert in illos sententiam exsilii. Emittit eos Oasim *, qui est pestilens locus in Arabia, ut in quo venti spirant exitiosi. Unde etiam nullus ex iis qui illuc mittuntur, duravit usque ad annum: sed gravibus morbis correpti, omnes pereunt celerrime. Cum illuc ergo relegasset sanctos Eugenium et Macarium tyrannus, ibi etiam jussit eorum amputari capita. Itaque post aliquot dies vigesimo Decembris acceperunt beatum finem. Quo in loco factum est miraculum, dignum quod mandetur memoriae. Nam cum inopiâ aquae laboraret locus, fons scaturiit, curans omnem morbum et aegritudinem. Qui etiam manet usque in hodiernum diem.

* Cujus situs hodie difficile definitur.

§ 25. Imperator autem divino accersito Martyre: « Tua, inquit, temeritas me coëgit vel invitum probro afficere tuum genus, et tuo splendori inurere ignominiam, et ipsas tuas carnes attingere. Sed si mihi morem geras, o Artemi, et accedens sacrificaris diis immortalibus, et maxime Daphnaeo Apollini, non solum expiaberis a caede fratris mei, sed majorem rursus accipies dignitatem, et magis honorificam; et te constituam Praefectum praetorio, teque magnorum deorum creabo Pontificem, et appellabo patrem, et tenebis secundum locum in meo imperio, et eris nobiscum toto vitae tuae tempore, fruens felici et prospero rerum statu. Nam tu quoque scis fratrem meum non recte nec juste fuisse occisum a Constantio: sed ipsum confecit invidia, et omnium hominum maxime impius Eusebius, etiamsi non satis poenarum pro impio facinore luit vir sceleratissimus. Porro autem hoc quoque scis, quod ad nostrum genus magis pertinet imperium. Meus enim pater Constantius, natus fuit avo meo ex Maximiani filia Theodora; Constantinus autem ex Helena vili et abjecta femina, et obscuro loco nata, idque cum nondum creatus esset Caesar, sed vitam adhuc ageret privatam. Constantinus autem cum audaci animo rapuisset imperium, patrem meum et fratres ejus injuste interfecit. Ejus quoque filius Constantius se, sicut pater, gerens, fratrem meum Gallum occidit; idque cum horribili jurejurando ei cavisset. Porro autem nos quoque ipsos ita affecisset, nisi servati essemus deorum providentiâ. Sed ipsi prohibuerunt, nobis ante oculos ostendentes salutem, quae ab ipsis proficiscitur. Quibus ego fretus, abjurato Christianismo, declinavi ad Graecorum religionem: ut qui bene sciam, quod Graecorum et Romanorum vita antiquissima. bonis utens moribus et legibus, deos appellat, qui ex rerum ipsarum veritate sibi fidem faciunt.

§ 26. « Quis enim animi fuerit dubius, qui viderit Solem in coelo equitantem: similiter autem et Lunam, quae vehitur curru aurato? Nam ille quidem diem efficit lucidum, et homines excitat ad opera: haec autem nocti praefert faces, vigilantibusque et iter facientibus ex se magnam praebet utilitatem. Ea Graeci et Romani in deos referunt, et colunt, et spem in ipsis collocarunt, Solem, quidem appellantes Apollinem, Lunam vero Dianam. Sed et ex stellis maximas, Planetas videlicet appellatas, pro diis habent, quae reliquas quinque zonas coelestes tenent: et aliam quidem Saturnum, aliam Jovem, aliam Mercurium, aliam Martem, aliam autem Venerem nominant. Eae enim mundum universum administrant, et earum virtutibus regitur universa terra, quae est sub coelo. Horum ergo statuentes imagines, homines eas colunt et honorant, simul etiam quasdam fabulas fingentes ad voluptatem. Non tamquam deos autem colunt eorum imagines (absit), hoc enim ita accipiunt agrestiores homines et simpliciores: Sed qui cupiditate tenentur sapientiae, et res deorum accurate

inquirunt, sciunt cuinam honorem tribuant, et ad quem transeat adoratio divinarum imaginum.

§ **27**. « Tuam ergo hortor praestantiam, ut stet a nobis, et vivat, ut nobis placet, et recte Graecam sequatur religionem, et retineat mores et res veteres. Constantinus enim, sicut ipse non ignoras, erat omnium hominum deceptu facillimus; et cum esset indoctus et amens, innovavit religionem, et diis Graecorum abòlitis, declinavit ad Christianismum, cum impiorum suorum factorum eum puderet, et quod dii eum, tamquam impurum et sceleratum, a sacrosancta sua religione expulerant longissime, ut qui cognatum sanguinem fuderat. Nam et fratres occidit, qui nihil mali fecerant, et uxorem Faustam, et suum filium Priscum, qui erat vir frugi et bonus. Propterea, o vir in primis admirande, cum videam tuae mentis gravitatem et constantiam, volo te esse nostrarum partium. Age dum ergo, o Artemi, ad patriam et antiquissimam et maxime diuturnam Romanorum et Graecorum transi religionem, et nobiscum fruere bonis, quae a diis data sunt.»

§ **28**. Ad haec Christi Martyr, cum se parum sustinuisset, respondit: « Ego quidem, o Imperator, de mea religione et fide nullam in praesentia afferam defensionem, etsi satis promptas habeam demonstrationes. De fratris autem tui morte illud tibi respondebo, me illius animam nullâ unquam affecisse injuriâ, nec facto, nec dicto, sed nec ulla quidem cogitatione. Quantumvis in eo inquirendo labores, veritas, est immutabilis. Sciebam enim eum esse verum Christianum, et nulli affinem reprehensioni, piumque ac justum, et Christi leges accurate servantem. Sciat ergo coelum et terra, et universus chorus sanctorum Angelorum, et Christus Dei Filius cui ego servio in meo spiritu, me ab illius caede et morte esse purum: neque viris impiis, qui caedem illius fecerunt, quicquam dedisse auxilii, aut ad eam aliquid contulisse. Neque enim tunc aderam cum Constantio. Et de fratre quidem tuo haec est mea defensio. Quod autem ad Christi attinet abjurationem, et ad vitam gentium amplectendam, hoc tibi respondebo, a tribus pueris, qui erant sub Nabuchodonosor, mutuo accipiens: *Notum tibi sit, o Rex, quod deos tuos non colo, et tibi carissimi Apollinis auream non adorabo imaginem* (*Dan.* II).

§ **29**. «Quod autem beatum Constantinum, summum omnium Imperatorum, et illius genus maledictis es insectatus, vocans inimicum, et diis tuis execrandum, praeterea autem furiosum, et promptum ad caedem faciendam, haec tibi pro illo respondebo. Pater tuus Constantius, et ejus fratres ei priores fecerunt injuriam, ut qui ei malum venenum miscuerint, nullâ omnino ab eo affecti injuriâ. Ille autem uxorem Faustam juste admodum interfecit, ut quae priscam Phaedram esset imitata, et ejus filium Priscum esset calumniata, quod ejus amore captus esset, et vim ei conatus esset afferre, sicut etiam illa Hippolytum Thesei

filium. Atque primum quidem, qui sic in matrem insanierat, ut volebant ejus verba, ille, cum esset maritus, puniit. Postea autem cum scivisset esse mentitam, ipsam quoque occidit, in eam ferens sententiam omnium justissimam. Ad Christum autem declinavit ab illo vocatus, quando difficillimum commisit proelium adversus Maxentium. Tunc enim ei in meridie apparuit signum Crucis, radiis Solis splendidius, et litteris belli significans victoriam. Nam nos quoque ipsi signum adspeximus, cum bello interessemus, et litteras legimus. Quinetiam totus quoque id est contemplatus exercitus; et multi hujus rei testes sunt in tuo exercitu. Quid autem haec dico? Christum enim Prophetae multis ante seculis praenunciarunt, ut tu quoque scis optime, nisi tua sponte velis esse surdus. Sunt autem ejus adventus multa testimonia: et ut alia omittam, eorum, qui a vobis coluntur, deorum responsa, et praedictiones, et scripta Sibyllina, et Virgilii Romani poësis, quam vos vocatis Bucolicam, haec satis de eo significant. Caeterum ipse quoque Apollo, qui apud vos habetur in magna admiratione, cujus est propria divinatio, de Christo talem effatus est sermonem:

O utinam non extremo miserande minister,
Quaesisses, quisnam ille Deus, quis spiritus ille,
Instar qui botri complectitur omnia circum,
Lucem, astra, et fluvios, et tartara, et aëra, et ignem.
Invitum qui me propellit ab aedibus istis.
Sola mihi tripodum nunc en aurora remansit.
Hei, hei me, tripodes, deflete. Extinctus Apollo est,
Extinctus. Vir me coelestis lumine perdit.
Et passus Deus est: deitas non passa sed ipsa est. »

§ **30**. Respondens autem foedifragus Julianus: « Existimo, inquit, o Artemi, te non venisse in Aegyptum Ducem exercitus, sed vatem potius quemdam, aut Menagyrtem, ac circumforaneum nebulonem, et anuum temulentarum veteres atque adeo antiquatas narratiunculas et fabulas colligentem. » Martyr autem: « Non recte existimasti, o Imperator, nec ut tuam decet sapientiam et virtutem. Ex tuis enim diis, et iis, quae tibi sunt gratae, disciplinis, facio demonstrationes, ut ex iis, quae tibi sunt cognita, discas mysterium veritatis. Neque putes me mihi placere ornatis Graecorum verbis (*Oleum enim peccatoris non impinguet caput meum* *), sed tuae animae curam gerens, moveo omnem lapidem, ut tu persuadearis. Existimo namque, quod sicut veterem Adam, et primum parentem excaecavit Satan per inobedientiam, et esum fructus vètitae arboris; ita etiam, o Imperator, invidens tibi salutem, te privarit Christi fide. Quod autem Solem et Lunam, et stellas, deos vocas, pudet me tuae ignorantiae, ne dicam improbitatis, quod et eas honorare constitueris, et magis quam alias

* *Psalm.* 140.

stellas Solem amplecteris, et per eum jusjurandum concipis Imperatorium, susque deque, et in epistolis, et in sermone, et collocutione saepe usurpas illud, per Solem. Sed quid opus est uti pluribus verbis? Non abjuro Christum meum. Absit. Gentium execrandam non admitto impietatem, sed manebo in iis quae didici, et paternas retinebo traditiones. »

§ **31**. His Julianus in summam adductus dubitationem, plane obmutuit, nesciens quid ageret, ac valde admirans Martyris variam ac multiplicem doctrinam, et ad respondendum facilitatem. Cui rursus dicit Christi Martyr: « Dimitte, o Imperator, jam mortuam et foetidam gentium religionem (ea enim jam diu putruit), et accede ad Christum: est enim benignus, et clemens, et te non repellet, si ducaris poenitentiâ. Sed fieri non poterat, ut Martyr resisteret impetui animae, quae mala lubens ac volens sequebatur, nec ut revocaret animam, quae sua sponte tendebat ad interitum.» Julianus enim jam diu quidem animo parturiens falsam gentium religionem, quam conceperat in Jonia ex sua congressione cum Maximo Tyrio Philosopho, quamdiu quidem superstes fuit ejus frater, et post ipsum Constantius, nihil ausus est aperire propter illorum metum. Postquam autem ii e vivis excesserunt, ipse vero jam rerum potiretur: tunc ipse se aperte exuens, repente toto animi studio erupit ad gentium vanitatem. Respondit itaque Martyri: « Quoniam mea verba contempsisti, o sceleratum caput, ausus es autem vel facere periculum, ut converterer ad eumdem, ad quem tu, Christi cultum, ego quoque te dignis rebus vicissim renumerabor.» Jubet itaque exui Martyrem, et subulis ferreis candentibus ejus latera configi, et acutis tribulis dorsum ejus pungi, et disrumpi, dum supinus trahitur. His autem quamprimum illatis, erat ei eadem, sicut prius, constantia. Multis itaque horis se Martyre fortiter gerente in tormentis, et nullam emittente vocem aut gemitùm, moestus ille et tristis, tamquam victus, surrexit e tribunali, et jubet Martyrem rursus abduci in carcerem, et neque panem, neque aquam ei praeberi, nec quaecumque ad victum sumunt homines. Ipse autem profectus est ad Daphnem, qui est Antiochìae locus jucundissimus.

§ **32**. Circa mediam autem noctem appàret Christus Martyri oranti in custodia, animum ei addens, et se cum eo omnino futurum pollicens, et dicens: « Quomodo ipse me confessus fuisti coram hominibus super terram, ego quoque te confitebor coram Patre meo, qui est in coelis. » Haec cum Martyr audiisset a Domino, confidit, et tota nocte Deum glorificavit, et ei egit gratias. A plagis enim suis et vulneribus repente fuit relaxatus, adeo ut ne vibìcis quidem vestigium appareret in sancto ejus corpore. Spatio autem quìndecim dierum mansit omnino jejunus in carcere, nutritus pane Angelorum, seu gratia boni spiritus. Julianus vero

cum, sicut diximus, venisset Daphnem, sacrificia parabat Apollini, sperans fore, ut ab eo cito acciperet responsa. Daphne est suburbanum Antiochiae, situm in ejus locis altioribus: et tectum omne genus arboribus: quo in loco et aliarum arborum, et praesertim cupressorum, maxima fuit plantata multitudo, pulcritudine, altitudine et magnitudine nequaquam imitabilis. Labuntur vero in omnem partem fluenta aquarum poculentarum, scaturientibus inde maximis fontibus: quo fit, ut civitas inter caeteras aqua abundet maxime. Praeclaris quoque extructionibus habitaculorum, et lavacrorum, et aliorum aedificiorum locus est magnifice instructus et ornatus. Hîc et aliorum quidem daemonum templa erant et imagines, praecipue autem templum Apollinis colebatur ab initio. Hîc enim id, quod de Daphne virgine narratur, accidisse Graecae finxerunt fabulae: cujus etiam cognomen maxime videtur ferre locus.

§ **33**. Imago autem Apollinis erat hoc modo constructa. Ei ex vite erat corpus compositum, admirabili quadam arte ita compactum, ut prae se ferret speciem unius coalescentiae. Auro autem illitus totus, qui induebatur amictus, nudatis, et non auratis corporis partibus, ostendebat quamdam, quae dici non potest pulcritudinem. Stanti vero erat in manibus cithara, et eam videbatur pulsare. Comae autem et lauri corona, auro florebant permisto, ut magna effulgeret gratia spectatoribus. Duoque magni hyacinthi implebant ei figuram oculorum, in memoriam Hyacinthi pueri Amyclaei. Et gemmarum pulcritudo, et magnitudo, imagini maximum afferebat ornatum, adeo ut quamplurimis in eo decipi contingeret, ut qui propter apparentis formae pulcritudinem, inescarentur ad eum adorandum. Quod quidem ipsi quoque Juliano evenerat. Majorem certe ei cultum exhibebat, quam omnibus aliis imaginibus, ex singulis generibus ei millia sacrificans, et ab eo exspectans responsa.

§ **34**. Cum autem omnes imagines profundum teneret silentium, existimans opus esse praestigiis, quas Graeci vocant Hierurgiam, accersito quodam Eusebio, quem in gentibus fama erat hac in re multum posse, ei jussit ut quammaxime spirantem et efficacem redderet imaginem, nulli rei parcendo, qua ad hoc opus esse censeret. Cum autem nihil non esset machinatus, et nihil praetermisisset, quod sibi in mentem venisset: ille tamen eodem modo tacuisset, neque magis quam antea loqueretur, hic jam rogatus a Juliano, cur maxime taceret, idque cum facta essent omnia, quae de more fiunt, dixit, Babylam * esse praecipuam causam silentii tam hujus, quam reliquarum imaginum, cum is situs esset in Daphne, utpote quod dii ejus cadaver abhorrerent, et ideo more suo venire non sustinerent. Nolebat enim ei causam dicere verissimam, quod scilicet erat aperte major

* De S. Babyla actum est ad diem 24 januarii. Vide *Surium*.

virtus, quae alligaverat daemonum operationes: maxime cum daemon, qui agebat Apollinem, ei aperte respondisset, ut dicitur, se non posse loqui propter Babylam.

§ **35**. Hic enim Babylas dicitur quidem fuisse Episcopus Antiochiae: Numerianum autem Imperatorem, volentem ingredi in Ecclesiam Christianorum, in quodam festo stans pro foribus, prohibuisse ingredi dicens se pro viribus non despecturum esse lupum gregem invadentem. Ille autem ab ingressu tunc quidem fuit dejectus, sive quod suspicaretur futuram populi seditionem, sive ipse quoque aliud consilium cepisset. Aegerrime autem tulit constantiam Episcopi. Postquam vero ipse discessit in regiam, jussit eum causam suam defensurum, coram se sisti pro tribunali. Cum ipse autem esset productus, primum quidem accusavit audaciam, quod eum ausus esset prohibere: deinde jussit eum sacrificare daemonibus, si effugere vellet poenas criminationis. Ipse autem respondit quidem ad criminationem, rejecit autem exhortationem: illam quidem, dicens, se cum esset pastor, oportere velle omnia lubenter pati pro grege: hanc autem, se non admissurum, ut a vero Deo deficiens, sacrificaret iis, qui falso dii dicuntur, et sunt perniciosi daemones. Deinde ille quidem cum videret eum non parère, jussit, ut cum eum ligassent catenis et compedibus, ad mortem ducerent, caput amputaturi. At is cum duceretur moriturus, assumens cecinit haec dicta Psalmi: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi* (*Psal.* 114). Porro autem dicunt etiam tres pueros genere fratres, qui ab infantia ab eo nutriti fuerant, ab Imperatore fuisse arreptos, et cum nec illi quidem voluissent sacrificare, etsi eis afferetur omnis necessitas, ipsum quoque jussisse Imperatorem, eis adimi capita. Quos, postquam venerunt in locum propositum, Babylas ante se statuens, priores duxit ad gladium, ne quis eorum timore affectus, mortem recusaret. Cumque eorum capita fuissent amputata, postquam hanc dixisset vocem: « Ecce ego et pueri, quos mihi dedit Deus: » ipse quoque deinde suum porrexit collum, ut ense consummaretur, cum prius jussisset iis qui corpus ejus erant collecturi, catenas et compedes cum eo sepelire: ut sint, inquit, haec quoque mihi jacenti ornamento. Atque cum eis quidem certe adhuc jacet, ut ajunt.

§ **36**. Hunc autem Babylam cum ab Eusebio audiisset Julianus esse impedimento statuis, quo minus respondeant, jussit statim ejus capsam (est autem e lapide maximo) a Daphne transferre. Statim ergo civitatis profusa multitudo, ut quae magna de causa accederet, trahebat capsam. Illa autem, tamquam non magis traheretur ab hominibus, quam a potentiore, quae eam movebat, virtute, celeriter movebatur sequens eorum, qui ducebant, animi alacritatem. Cum eam autem ipso die tulissent

plusquam quinquaginta stadia, posuerunt in *coemeterio*, quod dicitur. Est autem ante civitatem domus, quae suscepit corpora antiquorum virorum, et quorum fuerunt nonnulli martyres propter pietatem. Atque tunc quidem capsam portarunt in eum locum: Julianus autem parabat multitudinem victimarum et donariorum, ut qui esset postridie cum eis Daphnem ascensurus, tunc quidem certe sperans omnino, si non alios, at ipsum Apollinem responsurum. Eo enim spectabat spes prompti et alacris illius animi, quod locus ei magis, quam alii, videbatur praestare scientia divinandi: et quod ei soli consecrata erat Daphne. Eusebius autem, et qui prius dicti sunt sacerdotes, et multitudo aedituorum, valde laborabant et vigilabant circa imaginem, exspectantes Imperatorem: et omnia agentes, ut, cum venerit, eum habeat loquentem, cum nulla excusatio esset eis relicta ad dilationem.

§ **37**. Cum vero nox jam multum processisset, ignis repente e coelo demissus, in templum cecidit: et cum ipsum omni ex parte apprehendisset, ipsam exussit imaginem cum ipsis donariis. Cumque omnia simul conflagrarent, et ignis valde extolleretur, protinus quidem fuit in templo magna vociferatio, et nulli similis tumultus. Tunc multi quidem parati erant opem ferre, nullus autem erat qui posset igni resistere. Sed alii quidem currebant ad civitatem id significaturi Juliano: reliqua vero multitudo stabat obstupefacta, contemplans calamitatem, quae ipsos invaserat. Ignis autem nihil aliud tangebat, cum tanta et tam copiosa illic esset materia. nisi quod solum cum iis quae inerant, templum comburebat: adeo ut imago quidem, et quaecumque illic erant donaria, fuerint omnino deleta; pauca autem aedificia Daphne remanserint, signa ejus, quod acciderat: quae etiam nunc quoque apertius indicant ignem, qui missus fuerat divinitus. Julianus autem cum audivisset ea quae acciderant, irâ repletur: et grave arbitratus, si propter ea, quae acciderant, Christiani essent eum ludificaturi, jubet statim eos e magna expelli Ecclesia, et provideri, ne illis ad ipsam omnino pateat aditus, ac demum quae ibi erant pretiosa, publicari. Dat autem gentibus potestatem, ut ingrediantur in Ecclesias Christianorum, et faciant quae velint.

§ **38**. Cum ergo impius haec jussisset Tyrannus, quod non maximum malum factum est? Quid non autem absurdissimum et turpissimum dictum est, omnibus lingua effraenata nefanda loquentibus adversus fidem Christianorum, nefanda loquentibus et blasphemantibus Dominum et Deum nostrum Jesum Christum in omnibus civitatibus? Nam in civitate quidem, quae olim vocabatur Samaria, postea vero et condita fuerat ab Herode, et appellata erat Sebaste, ossa prophetae Elisei, et Baptistae Joannis (ut putabant) e loculis educentes, et cum immundis brutorum

ossibus commiscentes, exusserunt; et cinerem in aërem cribrarunt ac ventilarunt; Salvatoris autem statuam, quae in Paneàde civitate a muliere, quae profluvio sanguinis laborabat, et a Christo curata fuerat, magnifice constructa *, et in insigni civitatis loco posita fuerat: quam post tempus cognitam ex miraculo herbae, quae illic nascebatur, Christiani acceperunt, et posuerunt in Diaconico **: eam gentes, detraxerunt, et funibus alligatis pedibus traxerunt per forum, donec paulatim interiit, relicto solo capite, et rapto a quodam, dum gentes tumultuarentur, dicentibus iis verba blasphema et abominanda in Dominum nostrum Jesum Christum, quae nemo unquam homo audivit.

§ **39**. Sceleratissimo autem Tyranno audienti erant haec deliciae, et ei magnam afferebant voluptatem. Unde etiam post haec jussit excitari templum Judaeorum, quod erat Jerosolymis: et e civitate expulsis Christianis, Judaeis reliquit habitandam. Quamobrem quemdam quoque Alypium, falsae religioni virum deditissimum, et Comitis dignitate honestatum, eo mittit, jubens ut magno studio templum rursus aedificaret, quod Vespasianus, et ejus filius Titus simul cum civitate destruxerunt et exusserunt. Oportebat enim ad effectum deduci verbum Christi qui est ipsa veritas, nempe: *Non manebit lapis super lapidem, qui non destruatur* (*Matth.* XXIV). Quod quidem studens falsum ostendere stolidus iste, contendebat templum rursus aedificare. etiamsi frustra laborabat, ea aggrediens, quae fieri non poterant. Nam cum magno studio concurrissent, qui Deum occiderant, Judaei, et magnâ manu et summa animi alacritate opus aggrederentur, et jaciendis fundamentis fossam foderent argenteis (ut dicunt nonnulli) ligonibus et hamis, essentque jacturi, fundamenta vehementissima irruens nocte procella, quod exinanitum quidem fuerat, rursus aggessit. Cum fulgura autem et tonitrua continenter demitterentur, et dies jam appropinquaret, fuit terraemotus adeo ingens, ut multi perierint; et ignis emissus ex iis, quae jaciebantur, fundamentis, combussit omnes, qui sunt illic inventi. Atque haec quidem sic gerebantur.

§ **40**. Julianus autem cum sedisset pro tribunali in loco, quem vocant Basilicam, et curasset sistendum Martyrem: « Audiisti omnino, inquit, o tu quoque Vir maxime impie, ab iis qui ea, quae tu, audent aggredi, quaenam ausi sint infelices adversus Apollinem, qui est in Daphne, et quemadmodum eum exusserunt cum ipsis sacris et donariis, adeo ut opus admirandum, et maxime venerandum, fuerit ab igne consumptum? Sed non gaudebunt his nostra irridentes. Ego enim pro eo exigam poenas

* Hanc statuam Paneade, seu Caesareae Philippi ab Haemorrhoissa erectam, Eusebius in *Histor. eccles.* se vidisse testatur.

** *Diaconicum*, in quo haec Christi Salvatoris imago reposita erat, idem est ac quod nos hodie *Sacristiam* vocamus. Apud veteres nuncupabatur etiam vel *Vestatorium*, vel *Mutatorium*, vel *Secretarium* etc.

septuagiessepties, quomodo dicunt vestra eloquia. » Martyr autem : « Audivi, inquit, quod ira divinitus immissa, et igni e coelo missus, deum tuum occiderit, et totum ejus templum consumpserit. Si ergo erat deus, cur non se servavit ex igne? » Foedifragus autem Julianus: « Videris, o maxime impie, tu quoque forte his insultare, et lubenter irridere, tamquam qui vindictam aliquam sis a Deo tuo consecutus. » Martyr autem: « Mihi omnino, inquit, venit in mentem ridere, et exultare propter lapsum tuorum deorum, o stultissime: gloriari autem et laetari propter miracula, quae Deus meus facit quotidie. Ultionem vero eorum, quae a te mihi intentantur, illic accipiam, quando te ignis ille comprehenderit, et aeternum supplicium. Porro autem hic quoque, non multo interjecto tempore, memoria tua peribit cum sonitu. » Foedifragus vero Julianus: « Cum videam te suppliciis delectari, ego tibi accessionem afferam voluptatis. Sed tibi parco propter meam benignitatem, et volo te, dimissâ ignorantiâ, sapienti uti ratiocinatione, et accedentem sacrificare diis immortalibus. Nam et maxima dignitate es ornatus, et satis magnae divitiae a tuis majoribus tibi sunt congregatae, et multis virtutis dotibus te dii honestarunt, etiamsi conspectus sis ingratus in eo, qui te affecerunt beneficio. » Martyr autem: « Quid insanis, inquit, o iniquissime, et immoraris in his quae nihil proficiunt? mittens autem aggredi barbaros, et bellum differens Persicum, propter quod universum orbem terrae commovisti, in me Dei servum totum consumis otium? Quamcumque ergo vis mortem in nos pronuncia. Ego enim neque deos tuos colam, neque tuis jussis parebo. »

§ 41. Haec cum audiisset Julianus, et esset animus ejus irâ repletus, accersit lapicidas, et, « Videtis, inquit, hanc petram? (ostendens quamdam praeruptam ex adverso theatri). Eam in duas partes dividite; et cum alteram partem supinam in terram dejeceritis, et eam desuper hunc maleficum extenderitis, altera parte cum impetu ipsum cooperite, ut is medius interceptus, simul habeat carnes et ossa corrupta: et factis ipsis discat, cuinam resistat, et an Dei sui fruatur auxilio. » Eo autem facto dicto citius, et Sancto in mediis petris intercepto, tanta erat vis, quae eum premebat, ut cum ejus ossa confringerentur, quidam sonus et fragor a multis exaudiretur. Disrupta enim sunt omnia, quae erant intra ipsum, et contritae sunt omnes compages ejus ossium, et oculi excesserunt e sede propria. Sed quamvis esset ad hanc adductus necessitatem, non neglexit tamen ad Deum canere. Psallebat enim: « *In petra*, dicens, *exaltasti me, et deduxisti me, quoniam factus es spes mea, turris virtutis a facie inimici. Statuisti supra petram pedes meos, et direxisti gressus meos* (*Psal.* 60 *et* 39). Accipe ergo, Fili Dei Unigenite, spiritum meum, et ne concludas me in manus inimicorum. » Sic ergo cum

in medio petrarum totum diem et noctem mansisset Martyr, iussit sceleratus Julianus disjungi petras, eum penitus interiisse, et nullam spiritus partem esse ei relictam prae illo nimio onere arbitrans. Ille autem amotus a petris, egressus est, incedens, et suis utens pedibus, re verâ miraculum maxime admirandum. Homo nudus, cui egressi quidem erant oculi, ossa contrita, membra et carnes petrarum complicatione compressa, ejus autem intestina omnia misere effluxerant: is (o novum et alienum spectaculum!) ambulabat et disserebat, et loquebatur adversus Tyrannum. Unde is quoque stupore afficiebatur, ut qui Martyrem tamquam monstrum aliquod cerneret: et dicebat iis qui aderant: « Videte rem plane novam, et plenam prodigii. Non est iste veneficus et praestigiator? Per immortales et invictos deos, non putabam, o viri, hunc execrandum adhuc vivere. Is autem, et intestinis, et universa compage ei dissoluta, et incedit, et loquitur. Sed dii eum reservarunt ad multorum insipientum correctionem, ut esset terriculum iis, qui eorum supermundanam non adorant potentiam. »

§ **42**. Sic dixit, et Martyri: « Ecce miser, inquit, et oculis es privatus, et sunt tibi membra omnia inutilia et perdita. Quaenam ergo spes est adhuc tibi reliqua? In quem sperasti inaniter? Sed deorum invocatâ benignitate, ad eos accede. Fient tibi fortasse propitii, et non tradent te iis, quae sunt apud inferos suppliciis. » Martyr autem Christi cum audiisset supplicium, subrisit, et dixit Tyranno: « Dii tui me tradent suppliciis? Et quonam modo illi cum suas poenas non effugerint, fient aliorum punitores? Illis paratus est ignis aeternus: illis tartarus et stridor dentium. Cum quibus ipse quoque tradèris igni immateriali, in aeternum puniendus: quoniam Filium Dei conculcasti, pretiosum ejus sanguinem, quem pro nobis effudit, communem existimans: et spiritum gratiae affecisti contumeliâ, in quo fuisti sanctificatus. Mihi autem pro parvo hoc labore et brevi cruciatu, dabuntur multa dona et splendida, et coronae victoriae. Sed quid haec ad te, qui te omnino tradidisti daèmonibus? Discede ergo a me, discede, operator iniquitatis: quoniam nulla est luci societas cum tenebris: et quamcumque velis, fer in nos sententiam. Jam enim et verbis, et factis es certior factus, me tuae voluntati minime esse cessurum. »

§ **43**. Haec cum audiisset foedifragus Julianus, et esset omnino in summam adductus dubitationem: « Artemius, dixit, qui deorum abnegavit religionem, Romanis autem et nostris relictis rationibus, pro Romano et Graeco maluit dici Christianus, et pro Duce et Augustali Galilaeus magis studet nominari, gladio execrandum habeat caput amputatum. » Hanc cum sententiam accepisset Martyr Christi, exiit laetus e tribunali, et alacriter sequens eos qui abducebant. Postquam autem pervènit ad locum,

ab iis, qui eum volebant interimere, petit breve tempus ad orandum. Cum ergo accepisset, et ad coelum adspexisset: « Deus, inquit, ago tibi gratias, quod me corroborasti indignum tuum famulum, ut conculcarem stimulos diaboli, et contererem ejus laqueos, quos paravit pedibus meis: pudoreque et ignominiâ affeceris ejus vultum, qui te reliquit, mundi lucem, et eum secutus est, qui ipsum seduxit, diabolum. Ago tibi gratias, Unigenite Fili Patris, quod me dignatus sis bravìo supernae vocationis, et choro Sanctorum tuorum, et me consummaveris in tua confessione. Et nunc invoco te, Domine: adspice super me, et super humilitatem meam, et da refrigerium haereditati tuae, quoniam est imbecilla, et non perfecisti eam. Ecce enim inimici tui resonuerunt, et, qui te odio habent, sustulerunt caput, et consilium ceperunt contra sanctos tuos, dicentes: Venite, exterminemus eos, et non fiat mentio nominis Christi amplius. Haec jactat Julianus; haec blasphema lingua effùtit; haec minatur populo tuo Domine, pro quo tuum sanguinem effudisti. Ecce enim altaria tua sunt effossa; sanctuarium tuum est incensum; et ablatus est decor domus tuae; et sanguis testamenti tui pro nihilo est habitus propter peccata nostra. Sed tu patiens, Domine, siste tuam in nos indignationem, et in ira memento misericordiae, et extingue furorem tuum, quem nos accendimus, dum te benignum et clementem ad iram provocaremus. Confringe superbum caput idololatriae, quod nunc rursus movetur, et extollitur adversus servos tuos. Da, ut humi allidantur mali ejus infantes ab infracta petra tuae confessionis et fidei: ut in omni loco tui dominatus, purum et nulli reprehensioni obnoxium offeratur sacrificium: et glorificetur tuum sanctissimum nomen, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen. »

§ **44**. Et cum ter genua flexisset, et adorasset ad Orientem: « Deus ex Deo, rursus dixit, solus ex solo, Rex ex Rege, qui es in coelis, et sedes ad dexteram Patris, qui te genuit, quique in terra es versatus propter omnium nostrum salutem, corona eorum, qui pro te pie decertant, audi me hodie humilem et indignum tuum famulum, et in pace suscipe animam meam: et fac eam quiescere cum Sanctis tuis, qui tibi placuerunt a seculo. » Vox autem e coelo extitit, dicens: « Audivit Dominus tuas preces, o Artemi, et tibi donavit gratiam curationum. Festina ergo consummare cursum tuum, et accipere bravìum paratum Sanctis omnibus, qui dilexerunt adventum Christi. » Hanc vocem cum audiisset beatus Artemius, et quodammodo certior esset factus, aperte ostendebat se esse repletum gaudio, et jam visione apprehendere delicias, et gloriam, qua erat fruiturus. Unde etiam cum collum lubenter porrexisset, ictum accipit vigesimo mensis Octobris. Et ipse quidem ascendit in coelos, appariturus ante Christi faciem, pro quo etiam mortem suscepit alacriter. Corpus

autem et caput in terra reliquit magnum Christianis solatium, animi medicamentum, insidiarum omnium et damnorum remedium.

§ 45. Quod quidem cum sustulisset mulier, nomine Arista, quae erat Diaconissa Ecclesiae Antiochenae, idque curasset, et in capsam imposuisset, ad felicissimam transmittit Constantinopolim, studium quidem ponens, ut eo dignum templum aedificaret, ferventioris in eum charitatis indicium. Cum autem non potuisset, quod volebat, ad effectum deducere, eo factum est, ut in hodiernum usque diem in templo praecursoris ejus sacrae manerent reliquiae, quae conservantur sicut thesaurus, qui non consumitur, ad gloriam Christi veri Dei nostri: quem decet honor, potentia, majestas et magnificentia, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA S. HILARIONIS ABBATIS

PER D. HIERONYMUM SCRIPTA, EXTAT INTER EPISTOLAS.

Claruit sec. IV — A Palaestina ortum duxit.

§ 1. Scripturis vitam beati Hilarionis, habitatorem ejus invoco Spiritum Sanctum, ut qui illi virtutes largitus est, mihi ad narrandas eas sermonem tribuat, ut facta dictis exaequentur. Eorum enim, qui fecere virtutes (ut ait Crispus), tanta habentur merita, quantum ea verbis potuere attollere praeclara ingenia. Alexander Magnus Macedo, quem vel arietem, vel pardum, vel hircum caprarum Daniel vocat, cum ad Achillis tumulum pervenisset: « Felicem te, ait, juvenis, qui magno fruaris praecone meritorum, Homerum videlicet significans. » Porro mihi tanti ac tali viri conversatio vitaque dicenda est, ut Homerus quoque, si adesset, vel invideret materiae, vel succumberet. Quamquam enim sanctus Epiphanius, Salaminae Cypri Episcopus, qui cum Hilarione plurimum versatus est, laudem ejus brevi epistola scripserit, quae vulgo legitur: tamen aliud est, locis communibus laudare defunctum: aliud, defuncti proprias narrare virtutes. Unde et nos favore magis illius, quam injuriâ, coeptum ab eo opus aggredientes, maledicorum voces contemnimus: qui olim detrahentes Paulo meo, nunc forte detrahent et Hilarioni, illum solitudinis calumniati, huic objicientes frequentiam: ut qui semper latuit, non fuisse: qui a multis visus est, vilis existimetur. Fecerunt hoc et majores eorum quondam Pharisaei, quibus nec Joannis

erèmus ac jejunium, nec Domini Salvatoris turbae, cibi, potusque placuere. Verum destinato operi imponam manum, et Scylleos canes obturata aure transibo.

§ 2. Hilarion ortus * vico Thabatha, qui circiter quinque millia a Gaza urbe Palaestinae ad Austrum situs est, cum haberet parentes idòlis deditos, rosa, ut dicitur, de spinis floruit. A quibus missus Alexandriam, grammatico traditus est, ibique quantum illa patiebatur aetas, magna ingenii et morum documenta praebuit, in brevi carus omnibus et loquendi arte gnarus. Quodque his majus est omnibus, credens in Dominum Jesum, non Circi furoribus, non arenae sanguine, non theatri luxuriâ delectabatur: sed tota illi voluntas ** in Ecclesiae erat congregatione. Audiens autem tunc celebre nomen Antonii, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus visendi ejus studio, perrexit ad erèmum. Et statim ut eum vidit, mutato pristino habitu, duobus fere mensibus juxta eum mansit, contemplatus ordinem vitae ejus, morumque gravitatem: quam creber in oratione, quam humilis in suscipiendis fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, et ut continentiam, cibique ejus asperitatem nulla unquam infirmitas frangeret. Porro frequentiam eorum, qui ad eum ob varias passiones, aut impetus daemonum concurrebant, ultra non ferens, nec congruum esse ducens, pati in erèmo populos civitatum, sicque sibi magis incipiendum esse, ut coepisset Antonius: illum quasi virum fortem victoriae praemia accipere, se necdum militare coepisse, reversus est cum quibusdam monachis ad patriam. Et parentibus jam defunctis, partem substantiae fratribus, partem pauperibus largitus est ***, nihil sibi omnino reservans, et timens illud de Actibus Apostolorum Ananiae et Saphirae vel exemplum, vel supplicium: maximeque Domini memor, dicentis: *Qui non renunciaverit omnibus quae habet, non potest meus esse discipulus* (*Luc*. XIV). Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus et armatus in Christo, solitudinem, quae in septimo milliario a Majoma ****, Gazae emporio, per litus euntibus Aegyptum ad laevam flectitur, ingressus est. Cumque essent cruenta latrociniis loca, et propinqui amicique ejus imminens periculum denunciarent, contempsit mortem, ut mortem evaderet. Mirabantur omnes animum, mirabantur aetatem, nisi quod flamma quaedam pectoris, et scintillae fidei in oculis relucebant. Lenes erant genae, delicatum corpus et tenue, et ad omnem injuriam impatiens, quod levi vel frigore, vel aestu posset affligi.

§ 3. Igitur sacco tantum membra coopertus, et pelliceum habens ependyten *****, quem illi beatus Antonius proficiscenti

* Ad finem anni 291.

** Alii legunt *voluptas*.

*** Veteres monachi adibant haereditates.

**** Majuma portus seu navale erat Gazae.

***** *Ependytes* videtur esse quaedam species lacernae seu sagi cucullati.

dederat, sagumque rusticum, inter mare et paludem vastâ et terribili solitudine fruebatur, quindecim tantum càrycas * post solis occasum comedens: et quia regio latrociniis infamis erat, nunquam in eodem loco mansitans. Quid faceret diabolus? quo se verteret? Qui gloriabatur ante, dicens: « In coelum ascendam, super sidera coeli ponam thronum meum, et ero similis Altissimo, » cernebat se vinci a puero, et prius ab eo calcatum fuisse, quam per aetatem calcare potuisset. Titillabat itaque sensus ejus et pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare, quod nesciebat; et ejus rei animo pompam vòlvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque sibi, et pectus pugnis verberans, quasi cogitationes caede manus posset excludere: « Ego, inquit, aselle, faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam et siti, gravi onerabo pondere, per aestus indagabo et frigora: ut cibum potius, quam lasciviam cogites. » Herbarum ergo succo, et paucis carycis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter, et psallens, et rastro humum fodiens, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret. Simulque fiscellas junco texens, aemulabatur Aegyptiorum monachorum disciplinam, et Apostoli sententiam, dicentis: *Qui autem non operatur, non manducet* (2. *Thess.* 2). Sic attenuatus, et intantum exeso corpore, ut ossibus vix haereret, quadam nocte coepit infantum audire vagitus, balatus pecorûm, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus. murmur exercitus, et rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu, quam adspectu, territus cederet. Intellexit daemonum ludibria: et provolutus genibus, Christi Crucem signavit in fronte: talique armatus casside, et loricâ fidei circumdatus, jacens fortius proeliabatur, amodo videre desiderans, quos horrebat audire, et sollicitis oculis huc illucque circumspiciens: cum interim ex improviso, splendente luna, cernit rhedam ferventibus equis super se irruere: cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terrae hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait: *Equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* xv). Et: *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur* (*Psal.* 19). Multae sunt tentationes ejus, et die noctuque variae daemonum insidiae: quas si omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudae mulieres cubanti, quoties esurienti largissimae apparuere dapes? Interdum orantem lupus ululans, et vulpecula ganniens transilivit, psallentique gladiatorum pugna spectaculum praebuit, et unus quasi interfectus, et ante pedes ejus corruens, sepulturam rogavit. Oravit semel fixo in terram capite, et ut natura fert hominum, abducta ab oratione mens, nescio quid aliud cogitabat: insilit dorso ejus

* Scilicet *ficus*, quasi ex Caria.

festinus gladiator, et latera calcibus, cervicem flagello verberans: Eja, inquit, cur dormitas? cachinansque desuper cum defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur.

§ 4. Igitur a sextodecimo usque ad vicesimum suae aetatis annum, aestus et pluvias brevi tuguriunculo declinavit, quod junco et carice texerat. Extructâ deinceps brevi cellula quae usque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est, staturâ suâ humiliore, porro longitudine paulo ampliore, quam ejus corpusculum patiebatur, ut sepulcrum potius, quam domum crederes. Capillum semel in anno die Paschae totondit *: super nudam humum, stratumque junceum usque ad mortem cubitavit: saccum, quod semel fuerat indutus, nunquam lavans, et superfluum esse dicens, munditias in cilicio quaerere. Nec mutavit alteram tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset. Scripturas quoque Sanctas memoriter tenens, post orationes et psalmos, quasi Deo praesente recitabat. Et quia longum est per diversa tempora carptim ascensum ejus edicere, comprehendam breviter, ante lectoris oculos vitam ejus pariter exponens, et deinceps ad narrandi ordinem regrediar.

§ 5. A vicesimoprimo anno usque ad vicesimumseptimum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aquâ frigidâ comedit, et aliis tribus panem aridum cum sale et aqua. Porro a vigesimoseptimo usque ad tricesimum herbis agrestibus, et virgultorum quorumdam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo usque ad tricesimumquintum sex uncias hordeacei panis, et coctum modice olus absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos suos, et totum corpus impetigine et pumicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum adjecit oleum, et usque ad sexagesimumtertium vitae suae annum hoc continentiae cucurrit gradu, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cujuslibet rei gustans. Inde cum se videret corpore defatigatum, et propinquam putaret imminere mortem, a sexagesimoquarto anno usque ad octogesimum pane abstinuit incredibili fervore mentis, ut eo tempore quasi novus accederet ad servitutem Domini, quo caeteri solent remissius vivere. Fiebant autem ei de farina et comminuto olere sorbitiunculae: cibo et potu vix quinque uncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitae, nunquam ante solis occasum, nec diebus festis, nec in gravissima valetudine solvit jejunium. Sed jam tempus est, ut ad ordinem revertamur.

§ 6. Cum habitaret adhuc in tuguriolo annos natus decem et octo, latrones ad eum nocte venerunt, vel existimantes habere aliquid quod tollerent, vel in contemptum sui reputantes fieri, si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret. Itaque inter mare et paludem a vespere usque ad solis ortum discurrentes,

* Hinc collige capitis tonsionem, seculo tertio, nondum fuisse monachis praeceptam.

nunquam locum ejus cubiculi invenire potuerunt. Porro clarâ luce reperto puero, quasi per jocum : « Quid, inquiunt, faceres, si latrones ad te venirent? » Quibus ille respondit : « Nudus latrones non timet. » Et illi : « Certe, ajunt, occidi potes. » — « Possum, inquit, possum; et ideo latrones non timeo, quasi mori paratus sum. » Tunc admirati constantiam ejus et fidem confessi sunt noctis errorem, caecatosque oculos, correctiorem deinceps vitam pollicentes.

§ 7. Viginti et duos jam in solitudine habebat annos, famâ tantum notus omnibus, et per totas Palaestinae vulgatus urbes, cum interim mulier quaedam Eleutheropolitana *, cernens despectui se haberi a viro ob sterilitatem (jam enim per annos quindecim nullos conjugii fructus dederat), prima irrumpere ausa est ab beatum Hilarionem, et nihil tale suspicanti repente genibus ejus advoluta : « Ignosce, inquit, audaciae, ignosce necessitati meae. Quid avertis oculos? Quid rogantem fugis? Noli mulierem adspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Salvatorem. Non habent sani opus medico, sed qui male habent. » Tandem substitit, et post tantum temporis visâ muliere, interrogavit causam adventus ejus ac fletuum. Et postquam didicit, levatis ad coelum oculis, fidere jussit : euntemque lacrymis prosecutus, exacto anno, vidit cum filio.

§ 8. Hoc signorum ejus principium, majus aliud signum nobilitavit. Aristaeneta Helpidii, qui postea Praefectus praetorio fuit, uxor, valde nobilis inter suos, et inter Christianos nobilior, revertens cum marito et tribus liberis a beato Antonio, Gazae propter eorum infirmitatem remorata est. Ibi enim, sive ob corruptum aërem, sive, ut postea claruit, propter gloriam Hilarionis servi Dei, hemitritaeo ** pariter arrepti, omnes a medicis desperati sunt. Jacebat ululans mater, et quasi inter tria filiorum discurrens cadavera, quem prius plangeret, nesciebat. Cognito autem, quod esset quidam monachus in vicina solitudine, oblita matronalis pompae, tantum se matrem noverat : vadit comitata ancillulis et eunuchis, vixque a viro persuasum est, ut asello sedens pergeret. Ad quem cum pervenisset : « Per ego te, ait, Jesum clementissimum Deum nostrum obtestor, per Crucem ejus et sanguinem, ut reddas mihi tres filios, et glorificetur in urbe gentilium nomen Domini Salvatoris, et ingrediatur servus ejus Gazam, et Marnas corruat. » Renuente illo, et dicente, nunquam se egressurum de cella, nec habere consuetudinem, ut non modo civitatem, sed ne villulam quidem ingrederetur, prostravit se illa humi, crebro clamitans : « Hilarion, serve Christi, redde mihi liberos meos. Quos Antonius tenuit in Aegypto, a te serventur in Syria. » Flebant cuncti qui aderant : sed et ipse negans flevit. Quid multa?

* *Eleutheropolis*, Palaestinae est urbs.
** Febris est quae imperfecta tertiana dicitur.

Non prius mulier recessit, quam ille pollicitus est, se post solis occasum Gazam introiturum. Quo postquam venit, singulorum lectulos et arentia * membra considerans **, invocavit Jesum. Et, o mira virtus! quasi de tribus fontibus sudor erupit: eâdem horâ acceperunt cibos, lugentemque matrem cognoscentes, et benedicentes Deum, Sancti manus deosculati sunt. Quod postquam auditum est, et longe lateque percrebuit, certatim ad eum de Syria et Aegypto confluebant, ita ut multi crederent in Christum, et se monachos profiterentur. Necdum enim tunc monasteria erant in Palaestina, nec quisquam monachum ante sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator et eruditor hujus conversationis et studii in hac provincia fuit. Habebat Dominus Jesus in Aegypto senem Antonium, habebat in Palaestina Hilarionem juniorem.

§ **9**. Facidia vicus est Rhinocorurae *** urbis Aegypti. De hoc (sunt decem jam anni) caeca mulier adducta est ad beatum Hilarionem: oblataque ei a fratribus (jam enim multi cum eo monachi erant) omnem se substantiam expendisse ait in medicos. Cui respondit: « Si quae in medicis perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus Jesus. » Clamante autem illa, et misericordiam deprecante, expuit in oculos ejus: statimque Salvatoris exemplum virtus eadem prosecuta est. Auriga quoque Gazensis in curru percussus a daemone, totus obriguit: ita ut nec manus agitare, nec cervicem posset reflectere. Delatus ergo in lecto, cum solam linguam movèret ad preces, audit non prius posse sanari, quam crederet in Jesum, et se spondèret arti pristinae renunciaturum. Credidit, spopondit, sanatus est: magisque de animae, quam de corporis, salute exultavit.

§ **10**. Praeterea fortissimus juvenis, nomine Marsitas, de territorio Jerosolymae, tantum sibi applaudebat in viribus, ut quindecim frumenti modios diu longeque portaret: et hanc haberet palmam fortitudinis suae, si asinos vinceret. Hic afflictus pessimo daemone, non catenas, non còmpedes, non claustra ostiorum integra patiebatur: multorum nasum et aures morsibus amputaverat: horum pedes, illorum gulam **** fregerat: tantumque sui terrorem omnibus incusserat, ut oneratus catenis et funibus, in diversa nitentium, quasi ferocissimus taurus, ad monasterium pertraheretur. Quem postquam fratres videre, perterriti (erat enim mirae magnitudinis) nunciaverunt Patri. Ille sicut sedebat, jussit eum ad se pertrahi, et dimitti. Solutoque: « Inclina, ait, caput, et veni. » Tremere ille, et cervicem flectere, nec adspicere contra ausus: omnique ferocitate depositâ, pedes coepit sedentis làmbere. Adjuratus itaque daemon, et tortus qui juvenem possederat, septima die egressus est. Sed nec illud tacendum est, quod Orionus

* Alii melius, *ardentia*, legunt.
** Alii, *consignans*, idest *signo crucis benedicens*, legunt: quod videtur retinendum.
*** Nunc vocatur *El Arish*.
**** Alii *crura* legunt.

vir primarius et ditissimus urbis Ailae *, quae mari Rubro imminet, a legione possessus daemonum, ad eum adductus est. Manus, cervix, latera, pedes ferro onerati erant, furorisque saevitiam torvi oculi minabantur. Cumque deambularet Sanctus cum fratribus, et de Scripturis nescio quid interpretaretur, erupit ille de manibus se tenentium, et amplexus eum post tergum, in sublime levavit. Clamor ortus ab omnibus: timebant enim, ne confecta jejuniis membra collideret. Et Sanctus arridens: « Sinite, inquit, et mihi meum palaestritam dimittite. » Ac sic reflexa super humeros manu, caput ejus tetigit, apprehensoque crine ante pedes adduxit, stringens e regione ambas manus ejus, et plantas utroque calcans pede, simulque ingeminans: « Torquère, daemonum turba, torquère. » Cumque ille ejularet, et reflexà cervice, terram vertice tangeret: « Domine, inquit, Jesu, solve miserum, solve captivum. Ut unum, ita et plures vincere, tuum est. » Rem loquor inauditam. Ex uno hominis ore diversae voces, et quasi confusus populi clamor audiebatur. Curatus itaque et hic, non post multum temporis, cum uxore et liberis venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus: « Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sint: quorum alter accepit pretium, alter obtulit: ut ille venderet gratiam Spiritus Sancti, hic mercaretur? » Cumque Orionus flens diceret: « Accipe, et da pauperibus; » respondit: « Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum, occasio avaritiae est: misericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat. » Tristi autem. et in terra jacenti: « Noli, inquit, contristari, fili. Quod facio, pro me et pro te facio. Si enim haec accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur. »

§ **11**. Quis vero possit silentio praeterire, quod Gazanus Majometes haud longe a monasterio ejus, lapides ad aedificandum de ora maris cudens, totus paralysi dissolutus, et ab operis sociis delatus ad Sanctum, statim ad opus reversus est? Etenim litus, quod Palaestinae Aegyptoque praetenditur, per naturam molle, arenis in saxa durescentibus, asperatur: paulatimque cohaerescens sibi glarea, perdit tactum, cum non perdat adspectum. Sed et Italicus ejusdem oppidi municeps Christianus, adversum Gazensem duumvirum **, Marnae idolo deditum, Circenses equos nutriebat. Hoc siquidem in Romanis urbibus jam inde servatur a Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum, Conso, quasi consiliorum deo, quadrigae septeno currant circumitu, et equos partis adversae fregisse, victoria sit. Hic itaque aemulo suo

* *Aila* non longe distabat ab hodierno portu *Suez*.

** *Duumviri* vocabantur ii duo magistratus, qui senatui vel curiae in coloniis municipiisque romanis praeerant.

habente maleficum, qui daemoniacis quibusdam imprecationibus hujus impediret equos, et illius incitaret ad cursum, venit ad beatum Hilarionem, et non tam adversarium laedi, quam se defendi, obsecravit. Ineptum visum est venerando seni, in hujuscemodi nugis orationem perdere. Cumque subridèret, et diceret: « Cur enim non magis equorum pretium pro salute animae tuae pauperibus erogas? » Ille respondit, functionem esse publicam: et hoc non tam se velle, quam cogi: nec posse hominem Christianum uti magicis artibus, sed a servo Christi potius auxilium petere, maxime contra Gazenses adversarios Dei, et non tam sibi, quam Ecclesiae Christi insultantes. Rogatus ergo a fratibus qui aderant, scyphum fictilem, quo bibere consueverat, aquâ jussit impleri, eique tradi. Quem cum accepisset Italicus, et stabulum, et equos, et aurigas suos, rhedam, carcerumque repagula adspersit. Mira vulgi exspectatio: nam et adversarius hoc ipsum irridens diffamaverat: et fautores Italici sibi certam victoriam pollicentes, exultabant. Igitur, dato signo, hi advolant, isti praepediuntur. Sub horum curru rotae fervent, illi praetervolantium terga vix cernunt. Clamor fit vulgi nimius, ita ut ethnici ipsi quoque concreparent: Marnas victus est a Christo. Porro furentes adversarii, Hilarionem maleficum Christianum ad supplicium poscere. Indubitata ergo victoria, et illis, et multis retro Circensibus plurimis, fidei occasio fuit.

§ 12. De ejusdem Gazensis emporii oppido virginem Dei vicinus juvenis deperibat. Qui cum frequenter tactu, jocis, nutibus, sibilis, et caeteris hujusmodi quae solent moriturae virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim, ut, confesso vulnere suo, magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur post annum doctus ab Aesculapii vatibus, non remediantis animas, sed perdentis, venit praesumptum animo stuprum gestiens: et subter limen domus puellae, tormenta quaedam verborum, et portentosas figuras sculptas in aeris Cyprii lamina defodit. Illico insanire virgo, et amictu capitis abjecto, rotare crinem, stridère dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris se in furorem verterat. Perducta ergo a parentibus ad monasterium, seni traditur, ululante statim, et confitente daemone: « Vim sustinui, invitus abductus sum. Quam bene Memphi somniis homines deludebam. O cruces, o tormenta quae patior. Exire me cogis, et ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi me adolescens qui tenet, dimiserit. » Tunc senex: « Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio et lamina strictus tenèris. Dic: Cur ausus es ingredi puellam Dei? » — « Ut servarem, inquit, eam virginem. » — « Tu servares, proditor castitatis? Cur non potius in eum qui te mittebat, es ingressus? » — « Ut quid, respondit, intrarem in eum qui habebat collegam meum amoris daemonem? » Noluit autem Sanctus, antequam purgaret virginem, vel adolescentem, signa

jubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse daemon videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem, asserens fallaces esse daemones, et ad simulandum esse callidos: et magis, reddita sanitate, increpuit virginem, cur fecisset talia, per quae daemon intrare potuisset.

§ **13**. Non solum autem in Palaestina, et in vicinis urbibus Aegypti, vel Syriae, sed etiam in longinquis provinciis fama ejus percrebuerat. Namque candidatus * Constantii Imperatoris, rutilus comâ, et candore corporis indicans provinciam (inter Saxones quippe et Alemannos gens ejus, non tam lata, quam valida, apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur), antiquo, hoc est, ab infantia, possessus a daemone, qui noctibus eum ululare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secreto ab Imperatore evectionem ** petiit, causam ei simpliciter indicans: et acceptis ad consularem quoque Palaestinae litteris, cum ingenti honore et comitatu Gazam deductus est. Qui cum a decurionibus illius loci quaesiisset, ubi habitaret Hilarion monachus, territi Gazenses, et putantes eum ab Imperatore missum, ad monasterium adduxerunt, ut et honorem commendato exhiberent, et si quid ex praeteritis injuriis in Hilarionem esset offensae, novo officio deleretur. Deambulabat tunc senex in arenis mollibus, et secum de psalmis nescio quid submurmurabat. Vidensque tantam turbam venientem, substitit. Et resalutatis omnibus, manuque eis benedicens, post horam caeteros abire praecepit, illum vero cum servis suis et apparitoribus remanere. Ex oculis enim ejus et vultu, cur venisset, agnovit. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, vix terram pedibus tangens, et immane rugiens, Syro, quo interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore barbaro, et qui Francam tantum et Latinam linguam noverat, Syra ad purum verba resonare: ut non stridor, non adspiratio, non idioma aliquod Palaestini deesset eloquii. Confessus est itaque, quo in eum intrasset ordine. Et ut interpretes ejus intelligerent, qui Graecam tantum et Latinam linguam noverant; Graece quoque eum interrogavit. Quo similiter, et in verba eadem respondente, multasque incantationum occasiones, et necessitates magicarum artium obtendente: « Non curo, ait, quomodo intraveris: sed ut exeas in nomine Domini nostri Jesu Christi impero. » Cumque curatus esset, simplicitate rusticâ, decem auri libras offerens, hordeacum ab eo panem accepit, audiens quod qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent.

§ **14**. Parum est de hominibus loqui: bruta quoque animalia quotidie ad eum furentia pertrahebantur: in quibus Bactrum camelum enormis magnitudinis qui jam multos obtriverat, triginta

* Milites *candidati*, scilicet *candidâ* veste induti, imperatorem in pugnis circuibant atque custodiebant.

** *Evectiones* erant codicilli, quibus facultas equis publicis utendi concedebatur.

et eo amplius viri distentum solidissimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, spumabat os, volubilis lingua turgebat, et super omnem terrorem rugitus personabat immanis. Jussit igitur eum dimitti senex. Statim vero et qui adduxerant, et qui cum sene erant, usque ad unum omnes diffugêre. Porro ille solus perrexit obviam, et sermone Syro : « Non me, inquit, terres, diabole, tanta mole corporis : et in vulpecula, et in camelo unus atque idem es. » Et interim porrectâ stabat manu. Ad quem dum furens, et quasi eum devoratura bellua pervenisset, statim corruit, submissumque caput terrae coaequavit, mirantibus cunctis qui aderant, post tantam ferociam, tantam subito mansuetudinem. Docebat autem senex, hominum causâ diabolum etiam jumenta corripere : et tanto eorum ardère odio, ut non solum ipsos, sed ea quae ipsorum essent, cuperet interire. Hujusque rei proponebat exemplum, quod antequam beatum Job tentare permitteretur, omnem substantiam ejus interfecerit. Nec movère quempiam debere, quod Domini jussione duo millia porcorum a daemonibus interfecta sunt. Siquidem eos qui viderant, non potuisse aliter credere, exisse de homine tantam daemonum multitudinem, nisi grandis porcorum numerus, et quasi a multis actus, pariter corruisset.

§ **15**. Tempus me deficiet, si voluero universa signa, quae ab eo perpetrata sunt, dicere. In tantam enim a Domino fuerat elevatus gloriam, ut beatus quoque Antonius audiens conversationem ejus, scriberet * ei, libenterque ejus epistolas sumeret; et si quando de Syriae partibus ad se languentes perrexissent, diceret eis : « Quare vos tam longe vexare voluistis, cum habeatis ibi filium meum Hilarionem ? » Exemplo itaque ejus per totam Palaestinam innumerabilia monasteria esse coeperunt, et omnes ad eum monachi certatim currere. Quod ille cernens, laudabat Domini gratiam, et ad profectum animae singulos cohortabatur, dicens praeterire figuram hujus mundi, et illam esse veram vitam, quae vitae praesentis emeretur incommodo. Volens autem exemplum eis dare et humilitatis, et officii, statis diebus, ante vindemiam lustrabat cellulas monachorum. Quod postquam cognitum est a fratribus, omnes ad eum confluebant : et comitati tali duce, circumibant monasteria, habentes viaticum suum : quia interdum usque ad duo millia hominum congregabantur. Sed et procedente tempore unaquaeque villula vicinis monachis, ad susceptionem sanctorum gaudens, cibos offerebat.

§ **16**. Quantum autem fuerit in eo studii, ut nullum fratrem quamvis humilem, quamvis pauperem praeteriret, vel illud indicio est, quod vadens in desertum Cades, ad unum de discipulis suis visendum, cum infinito agmine monachorum pervenit

*** Ex hoc loco aperte constat quam falsum sit quod ab aliquot scriptoribus traditur, S. Antonium videlicet, litteras nescivisse.**

Elusam, eo forte die, quo anniversaria solemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita est. Sed et ipsum oppidum ex magna parte semibarbarum est propter loci situm. Igitur audito, quod sanctus Hilarion praeteriret (multos enim Saracenorum arreptos a daemone frequenter curaverat), gregatim ei cum uxoribus et liberis obviam processere, submittentes colla, et voce Syrâ, *Barach*, id est, *benedic*, inclamantes. Quos ille blande humiliterque suscipiens, obsecrabat ut Deum magis, quam lapides colerent; simulque ubertim flebat, coelum spectans, et pollicens, si Christo crederent, ad eos se crebro esse venturum. Mira Domini gratia! non prius abire passi sunt, quam futurae ecclesiae lineam mitteret: et sacerdos eorum, ut erat coronatus, Christi signo denotaretur.

§ **17**. Alio quoque anno, cum exiturus esset ad visenda monasteria, et digereret in schedula, apud quos manere, quos in transitu visitare deberet, scientes monachi quemdam de fratribus parciorem, simulque cupientes vitio ejus mederi, rogabant, ut apud eum maneret. Et ille: « Quid, inquit, vultis et vobis injuriam, et fratri vexationem facere? » Quod postquam frater ille parcus audivit, erubuit, et annitentibus cunctis, vix ab invito impetravit, ut suum quoque monasterium in mansionum ordinem poneret. Post diem ergo decimum venerunt ad eum, custodibus jam in vinea, qua venirent illi, dispositis: qui cum lapidibus et glebarum jactu, fundaeque vertigine accedentes deterrèrent, sine esu uvae mane omnes profecti sunt, ridente sene, et dissimulante scire, quod evenerat. Porro suscepti ab alio monacho, cui Sabas vocabulum est (debemus quippe parci tacere vocabulum, largi dicere): quia Dominicus erat dies, invitabantur ab eo universi in vineam, ut ante horam cibi, uvarum pastu laborem viae sublevarent. Et Sanctus: « Maledictus, ait, qui prius refectionem corporis, quam animae, quaesierit. Oremus, psallamus, reddamus Domino officium, et sic ad vineam properabitis. » Completo itaque ministerio, in sublimi stans, benedixit vineae, et suas ad pascendum dimisit oves. Erant autem, qui vescebantur, non minus tribus millibus. Cumque centum lagenis aestimata fuisset integra adhuc vinea, post dies viginti trecentas fecit. Porro ille parcus frater multo minus solito colligens, etiam id quod habuerat, versum in acetum sero doluit. Hoc multis fratribus senex ante futurum praedixerat.

§ **18**. Detestabatur autem praecipue monachos, qui infidelitate quadam in futurum reservarent sua, et diligentiam haberent vel sumptuum, vel vestitûs, aut alicujus earum rerum, quae cum seculo transeunt. Denique unum de fratribus in quinto fere milliario a se manentem, quia comperiebat hortuli sui nimis cautum timidumque custodem, et pauxillum habere nummorum, ab oculis abegerat.

Qui volens sibi reconciliari senem, frequenter veniebat ad fratres, et maxime ad Hesychium, quo ille vehementissime delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem virentis, sicut in herbis erat, detulit. Quem cum Hesychius posuisset in mensa ad vesperum, exclamavit senex, se putorem ejus ferre non posse, simulque unde esset rogavit. Respondente autem Hesychio, quod frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset: « Non sentis, inquit, putorem teterrimum, et in cicere foetere avaritiam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, et vide, an comedant. » Quod cum ille juxta praeceptum in praesepe posuisset, exterriti boves, et plus solito mugientes ruptis vinculis, in diversa fugerunt. Habebat enim senex hanc gratiam, ut ex odore corporum, vestiumque et earum rerum, quas quis tetigerat, sciret cui daemoni, vel cui vitio subjaceret.

§ **19**. Igitur sexagesimotertio vitae suae anno cernens grande monasterium, et multitudinem fratrum secum habitantium, turbasque eorum, qui diversis languoribus, et immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita ut omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur, flebat quotidie, et incredibili desiderio conversationis antiquae recordabatur. Interrogatus a fratribus, quid haberet, cur se conficeret, ait: « Rursum ad seculum redii, et recepi mercedem meam in vita mea. En homines Palaestinae, et vicinae provinciae existimant me alicujus esse momenti; et ego sub praetextu monasterii ad dispensationem fratrum, vilem supellectilem habeo. » Servabatur autem a fratribus, maxime ab Hesychio, qui miro amore venerationi senis deditus erat. Cumque ita vixisset lugens biennium, Aristaeneta illa, cujus supra fecimus mentionem, Praefecti tunc uxor, sed nihil de Praefecti ambitu habens, venit ad eum, volens etiam ad Antonium pergere. Cui ille flens: « Vellem, ait, ipse quoque ire, si non carcere hujus monasterii clausus tenerer, et si eundi fructus esset: biduum enim hodie est, quod totus mundus tali parente orbatus est. » Credidit illa, et substitit. Et post paucos dies, veniente nuncio, Antonii dormitionem audivit.

§ **20**. Mirentur alii signa, quae fecit, mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem; ego nihil ita stupeo, quam gloriam illum et honorem calcare potuisse. Concurrebant Episcopi, presbyteri, clericorum et monachorum greges, matronae quoque Christianorum, grandis tentatio, et hinc inde ex urbibus et agris vulgus ignobile: sed et potentes viri et judices, ut benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. At ille nihil aliud, nisi solitudinem meditabatur, intantum ut quadam die proficisci statuerit: et, adducto asello (nimis quippe exesus jejuniis, vix ingredi poterat), iter arripere conaretur. Quod cum percrebuisset, et quasi vastitas et justitium Palaestinae indiceretur, plusquam decem millia hominum diversae aetatis et sexus, ad

retinendum eum congregata sunt. Immobilis ille ad preces, et baculo arenas discutiens, loquebatur: « Fallacem Dominum meum non faciam: non possum videre subversas ecclesias, calcata Christi altaria, filiorum meorum sanguinem. » Universi autem, qui aderant, intelligebant revelatum ei quiddam esse secreti, quod nollet confiteri: et nihilominus custodiebant eum, ne proficisceretur. Decrevit ergo, publicâ omnes voce contestans, non cibi se, non potus quicquam sumere, nisi dimitteretur. Et post septem dies inediae, tandem relaxatus, ac valedicens plurimis, cum infinito agmine prosequentium venit Betilium: ubi persuasis turbis ut reverterentur, elegit quadraginta monachos, qui haberent viaticum, et possent jejunantes ingredi, id est, post solis occasum cibum sumere. Quinto igitur die venit Pelusium, visitatisque fratribus, qui in vicina eremo erant, et in loco, qui dicitur Lychnos, morabantur, perrexit post triduum ad castrum Theubatum, ut videret Dracontium Episcopum et confessorem, qui ibi exsulabat. Quo incredibiliter consolato tanti viri praesentiâ, post aliud triduum multo Babylonem labore pervènit, ut videret Philonem Episcopum, et ipsum confessorem. Constantius enim rex, Arrianorum favens haeresi, utrumque in ea loca deportaverat. Inde egrediens, post triduum venit ad oppidum Aphroditon, ubi convento Diacono Baisane, qui, locatis camelis et dromedis, ob aquae in erèmo penuriam, consueverat euntes ad Antonium ducere, confessus est fratribus instare diem dormitionis beati Antonii, et pervigilem noctem in ipso, quo defunctus fuerat, loco a se illi debere celebrari. Tribus igitur diebus per vastam et horribilem solitudinem, tandem ad montem altissimum pervenerunt, repertis ibi duobus monachis, Isaac ac Pelusiano, quorum Isaac interpres Antonii fuerat.

§ 21. Et quia se praebet occasio, et ad id loci vènimus, dignum videtur brevi sermone habitaculum tanti viri describere. Saxeus et sublimis mons, per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit: quarum alias arenae èbibunt, aliae ad inferiora delapsae, paulatim rivum efficiunt: super quem ex utraque ripa palmae innumerabiles, multum loco et amoenitatis, et commodi tribuunt. Videres senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonii discurrere. Hîc, ajebant, psallere, hîc orare, hîc operari, hîc fessus residère solitus erat. Has vites, has arbusculas ipse plantavit: illam areolam manibus suis ipse composuit. Hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est. Istum sarculum ad fodiendum terram pluribus annis habuit. Jacebat in stratu ejus, et quasi calens adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensurae per quadrum tenens, quam homo dormiens extendi poteceat. Praeterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus arduo valde nisu, duae ejusdem mensurae cellulae visebantur: in quibus venientium

frequentiam, et discipulorum suorum contubernium fugiens, commoratus est. Verum hae in vivo excisae saxo, ostia tantum addita habebant. Postquam autem ad hortulum venerant: « Videtis, inquit Isaac, hoc pomarium arbusculis cònsitum, et oleribus virens? Ante hoc ferme triennium cum onagrorum grex vastaret, unum e ductoribus eorum stare jussit, baculoque tundens latera: Quare, inquit, comeditis, quod non seminastis? Et exinde, exceptis aquis, ad quas potandas ventitabant, nunquam eos nec arbusculam, nec olera contigisse. » Praeterea rogabat senex, ut sibi locum tumuli ejus ostenderent. Qui cum seorsum eum abduxissent, utrum monstraverint, necne, ignoratur: causam occultandi, juxta praeceptum Antonii, fuisse referentes, ne Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam sancti corpore, martyrium fabricaretur.

§ **22**. Igitur reversus ad Aphroditon, duobus secum tantum retentis fratribus, in vicina erèmo moratus est, tantâ abstinentiâ et silentio, ut tunc primum se coepisse Christo servire diceret. Porro jam triennium erat, quod clausum coelum terras illas arefecerat, ut vulgo dicerent, Antonii mortem etiam elementa lugère. Non latuit fama Hilarionis accolas quoque illius loci, et certatim virilis ac muliebris sexus, ora luridi, et attenuati fame, pluvias a servo Christi, id est, a beati Antonii successore, deprecabantur. Quos ille cernens, mire doluit: elevatisque in coelum oculis, et utrasque in sublime erigens palmas, statim impetravit, quod rogaverat. Ecce autem sitiens, arenosaque regio, postquam pluviis irrigata est, tantam serpentum et venenatorum animalium eximproviso ebullivit multitudinem, ut percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionem concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque oleo universi agricolae atque pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant.

§ **23**. Videns etiam ibi se miris honoribus àffici, perrexit Alexandriam, inde ad ulteriorem Oasim erèmum transiturus. Et quia nunquam, ex quo coeperat esse monachus, in urbibus manserat, divertit ad quosdam fratres sibi notos in Brutio, haud procul ab Alexandria: qui cum miro gaudio suscepissent senem, et jam vicina nox esset, repente audiunt discipulos ejus asinum sternere, illumque parare proficisci. Itaque advoluti pedibus rogabant, ne hoc faceret: et ante limen prostrati, citius se mori, quam tanto carère hospite, testabantur. Quibus ille respondit: « Idcirco abire festino, ne vobis molestiam generem. Certe ex posterioribus cognoscetis, non sine causa me subito ambulasse. » Igitur alterâ die Gazenses cum lictoribus profecti (nam pridie eum venisse cognoverant), intrantes monasterium, cum illum minime invenissent, invicem loquebantur: « Nonne vera sunt, quae audivimus? Magus est, et futura cognoscit. » Urbs enim Gaza, postquam profecto de Palaestina Hilarione, Julianus in Imperium successerat, destructo

monasterio ejus, precibus ad Imperatorem datis, et Hilarionis, et Hesychii mortem impetraverat: amboque ut quaererentur toto orbe scriptum erat. Egressus ergo de Brutio, per inviam solitudinem intravit Oasim: ibique anno plus minus exacto, quia illuc quoque sua fama pervenerat, quasi jam in Oriente latère non posset, ubi multi illum et opinione, et vultu noverant, ad solas navigare insulas cogitabat: ut quem terra vulgaverat, saltem maria celarent.

§ 24. Eodem ferme tempore Hadrianus discipulus ejus de Palaestina supervènit, dicens Julianum occisum: Christianum Imperatorem regnare coepisse: reverti eum debere ad monasterii sui reliquias. Quod ille audiens, detestatus est: et conducto camelo, per vastam solitudinem pervènit ad maritimam urbem Libyae Paraetonium: ubi Hadrianus infelix, volens Palaestinam reverti, et pristinam sub nomine magistri quaerens gloriam, multas ei fecit injurias. Ad extremum, convasatis *, quae a fratribus ei missa detulerat, nesciente illo, profectus est. Super hoc, quia alter locus referendi non est, hoc tantum dixerim in terrorem eorum, qui magistros despiciunt, quod post aliquantulum temporis computruerit morbo regio.

§ 25. Habens igitur senex Gazanum secum, ascendit classem, quae Siciliam navigabat. Cumque venundato Evangeliorum codice, quem manu sua adolescens scripserat, dare naulum disponeret, in medio ferme Adriae, naucleri filius arreptus a daemone, clamare coepit, et dicere: « Hilarion, serve Dei, cur nobis per te et in pelago tutos esse non licet? Da mihi spatium, donec ad terram veniam, ne hîc ejectus, praecipiter in abyssum. » Cui ille: « Si Deus meus, ait, tibi concedit ut maneas, mane. Sin autem ille te ejicit, quid mihi invidiam facis, homini peccatori atque mendico? » Hoc autem dicebat, ne nautae et negotiatores, qui in navi erant, se, cum ad terram pervenissent, proderent. Nec multo post purgatus est puer, patre fidem dante, et caeteris, qui aderant, nulli se super ejus nomine locuturos. Ingressus autem Pachynum **, promontorium Siciliae, obtulit nauclero Evangelium pro subvectione sua et Gazani. Qui nolens accipere, maxime cum videret illos, excepto illo codice, et his, quibus vestiti erant, amplius nihil habere, ad extremum jurat se non accepturum. Sed et senex accensus fiduciâ pauperis conscientiae, in eo magis laetabatur, et quod nihil haberet seculi, et ab accolis illius loci medicus putaretur. Porro recogitans, ne negotiatores de Oriente venientes, se notum facerent, ad mediterranea fugit loca, id est, vicesimo a mari milliario, ibique in quodam deserto agello lignorum quotidie fascem alligans, imponebat dorso discipuli. Quo in proxima villa venundato, et sibi alimoniam, et his, qui forte ad eos veniebant, pauxillulum panis emebant.

* Scilicet, collectis in sarcinas rebus, ut asportarentur. ** Italice, *Capo Passaro*.

§ **26**. Sed vere, juxta quod scriptum est, non potest civitas latère super montem posita: scutarius quidam, cum in basilica beati Petri Romae torqueretur, clamavit in eo immundus spiritus: « Ante paucos dies Siciliam ingressus est Hilarion, servus Christi, et nemo eum novit, et putat se esse secretum: ego vadam, et prodam illum. » Statimque, cum servulis suis ascensâ in portu nave, appulsus est Pachynum, et deducente se daemone, ubi ante tugurium senis se prostravit, illico curatus est. Hoc initium signorum ejus in Sicilia, innumerabilem ad eum deinceps aegrotantium, sed et religiosorum hominum adduxit multitudinem, intantum ut de primoribus quidam tumens morbo intercutis, eodem die, quo ad eum venerat, curatus sit. Qui postea offerens ei infinita munera, audivit dictum Salvatoris ad discipulos: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth*. x).

§ **27**. Dum haec ita geruntur in Sicilia, Hesychius discipulus ejus toto senem orbe quaerebat, lustrans litora, deserta penetrans, et hanc tantum habens fiduciam, quia ubicumque esset, diu latère non posset. Transacto igitur jam triennio, audivit Methonae a quodam Judaeo, vilia populis scruta vendente, prophetam Christianorum apparuisse in Sicilia, tanta miracula et signa facientem, ut de veteribus sanctis putaretur. Interrogatus itaque habitum ejus, incessum et linguam, maximeque aetatem: nihil dicere potuit. Ille enim, qui referebat, famam ad se venisse tantum hominis testabatur. Ingressus igitur Adriam, prospero cursu venit Pachynum *, et in quadam curvi litoris villula; famam senis sciscitatus, consonâ voce omnium cognovit, ubi esset, quid ageret: nihil in eo ita cunctis admirantibus, quam quod post tanta signa atque miracula, ne fragmen quidem panis a quoquam in illis locis accepisset.

§ **28**. Et ne longum faciam, sanctus vir Hesychius ad magistri genua provolutus, plantasque ejus lacrymis rigans, tandem ab eo sublevatus, post bidui, triduique sermonem audit a Gazano, non posse senem jam in illis habitare regionibus, sed velle ad barbaras quasdam pergere nationes, ubi et nomen, et sermo suus incognitus foret. Duxit itaque illum ad Epidaurum ** Dalmatiae oppidum, ubi paucis diebus in vicino agello mansitans, non potuit abscondi. Siquidem draco mirae magnitudinis, quos gentili sermone boas vocant, ab eo, quod tam grandes sint, ut boves glutire soleant, omnem late vastabat provinciam, et non solum armenta et pecudes, sed agricolas quoque et pastores, tractos ad se vi spiritus, absorbebat. Cui cum pyram jussisset praeparari, et oratione ad Christum missâ, evocato praecepisset struem lignorum scandere, ignem supposuit. Tum itaque cunctâ spectante plebe, immanem bestiam concremavit. Unde aestuans quid faceret, quo se verteret, aliam parabat fugam, et solitarias terras

* Circa initium anni 365. ** Nunc *Vetus Ragusia*.

mente perlustrans, moerebat, quod tacente de se linguâ, miracula loquerentur.

§ **29**. Eâ tempestate * terraemotu totius orbis, qui post Juliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos: et quasi rursum Deus diluvium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves ad praerupta delatae montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani, frementes fluctus, et undarum moles, et montes gurgitum litoribus inferri, verentes quod jam evenisse cernebant, ne oppidum funditus subverteretur, ingressi sunt ad senem, et quasi ad proelium proficiscentes, posuerunt eum in litore. Qui cum tria Crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit, ac diu fremens, et quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus, et omnis illa regio usque hodie praedicat, matresque docent liberos suos, ad memoriam in posteros transmittendam. Vere illud, quod ad Apostolos dictum est: *Si credideritis, dicetis huic monti: Transi in mare, et fiet* (*Matth*. XVII): etiam juxta litteram impleri potest, si tamen quis habuerit Apostolorum fidem, et talem, qualem illis habendam Dominus imperavit. Quid enim interest, utrum mons descendat in mare, an immensi undarum montes repente obriguerint, et ante senis tantum pedes saxei, ex alia parte molliter fluxerint? Mirabatur omnis civitas, et magnitudo signi Salonis quoque percrebuerat. Quod intelligens senex, in brevi lembo clam nocte fugit, inventâ post biduum onerariâ navi, perrexit Cyprum. Cumque inter Maleam et Cytheram piratae, derelictâ classe in litore, quae non antenna, sed conto regitur, duobus haud parvis myoparonibus ** occurrissent, et denuo hinc inde fluctus occurrerent, remiges omnes, qui in navi erant, trepidare, flere, discurrere, praeparare contos, et quasi non sufficeret unus nuncius, certatim seni piratas adesse dicebant. Quos ille procul intuens, subrisit, et conversus ad discipulos, dixit: « Modicae, inquit, fidei, quare trepidatis? Nunquid plures sunt hi, quam Pharaonis exercitus? tamen omnes, Deo volente, submersi sunt. » Loquebatur hic, et nihilominus spumantibus rostris, hostiles turmae imminebant, jactu tantum lapidis medio. Stetit ergo in prora navis, et porrectâ contra venientes manu: « Hucusque, ait, venisse sufficiat. » O mira rerum fides! statim resiluere naviculae, et impellentibus contra remis, ad puppim impetus redit. Mirabantur piratae, post tergum se redire nolentes totoque corporis nixu, ut ad navigium pervenirent, laborantes, velocius multo, quam venerant, ad litus ferebantur.

§ **30**. Praetermitto caetera, ne videar in narratione signorum

* Anno scilicet 365.
** *Myoparones* naves erant piraticae, et vimine factae, coriisque tectae.

volumen extendere. Hoc solum dicam, quod prospero cursu inter Cycladas navigans, hinc inde clamantium de urbibus et vicis, et ad litora concurrentium immundorum spirituum voces audiebat. Ingressus ergo Paphum, urbem Cypri, nobilem carminibus poëtarum, quae frequenter terraemotu lapsa, nunc ruinarum tantum vestigiis, quid olim fuerit, ostendit: in secundo ab urbe milliario habitabat ignobilis, gaudensque quo paucis diebus quiete viveret. Verum non ad plenum viginti transiere dies cum per illam omnem insulam quicumque immundos habebant spiritus, clamare coeperunt venisse Hilarionem servum Christi, et ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha, et urbes reliquae conclamabant: plerisque asserentibus, scire se quidem Hilarionem, et vere illum esse famulum Dei, sed ubi esset, ignorare. Intra triginta igitur, nec multo amplius dies, ducenti ferme, tam viri, quam mulieres, ad eum congregati sunt. Quos cum vidisset, dolens quod se non paterentur quiescere, et quodammodo in ultionem sui saeviens, tantâ eos orationum instantiâ flagellavit, ut quidam statim, alii post biduum triduumve, omnes vero intra unam hebdomadam curarentur.

§ **31**. Manens itaque ibi biennio, et semper de fuga cogitans, Hesychium ad se veris tempore reversurum, Palaestinam ad salutationem fratrum, et monasterii sui cineres visendos misit. Qui cum revertisset, cupienti rursum ad Aegyptum navigare, hoc est, ad ea loca, quae vocantur Bucolia, eo quod nullus ibi Christianorum esset, sed barbara tantum et ferox natio, suasit, ut in ipsa magis insula ad secretiorem locum conscenderet. Quem cum diu lustrans omnia, reperisset, perduxit eum duodecim millibus a mari procul, inter secretos asperosque montes, et quo vix reptando manibus genibusque posset adscendi. Qui introgressus, contemplatus quidem est terribilem valde et remotum locum, arboribusque hinc inde circumdatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, et hortulum peramoenum, et pomaria plurima, quorum fructum nunquam in cibo sumpsit, sed et antiquissimi juxta templi ruinam, ex quo (ut ipse referebat, et ejus discipuli testantur), tam innumerabilium per noctes et dies daemonum voces resonabant, ut exercitum crederes. Quo ille valde delectatus, quo scilicet antagonistas haberet in proximo: habitavit ibi per annos quinque, et saepe invisente se Hesychio, in hoc extremo jam vitae suae tempore refocillatus est, quod propter asperitatem difficultatemque loci, et umbrarum (ut ferebatur vulgo) multitudinem, aut nullus, aut rarus ad se vel posset, vel auderet adscendere. Quodam autem die egressus hortulum, vidit hominem toto corpore paralyticum, jacentem ante fores. Interrogavitque Hesychium, quisnam esset, et quomodo fuisset adductus. Qui respondens, ait, procuratorem se fuisse villulae, ad cujus confinia hortulus quoque, in quo

ipsi erant, pertineret. Et ille collacrymans, tendensque ad jacentem manum: « Tibi, inquit, dico: In nomine Domini nostri Jesu Christi surge, et ambula. » Mira velocitas! Adhuc verba in ore loquentis volvebantur, et jam membra solidata ad standum, hominem surrigebant. Quod postquam auditum est, etiam difficultatem loci et iter invium plurimorum vicit necessitas: nihil aeque per circuitum cunctis villis observantibus, quam ne quo modo elaberetur. Disseminaverat enim hoc de eo rumor, diu eum in eodem loco manere non posse. Quod ille non levitate quadam, aut puerili sensu victus faciebat, sed honorem fugiens et importunitatem. Semper enim silentium, et vitam ignobilem desiderabat.

§ **32**. Igitur octogesimo aetatis suae anno, cum absens esset Hesychius, quasi testamenti vice brevem manu propriâ scripsit epistolam, omnes divitias suas ei derelinquens: Evangelium scilicet, et tunicam sacceam, cucullam et palliolum. Nam minister ejus ante paucos dies obierat. Venerunt itaque ad aegrotantem de Papho multi religiosi viri: et maxime, quod eum dixisse audierant, jam se ad Dominum migraturum, et de corporis vinculis liberandum. Sed et Constantia quaedam sancta femina, cujus generum et filiam de morte liberaverat unctione olei. Quos omnes adjuravit, ut ne puncto quidem horae post mortem reservaretur: sed statim eum in eodem hortulo terrâ operirent, sicut vestitus erat in tunica cilicina, et cuculla, et sago rustico. Jamque modicus calor tepebat in pectore; nec praeter sensum quicquam vivi hominis supererat, et tamen, apertis oculis, loquebatur: « Egredere, quid times? Egredere, anima mea, quid dubitas? Septuaginta * prope annis servisti Christo, et mortem times? » In haec verba exhalavit spiritum **. Statimque humo obrutum, ante urbi sepultum, quam mortuum, nunciaverunt. Quod postquam Palaestinae sanctus vir audivit Hesychius, perrexit ad Cyprum, et simulans se velle habitare in eodem hortulo, ut diligenti custodiae suspicionem accolis tolleret, cum ingenti vitae suae periculo post decem fere menses corpus ejus furatus est. Quod Majomam deferens, totis monachorum et oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio condidit, illaesâ tunicâ, cucullâ et palliolo, et toto corpore, quasi adhuc viveret, integro, tantisque fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putares.

§ **33**. Non mihi videtur in calce libri tacenda Constantiae illius sanctissimae mulieris devotio, quae, perlato ad se nuncio, quod corpusculum Hilarionis Palaestinae esset, statim exanimata est, veram in servum Dei dilectionem etiam morte comprobans. Erat

* Hos annos computare oportet a suscepto baptismate, non vero ab ingressu in monasticam vitam, ut vulgo creditur. S. Hilarion, anno aetatis suae undecimo, baptizatus videtur.
** Die 21 octobris anni 371.

enim solita pervigiles in sepulcro ejus noctes ducere, et quasi cum praesente ad adjuvandas orationes suas sermocinari. Cernas usque hodie miram inter Palaestinos et Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in utrisque locis magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia plus illum locum dilexerit.

VITA MALCHI MONACHI CAPTIVI

PER D. HIERONYMUM PRESBYTERUM SCRIPTA: QUAM S. HILARIONI SUBJUNXIMUS, NON QUOD MALCHI OBITUS IN HUNC DIEM INCIDAT, SED PROPTER AUCTOREM, CUJUS HILARIONI MALCHUM LIBUIT ADJUNGERE, QUOD CERTUS OBITUS EJUS DIES IGNORETUR.

Seculo IV floruit.

§ 1. Qui navali proelio dimicaturi sunt, ante in portu et in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus et uncos praeparant, dispositumque per tabulata militem, pendente gradu, et labente vestigio, stare firmiter consuescunt, ut quod in simulacro pugnae didicerint, in vero certamine non perhorrescant. Ita et ego, qui diu tacui (silere quippe me fecit, cui meus sermo supplicium est), prius exerceri cupio in parvo opere, et veluti quamdam rubiginem linguae abstergere, ut venire possim ad latiorem historiam. Scribere enim disposui (si tamen vitam Dominus dederit, et si vituperatores mei saltem fugientem me et inclusum persequi desierint), ab adventu Salvatoris usque ad nostram aetatem, id est, ab Apostolis usque ad nostri temporis faecem, quomodo et per quos Christi Ecclesia nata sit, et adulta, persecutionibus creverit, martyriis coronata sit: et postquam ad Christianos principes venit, potentiâ quidem et divitiis major, sed virtutibus minor facta sit. Verum haec alias: nunc, quod imminet, explicemus.

§ 2. Maronia triginta ferme millibus ab Antiochia, urbe Syriae, haud grandis ad Orientem distat viculus. Hic post multos vel dominos, vel patronos, dum ego adolescentulus * morarer in Syria, ad papae ** Evagrii, necessarii mei, possessionem devolutus est: quem idcirco nunc nominavi, ut ostenderem, unde nossem, quod scripturus sum. Erat igitur illic quidam senex, nomine Malchus, quem nos Latine Regem possumus dicere, Syrus

* Quadragesimum quartum circiter aetatis suae annum agebat tunc S. Hieronymus. Saepe in romanis scriptoribus *adolescentes* vocabantur, qui jam erant grandes natu.
** Ut nemini est ignotum, hoc titulum *papae* episcopis erat olim commune.

natione et linguâ, et revera ἀλλόχθων. Anus quoque in ejus contubernio valde decrepita, et jam morti proxima videbatur: tam studiose ambo religiosi, et sic ecclesiae limen terentes, ut Zachariam et Elisabeth de Evangelio crederes, nisi quod Joannes in medio non erat. De his cum curiose ab accolis quaererem, quaenam esset eorum copula matrimonii, sanguinis, an spiritus, omnes voce consonâ, sanctos et Deo placitos, et mira nescio quae respondebant. Qua cupiditate illectus, adorsus sum hominem, et curiosius sciscitans rerum fidem, haec ab eo accepi:

§ 3. « Ego, inquit, mi nate, Maroniaci agelli colonus, sed solus parentibus fui. Qui cum me quasi stirpem generis sui et haeredem familiae ad nuptias cogerent, monachum potius me velle esse respondi. Quantis pater minis, quantis mater blanditiis persecuti sint, ut pudicitiam proderem, haec res sola indicio est, quod et domum et parentes fugi. Et qui ad Orientem ire non poteram, propter vicinam Persidem, et Romanorum militum custodiam, ad Occidentem verti pedes, pauxillulum nescio quid portans viatici, quod me ab inopia tantum defensaret. Quid multa? Perveni tandem ad eremum Chalcidos, quae inter Immam et Essam magis ad Austrum sita est. Ibi, repertis monachis, eorum me magisterio tradidi, manuum labore victum quaeritans, lasciviamque carnis refrenans jejuniis.

§ 4. « Post multos annos, incidit mihi desiderium, ut ad patriam pergerem, et dum adhuc viveret mater (jam enim patrem mortuum audieram), solarer viduitatem ejus, et exinde venùndatâ possessiunculâ, partem erogarem pauperibus, partem monasterio constituerem: quid erubesco confiteri infidelitatem meam? partem in sumptuum meorum solatia reservarem. Clamare coepit Abbas meus, diaboli esse tentationem, et sub honestae rei occasione, latère antiqui hostis insidias. Hoc esse, reverti canem ad vomitum suum. Sic multos monachorum esse deceptos: nunquam diabolum aperta fronte se prodere. Proponebat mihi exempla de Scripturis plurima: inter quae illud, quod initio Adam quoque et Evam spe divinitatis supplantaverit. Et cum persuadere non posset, provolutus genibus, obsecrabat ne se desererem, ne me perderem, nec aratrum tenens, post tergum respicerem. Vae misero mihi! vici monitorem pessimâ victoriâ, putans illum non meam salutem, sed suum solatium quaerere. Prosequutus ergo me de monasterio, quasi funus efferret, et ad extremum valedicens: Video, ait, te, fili, satanae cauterio notatum: non quaero causas, excusationes non recipio. Ovis quae de ovilibus egreditur, lupi statim morsibus patet.

§ 5. « De Berrhoea ad Essam pergentibus, vicina est publico itineri solitudo, per quam Saraceni incertis sedibus huc atque illuc semper vagantur. Quae suspicio frequentiam in illis locis viatorum congregat, ut imminens periculum auxilio mutuo declinetur.

Erant in comitatu * meo viri, feminae, senes, juvenes, parvuli, numero circiter septuaginta. Et ecce subito equorum camelorumque sessores Ismaëlitae irruunt, crinitis vittatisque capitibus, ac seminudo corpore, pallia ** et latas càligas trahentes: pendebant ex humero pharetrae: laxos arcus vibrantes, hastilia longa portabant. Non enim ad pugnandum, sed ad praedam venerant. Rapimur, dispergimur, in diversa trahimur. Ego interim longo postliminio haereditarius possessor, et sero mei consilii poenitens, cum altera muliercula in unius heri servitutem sortitus venio. Ducimur, immo portamur sublimes in camelis, et per vastam erèmum semper ruinam timentes, pendemus potius, quam sedemus. Carnes semicrudae, cibus: et lac camelorum, potus erat. Tandem, grandi amne transmisso, pervenimus ad interiorem solitudinem, ubi dominam liberosque ex more gentis adorare jussi, cervices flectimus. Hîc, quasi clausus carcere, mutato habitu, id est, nudus ambulare disco. Nam aëris quoque intemperies, nihil aliud praeter pudenda velari patiebatur. Traduntur mihi pascendae oves, et in malorum comparatione hoc fruor solatio, quod dominos meos et conservos rarius video. Videbar mihi aliquid habere sancti Jacob. Recordabar Moysi, qui et ipsi in erèmo quondam fuere pastores. Vescebar recenti caseo et lacte. Orabam jugiter, canebam psalmos, quos in monasterio didiceram. Delectabat me captivitas mea. Agebamque Dei judicio gratias, quod monachum, quem in patria fueram perditurus, in erèmo inveneram.

§ 6. « O nihil unquam tutum apud diabolum! O multiplices et ineffabiles ejus insidiae! Sic quoque latentem me invenit invidia. Dominus videns gregem suum crescere, nihilque in me deprehendens fraudulentiae (sciebam enim Apostolum praecepisse, dominis sic quasi Deo fideliter serviendum), et volens me remunerare, quo fidum sibi magis faceret, tradidit mihi illam conservam meam, aliquando captivam. Et cum ego refutarem, diceremque me Christianum, nec licere mihi uxorem viventis mariti accipere (sìquidem captus nobiscum vir ejus, ab alio domino fuerat abductus), rursus ferus ille et implacabilis in furorem versus, evaginato me coepit petere gladio. Et nisi confestim brachia tendens, mulierem praeoccupassem, illico fudisset sanguinem.

§ 7. « Jam igitur venerat tenebrosior solito, et mihi nimium matura nox. Duco in speluncam semirutam, novam conjugem: et pronubante nobis moestitiâ, uterque detestamur alterum, nec fatemur. Tunc vere sensi captivitatem meam, prostratusque humi, monachum coepi plangere, quem perdebam, dicens: Huccine miser servatus sum? Ad hoc me mea scelera perduxerunt, ut,

* Quae italice *carovana* dicitur.
** Arabice, *burnous*.

incanescente jam capite virgo, maritus fierem? Quid prodest, parentes, patriam, rem familiarem contempsisse pro Domino, si hoc facio, quod ne facerem, illa contempsi: nisi quod forte propterea haec sustineo, quia patriam desideravi? Quid agimus, anima? perimus, an vincimus? Exspectamus manum Domini, an proprio mucrone confodimur? Verte in te gladium: tua magis mors timenda est, quam corporis. Habet et servata pudicitia suum martyrium: jaceat insepultus Christi testis in erèmo: ipse mihi ero persecutor et martyr. Sic fatus, eduxi in tenebris quoque micantem gladium, et acumine contra me verso; Vale, inquam, infelix mulier: habeto me martyrem potius, quam maritum.

§ 8. « Tunc illa pedibus meis provoluta: Precor te, inquit, per Jesum Christum, et per hujus horae necessitatem adjuro, ne effundas sanguinem tuum in crimen meum. Vel si mori placet, in me primum verte mucronem: sic nobis potius conjungamur. Etiamsi vir meus ad me rediret, servarem castitatem, quam me captivitas docui: vel interirem potius, quam perderem. Cur mòreris, ne mihi jungaris? Ego morerer, si mihi jungi velles. Habeto me ergo conjugem pudicitiae, et magis animae copulam amato, quam corporis. Sperent domini maritum, Christus noverit fratrem. Facile suadebimus nuptias, cum nos viderint sic amare. Fateor, inquit, obstupui, et admiratus virtutem feminae, conjugem plus amavi. Nunquam tamen illius nudum corpus intuitus sum: nunquam ejus carnem attigi, timens in pace perdere, quod in proelio servaveram.

§ 9. « Transeunt in tali matrimonio dies plurimi: amabiliores nos dominis fecerant nuptiae. Nulla fugae suspicio: interdum et mense toto aberam fidus gregis pastor per solitudinem. Post grande intervallum, dum solus in eremo sedeo, et praeter coelum terramque nihil video, coepi mecum tacitus volvere, et inter multa, contubernii quoque monachorum recordari, maximeque vultum patris mei, qui me erudierat, tenuerat, perdideratque. Sicque cogitans, adspicio formicarum gregem angusto calle fervère, ferre onera majora, quam corpora. Aliae herbarum quaedam semina forcipe oris trahebant, aliae egerebant humum de foveis, et aquarum meatus aggeribus excludebant. Illae, venturae hiemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina praecidebant. Hae luctu celebri corpora defuncta deportabant. Quodque magis mirum est, in tanto agmine egrediens non obstabat intranti: quin potius si quam vidissent sub fasce et onere concidisse, suppositis humeris adjuvabant. Quid multa? Pulcrum mihi spectaculum dies illa praebuit. Unde recordatus Salomonis, ad formicarum solertiam nos mittentis, et pigras mentes tali exemplo suscitantis, coepi taedere captivitatis, et monasterii cellulas quaerere, ac formicarum illarum similitudinem desiderare, ubi laboratur in

medium: cumque nihil cujusquam proprium sit omnium omnia sunt.

§ 10. « Regresso ad cubile occurrit mulier: tristitiam animi vultu dissimulare non potui. Rogat, cur ita exanimatus sim. Audit causas, hortatur fugam. Peto silentii fidem, non aspernatur: et jugi susurro inter spem et metum medii fluctuamus. Erant mihi in grege duo hirci mirae magnitudinis. Quibus occisis, utres facio, eorumque carnes viatico praeparo. Et primo vesperi, putantibus dominis nos secreto cubitare, invadimus iter, utres et partes carnium portantes. Cumque pervenissemus ad fluvium (nam decem millibus aberat), inflatis consensisque utribus, aquis nos credimus, paulatim pedibus subremigantes, ut deorsum nos flumine deferente, et multo longius, quam conscenderamus, in alteram nos exponente ripam, vestigium sequentes perderent. Sed inter haec madefactae carnes, et ex parte lapsae, vix tridui cibum pollicebantur. Bibimus usque ad satietatem, futurae nos siti praeparantes. Currimus, post tergum semper adspicimus, et magis noctibus promovemus, quam diebus: vel propter insidias late vagantium Saracenorum, vel propter ardorem solis nimium.

§ 11. « Pavesco miser etiam referens, etsi totâ mente securus, toto tamen corpore perhorresco. Post diem vero tertium, dubio prospectu procul adspicimus duos camelis insidentes venire còncitos. Statimque mens mali praesaga, putare coepit dominum meditari mortem, solem cernere nigrescentem. Dumque timemus, et vestigiis per arenas nos proditos intelligimus, offertur ad dexteram specus, longe sub terram penetrans. Igitur timentes venenata animalia (nam solent viperae, reguli et scorpiones, caeteraque hujuscemodi, fervorem solis declinantia, umbras petere), intravimus quidem speluncam, sed statim in ipso introitu sinistrae nos foveae credimus, nequaquam ultra progredientes, ne, dum mortem fugimus, incurramus in mortem: illudque nobiscum reputantes: Si juvat Dominus miseros, habemus salutem; si despicit peccatores, habemus sepulcrum. Quid putas fuisse nobis animi, quid terroris, cum ante specum haud procul starent dominus et conservus, et vestigio indice jam ad latebras pervenissent? O multo gravior exspectata, quam illata, mors! Rursus cum timore et labore lingua balbùtit, et quasi clamante domino, mutire non audeo. Mittit servum, ut nos de specu trahat; ipse camelos tenet, et, evaginato gladio, nostrum exspectat adventum.

§ 12. « Interea tribus ferme vel quatuor cubitis introgresso famulo, nobis ex occulto tergum ejus videntibus (nam oculorum istiusmodi natura est, ut post solem umbras intrantibus, caeca sint omnia), vox per antrum sonat: Exite, furciferi, exite, morituri. Quid statis? Quid moramini? Exite. Dominus vocat, patienter-

exspectat. Adhuc loquebatur, et ecce per tenebras adspicimus leaenam invasisse hominem, et gutture suffocato, cruentum intro trahere. Jesu bone, quid tunc terroris nobis, quid gaudii fuit? Spectabamus, domino nesciente, hostem nostrum perire. Qui cum videret illum moras facere, suspicatus est duos uni resistere. Sed et iram differre non valens, sicut tenebat gladium, ad speluncam venit, et furore rabido servi increpans vecordiam, prius a fera tenetur, quam ad nostras latebras perveniret. Quis hoc unquam crederet, ut ante os nostrum, bestia pro nobis dimicaret? Sublato autem illo metu, similis ante oculos nostros versabatur interitus, nisi quae tutius erat rabiem leonis, quam iram hominis sustinere. Pavemus intrinsecus, et ne movere quidem nos ausi, praestolabamur eventum ei, inter tanta pericula, pudicitiae tantum conscientia pro muro septi. Leaena insidias cavens, et visam esse se sentiens, apprehensos mordicus catulos effert, nobisque cedit hospitium. Neque tamen satis creduli, statim erumpimus: sed exspectantes diu, et egredi cogitantes, illius nobis figurabamus occursum. Sublato ergo horrore, et illa transacta die, egredimur ad vesperam, vidimusque camelos. quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant, praeteritos cibos in ore volvere, et in alvum missos, iterum retrahere. Quibus ascensis, et novâ sitarciâ, id est, annonâ refocillati, decima tandem die ad Romana per desertum castra venimus. Oblatique tribuno, rem ordine pandimus: inde transmissi ad Sabinum, Mesopotamiae ducem, camelorum pretium accepimus. Et quia jam abbas ille meus dormierat in Domino, ad haec delatus loca, me monachis reddo, hanc trado virginibus, diligens eam ut sororem, non tamen ei me credens ut sorori. Haec mihi senex Malchus adolescentulo retulit. Haec ego vobis narravi senex, et castis historiam castitatis expono. Virgines castitatem custodire exhortor. Vos narrate posteris, ut sciant inter gladios et inter deserta et bestias, pudicitiam nunquam esse captivam: et hominem Christo deditum, posse mori, non posse superari. »

MARTYRIUM SS. VIRGINIS URSULAE

ET UNDECIM MILLIUM VIRGINUM

QUEMADMODUM IN PERVETUSTIS MSS. CODICIBUS EXTAT: INCERTO QUIDEM, SED DOCTO AUCTORE, EOQUE NON SANE RECENTI, SED ANTIQUO *.

§ 1. Regnante Domino nostro Jesu Christo, cum post passionem, ascensionem et resurrectionem ejus, conversis ad Deum cunctis finibus terrae, nec Oceani angulus aliquis se a calore fidei ejus absconderet, in conveniendo populos in unum et Reges, ut servirent Domino: fuit in Britanniae partibus Rex quidam Deonotus, tam vitâ, quam nomine, qui religiosus in omnibus caeremoniis catholicae professionis, sic principari novit supra homines, ut non oblivisceretur, qualem Creatori suo subjectionem deberet: sic a subditis tributum exigeret, ut semper se meminerit Regi suo coelesti id, quod ab eo factus est, debere. Is ergo cum sub jugo Christi, sub quo ipse irreprehensibiliter militaverat, aliis irreprehensibiliter et justissime imperaret, in benedictione seminis Abrahae tam generositate, quam virtutum specie competentem sibi accepit uxorem. Sed sicut in vasis irae duplici contritione feriendis, irâ justitiae Dei hic inchoat, ut ea in judicio irreparabiliter disperdat: ita misericordia ejus diligentibus se plerumque etiam in hoc seculo divitias bonitatis suae concedit praegustare: ut inenarrabilem illam gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, cum patientia discant exspectare.

§ 2. Itaque cum summa spe utriusque parentis sexus virilis exspectaretur, qui terreni regni sui successor existeret, provida Dei misericordia, quae etiam vota novit excedere, dedit eis prolem femineam, quae plusquam virili animo ad regni coelestis haereditatem eos praecederet, eisque succedentibus bona sine fine mansura praepararet. Haec itaque quia exemplo David immanem ursum, scilicet diabolum, quandoque suffocatura erat, Deo disponente (qui, quos praedestinat, vocat), a parentibus illi

* Historicis omissis, qui hanc de S. Ursula ejusque Sociabus narrationem, ut fabulosam ac commentitiam, penitus rejiciunt, ii ipsi, qui eam pro vera habent, in ejusdem praecipuis adjunctis, scilicet in tempore et loco definiendo, quo sanctae Virgines occubuere, et in ipsarum numero determinando, magnopere inter se dissentiunt. Nobis non ea mens est has quaestiones retractare, sufficiens tamen existimamus hic quambrevissime referre quae in suis *Actis Sanctorum* (*Tom.* LVII): *Bollandistae* copiose, luculenter, eruditissimeque explicavere. Ipsis itaque certum videtur: 1. S. Ursulam ejusque socias, Coloniae Agrippinae, anno 451, ab Hunnorum sagittis confossas fuisse; id quod ex traditionibus Coloniensibus et Britannicis, ex Hunnorum itinere demum ex sagittarum praesentia constat; 2 Ursulanas Martyres, maxima ex parte, domo Britannas fuisse; reliquas vero, ortu vel domicilio Colonienses; 3. In illo agmine complures conjugatas et viduas fuisse; 4. Fere omnes pro sua castitate tuenda contra Hunnorum effrenatam impudicitiam vitam amisisse.

in baptismate praesagum nomen Ursula inditum est. Quae cum, ut regiam prolem decuit regali ambitione educata, naturalibus incrementis proficeret, teneros aetatis annos morum coepit maturitate praecedere, et cui jam tum mundus viluerat, Evangelicis imbuta praeceptis, in lege Domini die ac nocte meditabatur: et quia ad spiritualem sponsi sui thalamum corde et animo suspiravit, omnis compositio ejus et gloria, non deforis, sed deintus fuit: ut jam tum liquido cunctis daretur advertere, quod ad magnum aliquem Ecclesiae ornatum, summus ille artifex margaritum hoc vellet expolire, ac si ei jam tum patenter dixisset: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, quia concupivit Rex speciem tuam* (*Ps.* 44).

§ **3**. Praeter has aliasque spiritualis gratiae dotes, erat etiam incomparabilis formae et mirae pulcritudinis, et omnium oculis gratiosa. Sed virgo sola, quae Domini erant, cogitans, minus hoc amabat in se, quod sponsi sui oculis sciebat non multum placere. Cumque de tanta nobilissimae virginis indole longe lateque fama percrebuisset, ad aures gentilis tyranni cujusdam permanavit: qui praepotens viribus, in robore militari gloriabatur, et barbarica feritate latius regnabat. Erat ei magnae indolis filius, quem paterno affectu arctius, ut regni successorem, diligebat. Cui cum summopere ad regalem magnificentiam prospectum vellet, reputare secum coepit, regnum suum propagari, nomen suum et posteritatis gloriam nobilitari, si filio suo tam celebris puellae matrimonio contigisset copulari. Itaque filius non minus pervicax, utpote qui jam pubertatis annos intrabat, patre annuente, prosequentibusque qui capita populi erant, legatos ad patrem virginis destinavit, multaque pretiosa transmittens, sed plura promittens, urbes egregias, situs terrarum et tractus maris, totum denique patris regnum, et quicquid mundus deliciarum habere potest vel potuit, in dotis computationem dictavit. Minas etiam pro magnitudine nominis sui, quasi summam manum imposuit: ut saltem terroribus, quod volebat, exigeret, si blanditiis muneribusque minus profecisset.

§ **4**. At illi, acceptis a Rege mandatis, profecti sunt, emensoque grandi itinere, ad patrem virginis pervenerunt: dataque fandi copiâ, quae a domino suo jussi sunt, diligentissime peregerunt: et post blanditias, quod efficacissimum arbitrati sunt, quasi scorpiones, minas et terrores bellicos subintulerunt. At senior providus, et totus charitatis visceribus diffusus, fluctuare coepit intra se, indignissimum reputans filiam suam coelesti sponso arctius inhaerentem, ab aeterni Regis amplexibus renitentem avellere, et barbarae libidini polluendam jugare. At ex altera parte, etsi proprii sanguinis prodigus esset pro catholica religione et zelo justitiae, quippe cui vivere Christus erat, et mori lucrum: tamen quia sub illo cura regni erat, et tam efferam barbari illius

violentiam suis viribus desperabat posse sustinere: jam sibi videre visus est, sub oculis suis caedes hominum promiscuae aetatis fieri, urbes dirui, matronas et virgines constuprari, ecclesias cremari, sancta profanari, et quicquid miseriarum aliquando accidit victis, praesertim Christianos vincentibus paganis.

§ 5. In hoc ergo rerum cardine deprehensus Rex pius, quod unicum tunc perfugium patebat, ad divinam misericordiam, quasi ad turrem fortitudinis a facie inimici cucurrit, totusque in lacrymas effusus, auxilium de coelo indefessis precibus postulavit. Inter haec cum virgo Domini vultum patris, quamquam dissimulantis, turbulentum deprehendisset, latère eam non potuit, quod ipsa, perturbationis hujus causa fuerit. Itaque pro se nimis sollicita, paternae sollicitudini condoluit: moxque ad sua arma convolans, sicut sancta Judith et Esther, pro liberatione patriae, jejuniis et orationibus pernox incubuit, in auribus sponsi sui celerius obtentura, quod petiit, cum quo jam vere unus spiritus fuit. Cumque noctem diei, immo noctes diebus in vigiliis et jejuniis continuaret, ex infirmitate humani corporis fatiscentibus membris, cum in Deo cor ejus vigilaret, ad modicum obdormivit, et per visionem divinâ revelatione de toto vitae suae ordine, de coagonistarum suarum numero, de gloriosa martyrii palma perdoceri meruit, quod postea rerum exitus comprobavit.

§ 6. Igitur sub primo surgentis aurorae diluculo, patris moestitiam relevatura (eo quippe die legatis tyranni responsurus erat), hilaris ad eum venit, blandeque arridens: « Noli, inquit, mi pater, super hac re aliquo ulterius moerore contabescere: sed jacta cogitatum tuum in Domino, qui non dabit in aeternum fluctuationem justo. Ne tamen ex puellaribus annis, quae dico, aestimes, scito quia praeterita nocte per visum divinae consolationis vox ad me, licet indignam famulam suam, facta est, jubens, ut juvenem, qui me in matrimonium affectat, a spe nuptiarum non repellerem, ipsa tamen, conservato virginitatis signaculo, ad innuptas transirem. Conditio autem conjugii, et conscriptio nuptialis haec erit, ut tu pater et juvenis, qui me in suum amorem àllicit, decem primaevae aetatis virgines, et formâ et genere lectissimas perquiratis, et tam mihi, quam singulis harum, mille virgines honestissimas subscribatis, comparatisque ad numerum nostrum trieribus undenis, triennii nobis ad dedicationem virginitatis nostrae dentur induciae: quibus expletis, quod Domino placuerit, fiet. At tamen incommutabile divinae pietatis consilium, quod disposuit super me, nemo est qui possit infirmare. »

§ 7. His filiae vocibus exhilaratus pater, accitis coram legatis, quod petebant, annuit, praescriptamque quasi conjugii conditionem, quam virgo poposcerat, exposuit, id cautissime quasi pro summa dotis conscriptione statuens, ut juvenis salutari renatus lavacro, his tribus annis per fidem catholicam instrueretur in

Domino. His auditis, legati jam quasi còmpotes voti sui, per viam, qua venerant, praèpeti itinere alacres reversi sunt ad dominum suum, utpote pro bona legatione honorem accepturi, gloriam et praemium : expositisque per ordinem mandatis, patre jam laetissimo, juvenis prae amoris magnitudine modum excessit laetitiae. Auditâ itaque, ut fit, tantâ exultatione principum, factum est totius regni generale tripudium. Conditione igitur nuptiarum libenter accepta, juvenis coepit patri ardentius insistere, ut ad satisfaciendum puellae desideriis, per Baptismi consecrationem legibus statim initiaretur Christianis. Indicto etiam ad novam militiam novo delectu, ubique per duo regna quaesitae sunt ingenuae et speciosae virgines: adductaeque ad palatium, pro magnificentia regali muliebrem acceperunt ornatum. Nec minori sumptu, et utriusque Regis pari diligentiâ, navium stetit fabricatura. Alii enim ligna in silvis caedunt, alii ad litus convehunt; alii carinas, alii transtra fabricant, alii tabulata gracili junctura coaptant; alii hunc, alii illum ornatum, auro, argento, aere, coloribus sculpturisque praeparant; singulisque pro sua arte et officio satagentibus, certatim ubique fervebat opus.

§ 8. Concordi igitur duorum Regum studio, juxta regalem magnificentiam mirifice perfectâ classe, completoque electissimarum virginum disposito divinitus numero, inter innumeras nobilissimae prosapiae puellas, Pinnosa, maximi cujusdam Ducis filia, tam genere quam virtutum indole emicuit : quae secunda post Ursulam quasi magistra militiae virginalis fuit, quam pater ejus, ut nobile par, filiae speciali dilectionis foedere sociavit. Omnibus igitur magnifice perfectis, condictâ die virgineae cohortes ad Reginam convenerunt, et quasi ad navalem palaestram succinctae, jubentis imperium praestolatae sunt. Tunc beata virgo Ursula, quod diu desiderabat, virgineo vallata exercitu, hilari vultu et animo primum debitas Deo gratiarum actiones exsolvit; deinde quasi fidissimis commilitonibus suis, consilii sui arcanum innotuit, easque in divini timoris, immo quia perfecta charitas foras mittit timorem, in divini amoris observantiam piis exhortationibus erudivit et corroboravit. Puellares autem cunei saluberrima Reginae suae monita arrectis auribus avidissime audientes, cordaque cum manibus ad coelum levantes, quasi jam militari sacramento conjuratae in Christum, ad omnia divinae religionis munia devotionem suam spoponderunt, mutuâque alacritate seipsas in hoc studium cohortatae sunt: utpote quibus jam tunc cor unum et anima una erat, supernâque dulcedine praegustatâ, in mentibus earum mundus et gloria ejus viluerat.

§ 9. Post haec dato signo, quia mare contiguum erat, raptim ad naves convolant, armamenta explicant, altumque petentes, modo concursibus, modo discursibus, interdum fugam, interdum bellum simulant, omnique ludorum genere exercitatae, nihil

quod animo occurrisset, intentatum relinquunt. Sicque per dies singulos puellariter palaestrizantes, aliquando circa meridiem, aliquando ad Nonam, aliquando die toto in ludis absumpto, ad vesperam reversae sunt. Ad hujusmodi ergo spectaculum pius Rex cum grandaevis patribus, cunctisque regni primatibus frequenter aderat: vulgus etiam promiscuum (ut semper novarum rerum cupidum est), postpositis seriis suis, virgineis lusibus applaudebat. Sed postquam quotidianis exercitationibus assiduitas aluit audaciam, longius a litore remigantes, cum spectaculi gratiam populo subtraherent, quaedam etiam naves flabris ventorum disjectae, ante noctem minime redirent, diutina exspectatio et satietas ludorum spectatoribus fastidium genuit; singulisque ad sua opera discedentibus, paulatim turba defluxit.

§ **10**. Sic ergo cum multa jucunditate celebrato per triennium hoc martyrii praeludio, cum adornatis sponsalibus, condictâ nuptiarum die, juvenis in amorem virginis animum perurgeret, beata Ursula, quamvis divinae promissionis oraculo non incredula, pro humana tamen infirmitate sollicita, convirgines suas, quas jam in Domino tam verbis, quam exemplis erudierat, ut in tali rerum articulo divinae misericordiae januam instantius pulsarent, admonuit, ne castitatis procinctum perderent, sub quo Regi suo coelesti irreprehensibiliter militassent. His dictis, cum quasi jam currentibus stimulum addidisset, devotae Deo virgines ex toto corde in lacrymas effusae, tam pro sua singulae, quam pro Reginae virginitate conservanda, supernum coeperunt auxilium ardentissimâ spiritus contritione invocare.

§ **11**. Pius autem Dominus, qui semper prope est omnibus invocantibus se in veritate, tam pia vota non distulit: sed ventum de thesauris suis produxit, impulsamque classem, sub unius diei noctisque spatio, secundo cursu in portum, qui Tile * dicitur, integro tam navium, quam puellarum numero pertulit. Itaque arrepto litore, quod concupierant, tanti dux femina facti, quasi Maria prophetes Pharaonis exercitum per mare Rubrum evasisset, sponso coelesti debitae laudis epithalamium praecinit. Quod cum puellaris exercitus non clamoso strepitu, sed pari cordis concentu resonaret, canticum hoc laetitiae usque ad aures Domini Sabaoth cum odore suavitatis pervènit. Ibidem ergo cum nocte illa pausassent, sequenti die comparatis utensilibus (nam mercatus ibi erat), ad naves reversae sunt: adductisque ancoris, adverso flumine subremigantes, ad insignem illam Germaniae metropolim Coloniam, ubi nunc corpora earum in pace requiescunt, tandem pervenerunt.

§ **12**. Egressis itaque, cum post vespertinam refectionem somnus diurno labore fessis obreperet, beata virgo Ursula quae jam Deo in Angelicae castitatis professione complacuit, vidit in somnis

* *Tile* non apparet in monumentis antiquis ante annum 896. *Bolland.*

Angelicae claritatis et auctoritatis virum : qui assistens, primo an vigilaret inquisivit. Quem cum illa, ut virgo, subito visu puellariter exhorresceret, ille timorem ejus blande compescens : « Scito, inquit, filia, quia quod multum concupieras, in protectione Dei coeli cum dulcissimo hoc sororum tuarum contubernio Romam pervenies ; peractisque votis, integro comitum tuarum numero, iterum huc revertèris in pace. Hic ergo vobis a Deo requies in seculum seculi praedestinata est, hic in pace pausabitis ; et quia bonum certamen certastis, cursum consummastis, fidem servastis, de caetero superest vobis corona justitiae : quam ut a justo judice plenam accipiatis, pro bona nominis ejus confessione cervices vestras persecutori dabitis, depositisque hic corruptibilibus corporum sàrcinis, ad coelestem thalamum cum gloria martyrii pervenietis. » His dictis, vir qui loquebatur, disparuit.

§ **13**. At illa nihil de tantae auctoritatis oraculo àmbigens, mox ut dies terris reddita est, convocatâ virginum concione, quae audierit et viderit, in auribus omnium exposuit. His auditis, communis exultatio facta est, quia dignae habitae essent pro nomine Jesu contumelias pati : immolatisque laudum hostiis, unanimi deliberatione statuerunt iter hoc festinantius peragere, cupientes videlicet jam dissolvi, et cum Christo esse. Et ne quam divinae praedestinationi moram facerent, secundo vento velificantes, Basileam * applicuerunt ; religatisque ibi trieribus, pedestri itinere Romam pervenerunt. Ubi cum per dies aliquot, perlustratis ubique diversis Sanctorum liminibus, pervigiles in oratione Deo animas suas commendarent, lacrymisque interiorem habitum, quasi jam ad aeterni Regis triclinium processurae, studiosius componerent, peractis tandem votis, itinere quo venerant, Basileam reversae sunt, ascensisque navibus, per decursum Rheni prono alveo defluentes, et armis spiritalibus tam contra spiritales nequitias, quam contra omnes persecutionum pressuras se praemunientes, tandem Coloniam applicuerunt.

§ **14**. Aderat tum ibi barbara Hunnorum gens quae peccatis hominum exigentibus, tam Galliarum, quam Germaniae et Italiae terras caedibus jam vastaverat et incendiis : ita ut eversis urbibus, ecclesiis crematis, religionis divinae vix aliquae tenues remanerent reliquiae. Eadem itaque barbaries, cum per idem tempus ingenita feritate etiam urbem Coloniam arcta obsidione vallaret, nondum huc advenientibus prodente fama, virgines jampridem cognitâ humanitate incolarum, sine omni hujusmodi suspicione in terram egressae sunt : et ecce barbari more suo per velocissimos discursores exploratâ re, subito cum clamore super eas irruerunt, et quasi lupi in ovilia agnorum irruptione factâ, infinitam illam multitudinem inhumanâ crudelitate peremerunt.

§ **15**. Cumque belluina illa rabies ab beatam Ursulam jugulando

* Difficile, immo impossibile, navibus et quidem marinis, Coloniam Basilea ire. *Bolland.*

pervenisset, satellites mortis admirabili pulcritudine ejus conspectâ, manum animumque represserunt; ipseque princeps * scelerum, libidinis fervore quasi fulmine percussus, deposito paululum rigore, coepit ad blanditias et amatoria verba descendere: « Vere, inquiens, forma tua magnum dat specimen, quod de ingenuis magnisque puella natalibus orta es; » juravitque in diis suis, dicens: « Quia si pridem ad intercedendum ascendisses, nullam in comitatu tuo jacturam pertulisses. Sed consolare, dilecta, et gaude sorte tua, et noli dolere de morte tuarum virginum: quia digna habita es, quae me totius Europae victorem, quem etiam Romanum tremit Imperium, merearis habere maritum. » Virgo autem cogitans quae Domini sunt, cum hujusmodi sponsum liberrimâ voce et habitus indignatione quasi principem tenebrarum exsufflasset, barbara mens et effera, bile tumens, belluae instar infremuit, et repulsam suam non sufferens, in beatam virginem, quae jam dissolvi cupiebat et esse cum Christo, sententiam mortis dictavit: sicque candidissimi exercitus regina, ictu sagittae transverberata, super nobilem comitum suarum acervum velut coeleste margaritum corruit, purpureoque sanguine quasi secundo baptismate dealbata, cum tot victricibus turmis ad coeleste palatium laureata migravit, suppletis fideliter quae deerant, in corpore suo, passionibus Christi. Perfectus est igitur admirabilis ille calathus Domini; qui ne liliis tantum virginitatis albesceret, totidem martyrii rosis distinctus est, quibus ante superni inspectoris oculos decentius ruberet.

§ **16**. Fallant nunc et fallantur, qui seculari gloria stupidi, triumphos Regum suorum infinitis laudibus quasi ad coelum extollunt, scribentes illa et illa bellorum insignia, utpote victos Reges currum praecedere, infinitos captivorum greges minari; victores autem milites discoloribus armis fulgentes, sua singulos militaria signa ostentare; duces autem ipsos in aureis quadrigis alte residentes, auratis vestibus radiare. Addant praeterea, si placet, diem urbi festum, laetitiam patrum, vulgi clamorem, et commune tripudium. Sed haec si cum hoc triumpho sapienter fuerint collata, miseria potius dicenda sunt, quam gloria, cum illi purpurati et aurati descenderint ad tenebras et aeterna supplicia: illae autem stola immortalitatis indutae, visione Domini perfruantur et societate Angelica. Ecce, juxta vocem Domini, bona terra fructum sexagesimum pariter et centesimum in patientia attulit, et quae ad horam euntes ibant et flebant, mittentes semina sua, modo venientes, et manipulos suos portantes, in exultatione venerunt: immo, depositis corporum paleis, mundum et bene cribratum triticum in horrea Domini abundanter intulerunt.

§ **17**. O quale hac die in coelo factum est tripudium? Qualis

* Procul dubio, *Attila* hic designatur.

occursus supernorum civium? Quae exultatio Apostolorum? Quam communis gloria Martyrum et sanctarum Virginum, de augmento ordinis sui gloriantium? Quam devota congratulatio Patriarcharum et Confessorum? Ut etiam Colonia illa beata, et incomparabili hoc thesauro beatior, sciret, quantum sacratissimis virginum cineribus honoris et reverentiae semper deberet, in sua liberatione experta est, quam pretiosa in conspectu Domini mors earum fuisset, et quam magnifice in concilio Sanctorum viverent, quarum nuda forsitan corpora tantum potuissent. Nam peractâ tam belluinâ rabie, quasi terroribus illis manifeste Deus calicem irae, vertiginis et insaniae miscuisset, dati sunt in reprobum sensum, videruntque armatorum acies, quotas virginum trucidaverant, persequentes se, ad quarum impetum effera illa barbaries, et post tot triumphos jam fugere nescia, non auderet subsistere. Fugatis ergo pacis hostibus, conclusis civibus, insperata pax reddita est, longoque luctu soluti Colonienses, portis eruperunt, et ecce passim super nudam humum inhumata virginum cadavera invenerunt: nec multum eos res fefellit, quippe qui jampridem transeuntium ibidem sanctarum puellarum vestes, habitus et naves noverunt. Sed quia facile animadverterant devotas Deo virgines, pro conservandae pudicitiae signaculo, in agone martyrii occubuisse, seque earum patrocinantibus meritis, non modo mortem, sed etiam cruciatus barbarorum omni morte graviores evasisse: unanimi consensu, non quasi homines, sed quasi Deum in humanis corporibus venerantes, non privatis, non publicis sumptibus pepercerunt, dum non modo humanitatis officio, verumetiam humillimae venerationis studio pro se quisque satagentes, alii dilaniata disjèctaque Martyrum membra còngerunt, alii vestibus cooperiunt, alii terram effodiunt, alii sarcophagis imponunt: brevique tempore, sicut hodie illic est cernere, sanctissimae Virginum reliquiae, ad aeternam Coloniensium gloriam pausaverunt in pace.

§ **18**. Ex eo autem jam crescente divinâ religione, non modo consuetudo, sed pro consuetudine sacramentum civibus inolevit, ut intra ambitum virginalis sepulturae nemo usque hodie cujusquam mortui corpus audeat sepelire. Aliquanto autem tempore evoluto, divinitus frequenter per visionem admonitus, et quasi legatione sanctarum Virginum accìtus vir religiosus, nomine Clematius, ex Orientis partibus advenit: qui pro voto suo ecclesiam, super sanctissimos cineres a fundamentis constructam, in honorem sanctarum Virginum complevit. Lauda ergo, Colonia, Dominum, quoniam confortavit seras portarum tuarum, et posuit fines tuos pacem, et tanto praemisso pignore, benedixit filiis tuis in te.

§ **19**. Erat autem de eodem sanctissimo Virginum contubernio quaedam, nomine Cordula *: quae caeteris virginibus in agone

*** Haec quae sequitur de Cordula narratiuncula, adjecta fuit S. Ursulae Sociarumque *Passioni* multis seculis post: sed minus feliciter. *Bolland.***

Christi occumbentibus, sola in unius navis alveo sub eadem nocte delituit, et in crastinum ultro se morti, quam fugerat, virili animo offerens, triumphales catervas cum pari gloria martyrii subsecuta est. Sed nemo in hoc scandalizetur, quasi beata illa virgo coronae suae parva hac formidine aliquid derogaverit: cum nec Petrus negans, nec Thomas dubitans, ab Apostolatus honore ejectus sit. Divino enim nutu ad magnum Ecclesiae fructum Petrus de se, quasi de homine praesumens, et magistro commoriturum se asserens, ancillae ostiariae vocem utiliter pertimuit: qui tamen postea usque ad crucem perveniens, nec Romae urbis principem expavit. Forsitan et beata illa virgo de anteactae vitae puritate et fidei constantia praesumens, ad tolerandam passionem aliquid in se fiduciae habuit: ideoque humilianda erat, ut non in se, sed in Deo gloriari disceret, et sic humiliata, ad coelestem thalamum gloriosius transiret. Sic et fidelis David cum Domino diceret, *Juravi, et statui custodire judicia justitiae tuae:* mox quasi in se revolutus, subjecit, dicens: *Humiliatus sum usquequaque* (*Ps.* 118). Ne autem infirma membra de salute desperarent, si quando in passionis articulo pro humana infirmitate paululum hebescerent, ipse mediator Dei et hominum, personam infirmantium assumens, dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Joan.* X). Ecce qui potestatem ponendi animam suam et sumendi eam habuit, transire a se calicem passionis petivit, nec filius a patre non exaudiri aliquando potuit: sed caput pro infirmantibus membris loquebatur, quorum sibi tunc personam assumpsit. Forsitan etiam supernus ille agricola fructificantem palmitem, ut fructum plus ferret, adhuc purgare voluit: quemadmodum cum sigillum aliquod, sculptoris studio subtilissime expressum, omnis jam populus videt et laudat, artifex tamen adhuc imperfectum videt et limat: ut quod oculis aliorum jam placuit, etiam suis in aliquo displicere non possit. Sed quis cognovit sensum Domini? Ideoque supervacuum est occulta Dei judicia discutere, quae salvâ fide, sine periculo licet nescire: cum liquido hoc constet, semperque constiterit, quod athleta Dei, ad probationem, non ad reprobationem, dilata sit.

§ **20**. Longâ igitur temporum serie evolutâ, sancta, quam praediximus, Cordula, inclusae cuidam, incomparabilis tunc vitae et specialis meriti, Helendrudae, per visum apparuit, eamque quasi contubernalem suam, an se agnosceret, requisivit. Illa autem quamvis sancta, et mente Deo jam proxima, tamen adhuc corruptibilis, et quasi corruptio incorruptelam non sufferens, divinae venustatis et gravitatis personam exhorruit. Erat enim virgo Dei ultra omne artificium hominis vestita mirifice, coronamque liliis rosisque alternantibus intertextam gestans in capite. Famula ergo Dei ex pavore respirans, indignam se tantae majestatis

agnitione esse respondit, cum ego, inquiens, carnalis, peccati sim legibus obnoxia: tu autem jam in ordinem coelicorum assumpta, totius sis corruptionis aliena. Tum illa: « Noveris, inquit, me unam ex sacro Coloniensium virginum numero fuisse, quae illis in agone Christi triumphantibus, unâ nocte supervixi, sequentique die mortis cupida, ultro me carnificibus obtuli: sicque in Christo moriens, nec sorores meas deserui, nec socialem martyrii coronam amisi. Itaque cum illarum gloriosissimi transitus diem debitâ jam devotione tota Colonia veneretur, mei nominis nec brevis aliqua adhuc recordatio agitur. Proinde nunc veniens, id tibi injungo obedientiae, quo sanctimonialibus, ad corpora nostra devote excubantibus, denuncies ex me, ut cum sororum mearum triumphalem gloriam celebrant, proximâ sequenti die et mihi aliquid venerationis impendant: quia minime eis expedit, ut inter omnes, quae illic pausant, mei tantum nominis reverentia nulla sit. Cumque illa de nomine ejus requireret, jussa est a virgine frontem ejus intueri, ut hoc sibi nomen fuisse indubitanter sciret, quod illic exaratum inveniret. Paruit illa, vidit et legit, discretisque syllabis, *Cordula*, distincte scriptum invenit.

§ 21. Famula igitur Dei ad sanctimoniales divinum oraculum retulit, creditumque est, ac deinceps statutum, ut cum pridie beatarum virginum celebritas agitur, sequens dies sanctae Cordulae laudibus impendatur. Sed ne cui visio haec quasi minus auctoritatis, ludificante somnio dubia, habere videatur, rèvocet ad memoriam, quia et Petrus dormiens, in disco vocationem gentium vidit, et Paulus virum Macedonem in Illyriam se vocantem non dubius audivit, et patriarchae nostri scilicet, Isaac et Jacob, Joseph quoque, Gedeon atque Daniel, multa magna coelestium mysteriorum sacramenta viderunt, Magi etiam de mutando reditu dormientes edocti sunt. Ipse quoque nutritius Domini, Joseph, ab Angelo admonitus est in somnis in Aegyptum fugere: extinctisque persecutoribus Christi, propter metum Archelai Nazareth secedere, ibique habitare. Sed quid his assertionibus opus est, cum famula Dei, cui revelatio haec ostensa est, tam celebris vitae, tamque sanctae conversationis fuerit, ut ipsa pro certissimo veritatis testimonio habenda sit? Est enim locus in Saxonia Herse, ibique usque hodie gloriosa sanctimonialium congregatio, ubi sancta illa nata et nutrita, peracto sanctissimae vitae cursu, nunc corporaliter in pace quiescit: quamvis ultimi temporis sui aliquantum in monte, quo civitas Iburg sita est, in eadem sanctitate exegerit. Hujus vitae et sanctitatis tot testes sunt, quot vel hodie Herse sanctimoniales sunt, vel abinde fuerunt: et verissimae, utpote Deo verbis hominum adstipulante. Usque hodie enim ad tumulum ejus frequenter redditur lumen caecis, gressus claudis, infirmi ad usum vitae reparantur, et obsessi ab immundi spiritibus emundantur. Ideoque competens

ejus testimonium fuit, et nefas est dubitare, quod de sancta sanctae, de sponsa sponsae, de dilecta dilectae suae Dominus dignatus est revelare.

§ **22**. Glorietur ergo superna Jerusalem, et coelestis illa curia, tot ingenuis civibus ampliata: ubi non est servus, aut liber, masculus aut femina. Glorietur Britannia, quamvis in Adam generans, virgineae tamen indolis fecunda. Glorietur Germania, tot lectissimos Oceani flores excipiens. Glorietur Roma, numerum virginum, quem acceperat, reddens. Glorietur Colonia, talem apud se thesaurum retinens. Glorietur beata illa sanctimonialium congregatio, tot sanctarum virginum, quibus devote famulatur, patrociniis de perpetua salute praesumens. Benedicta igitur gloria Domini de loco sancto. Vos autem, sanctimoniales, tot coelestium gemmarum servatrices, fideli obsequio specialiter satagite, ut si ad centesimum vel sexagesimum fructum non pertingitis, saltem post vestigia earum divinae misericordiae spicas legatis. Omnes etiam in commune sanctissima earum patrocinia humillime flagitemus, ut quia ad socialem cum ipsis gloriam adspirare nec audemus, nec possumus: tamen quia in domo Patris mansiones multae sunt, earum meritis patrocinantibus, in coelesti Jerusalem vel novissimae sortis municipatum capiamus: praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur Deus in secula seculorum, Amen.

Hucusque historia sanctarum virginum in vetustis manuscriptis codicibus legitur. Visum est autem huic subjungere nonnulla, quae in antiquo sane codice manuscripto habentur, quibus possunt confutari illi, qui fabulosa esse putant, quae de beatissimis his Virginibus narrantur.

§ **23**. Non autem, inquit, praetereundum, nec silentio supprimendum esse videtur, quod in ore nostratium (Coloniensium) tenaci memoriâ semper omnino diligentissime servatum, religiosis frequenter colloquiis volvitur, credibile etiam, et aut verum, aut veri simillimum non negatur. Denique plurima per opinionis conjecturam probantur esse conscripta, quibus tamen nulla unquam auctoritas refragata est. Mendacii namque notam recte nequaquam incurrit, qui veritatis indagini ex majorum, horumque admodum religiosorum traditione, convenientissimoque rationis judicio sedulus cautusque, quantum ad se, librator insistit. Nam cur coelestis hujus exercitus a principio gesta simul et proelia non scriberentur, ut sic demum purius et lucidius ad aures posteritatis transmitterentur, quotus in omni gente mirari debeat, cum causam hujus negligentiae communis pene omnium populorum afflictio per barbaros, his maxime regionibus debacchantes, inflicta perdoceat? Per quam etiam hoc factum est, ut earumdem

sanctarum Virginum memoria, post incensam sanctorum corporum custodem ecclesiam, paulatim ab ore primum, deinde ab ipso pectore religiosi dudum populi laberetur. Haec nihilominus negligentia de honorandis thesauri pretiosissimi loculis in nostratibus adeo vehementer induruit, ut ex remotis valde orientalium regionum partibus Clematius quidam, vir, ut rerum exitus docuit, clarus simul et religiosus, atque ad honorandas illustrandasque famâ pariter et munere sanctarum Virginum sepulturas idoneus, crebris visionum prodigiis, terroribus et documentis Coloniam invitatus accederet, et quaecumque coactus in suo loco primum timore spoponderat, hic in reintegranda beatarum Virginum basilica religionis devotione perficeret. Cujus monimenta lapidibus isthic servantur incisa, quae et huic operi verbis eisdem putavimus inserenda:

DIVINIS FLAMMEIS VISIONIBVS FREQUENTER ADMONITVS (VT VIRTVTIS MAGNAE MAJESTATIS MARTYRII COELESTIVM VIRGINVM IMMINENTIVM), EX PARTIBVS ORIENTIS EXHIBITVS PRO VOTO CLEMATIVS VIR CONSVLARIS, DE PROPRIO IN LOCO SVO HANC BASILICAM VOTO, QVO DEBEBAT, A FVNDAMENTIS RESTITVIT.

§ 24. Quod quia breviter designari, paginae veritas ipsa poscebat, quosdam minus diligenter intendentes, sensus ejus verus, et ad sententiae totius solutionem omnimodis aptus hucusque latebat. Unde propter id, quod Clematius de proprio a fundamentis sanctarum Virginum ecclesiam scribitur erexisse, putant eum proprium hic praedium habuisse, in quo eamdem reaedificaverit, quam prius aedificatam fuisse quamvis multo jam tempore destructam, nemo fuit, qui vel hactenus dubitaverit. Sed ex proprio pecuniae suae pretio melius eam aliunde veniens religiosus idem Clematius creditur recuperasse: qui non solum in loco proprio pretiosorum corporum venerationem debitam redintegravit et auxit, verum etiam in exteras provincias, unde venerat, et per quas iter fecerat, famam tantam eundo et redeundo perduxit. Hactenus ex codice supradicto, ubi etiam confutantur, qui putant eas ab Oriente venisse, asseriturque ex Britannia Coloniam eas accessisse.

Wandalberti Prumiensis praeclarum et antiquum de iisdem Virginibus testimonium. Claruit is anno Christi 850.

§ 25. Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent
Christo virgineis erecta trophaea maniplis
Agrippinae urbi, quarum furor impius olim
Millia mactavit ductricibus inclyta sanctis.

Sigebertus monachus Gemblacensis, qui claruit anno salutis 1110, ita scripsit in suo Chronico, circa annum Domini 453, admodum consentiens historiae, quam nos supra posuimus: immo ad verbum in quibusdam eam secutus.

§ **26**. Omnibus bellis famosius fuit bellum, quod candidatus sanctarum undecim millium virginium exercitus bellavit, duce sanctâ virgine Ursulâ: quae filia unica Noti nobilissimi Britannorum principis, cum nondum nubilis a filio cujusdam ferissimi tyranni ad nuptias expeteretur, et patrem suum super hoc anxiari videret (qui Deum metuebat, si filiam Deo jam devotam nubere cogeret, et tyrannum timebat, si ei filiam denegaret), divinitus inspirata nutanti patri suasit, ut et tyranno assentiretur, eâ tamen illi propositâ conditione, ut ipse et tyrannus decem virgines genere, forma et aetate electas, sibi traderent, et tam sibi, quam singulis illarum mille virgines subscriberent: et comparatis ad numerum ipsarum undecim trieribus, inducias triennii sibi darent ad exercitium virginitatis suae: novo usa consilio, ut aut difficultate propositae conditionis animum ejus a se averteret, aut hac opportunitate omnes coaevas suas secum Deo dicaret. Et ex hoc condicto, virginibus trieribus et sumptibus comparatis, per triennium belli praeludia, cunctis mirantibus, celebrarunt. Tandem sub uno die, agente vento, ad portum Galliae, qui Tila dicitur, et inde Coloniam appulsae sunt. Ibique ex Angeli monitu Romam tendentes, ad urbem Basileam navibus, a Basilea Romam usque pedibus profectae, eodem eundi tenore Coloniam sunt reversae, ab Hunnis undique obsessam. A quibus cunctae martyrizatae, novo et mirabili modo triumpharunt, et Coloniam sanguine et sepulturâ suâ clariorem reddiderunt.

Ex his Sigeberti verbis haud obscure colligi potest, Historiam, quam nos hic edimus, ante ejus aetatem jam scriptam fuisse. Possent multi alii citari graves scriptores, qui harum sanctissimarum Virginum partim etiam prolixe meminerunt, et nostrae historiae adstipulantur, sed haec sufficiunt. Haberemus autem proculdubio plura de tam praeclaro et admirando virginum exercitu, nisi barbarorum crebris irruptionibus multa deperiissent.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI ABERCII

EPISCOPI HIERAPOLITANI

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, UT HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

Vita functus est versus annum 167.

§ 1. Marco Antonino et Lucio Vero * Romanum obtinentibus imperium, pervasit decretum in universam terram quae parebat Romanis, jubens offerri publica sacrificia et libamina diis qui dicuntur. Cum hoc ergo decretum tunc missum esset ad Publium parvae Phrygiae Praesidem, licebat videre omnes, qui erant sub ditione Romanorum, celebrare festa et sacrificia, et diligenter inservire jussui Romanorum; Senatusque Hierapolitanus ** et populus nequaquam aberant a sacro illo publico. Hic autem ipse, cujus est praesens argumentum, Abercius, cui erat commissus Episcopatus Hierapolitanorum, cum vidisset cives candidatos infesta illa festa peragere ad suae animae interitum; et verum quidem Deum contemptui haberi, surda autem adorari simulacra; falsam phantasiam (ut dicam cum divino Habacuc) et erroris caliginem super multos infundi, rem arbitratus gravem et valde absurdam, et tamquam animo sauciatus pro fratribus, cum lacrymis Deum seorsum precabatur, dicens: « Deus seculorum, et Domine misericordiae, qui hoc universum fabricatus, id contines; qui voluisti ut unigenitus tuus Filius propter nos homo fieret, nunc quoque adspice mundum, quem tu condidisti; neque hanc tuam civitatem, in qua me posuisti pastorem tuarum ovium, et cujus mihi indigno commisisti Episcopatum, despicias sic manufactis deditam abominationibus: sed eos liberatos a nube erroris, quae eis offundit tenebras, adjunge tuo lumini. »

§ 2. Haec cum magna diei parte esset precatus, et se somno dedisset, videt adolescentem elegantem ac speciosum, virgam ei in manum tradentem, et dicentem: « In nomine meo, Aberci, nunc ambula, et hoc baculo contere auctores erroris. » E somno ergo excitatus, cum recte intellexisset, Dominum sibi apparuisse, statim surgit, et impletur fiduciâ, et maximo ligno arrepto, abiit ille, zelum spirans et iram, ad templum Apollinis, ubi peragebantur plura sacrificia et libamina. Erat autem circa nonam horam noctis. Itaque divinâ fretus apparitione, primum quidem ipsis

* Hi duo Imperatores simul regnavere anno 161.
** Sunt plures ejusdem nominis urbes in diversis regionibus. Hic agitur de *Hierapoli Phrygiae* seu Asiae. Hodie haec Hierapolis destructa est funditus.

manibus pulsat templi portas; et cum claves et vestes ab eo essent contriti, et apertae essent portae, in medium accurrens templum, Apollinis, quod illic stabat, simulacrum confregit ac comminuit. Deinde alia quoque aliorum deorum simulacra obiens, affecit similiter. Dii autem non se defenderunt, et quae sunt surda et inania, sic erant plane surda et muta, vocem tamen maximam rebus ipsis emittentia, insanos esse homines qui eos colunt, et deos nominant: et quae nunc patiuntur, illa quidem juste pati, et valde laudabiliter.

§ 3. Deorum autem cultores, et templi ministri, cum haec magna audacia facta esse vidissent, erant pleni stupore et dubitatione. Is vero ad eos conversus, et justa cum ira, justus intuens: « Abite, inquit, ad senatum, et toti populo renunciate, quod dii vestri hesterno inebriati convivio et comessatione, se invicem contriverunt, et sic in terram dejecerunt. Sed vos, si quid sit in vobis sensus, confracta haec simulacra camino mandate et igni. Sic enim dii vestri vobis forte fuerint utiles, per calcem, inquam, quae est ex illis facienda. » Haec cum fecisset et dixisset Abercius, domum rediit, tamquam vir fortissimus, suis peremptis hostibus, qui erant revera auctores exitii multarum animarum. Reversus autem docebat multitudinem quae ad ipsum confluebat, veram sequi religionem, et moderatae vitae curam gerere. Sub ipsam autem noctem, sacrìfici et aeditui accedunt ad senatum, et deferunt quidem Abercium; docent autem ea quae facta fuerant. Itaque cum primum illuxit, fama per omnes pervasit, quod magnus quidem Abercius in magnum errorem incidisset, in deos autem insurrexisset, et quod ea de causa non solum diis et Imperatoribus, sed etiam populo et universae civitati deberet dare poenas. Propere ergo omnes in templum congregati, inter se disceptabant, et de eo communicabant. Et qui erant quidem primi ex civibus, et longe aliis antecellebant, consulebant mittere ministros publicos, et Abercium adducere, redditurum rationem, quanam de causa haec sit ausus, et quosnam habeat, qui ei opem ferant. Neque est enim, ajebant, verisimile, eum qui talia aggreditur, non plures habere adjutores. Cum ergo illos quoque comprehenderimus, vinctos simul cum Abercio mittemus ad Praesidem, ut meritas luant poenas suae in deos ipsos injuriae, et in Imperatores.

§ 4. Atque iis quidem qui caeteris praestabant prudentiâ, sicut diximus, videbatur hoc expedire; et sic, ajebant, erit nobis faciendum. Populus autem cum vidisset manus et pedes, et deorum facies humi projectas, et valde commotus esset, amens, dixerit quispiam, pro amentibus, lignis et lapidibus correptis (talis enim est universa turba, ad iram commota, et ita impetu utens inconsiderato), « Eamus, inter se invicem clamabant, eamus, injiciamus ignem in ejus domum, et eam quamprimum accendamus, ut non

ille solum, sed etiam quicumque cum eo habitat, et cum eo sentit, male pereat. Senatus autem timens, ne, si exustae essent aedes Abercii, aedes quoque vicinorum et multorum nulli culpae affinium, mali quoque simul essent participes; et deinde de iis poenas sumeret Publius, quod se adjunxissent multitudini, efferatos demulcebat, et aestuantes eorum animos conabatur comprimere. Interim autem factâ morâ non modicâ, cum hoc quidam audivissent ex iis qui jam pietatem didicerant, celerrime veniunt ad aedes Abercii; cumque illum invenissent, eos qui aderant, placido et laeto vultu accipientem doctrina pietatis, perinde ac si nihil novi accidisset, ei dicunt paratas insidias, et rogant, ut parum loci det insolenti populi tumultui, et statim excedat e civitate, ne res duas praecipuas amitterent, patrem scilicet, et fratres, ipsum scilicet sanctum Abercium, quem eis in locum patris dedit Spiritus Sanctus, et fratres illos, quos, si is esset superstes, adduceret ad pietatem.

§ 5. Ille autem: « Fugitivi, inquit, o fratres, omnino existimaremur a suscipiendis pro Christo perpessionibus, si propter ipsum pati tam turpiter declinaremus, idque cum ille sacris jusserit Apostolis libere praedicare gentibus verbum pietatis, neque timere aliquid grave, et quod nollent pro nomine ejus non pati in tempore, quo intentantur ea quae vexant et cruciant. Nam et propter ipsum mala perpeti est jucundum, et pro illo mori, est quavis vitâ vere jucundius. Verumenimvero parendum est vobis sic volentibus: et fugiendi sunt ii qui nos invadunt. Nam hoc quoque plane jubet lex Christi, fugere videlicet eos qui persequuntur. » Haec dixit, et simul cum eis egressus, per mediam civitatem vadit in forum. Ubi etiam cum sedisset in loco qui apud eos vocabatur *Fragellium* *, docebat eos qui aderant, praeconium veritatis, et eos dignabatur Dei cognitione, prout illi poterant esse digni; et dicebat, oportere eum qui erat divino baptismo initiatus, et dignus habitus, qui jam Christianus, et esset, et nominaretur, quae aderant quidem, jucunda despicere; esse enim brevia et caduca; expetere autem vitam solam immortalem. Nam ea sola est vere vita, quam Deus paravit iis qui ipsum diligunt. Interim autem dum haec disserebat, cum quae in eum ferebatur, id rescivisset, multitudo: et quod non satis habuit domi verba facere de sua fide, sed etiam publice praedicat, et libere annunciat suam religionem, majori insaniâ pèrciti, et ferventes acriori spiritu, non amplius contineri poterant, nec volebant optimatibus cedere civitatis: sed cum tumultu et clamore in eum impetum faciebant; ipsum, et eos qui cum ipso erant, dentibus propemodum volentes discerpere.

§ 6. Cum autem jam ad ipsum venissent, et mox essent manus in eum injecturi, ecce tres adolescentes, cum maligni daemones

* Penitus ignota est hujus vocabuli origo.

eos longo ante tempore invasissent, repente, ruptis vestibus, e populo excurrunt, suas manus mordentes et torquentes, oculos invertentes, spumas in ore agentes, et confusam quandam alienamque vocem emittentes. Qui cum accurrissent ad Abercium: « Adjuramus te per verum et solum Deum, quem tu praedicas, vehementer clamabant, ne nos torqueas ante tempus. » Hoc multitudinis quidem illum a ratione alienum cohibuit impetum: adolescentibus autem sedavit malum: aut potius, si verius sit dicendum, utrisque repressit insaniam, adolescentibus quidem insaniam, quae proficiscebatur a daemonibus; multitudini autem eam quae ex inerudita et rudi natura commota erat adversus Sanctum. Stabant ergo omnes eum fixis intuentes oculis, maxima ejus moderatione et morum tranquillitate eorum impetu refrenato, atque exspectabant, quisnam futurus esset exitus. Sanctus autem Abercius nihil cunctatus, cum se convertisset ad orationem: « Sancti tui filii Jesu pater, dixit, qui etiam si millies peccaverimus, ipse ea dispensas quae pertinent ad salutem, rogo te et obsecro, ut daemonum insultum solvas adolescentibus, ut ipsi quoque de caetero ambulent, tuam sequentes voluntatem, et efficiant eo, quod in ipsis fiet, miraculo, ut multi alii tibi adjungantur, atque omnes cognoscant, te solum esse Deum, et non esse alium praeter te. » Haec cum Deum esset precatus, et adspexisset adolescentes, pèrcutit eorum capita virgâ, quam habebat in manibus: « In nomine mei Christi, dicens, exite ex his adolescentibus, mala daemonia, eos nihil offendentia. » Et illa quidem visa vocem edere maximam, protinus abierunt. Ii vero, depulsâ eâ, quae tunc propter daemones eos obsidebat, caligine, cum parum adspexissent, et veluti respirassent, illius sanctos pedes osculantur, et nullam edentes vocem, eos diu tenent, adeo ut omnes existimarent eos esse mortuos. Ipse autem cum apprehendisset illorum dexteram, facit eos surgere sanae mentis. Et illi quidem, quaesitis vestibus, cum eas induissent, cernebantur deinceps vestiti, et sanae mentis, et ab Abercio minime recedentes.

§ 7. Cum haec autem vidisset turba, omnes veluti unâ mente et uno ore: « Tu es solus verus Deus qui per tuum praedicaris Abercium, » magna voce dixerunt. Ei rei fert testimonium repentina illa mutatio multitudinis, quae usque adeo fuit capta miraculo, ut nullus defuerit qui non haberet agnitionem: immo omnes ad divinum baptismum accurrerint, ex paratis Abercio insidiis hoc praeclarum interim consecuti, nempe suam salutem. Caeterum dicebant esse aliquid, quod eos maxime conturbabat: se enim pertimescere, ne propter magnum dèdecus, quo multitudo eorum perfudit animam, sic permanerent nequaquam Deo accepti. Accedentes itaque dicebant: « Doce nos, homo Dei, an sit nos Deus patienter adspecturus; an nobis mala redditurus propter ea peccata quae fecimus in ignorantia, quod etiam horremus, propter

quod dolemus, quod timemus ac formidamus. » Ille autem propius accedens, quam potuit maximâ et clarissimâ voce : « Viri, inquit, qui nunc credidistis, si non perseveretis in veteribus vestris operibus, et paternis traditionibus, sed recedatis ab omni vitio, inquam, odio, immunditia, et aliis quae prius fecistis, cum essetis in ignorantia , ipse erit vobis propitius , in quem nunc sincere credidistis : qui etiam eos vocans qui sunt aggravati peccatis : *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, et onerati estis ; et ego reficiam vos* (*Matth.* II). Habemus exempla innumerabilia ejus benignitatis. Quamobrem in ipsum credentes, vos omnes ei vestras dedicate animas, et spe non frustrabimini. » — « Sed graves, dicebant, plagas accepimus, totos nos ipsos antea dedentes obscoenis corporis voluptatibus , et maxima ex parte servientes corporis desideriis, et adhuc malam habemus consuetudinem, tyrannidem in nobis exercentem. » Ille autem : « Accurrite, inquit, quamprimum ad medicum, et jejunium, labores, preces, lacrymas, peccatorum confessionem, et illarum ipsarum quae vos vexant, cogitationum, et ad malum faciendum impellunt : quod etiam per divinum Osee longo ante tempore Deus, utpote non ab eis factum, exprobrat Judaeis : *Cur*, dicens, *siluistis impietatem, et ejus fructum vindemiastis* * ? Haec utilissima medicamenta ipsi vobis imponite : et nec vulnerum quidem vobis remanebit vestigium.

§ 8. Cum eos sic sanctus alloqueretur Abercius, nonâ horâ diei finitâ ei quoque affert finem dicendi ; et in his solvit sermonem, consuetis precibus eum trahentibus ad alium sermonem habendum cum eo, quem desiderabat. Ille ergo surrexit ; et cum sacras manus imposuisset iis qui male se habebant, et eorum extinxit dolores, et ad perfectam reduxit sanitatem. Deinde cum bene precatus esset omnibus , et benedixisset , quin etiam osculo in Domino impertiisset, et veluti quoddam signaculum eis imposuisset, ut quae dicta sunt , recte ab eis custodirentur , domum ibat cum fratribus : multitudo autem eum sequebatur , et rogabat, ut ab illo baptizaretur. Ille autem accipit quidem, ut par erat, promptum eorum animi studium , ipse quoque in eo habens longe majorem , quam ii habebant, animi alacritatem : sed quoniam non erat tempus conveniens, baptismum differt in diem sequentem. Atque multi quidem ex iis propter magnum baptismi desiderium, cum ne domum quidem redire sustinuissent, dormierunt illic prope domunculam. Cum autem esset medium noctis, gratiâ resplendens Abercius, cum Deum precatus fuisset, e domo egreditur ; et cum circumsistentem vidisset turbam, et sustinentem, sublatis in coelos oculis : « Ago tibi gratias, Domine Deus, inquit, quod misertus sis mei , qui sum pastor tuarum ovium rationis còmpotum ; et qui in nos vigilabat lupum, frustra hiantem

* Ita juxta interpretationem LXX. In Vulgata porro legitur : *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii* (*Os.* X).

reddideris: et a veritate divulsam hanc gregis partem revocaris, et jam filiorum adoptione dignèris per baptismum.» Haec cum dixisset Deo universorum, jubet multitudinem eum sequi ad ecclesiam. Cum autem jam venissent, consuetis dictis precibus, baptismo initiat viros numero quingentos. Ex hinc autem multi ad illum confluebant, non solum ex magna Phrygia, et universa finitima regione, sed etiam qui Asiam habitabant, et qui degebant in provinciis Lydia et Caria. Etenim per universam civitatem de ipso manabat sermo qui non erat vanus et inanis, et ideo cito poterat extingui: sed qui ex veritate magnas habebât vires. Ad eum ergo confluebant, alii quidem ut discerent quae erant salutaria: alii autem, ut liberarentur ab iis quae eis afferebant molestiam: quos scilicet premebat morbus, aut etiam aliquod aliud tenebat malum. Erat enim aptissimus ad docendum verbum veritatis, et paratissimus familiares Christo reddere eos qui accedebant.

§ **9**. Pauci dies praeterierunt, cum assumptis presbyteris et diaconis, et reliqua praeterea fraternitate, procedit; et sedens in eo loco, in quo consueverat, tamquam ex aliquo fonte suavissimo, ex ore profundit doctrinae fluenta suavissima. Interea autem accessit adducta illustris quaedam femina, oculis orbata, nomine Phrygella, mater Euxeniani Poplionis. Is vero Poplion apud Imperatorem et universam civitatem primum locum in honore obtinebat. Adducta ergo, sicut diximus, mater illius, postquam audivit magnum Abercium hic jam sedere et docere, magno studio ad eum accurrens, et illius pedes prehensans, vehementer eum precabatur, et « Miserere, dicebat, mihi hominum maxime venerande, solique vero Deo care, miserere mei supplicis: redde mihi rursus oculos, magnum Dei opus; effice, ut jucundum Solem rursus intuear; neque me despicias affectam tam miserabiliter; consolare meam calamitatem: moveat te maximus meus splendor. Est mihi filius Poplion, qui multum potest apud Imperatorem, et civitatem; ego autem ipsum non video. Sunt mihi divitiae ingentes, et variae, famuli, pecuniae, praedia; ego autem ad ea me pejus habeo, quam egentes. Nam illi quidem possunt frui adspectu illorum paucorum, quae habent, et ea, quae habent, ut volunt, administrare; ego vero nec ea possum videre, quorum credor esse domina. Et utinam privata his omnibus, solos haberem oculos. Propterea rogo tuam clementem animam, valde, inquam, rogo et supplico misera, ut meos aperias oculos, et tua apud verum Deum fiducia eis vim videndi immittas. »

§ **10**. Ille autem: « At ego, inquit, o mulier, sum peccator, et qui magis egeo misericordiâ, et pendeo totus a Dei clementia. Si autem tu etiam credis in Deum, in quo ego confido, potest omnino sicut ei, qui erat caecus ab ortu, tibi quoque visum donare.» Illa vero: « Credo, inquit, in verum Dominum Christum: tu igitur meos credentis tangens oculos, jucundam et desiderabilem

eis lucem largire. » Haec non nudis solum dicebat verbis, sed et moribus confirmabat, et fontibus lacrymarum. Misertus ergo Sanctus, et ad coelos adspiciens, qui erat coelis vere dignus: « Veni, inquit, vera lux, Jesu Christe, et aperi hujus oculos. » Deinde conversus, cum ejus tetigisset oculos: « Si vere, dixit, in Christum credidit, Phrygella, statim visum recipiat.» Cum sic ergo dixisset, et soluta est ipsa orbitas, et patuit veram fuisse ejus fidem in Christum. Visus enim oculorum corporis, significabat illuminatos esse animae oculos. Porro autem cognita est etiam in dono grata, dicens: « Domine, ago tibi gratias, quod mihi dupliciter lucem sis largitus. His enim, qui videntur oculis corporis, cordis oculos longe mihi magis aperuisti. Unde etiam mihi convenit dicere, quae tuus David: *Liberasti oculos meos a lacrymis, et pedes meos a lapsu* *. Vere enim sum liberata ab offensione, neque gressus animae sunt minores gressibus corporis. » Hinc vehementi capta amore Christi, cum totam se contulisset ad servanda ejus mandata: « Ecce, inquit, pater, ad Sanctum adspiciens, praesentibus his multis testibus, dimidium mearum facultatum tibi committo, ut distribuas indigentibus. » Quae ergo circumsistebat multitudo, admirata novum hoc miraculum, ipsa quoque exclamavit: « Magnus es, Deus Christianorum: nam ii quoque magnis vere fruuntur gratiis, qui tuum nomen invocant.» Tunc autem sanctus Abercius: « Ecce, inquit, mulier, cognovisti, quam liberaliter ac munifice Dominus meus eos remuneratur, qui sperant in ipsum. Vade ergo in pace, tibi animum adhibens, et illi agens eas, quas par est, gratias. » Haec ille cum dixisset, Phrygella recessit quidem in praesentia: rursus autem rediit, et eum valde colere perseveravit. Atque rursus quidem aggressus est Abercius consuetam doctrinam.

§ II. Cum autem quod in Phrygella factum fuit miraculum, in multas terrae partes pervasisset, accedunt ad eum tres vetulae, quae ipsae quoque erant orbate oculis, dicentes: « Nos etiam credimus in Jesum, qui a te praedicatur. Appareat ergo in nos quoque ejus clementia, et nobis lucem, o vir admirande, ostende, sicut Phrygellae. » Ille autem: « Si fides vestra, inquit, vera est in verum Deum, sicut dicitis, eum videbitis cordis oculis, qui cadunt sub intelligentiam. » Haec dixit, et cum sustulisset oculos: » Domine Jesu Christe, inquit, rogo te, videant ipsae quoque lucem tuae agnitionis: et ab ea, quae est eis offusa, liberatae caligine, adspiciant, Domine, radios tuae veritatis » Sic est precatus; et ecce locum, in quo stabant, magna lux circumfulsit desuper; et omnes in terram ceciderunt obstupefacti spectaculo, quod praeter opinionem evenerat. Non erat autem lux, cujusmodi ea est, quae venit ex sole et fulgure, sed nova prorsus, et

* Desumpta haec verba sunt ex Psalmo 114, sed nec integre, nec eodem sensu, quo David illa protulit.

stupenda, et insueta. Eae ergo stabant immotae, cum omnes humi cecidissent: et lux illa, quae apparuit, cum valde in eorum oculos incubuisset, eas statim fecit videre, et hanc suavem et hominibus gratam Solis lucem intueri. Ille autem cum tam sanis eas vidisset oculis: Quid est, rogavit, quod vobis apparuit, et quid vidistis, cum primum adspexistis? Una autem: Senem, inquit, vidi, cujus formae non potest referri pulcritudo et alacritas. Altera autem: Visus est mihi adolescens. Tertia vero: Puer, inquit, meos attigit oculos. Haec cum audisset Abercius, et rerum admirabilium Deo egisset gratias, intermisit docere.

§ **12**. Ex iis autem, qui aderant, iis assumptis, qui erant familiares, domum rediit, et cum horae nonae hymnos absolvisset, parum panis assumit. Ita enim solebat, tamquam aliud agendo, et in fine diei, corporis habere rationem. Haec cum ab ipso facta essent, licebat videre multos ex ea, quae est circumcirca, regione ad eum confluere, et baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Interim autem cum quae matri evenissent, cognovisset Euxenianus, et quemadmodum deducta accessisset ad Sanctum, et quemadmodum orbata visum recuperasset, omnia ex ipsa sciscitatus, venit ad illum, ac: « Si te scirem, inquit, o pater, lubenter adspicere ad pecunias, non distribuissem tibi parvam partem mearum facultatum, quod meae matri conciliaris tantum beneficium. Cum autem cum aliis quae tibi donavit Deus, te quoque pecuniis fecit superiorem, quidnam, ut est consentaneum, tibi pro hoc dono reddiderimus? Quidnam aliud, quam hanc gratiam tibi feremus acceptam? » Cum haec quidem dixisset, Sancti pedes prehendit. Sanctus autem acceptâ ejus dextera: « Scias, inquit, o optime, mihi nullâ re aliâ tua opus esse, nisi quod cum sis adeo prudens, fidelis fias ex infideli, impiâ mutatâ religione, venias ad agnitionem veritatis. Volo enim te fidelem esse potius pauperem, quam infidelem illustrem et divitem. »

§ **13**. Tunc respondit Euxenianus: « Si vis igitur, o sacrum caput, de hoc nobis est quaerendum. Saepe enim audivi matri assidens, se a te didicisse, Deum nunc quidem esse clementem et benignum, nunc autem terribilem et justum: et alios, ut valde bonum, bonis remunerari, alios, utpote justum, ulcisci et punire. Si ergo ex amore quidem existit beneficium et remuneratio, supplicium autem et poena ab odio, quomodo fieri potest, ut idem sit bonus, et justa inferat supplicia? » — « Quoniam, inquit magnus Abercius, cum unicuique reddatur pro meritis, eos quidem, qui bona faciunt, tamquam qui naturâ sit bonus, afficit beneficio; eos autem, qui mala exercent, punit, ut qui omnia juste faciat, nemine effugiente ejus cognitionem eorum, quae nos facimus, et vel solum cogitamus. Ipse est enim accuratissimus examinator eorum, quae sunt in profundo cogitationis, corda examinans, et renes pervadens usque ad divisionem animae et

spiritus, compagum quoque et medullarum, et judex cogitationum et conceptionum cordis.» Euxenianus vero: « Hoc quidem, inquit, recte est solutum. Sed illud quoque me doce. Si Deus bonis delectatur, cur non ab initio talem fecit hominem, ut bonum quidem possit operari, malum autem minime possit facere? Sic enim et quae sunt ei grata, fecissemus, et mansissemus nullo affecti supplicio. » Ille autem: « Hoc quoque est, inquit, ejus, qui nostri magnam curam gerit, et qui omnino vult nostrum bonum. Si enim non possemus mala facere, nec bona quidem faciendo nihil lucraremur. Neque enim propterea laude digni essemus, nec commendatione. Tunc namque quod factum esset, non fuisset factum nostro libero arbitrio, sed ex rei natura. Non enim qui non potest malum facere, is non faciens est laudandus: sed qui, cum possit quidem facere, abstinet propter boni desiderium. Cum autem utrumque sit in nostra potestate, ut vel boni simus, vel mali, si velimus, cur tollis occasionem parandae bonae existimationis, et ejicis materiam corònarum? » Ad haec Euxenianus: « Nunc, inquit, mihi satis est persuasum, hominem esse sui juris, et liberum habere arbitrium, et sua sponte venire ad peccandum. » Sed dum de his rebus inter se disceptarent, hora nona rursus veniens, finiit quaestiones. Statim enim surgens sanctus Abercius, salutat eos, qui circumstabant; et cum benedixisset, domum mittit cum Euxeniano.

§ **14**. Pauci dies postea praeterierunt, cum vicos circumcirca positos, et ante alios, eos qui erant propinqui, obiit cum fratribus. Jam enim acceperat, multos variis illic morbis laborare. Cum autem abiisset, et eos curasset precibus, et manuum impositione, postquam vidit locum egere balneo (quod quidem aegrotantibus est aptum solatium), veniens in quemdam locum, qui appellatur Ager, fluvius autem prope eum fluit, flexis Deo genibus humi pròcidit. Èt ecce erumpit quidem tonitru coelo sereno, emittit autem terra fontes aquarum calidarum; et per omnia laudabatur Deus, qui justos sic exaudit. Cum beata autem illa lingua iis, qui aderant, jussisset fodere cisternas, ut aquae calidae in eas confluerent, et eae essent ad recreanda corpora laborantia, domum revertitur. Interim autem tentationum et deceptionis pater malignus daemon, indutus formâ muliebri, venit ad Sanctum, volens ab ipso consequi benedictionem. Ille autem, conjectis in illum oculis, qui intus latebat, lupum non ignorans, etiam ovis pellem induisset, protinus avertitur, et lapide offendit pedem dexterum. Dolore ergo affectus, manu tangit talum: ipsum enim percusserat. Malignus autem rursus in seipsum mutatus, suavissime risit, et vehementissime, et solitâ protinus superbiâ: « Ne me existimes, inquit, esse ex illis humilibus daemoniis, quae tu scis saepe fugare vel verbo solo: sed sum ipse centurio, cujus cum nunc fecisti periculum, vides quam gravibus sis affectus

doloribus, qui liberasti multos a molestiis. » Sic execrandus ex eo, quod laedat, nunquam autem ex eo, quod prosit, sibi laudem tribuit. Haec ergo admirabili dixit Abercio, et impetum facit in quemdam ex iis, qui ipsum circumsistebant, adolescentibus : quem cum graviter discerpsisset, miserabiliter projicit in medium omnium.

§ **15**. Magnus autem Abercius statim misericordia motus adolescentis, et Deum precatus, eum malo solvit, et execrandum illum daemonem procul expellit, re ipsâ ostendens, quisnam sit boni discipulus, et qui bene facere didicerit : et quisnam is sit, qui est malus ab initio, et magister male faciendi aliis. Ille autem non eo usque constitit, neque semel superatum esse satis habuit : sed ei rursus bellum denunciat, cujus primum conflictum non potuit sustinere. Quando enim invitus recessit, relicto adolescente, asperâ et impudenti voce usus : « Cito te, inquit, o Aberci, vel invitum faciam videre Romanorum civitatem. » Hoc autem non multo post evènit, ut deinceps ostendemus. Sanctus enim Abercius domum suam reversus, totos septem dies transegit in jejuniis et nocturnis vigiliis simul cum fratribus, rogans ne esset tanta inimici in eum potentia, ut quo ille eum duceret, ipse sequeretur. Septima vero nocte ei in somnis appàrens Dominus, dixit : « Romam, o Aberci, meâ venies providentiâ, ut qui in ea sunt, meum nomen agnoscant. Esto ergo bono animo, gratia enim mea tecum erit. » Tunc Sanctus e somno excitatus : « Fiat, inquit, voluntas tua, Christe : et divinam apparitionem renunciavit fratribus. » Sed ei quidem sic praedictum est fore, ut veniret ad Romanorum civitatem.

§ **16**. Malignus autem daemon, qui paulo ante eum eo venturum est minitatus, nihil differens, venit Romam, et Imperatoris Antonini filiam jam nubilem, et sexdecim annos natam, quae Lucio quidem Vero fuerat desponsa *, vocabatur autem Lucilla, et caeteras suas aequales pulcritudine et magnitudine superabat, ingreditur : et statim ciet furore, ut se discerperet, et dejiceret, et dentibus morderet manus, et suas carnes mànderet. Mater autem Faustina (hoc enim erat nomen Augustae), simul cum Antonino angebantur animo, et valde erant dubii ac perplexi, et eam rem maximam ducebant calamitatem. Quod autem eis maxime augebat animi aegritudinem, erat, quod puella fuerat desponsa Lucio. Nam eum quidem jam miserat Antoninus ad Orientem, bellum gesturum contra Regem Bulgessum **. Inter eos autem convenerat, ut stato die Lucius quidem ab Oriente, Antoninus autem Româ venirent Ephesum : et in templo, quod ibi erat, Dianae Antoninus, deâ tèste, traderet puellam, Lucius vero acciperet. Cum ergo Lucius, ut convenerat, propere navigaret Ephesum,

* Desponsationem hanc Scriptores etiam profani tam graeci quam latini meminerunt.
** A latinis historicis *Vologesus* nominatur.

sum, nesciens quid ageret Antoninus, cum esset ejus filia a daemone correpta, tempus protrahit excusatione, scribens ad Lucium, quod Germani, trajecto Rheno, oppida Romanorum et vicos populantur: et ideo non poterat nunc cum filia venire Ephesum, ut convenerat, sed tantum anno sequenti. Ei autem cum in media navigatione redditae fuissent litterae ab Imperatore, magno dolore affectus, idque ferens aegerrime, revertitur Antiochiam. Imperator autem Antoninus, partim quidem suâ sponte valde de filia sollicitus, partim vero a conjuge incitatus, omnia faciebat, et a nullo abstinebat quod haberet rationem.

§ **17**. Adductis itaque Romanorum et Italorum sacerdotibus, et ex Hetruria accersitis aruspicibus, per ipsos adjurabat daemonem, et nihil non excogitabat ad mali curationem. Illa autem et inania esse convincebantur, et malignum daemonem magis efferebant in puellam. Caeterum is talem quoque vocem emittebat per puellam, quod nisi veniret Abercius Hierapolitanorum, qui sunt in parva Phrygia, Episcopus, ex eo non exiret tabernaculo. Cum haec ergo multos dies vociferaretur, apud se dubitabat Antoninus, quidnam hoc esset, considerans: et aliquando accersito Corneliano praefecto praetorii, rogavit an in parva Phrygia esset urbs nomine Hierapolis. Is autem: « Maxime, inquit domine: et ex ea ortus est Euxenianus, ad quem saepe scripsisti de rebus publicis. » Hoc cum audivisset Antoninus, laetatus est quasi a cura liberatus, nempe quod Euxenianus, qui illic degebat, hanc rem pulcre ei procuraret. Et Valerio et Basiano Magistrianis * mox praesto esse jussis, haec sic scribit: « Antoninus Imperator Augustus, Euxeniano Poplioni salutem: Ego tui ingenii solertiam re ipsâ expertus, et maxime iis, quae jussu nostrae potentiae nuper fecisti Smyrnae, levata Smyrnensibus calamitate, quae eis ex terraemotu evenerat, ut par erat sum laetatus, et tuam in rebus gerendis laudavi diligentiam. Omnia enim accurate didici, perinde ac si affuissem. Nam et a te missa relatio, et qui eam reddidit Caecilius procurator noster, omnia mihi aperte narravit. In praesentia autem cum sit potentiae nostrae significatum, Abercium quemdam Episcopum Hierapolitanum apud te versari, virum adeo pium in Christiana religione, ut medeatur daemoniacis, et alios morbos curet facillime, eo cum nos necessario opus habeamus, Valerium et Basianum Magistrianos divinorum nostrorum officiorum misimus, ut eum cum omni honore et reverentia ad nos adducant. Tuae ergo jubemus praestantiae, ut ei persuadeas ad nos venire cum summa animi alacritate, sciens non parvam hoc nomine tibi futuram esse apud nos laudem. Vale. »

§ **18**. Hanc cum Magistrianis dedisset epistolam, Româ dimisit, dicens: « Rem mihi longe gratissimam feceritis, si Abercium

* *Magistriani* dicebantur qui Imperatorum mandata in provincias perferebant.

ad me quammaxima celeritate adduxeritis. » Illi autem eis acceptis litteris, nihil omiserunt celeritatis et diligentiae. Sed cum pervenissent Brundusium, et navem paratam ascendissent, vento usi secundo, septem diebus transmisso Jonio, appellunt in Peloponnesum. Illinc autem equis usi velocibus, cito veniunt Byzantium. Deinde cum ipso die trajecissent in Nicomediam, et usi essent rursus cursu publico, veniunt Synadem Phrygiae metropolim: et acceptis viae ducibus a Praeside, qui illic erat, Spinthere dicto, ut fuerat ei imperatum a Corneliano, circa horam nonam veniunt in civitatem Hierapolitanorum. Ingredientes ergo civitatem, occurrunt Abercio, veluti optimâ datâ occasione. Solebat enim horâ nonâ domum redire a docendo, solitas preces Deo redditurus. Atque illi quidem ei facti obviam, rogarunt, ubinam esset Euxenianus, et quonam ire deberent, ut eum convenirent. Postquam vero ille rogavit, quid quaererent, et cur venirent, ejus interrogationem aegre ferens Valerius, et quod non cito ad quaesita respondisset, audacius aliquid audet, forte motus a maligno: et extendit dexteram adversus Sanctum, volens eum flagello percutere. Manus autem, quae eum desuper servabat, non fuit negligens: sed audax puniebatur dextera, et erat immobilis, tamquam vincta aliquo compede. Invadit alterum quoque metus propter novum hoc spectaculum; et ambo ab equis descendentes, pròcidunt ad Sancti pedes, et fiunt ei supplices, ut manus, quae emarcuerat, et erat quasi mortua, effloresceret, rursus et revivisceret, neque sic remaneret mortua.

§ **19**. Ille autem in hoc quoque consueta usus est misericordiâ; et tangit quidem manum male affectam, sanam vero eam reddit protinus. Deinde rursus sciscitatus, quanam de causa esset eis opus eum convenire, et intellexisset quod ad ipsum ferrent litteras Imperatoris, fit eis dux itineris, et deducit quamprimum ad aedes Euxeniani. Ille autem, acceptis litteris, cum quae continebantur in eis, perlegisset, Sancto statim tradit epistolam, et rogat, ut nihil differat, sed sicut Imperator volebat, iter quamprimum ineat. Quam cum ipse quoque legisset: « Veniam, inquit, promptoque et alacri animo iter conficiam. Fit enim hoc Dei voluntate, ut mihi quoque jam a Domino meo fuit significatum. » Et Magistriani quidem praeclare deducti ad Euxenianum, et ab eo honorifice accepti hospitio, cum duos dies apud ipsum mansissent, et ei totum iter, et navigationem renunciassent, abierunt tertio die, acceptis ab eo litteris: cum eis esset pollicitus admirandus Abercius, post quadraginta dies, in Portu *, qui dicitur, qui quidem est prope Romam, se esse invicem conventuros, et sic simul cum illis Romam esse ingressurum. Illi autem cum non possent non credere (recte enim judicabant

* *Ostia tiberina*, ut videtur.

ex iis, quae senserant, et viderant, quod fieri non posset, ut vir, qui talibus et tantis erat dignatus, conscientiam et linguam haberet non sanam), publicos rursus equos ascendentes, redierunt.

§ **20**. Sanctus autem Abercius cum vinum, et acetum, et oleum in unum et eumdem utrem injecisset, et paucos panes praeterea sumpsisset, et deinde esset locutus cum fratribus, quae par erat, et illius recessum miserabiliter deflentes, pulcherrime esset consolatus, ascendit vehiculum publicum, et egreditur e civitate. Cum autem parum processisset in via, videt quemdam vinitorem fodientem, et vites diligenter colentem (ei nomen erat Trophimion). Quo nominatim vocato: « Age dum inquit, iter mecum Romam confice. » Audivit ille, et ligone, et rastris relictis et suâ veste arreptâ, quam propter laborem operationis humi deposuerat, Sanctum est secutus. Jamque simul viam inibant... Cum ergo totum iter facile confecissent, veniunt in Ataliam Pamphyliae civitatem. In qua cum navem conscendissent, quae Romam proficiscebatur, in locum appellunt constitutum, cum modo finem accepisset dierum conventio. Magistriani vero tribus postea diebus ipsi quoque appulerunt; fuit enim longa mora navigationis propter tempestatem. Quo circa tarditatem suam valde accusabant: quin etiam statuebant, nisi Sanctum, ut convenerat, invenirent, vel sibi ipsis mortem crudeliter consciscere. Nam si Imperatori vacuis, ut dicitur, manibus se sisterent, metuebant, ne ab illo interficerentur. Haec apud se animo agitantes, cum jam e navi descendissent, et scrutarentur diversoria, et litus obirent, Sanctum inveniunt. Ille autem cum manum porrexisset, et eos salutasset, amice eos adspexit, et placide pactum conventum revocavit in memoriam. Cum vero ipsi lubenter eum praeter spem vidissent, protinus adorabant, amplectebantur, et omnia alia faciebant, quae sunt signa animi moti laetitiâ. Deinde cum eum secum assumpsissent, ingrediuntur Romam, et ad Praetorio Praefectum ducunt Cornelianum. Ille autem, cum Imperator Antoninus expeditionem suscepisset contra barbaros, qui Rhenum transierant, et Romanorum agros populabantur, eum ducit ad Augustam Faustinam. Quem postquam illa adspexit adeo honestum, et venerandum, et qui summam moderationem prae se ferebat et tranquillitatem, impletur pudore, et eum salutat honorifice, et: « Quod sis boni quidem Dei, et qui omnia potest, servus, inquit, est evidens, tam ex iis, quae alii multi prius, et nunc reversi renunciarunt Magistriani (etenim jam quoque ex eis Faustina de illo acceperat). Rogo igitur, ut nihil differas, sed beneficio afficias Imperatores, et humilem nostram serves et cures filiolam. Sic enim a nobis magni honores, et dona tibi collata referent gratiam. »

§ **21**. Haec illa cum magna dicebat affectione. Eam enim flectebat naturae necessitas, et faciebat, ut illius postularet

auxilium, quem (ut cum divino dicam Davide) odio habebant gratis, et non sustinebant adorare tamquam verum Deum. Ille autem: « Accepta quidem est, inquit, nobis tua voluntas: sed nos nullo ex iis, quae sunt apud vos, delectamur, ut qui vanam hanc speciem jampridem expuerimus: et alioqui nec mercede praebemus gratias, quae nobis a Deo datae sunt, gratis accepta, gratis quoque dare jussi. Sed ubi est, inquit, filia? » Faustina autem quam potuit celerrime currit in thalamum, et acceptam filiam attrahit ad Sanctum quammaximo ardore et studio dici potest. Puellam vero inhabitans sceleratissimus daemon, cum cognovisset se ad eum abduci, a quo sciebat se prius fuisse superatum, discerpebat puellam, et dejiciebat: timere, conturbari, tremere, caligare faciebat. Deinde etiam vocem ex ea emittebat, dicentem: Ecce, Aberci, ego te Romam duxi, sicut sum pollicitus. Ille autem: Certe, inquit: sed nequaquam propterea gaudebis. Sic dixit, et jubet puellam duci sub dio. Ducta est ergo puella per Hippodromum *, cum Imperatoris satellites et custodes locum prius occupassent. Interim autem cum ille impudens et sceleratus daemon discerperet et dejiceret puellam, et nihil aliud clamaret, nisi quod solum significabat se gloriari, et jactare, quod per se duxisset Sanctum per tantum terrae et maris spatium: sublatis in coelum oculis, Abercius, cum Deum esset precatus, puellam acriter intuetur, et; « Ab ea, inquit, egredere, maligne daemon, ipsam nihil offendens. Tibi hoc jubet Christus meus. » Is vero, leonina illâ audaciâ statim mutatâ in vulpis timiditatem; « Adjuro te ego quoque, inquit, per ipsum Christum, ne me mittas in solitudinem, neque ullum alium locum, nisi in eum, in quo habitabam. » Sanctus autem: « Abibis quidem, inquit, non in solitudinem, sed in locum paternum. Propterea autem, quod me fecisti videre Romam, ipse quoque tibi jubeo in nomine Jesu, ut hanc aram tollas (ei manu ostendens aram lapideam), et feras usque ad meam Hierapolim, et statuas propter portam Australem. » Audivit daemon, et statim tamquam servus, qui terribili domino didicit cedere in omnibus, recedit quidem a puella, nihil ei omnino mali faciens. Deinde innumerabilibus oculis videntibus (O quis tua omnia non admirabitur, Rex Christe!), aram subit, et tollit graviter gemens, et transit per medium Hippodromum (quod quidem visum est novum Romanis spectaculum), et deponit Hierapoli in loco praestituto.

§ **22**. Puella autem liberata a daemone, qui eam vexabat, muta longo tempore tenuit Sancti pedes: quod matrem, et eos, qui aderant, maxime conturbabat, timentes ne puellae animam abstulisset daemon. Faustina autem non potuit hoc ferre silentio: sed habens cor plenum tristitiâ et angore animi, dixit Sancto: « Certe cum daemone vitam quoque ademisti filiae. » Ille autem

* Non putem hîc de circo publico agi, sed de illo quod intra palatii septa erat.

cum eam vidisset sic affectam, et ejus esset misertus, puellae manum praebens, tamquam profundo somno oppressam, eam facit surgere sanae mentis còmpotem. Et conversus ad Faustinam: « Ecce, inquit, adest tibi puella neque vitâ privata, et libera ab insultu daemonis. » Postquam ergo mater sic vidit filiam, eam complexa, et prae gaudio fundens lacrymas, genam genae imposuit, et os ori, et manibus manus conseruit, et veluti cupiens eam intrinsecus apprehendere, et cum nuda ipsa congredi anima, nesciebat quid ageret. Cum autem puella quidem jam recte se haberet, sanctum Abercium vehementissime rogavit Imperatrix, ne recusaret ab ea accipere remunerationem, cui ipse fuit causa magnae et necessariae gratiae. Ille autem pecuniae ne sustinuit quidem ullam fieri mentionem, dicens: « Quid ei opus fuerit pecuniis, cui panis et aqua est lautum et magnificum prandium? » Petit autem, ut prope Hierapolim extruatur balneum in agro, qui est propter fluvium, ubi ipse oravit flexis genibus, et terra emisit fontes aquarum calidarum; et ut mendicis, qui erant in ea civitate, darentur ter mille modii frumenti.

§ **23**. Haec simul atque audivit Imperatrix, lubenter, concedit, quod fuerat petitum: et Cornelianum praetorio Praefectum quam primum accersit, et jubet ad ea praestanda, quae sunt petita, omne adhibere studium, ne cito promissorum gratiam hebetet et obscuret tarditas ministerii. Tale est hominum ingenium, et ita sunt affecti. Iis lubentius gratificamur, qui dona dubitant accipere, quam iis, qui sunt prompti ad accipiendum: hos quidem despicientes, quod videantur victi a muneribus: illorum autem amplectentes animi magnitudinem. Praefectus autem praetorio nihil cunctatus, emittit architectum ad Praesidem Phrygiae, qui erat illo tempore, ut pecunias ab eo acciperet, quantis opus erat ad balneum extruendum: et ter mille modios frumenti distribueret pauperibus, qui erant Hierapoli. Postquam autem fuit impositus finis balneo, quod aedificabatur, ab illo tempore non vocabatur amplius locus ille Ager, qui est propter fluvium, sed Ager calidarum. Duravit autem illius frumenti distributio usque ad tempora impii Juliani. Ille namque, quomodo alia bona, ita hoc quoque invidens Christianis, statim cessare facit suppeditationem.

§ **24**. Sanctus ergo Abercius, ut ad eum revertamur, cum longo tempore fuisset versatus cum Romanis, et sanam fidei rationem tradidisset Ecclesiis Christianorum, videt aliquando in somnis adesse Dominum, et dicere: « Oportet, o Aberci, te curam quoque gerere partium, quae sunt in Syria. » A somno ergo excitatus, petit ab Imperatrice, ut eum dimittat. Illa enim eum detinebat vehementissime, timens ne postquam ille abscessisset, libertatem assecutum daemonium, filiam rursus invaderet. Verum is, cum, quod ad id attinebat, jussisset eam esse bono

animo, rursus rogavit, ut navis sibi pararetur, per quam ad partes Syriae navigaret. Tandem ergo persuasa ab illius assiduitate, jubet Cornelianum ei parare navigium, et quae erant necessaria, quamprimum imponere. Cum ergo ei in Portum deducta esset navis, illam conscendens, septimo die navigationis pervenit in Syriam. Et primum quidem versatur Antiochiae; deinde eum excipit Apamea; et illinc transit ad reliquas civitates, et reconciliat Ecclesias inter se dissidentes. Tunc enim per eas valde serpebat malum haeresis Marcionis Transmisso autem Euphrate, venit ad Ecclesias, quae erant in Nisibi, et in tota Mesopotamia, easque eodem modo afficit. Hinc ad eum ab omnibus deferuntur pecuniae, mediocris remuneratio magnae ejus circa Ecclesias malorum perpessionis. Ignorabant autem se perinde facere, ac si alicui ex iis, qui possunt velocissime currere, praeberent compedes, praemium quoddam agilitatis, aut si mavis, non secus ac ii, qui eum qui nudus luctari pulcre didicit, conantur docere, ut eum arripiendi ansam habeat adversarius.

§ **25**. Cum ergo ille quidem recusaret accipere, dicens fuisse plura, quae dabat Imperatrix, et quae justiore de causa poterant accipi: illi autem instantes non possent persuadere: stans in medio eorum vir quidam, nomine Barchasanes, genere clarissimus, divitiis copiosissimus: « Vim quidem, inquit, ei afferre propter pecunias, o fratres, neque est ei decorum, neque nobis omnino utile. Quod autem datum non licet deponere, et quod ei magis dant suae actiones, illud est a nobis praestandum. Decernemus eum nominare *aequalem Apostolis*. Neque enim ullum alium scimus tantum terrae et maris obiisse, ut curam gereret fratrum, nisi summos Christi discipulos, quos quidem ipse est secutus.» Haec ille quidem: omnibus autem visum est ita esse faciendum. Sicque ab illo tempore accepit hanc denominationem, qui etiam ante illorum sententiam hanc erat ipsis factis sortitus. Cum illinc ergo recessisset, et in utraque fuisset Cilicia, et Lycaoniam obiisset, et Pisidiam, venit Synadem Phrygiae metropolim. Hospitio autem acceptus a quibusdam ex iis, qui illic erant Christianis, cum se parumper recreasset, ad suam contendit civitatem.

§ **26**. Cum itaque aestate venisset ad locum, qui dicitur Aulon, sedit in petra propinqua. Cum autem et ventus spiraret ei adversus, et a rusticis frumentum in area ventilaretur, et aura tenues paleas excitans, in Sancti vultum projiceret, rogat agricolas, ut laborem aliquantum remitterent. Illi autem non exaudierunt. Deinde Sanctus quidem solis precibus sopit spiritum, illis autem vel invitis cessavit studium. Cum ergo nescirent quid agerent, ii se convertunt ad coenam. Ipse autem aquam (siti enim laborabat) ab eis petiit. Sed agricolae cum essent valde inhospitales, et plane agrestes, despectui habebant petitionem, et rem ludificabantur; scilicet, propter unum senem, dicentes, a

mensa abstinebimus. Aegre tulit hanc inhumanitatem humanissimus virorum Abercius: et eis est imprecatus, ut nunquam saturarentur. Quod etiam eis hucusque permansit: humanâ plane poenâ luunt inhumanitatis. Deinde a petra rediens venit ad suam civitatem. Cum ergo sensisset populus ejus adventum, omni ex parte confluebant, cupientes videre divinum vultum, et audire vocem desideratam. Ille ergo cum libenter eis benedixisset, et eos salutasset, rursus obiit civitatem, ubique docens verbum veritatis, et eos qui accedebant, per divinum baptismum initians, et daemoniacis praebens mali solutionem: morbus curans, et quavis affectione fortiorem spiritus, quae in ipso erat, virtutem proferens. Cum autem valde quoque utilem doctrinae librum composuisset, eum dat iis, qui sub ipso erant, Presbyteris simul et Diaconis, ut eis vel post mortem loqueretur, et aliquo modo nunquam eis cessaret prodesse.

§ 27. Aliquando in montem excelsum, usu ita postulante, ascendit: ipseque et qui cum eo erant, siti laborabant. Confugit autem ad eum, qui potest omnia. Itaque conversus ad orationem, humi inclinat genua. Poculentam autem aquam terra statim emisit. Ab illo autem tempore locus ille deinceps fuit appellatus *Locus genuflexionis*. Caeterum tunc quidem rediit in domum suam: non multo post autem videt rursus Dominum, qui ei in somnis apparuit, et ei dixit: « Aberci, jam prope est tempus, ut cesses a longis tuis laboribus. » Cum autem a somno esset excitatus, et cognovisset decessum sibi praesignificari, narrat fratribus id, quod apparuerat: et quemdam quadratum lapidem, longitudine et latitudine aequalem, sibi sepulcrum construit: et aram, quae, illo jubente, Roma illuc translata fuerat, lapidi imponit, ei talem insculpens inscriptionem: « *Electae urbis civis hoc vivens feci, ut hic tempore habeam posituram corporis, nomine Abercius. Qui sum discipulus pastoris casti, pascentis ovium greges in montibus et agris, ac magnos habentis oculos, omnia intuentes. Is enim me docuit litteras fideles, Romam qui me misit ad videndum imperium, et Imperatricem indutam aureis vestibus et calceis. Illic autem vidi populum praeclarum, insignes annulos in manibus gestantem. Et Syriae regionis campum vidi, et omnia oppida Nisibim et Mesopotamiae, transmisso Euphrate. Habui autem omnes ad eamdem venientes concionem, et Paulum intrinsecus. Fides autem omnino produxit et apposuit nutrimentum, piscem ex fonte ingentem, quem purum apprehendit virgo casta: et eum perpetuo edendum tradidit amicis, vinum habens bonum, quod dat cum pane temperatum. Haec adstans Abercius jussit, ut scriberentur, septuagesimumsecundum annum vere agens. Haec cogitans oraverit pro Abercio, quicumque nobiscum sentit. Non tamen alterum tumulum mihi, neque hunc in superiori loco imponet aliquis. Quod si fecerit, Romano aerario solvet bis mille aureos, et bonae patriae Hierapoli*

mille aureos. » Inscriptio quidem sic se habebat ad verbum, sed tempus ex ea aliquid detraxit, et effecit, ut nonnihil postea desideraretur *.

§ 28 Ipse tandem cum Presbyteros simul et Diaconos, et quosdam vocasset ex populo: « Filioli, inquit, mihi quidem jam adest vitae finis, et abeo, o grex mihi dilecte; abeo ad id, quod vel ab ineunte aetate desiderabam, vitae genus: et ad eum, cujus ego solius teneor desiderio, et cujus divino amore vehementer incendor; abeo eum visurus. Vobis autem considerandum est, quemnam sitis vobis electuri Episcopum, qui et vos post me pascet, et cujus vocem pulcre audient meae oves, quae, ut Deo placet, ab eo pascentur.» Haec cum Sanctus ei dixisset, illi cum pauca inter se communiter locuti essent, Archipresbyterum Ecclesiae, cui etiam nomen erat Abercius, communiter elegerunt. Quinetiam cum ipse quoque ei suâ sententiâ confirmasset Episcopatum, ei imponit manus; et cum benedixisset: « Tu, inquit, o Aberci, nunc Episcopus constitueris, Deo dante, et me quoque, quantum est in mea potestate. » Deinde cum simul cum oculis manus in coelos sustulisset, et Deum orasset, spiritu hinc recedit, et transit ad Christum, ad choros Angelorum transmissus, qui re verâ vixerat ut Angelus. Populus autem, qui habitabat civitatem, congregatus ad sacrum illud viri corpus, cum illi sacra cecinisset cantica, et tamquam communem aliquem thesaurum sustulisset, deposuit in lapide, vigesimosecundo mensis Octobris. Deinde cum eum, qui ab ipso acceperat Episcopatum, in ejus thronum deduxissent, communiter magnificarunt Deum, qui est super thronum gloriae regni: quem decet omnis honor, gloria et adoratio, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

* Hisce diebus, multum inter Eruditos, de hoc Epitaphio disputatum fuit; nec litem componere facile esset.

SERMO DE B. SEVERINO COLONIENSI EPISC.

EX ANTIQUIS SANE MSS. CODICIBUS DESCRIPTUS. TESTATUR S. GREGORIUS TURONENSIS EPISCOPUS FORTUNATUM PRESBYTERUM HUJUS BEATI SEVERINI SCRIPSISSE VITAM: SED UTRUM EA EXTET, INCOMPERTUM HABEMUS. QUAE AUTEM IDEM GREGORIUS DE HOC SANCTISSIMO VIRO ANNOTAVIT, EA NOS SERMONI HUIC SUBJICIEMUS.

Obiit initio sec. V — In Aquitania natus.

§ 1. Dominus ac Redemptor noster, caput totius universalis Ecclesiae, corpus suum toto orbe dispersum sicut divinâ potestate condidit, ita piissimâ gubernatione custodit. Unde et firmiora membra, consultum * imbecillioribus, infirmitatis humanae praescius, in toto mundo praevidere ** dignatus est. Quibus etiam peregrinantibus, et capiti suo suspirantibus, nunquam se defuturum esse promisit, dicens discipulis suis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi* (*Matth.* XXVIII). Consolatur ergo infirmos, ut diximus, majorum adjutorio, ut eorum admonitionibus exercitati, discant peregrinationem suam cognoscere, et patriam coelestem desiderare. Hoc sanctos patres nostros, suo quemque loco, laudabiliter studio deseruisse non dubitamus: quorum ut memoriam solemniter celebremus, partim ex litterarum commendatione, partim ex majorum traditione in consuetudine habemus. Quos quia Dominus coelesti gloriâ sublimavit, nostrae quoque in perpetuum honorandos memoriae commendavit. Tales denique in aedificatione sui sancti corporis ministros esse constituit, quorum sollicitudine custodiantur electi, et ab aperta grassatione coërceantur perversi. Qui videlicet gregem Dominicum a luporum insidiis praedicando, recte operando et orando protegentes, suo Domino talenta credita cum lucro reportantes, non solum pro suis meritis, sed et pro commissorum profectibus, sui Domini gaudium intrare merentur. Qui etiam sublimiora loca in sancta Ecclesia, sortiuntur, ut ab omnibus vel exempli, vel doctrinae gratiâ videantur. *Nemo* enim, ut ait Dominus in Evangelio, *lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio: sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant* (*Matth.* V et *Luc.* VIII).

§ 2. De quorum probatissima societate beatum Severinum, virum honestae vitae, et per cuncta laudabilem, cujus hodierna die festa percolimus, Agrippinensi praedestinatum Ecclesiae, electione et consensu Cleri totius ac populi praeesse misericorditer

* Forsitan *consulturus*. ** Forte *providere*.

voluit. Qui tempore Arrianae haereseos loricâ fidei Dominicae indutus, in Dei opere spectabilis fuit, adeo ut convenientibus ad synodale concilium ex tota pene Gallia, aliarumque provinciarum partibus, catholicis et orthodoxis fidei Christianae doctoribus, Euphrata, memoratae Agrippinae Coloniae non pastore, sed mercenario, pro praelibatae pestis perfidia destituto, idem sanctissimus Dei famulus Severinus, ut infusam malitiam eliminare debuisset, a cunctis aptissimus acclamaretur. Quod quia periclitanti populo necessarium erat, Deo propitio, sancti concilii auctoritate firmatum est. Actumque est mirâ omnipotentis Dei dispensatione, ut non Euphratae, scelestissimae perversitatis doctori, Severinus aeterni judicis praeco succederet; sed pestiferi seminis auctore expulso et exterminato, Materni fortissimi Christianae fidei propugnatoris, et vigilantissimi propagatoris, nec fidei nec doctrinae perfectione dissimilis, successor existeret: quatenus perspicacibus discretionis obtutibus, quod male pullulaverat resecando, decessoris sui monimenta redintegraret, et impostoris mendacia, fide verissima reviviscente, repelleret.

§ 3. Quali autem vigilantiâ sibi et doctrinae suae, post susceptum Episcopatum attendisset, vel qualiter in custodia ovilis sibi crediti desudasset, corona justitiae, quam eum jam in Angelorum consortio suscepisse luce clarius est, manifestissime pandit. Quod si quis a nobis miraculorum ejus virtutes èxigit, sciat tunc temporis plus fuisse necessariam sermonum interpretationem, quam virtutum operationem: quia contra eos extitit pugna, qui non negabant Dei potestatem in miraculis, sed aequalitatem sanctae et inseparabilis Trinitatis in personis. Arriana ergo tunc contentio grassabatur: qua eeo crudelior, quo interior, ita totius pene Ecclesiae viscera serpentinis irrepsit insidiis, ut vix esset credibile. mundum unquam tantae pestis illecebris posse carere; et nisi suadente Domino, Christianae militiae robustissimi bellatores, quorum Severinus non ultimus, labenti in tantis scandalorum turbinibus, sanctae Ecclesiae succurrerent, pejora prioribus tempora proculdubio citius advenirent. Tales etenim tunc eam caninis morsibus lacerabant, quales ipsa veritas cavendos esse praemonebat, dicens: *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Faciliusque fortasse foret, aut aperte contra veritatem debacchantes per rationem vincere, aut pro eadem veritate corpus in mortem tradere, quam simulantes justitiam gladio rectitudinis expugnare, et infusum virus, quod jam per membra serpsit, interius medicinalibus Sanctarum Scripturarum poculis resolvere, et ad integrum exsiccare. Quo virtutis studio sagacissimum athletam Christi Severinum decertasse cognovimus. Cujus solemnitati quanto devotius insistimus, tanto nos eum, quem dilexit, et cujus

munere ad tantam gloriam pervènit, et ardentius et sincerius diligere comprobamus.

§ 4. Signa autem non a fidelibus, sed ab infidelibus exigenda sunt: quamvis tot mortuorum resuscitator esse veracissime praedicetur, quot animarum haeretica pravitate corruptarum, doctrinâ fidei catholicae et operationis rectae recuperator esse cognoscitur. Plus est enim, animam in aeternum victuram, a vitiorum sordibus ad immortalitatis desiderium per dulcedinem piae exhortationis accendere, quam corpus iterum moriturum, de tumulo resuscitare. Quoties ergo aliquem ad cognitionem veritatis a tenebris revocavit erroris, toties caecis oculis fulgorem reddidit lucis. Quem dum ea, quae agenda proposuit, ad effectum operis assiduis admonitionibus perducere fecit, etiam manuum damna resolvit. Cui si de virtute in virtutem eundi, et cordis affectibus ad superiora ascendendi voluntatem et facultatem doctrina simul et precibus impetravit, gressus pedum a debilitatis nexibus liberos dedit. Verum omnipotens Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult, tam forti sanctos et electos suos compage charitatis univit, ut nihil eorum, quae alter merito sanctitatis assequitur, alteri desit. Cum enim quaecumque bona sic alter in altero diligit. sicut in semetipso, nimirum per charitatem agitur, ut eisdem etiam cum ipso participetur. Quo fit, ut beatissimum Severinum antistitem, nullius omnino virtutis expertem merito credamus, quem perfecta charitate bonorum omnium profectibus conjunctum esse non dubitamus.

§ 5. Cujus vitae descriptionem nostrae nequaquam inertiae commendamus, quia vel quanta ipse pro Domino egerit et pertulerit, vel quanta per eum Dominus operatus sit, nec historiae narratione, nec testium veracium assertione perfecte didicimus: quamvis ea litterarum commendatione, et congruâ fidelium relatione dignissima credimus. Quomodo enim posset fieri, ut tam idoneus fidei catholicae praedicator et doctor, memorabilibus non fulgeret operibus? Cui tamen laudabilius fuit labefactum sanctae Ecclesiae statum suo loco corrigere, et ad pristinam incolumitatem maximo sudore reducere, quam recto stantem ordine et non nutantem servare. Sed post decessum doctoris religiosissimi, quando gravissima inundatio gentis incredulae totam pene Galliam et ejus finitima caede atque incendiis devastabat, succedentibus et ingravescentibus adversis, sancti Viri gloriosa facta vel miracula, partim conscripta, partim avidis scriptoribus casu inopinatae perturbationis erepta, gratulationi nostrae cognitionis ablata sunt. Tantam namque dominationis vim tunc temporis crudelitati tyrannicae propter peccatum inobedientiae ultio divina concessit, ut in cunctis Galliarum provinciis nec una quidem civitas, nisi Metensis *, inusta remaneret: quamvis in ea

* Gallice, *Metz.*

non nisi solum oratorium. S. Stephani nomine dedicatum, propter ejusdem Protomartyris sanguinem ibidem pullulantem, salvatum esse S. Servatii gesta commemorent: ut videlicet populi, qui corde obdurato praedicatorum suorum blandis admonitionibus non obtemperabant, in se compleri sentirent, quod sancta Scriptura de quibusdam perversis dicit, quia tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.

§ 6. Quam insanientis gentilitatis feritatem, omnipotentis Dei patientia non prius Coloniensem populum permittebat invadere, quam ejus defensoris animam in electorum suorum consortium dignaretur accipere: ut aperte daretur intelligi, quanti privaretur munitione patroni, qui et ipsam, quam inevitabiliter merebatur, plagam praesente corporaliter S. Severini patrocinio, videret esse dilatam Sed fama mirabilium sancti viri operum, certis utique de causis ad nos usque non perducta, laudem sanctitatis ejus non minuit quia vere beatitudinis perfectioni non detrahit: in qua illum jam aeterna securitate felicem, poscamus esse nostrae fragilitatis misericordissimum adjutorem.

§ 7. In laude igitur hujus Deo digni pontificis Severini non minimum sanctitatis indicium, quod contemporalis ejus probatissimi Christi confessoris Martini miraculis inditum reperimus, nequaquam transeundum putamus: in quo lucidissime demonstratur, unum agone jam bene consummato coronam justitiae debitam percepisse, alterum adhuc in certamine positum, eamdem fidei bonorumque operum constantiam meruisse. Et ut aperte dicam, unius ostendit praemium, alterius describit miraculum. Quodam itaque tempore, dum solertissimus pastor Ecclesiae Severinus, gregis sibi commissi custodiis invigilans, die Dominico, expletis matutinalibus officiis, ex consuetudine loca sancta orandi gratiâ circuiret, audire meruit dulcisonam coelestis militiae melodiam: quae illum afflatu Sancti Spiritus docuit, quia Martinus Episcopus de seculo migravit. Quam dum intentus ipse diligenti aure perciperet, secreti coelestis testem secum habere desiderans, vocato Archidiacono, requisivit, si aures ejus cantilena coelitus immissa percuteret. Quo tale aliquid se audire negante, rursus Episcopus, ut diligenter auscultaret, admonuit. Cumque ille toto corporis et mentis nisu coelestis concentus fieri particeps appeteret, et non impetraret, intellexit vir Dei a Deo implorandum fore, ut hujusmodi laudes Diaconus audiret. Tunc prostrati simul in terram Episcopus et Diaconus ut harmonia, quam magister intentus audierat, etiam discipulum non latèret, orabant. Quibus erectis, cum beatus antistes Diaconum iterum interrogaret, si desideratam vocem auribus adhuc quodam modo sentiret: « Voces, inquit, psallentium tamquam in coelo audio, sed quid sit, prorsus ignoro. » Cui secretorum conscius coelestium, quid audita jubilatio designaret, aperuit, dicens: « Dominus meus,

Martinus, migravit a seculo, et nunc eum hymnidici civium coelestium chori in suum consortium laetantes suscipiunt. Cujus sanctissimam animam carne solutam, diabolus cum suis angelis retinere curavit, sed nihil in eo suum reperiens, confusus abscessit. Propter quod et paululum morae fuit, quod exequiarum ejus digna celebratio a nobis audire non potuit. » Requisitum est ergo diligentissime, et inventum, eadem die et horâ sanctum Martinum aeternum sui Domini gaudium intrasse, quo hoc beatum Severinum contigit prophetiae spiritu tactum sensisse. Prophetiae enim esse creditur quod divinae virtutis mysterium per manifestationem Spiritus Sancti cuilibet revelatur. Quid ergo nobis de hujus sanctissimi pontificis Severini in ritis dicendum est, nisi quod omnipotens Deus dum Martinum ad coelestem gloriam extulit, huic ejus consessus et consortii securitatem dedit: ut qui non dissimilis studii erant in contemptu seculi, aequali gloriâ fulgerent in aeterna laetitia contemplationis Dei?

§ 8. Fertur etiam ejusdem gloriosi pontificis temporibus eremitam quemdam praecipuis virtutum operibus floruisse: qui cujusdam magni principis fuisse filius, et in deliciis copiosissimis esse enutritus perhibetur. In quibus eousque perductus est, ut parentes ejus magnificas illi nuptias praepararent, et sponsam delicatissimam cum apparatu multo conducerent. Cujus dum conjugio potiturus cubiculum post coenam opulentissimam intraret, subito pavore nescio quo raptus vidit quasi juvenem speciosissimum, qui ei majorem gloriam commodaturum sancte promitteret, si sibi parère sequendo maluisset. Quod cum tota ambitione juvenis se velle dixisset, surrexit, et de omni supellectili, quam possederat, vasculum ligneum, quo vinum de situlis in vasa aurea et argentea mixtum bibentibus fundi solebat, solum secum sumens, virum qui apparuit, secutus, abscessit. A quo in remotiora erèmi loca ductus, vitam laudabilem et paucis imitabilem duxit. Cumque ibidem multos dies ad promerendum Deum continuis orationibus vacaret, supplicare magnopere coepit, ut cum quo aequalitatem praemii habiturus esset, judex aequissimus aperiret. Cui dum Coloniensis Ecclesiae praesul famosissimus Severinus in hujusmodi consortio proponeretur, sibi eum, quis esset, ostendi precabatur. Nec mora, idem qui illuc eum adduxerat, adfuit, et ei locum, in quo sanctus Episcopus illis diebus morabatur, ostendit. Forte tunc, instante quadam solemnitate, multitudo populi confluebat, cui post divinum officium a tanto pontifice convivium exhiberi honor impositus exigebat. Ubi dum praedictus solitarius deliciarum affluentiam cernens, se ei in praemio sociandum esse pertimesceret, qui talia, qualia ipse quondam dimisisset, haberet, severitate correptionis a magistro imposita didicit, quod minus Episcopus omnem illam secularem gloriam, quam ipse ligneum vasculum, quod sibi de

cunctis suis opibus reservaverat, dilexisset. Unde Deo gratias agens, ad locum, unde venerat, gratulabundus recessit, et ut promissum praemium cum Severino Dei famulo mereretur, quoad vixit, instantissime flagitavit. Haec ergo duo beati Severini virtutum insignia, quae proposuimus ad exprimendum bonitatis ejus meritum, ut puto, sufficerent, etiamsi plura non fuissent. In altero enim Dei, in altero intelligimus dilectionem proximi. Nam quod humanam possibilitatem transcendens, supernorum spirituum laudes in beati Martini transitu audivit, qualiter in dilectione Dei profecisset, ostendit. Soli enim sincerissimae charitati praestatur, ut Dei, qui charitas est, arcanis admisceatur. Quod autem contemplativae vitae dulcedinem ad tempus deserens, proximorum infirmitati etiam in conviviorum, apparatu condescendit, quam forti fraternae charitatis vinculo constringeretur, insinuat. Magnum est enim haec habendo dispensare, et non diligere: et manifestum est, quia haec qui non diligit, etiam non habere velit. Sed haec discretissimus sanctae Ecclesiae provisor Severinus, et sibimetipsi plus coelestia desiderans, non appetiit, et commissorum necessitati, quando tempus fuit, sollicite ministravit, quasi suis subditis dicens cum Apostolo: *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii, sumus vobis* (2. *Cor.* v). Qua in re de sanctitatis ejus merito certi, Coloniensem populum, Deo auxiliante, felicem fore credimus, si cujus studio reparatus est ad fidem, illius cum bonorum operum executione poscat sedulus intercessionem.

§ **9**. Corroborata igitur et bene stabilita, Dei gratiâ, Coloniensi Ecclesia, sanctus vir Severinus, in Dei opere indefessus, per visionem monetur, ut Burdegalense oppidum et partes Aquitaniae, unde etiam claram traxisse fertur originem, coelestis lucri causâ visitare non dubitaret. Quod statim, cognitâ Dei voluntate, licet jam senili gravaretur aetate, perficere aggressus est. Interea dum iter ageret, revelatum est a Domino beato Amando ejusdem civitatis praesuli, Severinum magnificae sanctitatis Episcopum, visitatum Aquitanicos cives advenire, et se ei cum cleri populique coetibus obviare debere. Unde repletus gaudio vir Dei, congregationem fratrum plebemque subditam convocavit, et in occursum beati pontificis cum veneratione debita properavit. Quem mox ut appropiavit, prior proprio nomine, velut per revelationem doctus fuerat, salutare curavit, prosequente Clero, et dicente: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Tum laeto constipatus utriusque sexus agmine, ad ecclesiam honorifice cum canticis et hymnis deducitur, et consueta convenientium fratrum vota solvuntur. Ibi sane constantissimus Christi confessor veluti repuerascens, fidei virtutisque exempla simul et documenta cunctis proposuit, quibus incredulos salubri credulitati restituit, errantes ad viam veritatis reduxit, bene agentes in bonorum operum

mensa abstinebimus. Aegre tulit hanc inhumanitatem humanissimus virorum Abercius: et eis est imprecatus, ut nunquam satiarentur. Quod etiam eis hucusque permansit: humanâ plane poenâ inhumanitatis. Deinde a petra recedens, venit ad suam civitatem. Cum ergo sensisset populus ejus adventum, omni ex parte confluebant, cupientes videre dulcem vultum, et audire vocem desideratam. Ille ergo cum lubenter eis benedixisset, et eos salutasset, rursus obibat civitatem, libere docens verbum veritatis, et eos qui accedebant, per divinum baptismum initians, et daemoniacis praebens mali solutionem: morbos curans, et quavis affectione fortiorem spiritus, quae in ipso erat, virtutem proferens. Cum autem valde quoque utilem doctrinae librum composuisset, eum dat iis, qui sub ipso erant, Presbyteris simul et Diaconis, ut eis vel post mortem loqueretur, et aliquo modo nunquam eis cessaret prodesse.

§ 27. Aliquando in montem excelsum, usu ita postulante, ascendit: ipseque et qui cum eo erant, siti laborabant. Confugit autem ad eum, qui potest omnia. Itaque conversus ad orationem, humi inclinat genua. Poculentam autem aquam terra statim emisit. Ab illo autem tempore locus ille deinceps fuit appellatus *Locus genuflexionis*. Caeterum tunc quidem rediit in domum suam: non multo post autem videt rursus Dominum, qui ei in somnis apparuit, et ei dixit: « Aberci, jam prope est tempus, ut cesses a longis tuis laboribus. » Cum autem a somno esset excitatus, et cognovisset decessum sibi praesignificari, narrat fratribus id, quod apparuerat: et quemdam quadratum lapidem, longitudine et latitudine aequalem, sibi sepulcrum construit: et aram, quae, illo jubente, Roma illuc translata fuerat, lapidi imponit, ei talem insculpens inscriptionem: « *Electae urbis civis hoc vivens feci, ut hic tempore habeam posituram corporis, nomine Abercius. Qui sum discipulus pastoris casti, pascentis ovium greges in montibus et agris, ac magnos habentis oculos, omnia intuentes. Is enim me docuit litteras fideles, Romam qui me misit ad videndum imperium, et Imperatricem indutam aureis vestibus et calceis. Illic autem vidi populum praeclarum, insignes annulos in manibus gestantem. Et Syriae regionis campum vidi, et omnia oppida Nisibim et Mesopotamiae, transmisso Euphrate. Habui autem omnes ad eamdem venientes concionem, et Paulum intrinsecus. Fides autem omnino produxit et apposuit nutrimentum, piscem ex fonte ingentem, quem purum apprehendit virgo casta: et eum perpetuo edendum tradidit amicis, vinum habens bonum, quod dat cum pane temperatum. Haec adstans Abercius jussit, ut scriberentur, septuagesimumsecundum annum vere agens. Haec cogitans oraverit pro Abercio, quicumque nobiscum sentit. Non tamen alterum tumulum mihi, neque hunc in superiori loco imponet aliquis. Quod si fecerit, Romano aerario solvet bis mille aureos, et bonae patriae Hierapoli*

mille aureos. » Inscriptio quidem sic se habebat ad verbum, sed tempus ex ea aliquid detraxit, et effecit, ut nonnihil postea desideraretur *.

§ 28 Ipse tandem cum Presbyteros simul et Diaconos, et quosdam vocasset ex populo: « Filioli, inquit, mihi quidem jam adest vitae finis, et abeo, o grex mihi dilecte; abeo ad id, quod vel ab ineunte aetate desiderabam, vitae genus: et ad eum, cujus ego solius teneor desiderio et cujus divino amore vehementer incendor; abeo eum visurus. Vobis autem considerandum est, quemnam sitis vobis electuri Episcopum, qui et vos post me pascet, et cujus vocem pulcre audient meae oves, quae, ut Deo placet, ab eo pascentur.» Haec cum Sanctus ei dixisset, illi cum pauca inter se communiter locuti essent, Archipresbyterum Ecclesiae, cui etiam nomen erat Abercius, communiter elegerunt. Quinetiam cum ipse quoque ei suâ sententiâ confirmasset Episcopatum, ei imponit manus; et cum benedixisset: « Tu, inquit, o Aberci, nunc Episcopus constitueris, Deo dante, et me quoque, quantum est in mea potestate. » Deinde cum simul cum oculis manus in coelos sustulisset, et Deum orasset, spiritu hinc recedit, et transit ad Christum, ad choros Angelorum transmissus, qui re verâ vixerat ut Angelus. Populus autem, qui habitabat civitatem, congregatus ad sacrum illud viri corpus, cum illi sacra cecinisset cantica, et tamquam communem aliquem thesaurum sustulisset, deposuit in lapide, vigesimosecundo mensis Octobris. Deinde cum eum, qui ab ipso acceperat Episcopatum, in ejus thronum deduxissent, communiter magnificarunt Deum, qui est super thronum gloriae regni: quem decet omnis honor, gloria et adoratio, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

* Hisce diebus, multum inter Eruditos, de hoc Epitaphio disputatum fuit; nec litem componere facile esset.

SERMO DE B. SEVERINO COLONIENSI EPISC.

EX ANTIQUIS SANE MSS. CODICIBUS DESCRIPTUS. TESTATUR S. GREGORIUS TURONENSIS EPISCOPUS FORTUNATUM PRESBYTERUM HUJUS BEATI SEVERINI SCRIPSISSE VITAM: SED UTRUM EA EXTET, INCOMPERTUM HABEMUS. QUAE AUTEM IDEM GREGORIUS DE HOC SANCTISSIMO VIRO ANNOTAVIT, EA NOS SERMONI HUIC SUBJICIEMUS.

Obiit initio sec. V — In Aquitania natus.

§ **1.** Dominus ac Redemptor noster, caput totius universalis Ecclesiae, corpus suum toto orbe dispersum sicut divinâ potestate condidit, ita piissimâ gubernatione custodit. Unde et firmiora membra, consultum * imbecillioribus, infirmitatis humanae praescius, in toto mundo praevidere ** dignatus est. Quibus etiam peregrinantibus, et capiti suo suspirantibus, nunquam se defuturum esse promisit, dicens discipulis suis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi* (*Matth.* XXVIII). Consolatur ergo infirmos, ut diximus, majorum adjutorio, ut eorum admonitionibus exercitati, discant peregrinationem suam cognoscere, et patriam coelestem desiderare. Hoc sanctos patres nostros, suo quemque loco, laudabiliter studio deseruisse non dubitamus: quorum ut memoriam solemniter celebremus, partim ex litterarum commendatione, partim ex majorum traditione in consuetudine habemus. Quos quia Dominus coelesti gloriâ sublimavit, nostrae quoque in perpetuum honorandos memoriae commendavit. Tales denique in aedificatione sui sancti corporis ministros esse constituit, quorum sollicitudine custodiantur electi, et ab aperta grassatione coërceantur perversi. Qui videlicet gregem Dominicum a luporum insidiis praedicando, recte operando et orando protegentes, suo Domino talenta credita cum lucro reportantes, non solum pro suis meritis, sed et pro commissorum profectibus, sui Domini gaudium intrare merentur. Qui etiam sublimiora loca in sancta Ecclesia, sortiuntur, ut ab omnibus vel exempli, vel doctrinae gratiâ videantur. *Nemo* enim, ut ait Dominus in Evangelio, *lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio: sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant* (*Matth.* V et *Luc.* VIII).

§ **2.** De quorum probatissima societate beatum Severinum, virum honestae vitae, et per cuncta laudabilem, cujus hodierna die festa percolimus, Agrippinensi praedestinatum Ecclesiae, electione et consensu Cleri totius ac populi praeesse misericorditer

* Forsitan *consulturus*. ** Forte *providere*.

voluit. Qui tempore Arrianae haereseos loricâ fidei Dominicae indutus, in Dei opere spectabilis fuit, adeo ut convenientibus ad synodale concilium ex tota pene Gallia, aliarumque provinciarum partibus, catholicis et orthodoxis fidei Christianae doctoribus, Euphrata, memoratae Agrippinae Coloniae non pastore, sed mercenario, pro praelibatae pestis perfidia destituto, idem sanctissimus Dei famulus Severinus, ut infusam malitiam eliminare debuisset, a cunctis aptissimus acclamaretur. Quod quia periclitanti populo necessarium erat, Deo propitio, sancti concilii auctoritate firmatum est. Actumque est mirâ omnipotentis Dei dispensatione, ut non Euphratae, scelestissimae perversitatis doctori, Severinus aeterni judicis praeco succederet; sed pestiferi seminis auctore expulso et exterminato, Materni fortissimi Christianae fidei propugnatoris, et vigilantissimi propagatoris, nec fidei nec doctrinae perfectione dissimilis, successor existeret: quatenus perspicacibus discretionis obtutibus, quod male pullulaverat resecando, decessoris sui monimenta redintegraret, et impostoris mendacia, fide verissima reviviscente, repelleret.

§ 3. Quali autem vigilantiâ sibi et doctrinae suae, post susceptum Episcopatum attendisset, vel qualiter in custodia ovilis sibi crediti desudasset, corona justitiae, quam eum jam in Angelorum consortio suscepisse luce clarius est, manifestissime pandit. Quod si quis a nobis miraculorum ejus virtutes èxigit, sciat tunc temporis plus fuisse necessariam sermonum interpretationem, quam virtutum operationem: quia contra eos extitit pugna, qui non negabant Dei potestatem in miraculis, sed aequalitatem sanctae et inseparabilis Trinitatis in personis. Arriana ergo tunc contentio grassabatur: qua eeo crudelior, quo interior, ita totius pene Ecclesiae viscera serpentinis irrepsit insidiis, ut vix esset credibile. mundum unquam tantae pestis illecebris posse carere; et nisi suadente Domino, Christianae militiae robustissimi bellatores, quorum Severinus non ultimus, labenti in tantis scandalorum turbinibus, sanctae Ecclesiae succurrerent, pejora prioribus tempora proculdubio citius advenirent. Tales etenim tunc eam caninis morsibus lacerabant, quales ipsa veritas cavendos esse praemonebat, dicens: *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Faciliusque fortasse foret, aut aperte contra veritatem debacchantes per rationem vincere, aut pro eadem veritate corpus in mortem tradere, quam simulantes justitiam gladio rectitudinis expugnare, et infusum virus, quod jam per membra serpsit, interius medicinalibus Sanctarum Scripturarum poculis resolvere, et ad integrum exsiccare. Quo virtutis studio sagacissimum athletam Christi Severinum decertasse cognovimus. Cujus solemnitati quanto devotius insistimus, tanto nos eum, quem dilexit, et cujus

munere ad tantam gloriam pervenit, et ardentius et sincerius diligere comprobamus.

§ 4. Signa autem non a fidelibus, sed ab infidelibus exigenda sunt: quamvis tot mortuorum resuscitator esse veracissime praedicetur, quot animarum haeretica pravitate corruptarum, doctrinâ fidei catholicae et operationis rectae recuperator esse cognoscitur. Plus est enim, animam in aeternum victuram, a vitiorum sordibus ad immortalitatis desiderium per dulcedinem piae exhortationis accendere, quam corpus iterum moriturum, de tumulo resuscitare. Quoties ergo aliquem ad cognitionem veritatis a tenebris revocavit erroris, toties caecis oculis fulgorem reddidit lucis. Quem dum ea, quae agenda proposuit, ad effectum operis assiduis admonitionibus perducere fecit, etiam manuum damna resolvit. Cui si de virtute in virtutem eundi, et cordis affectibus ad superiora ascendendi voluntatem et facultatem doctrina simul et precibus impetravit, gressus pedum a debilitatis nexibus liberos dedit. Verum omnipotens Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult, tam forti sanctos et electos suos compage charitatis univit, ut nihil eorum, quae alter merito sanctitatis assequitur, alteri desit. Cum enim quaecumque bona sic alter in altero diligit. sicut in semetipso, nimirum per charitatem agitur, ut eisdem etiam cum ipso participetur. Quo fit, ut beatissimum Severinum antistitem, nullius omnino virtutis expertem merito credamus, quem perfecta charitate bonorum omnium profectibus conjunctum esse non dubitamus.

§ 5. Cujus vitae descriptionem nostrae nequaquam inertiae commendamus, quia vel quanta ipse pro Domino egerit et pertulerit, vel quanta per eum Dominus operatus sit, nec historiae narratione, nec testium veracium assertione perfecte didicimus: quamvis ea litterarum commendatione, et congruâ fidelium relatione dignissima credimus. Quomodo enim posset fieri, ut tam idoneus fidei catholicae praedicator et doctor, memorabilibus non fulgeret operibus? Cui tamen laudabilius fuit labefactum sanctae Ecclesiae statum suo loco corrigere, et ad pristinam incolumitatem maximo sudore reducere, quam recto stantem ordine et non nutantem servare. Sed post decessum doctoris religiosissimi, quando gravissima inundatio gentis incredulae totam pene Galliam et ejus finitima caede atque incendiis devastabat, succedentibus et ingravescentibus adversis, sancti Viri gloriosa facta vel miracula, partim conscripta, partim avidis scriptoribus casu inopinatae perturbationis erepta, gratulationi nostrae cognitionis ablata sunt. Tantam namque dominationis vim tunc temporis crudelitati tyrannicae propter peccatum inobedientiae ultio divina concessit, ut in cunctis Galliarum provinciis nec una quidem civitas, nisi Metensis *, inusta remaneret: quamvis in ea

* Gallice, *Metz*.

non nisi solum oratorium. S. Stephani nomine dedicatum, propter ejusdem Protomartyris sanguinem ibidem pullulantem, salvatum esse S. Servatii gesta commemorent: ut videlicet populi, qui corde obdurato praedicatorum suorum blandis admonitionibus non obtemperabant, in se compleri sentirent, quod sancta Scriptura de quibusdam perversis dicit, quia tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.

§ 6. Quam insanientis gentilitatis feritatem, omnipotentis Dei patientia non prius Coloniensem populum permittebat invadere, quam ejus defensoris animam in electorum suorum consortium dignaretur accipere: ut aperte daretur intelligi, quanti privaretur munitione patroni, qui et ipsam, quam inevitabiliter merebatur, plagam praesente corporaliter S. Severini patrocinio, videret esse dilatam Sed fama mirabilium sancti viri operum, certis utique de causis ad nos usque non perducta, laudem sanctitatis ejus non minuit quia vere beatitudinis perfectioni non detrahit: in qua illum jam aeterna securitate felicem, poscamus esse nostrae fragilitatis misericordissimum adjutorem.

§ 7. In laude igitur hujus Deo digni pontificis Severini non minimum sanctitatis indicium, quod contemporalis ejus probatissimi Christi confessoris Martini miraculis hujus [sic: lnditum] reperimus, nequaquam transeundum putamus: in quo lucidissime demonstratur, unum agone jam bene consummato coronam justitiae debitam percepisse, alterum adhuc in certamine positum, eamdem fidei bonorumque operum constantiam meruisse. Et ut aperte dicam, unius ostendit praemium, alterius describit miraculum. Quodam itaque tempore, dum solertissimus pastor Ecclesiae Severinus, gregis sibi commissi custodiis invigilans, die Dominico, expletis matutinalibus officiis, ex consuetudine loca sancta orandi gratiâ circuiret, audire meruit dulcisonam coelestis militiae melodiam: quae illum afflatu Sancti Spiritus docuit, quia Martinus Episcopus de seculo migravit. Quam dum intentus ipse diligenti aure perciperet, secreti coelestis testem secum habere desiderans, vocato Archidiacono, requisivit, si aures ejus cantilena coelitus immissa percuteret. Quo tale aliquid se audire negante, rursus Episcopus, ut diligenter auscultaret, admonuit. Cumque ille toto corporis et mentis nisu coelestis concentus fieri particeps appeteret, et non impetraret, intellexit vir Dei a Deo implorandum fore, ut hujusmodi laudes Diaconus audiret. Tunc prostrati simul in terram Episcopus et Diaconus ut harmonia, quam magister intentus audierat, etiam discipulum non latèret, orabant. Quibus erectis, cum beatus antistes Diaconum iterum interrogaret, si desideratam vocem auribus adhuc quodam modo sentiret: « Voces, inquit, psallentium tamquam in coelo audio, sed quid sit, prorsus ignoro. » Cui secretorum conscius coelestium, quid audita jubilatio designaret, aperuit, dicens: « Dominus meus,

Martinus, migravit a seculo, et nunc eum hymnidici civium coelestium chori in suum consortium laetantes suscipiunt. Cujus sanctissimam animam carne solutam, diabolus cum suis angelis retinere curavit, sed nihil in eo suum reperiens, confusus abscessit. Propter quod et paululum morae fuit, quod exequiarum ejus digna celebratio a nobis audire non potuit. » Requisitum est ergo diligentissime, et inventum, eadem die et horâ sanctum Martinum aeternum sui Domini gaudium intrasse, quo hoc beatum Severinum contigit prophetiae spiritu tactum sensisse. Prophetiae enim esse creditur quod divinae virtutis mysterium per manifestationem Spiritus Sancti cuilibet revelatur. Quid ergo nobis de hujus sanctissimi pontificis Severini in ritis dicendum est, nisi quod omnipotens Deus dum Martinum ad coelestem gloriam extulit, huic ejus consessus et consortii securitatem dedit: ut qui non dissimilis studii erant in contemptu seculi, aequali gloriâ fulgerent in aeterna laetitia contemplationis Dei?

§ 8. Fertur etiam ejusdem gloriosi pontificis temporibus eremitam quemdam praecipuis virtutum operibus floruisse: qui cujusdam magni principis fuisse filius, et in deliciis copiosissimis esse enutritus perhibetur. In quibus eousque perductus est, ut parentes ejus magnificas illi nuptias praepararent, et sponsam delicatissimam cum apparatu multo conducerent. Cujus dum conjugio potitùrus cubiculum post coenam opulentissimam intraret, subito pavore nescio quo raptus vidit quasi juvenem speciosissimum, qui ei majorem gloriam commodaturum sancte promitteret, si sibi parère sequendo maluisset. Quod cum tota ambitione juvenis se velle dixisset, surrexit, et de omni supellectili, quam possederat, vasculum ligneum, quo vinum de situlis in vasa aurea et argentea mixtum bibentibus fundi solebat, solum secum sumens, virum qui apparuit, secutus, abscessit. A quo in remotiora erèmi loca ductus, vitam laudabilem et paucis imitabilem duxit. Cumque ibidem multos dies ad promerendum Deum continuis orationibus vacaret, supplicare magnopere coepit, ut cum quo aequalitatem praemii habiturus esset, judex aequissimus aperiret. Cui dum Coloniensis Ecclesiae praesul famosissimus Severinus in hujusmodi consortio proponeretur, sibi eum, quis esset, ostendi precabatur. Nec mora, idem qui illuc eum adduxerat, adfuit, et ei locum, in quo sanctus Episcopus illis diebus morabatur, ostendit. Forte tunc, instante quadam solemnitate, multitudo populi confluebat, cui post divinum officium a tanto pontifice convivium exhiberi honor impositus exigebat. Ubi dum praedictus solitarius deliciarum affluentiam cernens, se ei in praemio sociandum esse pertimesceret, qui talia, qualia ipse quondam dimisisset, haberet, severitate correptionis a magistro imposita didicit, quod minus Episcopus omnem illam secularem gloriam, quam ipse ligneum vasculum, quod sibi de

cunctis suis opibus reservaverat, dilexisset. Unde Deo gratias agens, ad locum, unde venerat, gratulabundus recessit, et ut promissum praemium cum Severino Dei famulo mereretur, quoad vixit, instantissime flagitavit. Haec ergo duo beati Severini virtutum insignia, quae proposuimus ad exprimendum bonitatis ejus meritum, ut puto, sufficerent, etiamsi plura non fuissent. In altero enim Dei, in altero intelligimus dilectionem proximi. Nam quod humanam possibilitatem transcendens, supernorum spirituum laudes in beati Martini transitu audivit, qualiter in dilectione Dei profecisset, ostendit. Soli enim sincerissimae charitati praestatur, ut Dei, qui charitas est, arcanis admisceatur. Quod autem contemplativae vitae dulcedinem ad tempus deserens, proximorum infirmitati etiam in conviviorum, apparatu condescendit, quam forti fraternae charitatis vinculo constringeretur, insinuat. Magnum est enim haec habendo dispensare, et non diligere: et manifestum est, quia haec qui non diligit, etiam non habere velit. Sed haec discretissimus sanctae Ecclesiae provisor Severinus, et sibimetipsi plus coelestia desiderans, non appetiit, et commissorum necessitati, quando tempus fuit, sollicite ministravit, quasi suis subditis dicens cum Apostolo: *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii, sumus vobis* (2. *Cor.* v). Qua in re de sanctitatis ejus merito certi, Coloniensem populum, Deo auxiliante, felicem fore credimus, si cujus studio reparatus est ad fidem, illius cum bonorum operum executione poscat sedulus intercessionem.

§ 9. Corroborata igitur et bene stabilita, Dei gratiâ, Coloniensi Ecclesia, sanctus vir Severinus, in Dei opere indefessus, per visionem monetur, ut Burdegalense oppidum et partes Aquitaniae, unde etiam claram traxisse fertur originem, coelestis lucri causâ visitare non dubitaret. Quod statim, cognitâ Dei voluntate, licet jam senili gravaretur aetate, perficere aggressus est. Interea dum iter ageret, revelatum est a Domino beato Amando ejusdem civitatis praesuli, Severinum magnificae sanctitatis Episcopum, visitatum Aquitanicos cives advenire, et se ei cum cleri populique coetibus obviare debere. Unde repletus gaudio vir Dei, congregationem fratrum plebemque subditam convocavit, et in occursum beati pontificis cum veneratione debita properavit. Quem mox ut appropiavit, prior proprio nomine, velut per revelationem doctus fuerat, salutare curavit, prosequente Clero, et dicente: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Tum laeto constipatus utriusque sexus agmine, ad ecclesiam honorifice cum canticis et hymnis deducitur, et consueta convenientium fratrum vota solvuntur. Ibi sane constantissimus Christi confessor veluti repuerascens, fidei virtutisque exempla simul et documenta cunctis proposuit, quibus incredulos salubri credulitati restituit, errantes ad viam veritatis reduxit, bene agentes in bonorum operum

profectu firmavit. Non pauca quoque miracula in eadem provincia Dominus per servum suum operatus est. Et quia ibi dissolvenda corporis ejus vincula divinâ praedestinavit scientiâ, subito vir Dei gravatus infirmitate, convocatis fratribus, praedixit se in eodem loco mortis debitum soluturum, et locum sedis propriae corporaliter amplius non visurum. Sicque sanctissimus pontifex, post datam exhortationem et benedictionem, cunctis onustus virtutibus, quibus promeretur Deus, consummato feliciter vitae praesentis cursu, intentum supernis desideriis Creatori reddidit spiritum, coronandus cum confessoribus sanctis immarcescibili bravio perpetuae retributionis.

§ **10**. Tunc venerabilis Amandus Episcopus, conveniente utriusque sexus innumerabili multitudine, susceptum sacratissimum corpus cum clericis in crypta suae ecclesiae fecit honorabiliter sepeliri. Ubi ex illo tempore tantas Dominus virtutes per beati Severini merita operari dignatus est, ut videretur incolis fidem mortuus custodire, quam vivus dicitur recuperasse. Ex quibus unum insigne miraculum explicabo, quod ideo famosius praedicatur a cunctis, quia communis erat causa salutis. Nam dum quodam tempore ad annuale festivitatis ejus gaudium plebs totius provinciae religionis amore confluerel, inopinata Gotthorum rabies cum exercitu copioso supervènit. Cumque se multitudo, quae convenerat, inermem et resistendi impotem cerneret, ad ejus consilium confùgit, cujus eam gloriosa solemnitas invitavit. Nec mora, isdem, qui praedaturus, quantum caedi superesset, hostis advenerat, meritis sancti Severini immenso ex virtute Dei pavore perterritus, fugâ se tantummodo vel latibulis, quibus quisque potuit, salvare quaesivit: hisque quos praedari venerat, cum omnibus quae attulerat, praeda fuit. Unde factum est, ut omnipotenti Deo ejusque militi Severino laudes Aquitania tota rependeret, et singulis exinde annis hanc solemnitatem cum donis et muneribus copiosius frequentaret.

§ **11**. Caetera, quae tamen nec modica, nec pauca esse comperimus, breviandi gratiâ dimittimus: quia eos, inter quos facta sunt, nullo modo de his silere putamus. *Nam sicut sacramentum regis abscondere bonum est, ita opera Dei revelare et confiteri honorificum est* (*Tob.* XII). Ipse enim in Sanctis et per Sanctos virtutes quaslibet operatur, qui electis suis discipulis dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*Job* XV): de quo Paulus dicit, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (1. *Cor.* I). Cui nos quoque, fratres carissimi, pro modulo nostro laudes et gratiarum actiones in his gloriosissimi sui confessoris Severini solemniis deferamus: ut qui illum in Sanctis suis mirabilem praedicamus, eisdem opitulantibus, nobis eum fore propitium sentiamus: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur Deus in secula seculorum, Amen.

HISTORIA S. EVERGISLI

COLONIENSIS EPISCOPI

EX MSS. COD., MUTATO STYLO, ALIQUANTO CONTRACTIUS DESCRIPTA PER LAUR. SURIUM.

Floruit seculo V.

§ 1. Praeclara sanctorum Patrum merita pio affectu et studio par est Ecclesiam catholicam jugiter venerari, ut fidelibus in memoriam revocet, quemadmodum illi salutari praedicatione et doctrina suâ, verae religionis et fidei semina per orbem sparserint ac propagarint, antiquosque ethnicae superstitionis errores passim extirparint. Erant enim Christi summi patrisfamilias indefessi operarii, ad excolendum amplissimum mundi hujus agrum ab illo destinati, ut verbum, quod primus ille seminarat, pervigili curâ conservarent, ne diuturno situ neglectum, sentes et vepres suffocarent. Atque ad ejusmodi opus pastorum Ecclesiae animus egregie fuit intentus, et in hoc eorum fervebant studia. In eorum numero fuit etiam beatissimus Evergislus, ex nobili parentum stemmate secundum carnem ortus apud Tungros *, tum quidem Belgicae Galliae ingens oppidum, at nunc longe mutatum ab illa amplitudine. Ab ipsa autem pueritia quaedam in eo gratiae et virtutis insignia relucebant, nec deerat elegans corporis forma. Parentes ejus laeti tam optatâ prole, Christi perpetuo servitio eam addixerunt, ut in Clerum puer adscitus, illi more Ecclesiastico inserviret. Magna in eo adhuc puero discendi sedulitas, praeclara morum ornamenta cernebantur: praeterque tenerae aetatis modum, semper aut pii laboris occupatum exercitio, aut in preces incumbentem, vel sacris lectionibus intentum, lectaque fideli memoriae commendantem videre licebat. Aetate quidem pusillus, coaetaneos pueros piâ vivendi ratione et morum probitate longe anteibat, ita ut quoddam scientiae et magisterii privilegium in eo elucère videretur, et teneros annos quadam senilis aetatis maturitate ornaret, hominemque perfectum bene moratae vitae exemplis referret. Lectioni magnâ animi contentione incumbens, non sine parentum offensione prandiolum differebat in horam vespertinam, cum sancto Daniele abstinens a cibis lautioribus, parvoque contentus, sustentando potius, quam alendo, corpori serviebat: interim tamen id, quod sibi subtrahebat, impertiens inopi. Sic

* Scilicet, *Tongres*. Haec urbs, olim re verâ ampla et copiosa, a Vandalis, ab Hunnis, a Normannis, demum a Gallis exercitibus horrendas calamitates perpessa est.

ille aetatula tenellus, religione grandaevus, mundi gloriam calcavit.

§ 2. Interea vir Dei Severinus, Coloniensis civitatis Episcopus, nominis et meritorum splendore illustris, et per cuncta laudabilis, pro sacerdotalis ministerii debito officio, suae paroeciae ecclesias visitabat, et ex sacrorum canonum praescriptione, salutaris doctrinae et exhortationis verba singulis proponebat. Grassabatur enim tum etiam in Galliis Arriana haeresis, quam beatissimus Severinus passim profligare nitebatur, et conficere gladio oris sui. Cumque eâ animi intentione etiam Tungros inviseret, apud quos, proh dolor! perfidiosus Euphrata impii dogmatis zizania sanae doctrinae tritico superseminaverat, primum ex fratribus, qui illi ecclesiae curâ et dignitate praeerant, ad se accivit, ex illo diligenter inquirens de fide eorum et studio cultus divini. Respondit ille ad singula, quod res poscere videbatur, et inter caetera etiam Evergisli religiosi pueri miras virtutum primitias accurate exposuit. Mox Episcopus Severinus exhilaratus, jubet puerum ad se adduci, et cum eo collocutus, spe et exspectatione suâ majora in illo sanctitatis indicia deprehendit. Itaque tenerrime illum diligens, inter paternos complexus et oscula hortatur eum, ut secum proficiscatur. Non recusat sacer Christi tyrunculus, ut possit fieri pars Domini et funiculus haereditatis ejus, mundanas gloriolas fallacesque divitias omnino contemnens, divinorumque obedientiae mandatorum sese accommodans, simplicique victu et vestitu contentus, nihil extra Deum possidere curat. Immo jam sapienter discernens, quid placeret Deo, quidve displiceret, juxta Apostolum, rationale Domino impendebat obsequium, totumque vitae cursum ad ejus instituebat et exigebat voluntatem. Atque interim bonae conversationis successibus vegetatus, et diuturnae consuetudinis beneficio confirmatus, amore insatiabili coelestis sapientiae fontibus inhiabat, et instar apis sedulae, divinorum eloquiorum floribus insidens, intra pectoris sui alvearium, fidei virtutumque mella condebat.

§ 3. Cernens autem beatus Severinus Episcopus, et aetate et moribus bene idoneum eum esse majoris gratiae capessendis honoribus, ne sub modio tanta lucerna diutius lateret, prudenti sane consilio sacri altaris ministerio eum admovere decrevit, sicque per singulos gradus ad Diaconatum usque eum provexit. Quo in ministerio qualem ille se praebuerit, dici vix queat: verebatur enim, ne tantam gratiam inaniter accepisse videretur. In Dei templo nocte ac die vigilare, et mensae Dominicae citra reprehensionem inservire noverat, virtutum exercitatione praeclarus, percepto munere dignus, atque omni ex parte perfectus. Quodam Dominico die nocturnis horis pro consuetudine cum sancto Episcopo Severino loca sancta invisens, cum illo humi prostratus, coelestem meruit audire melodiam: sed cum nesciret, quid ea

sibi vellet, a sancto Episcopo divinitus docto beatissimum Martinum didicit migrasse a vita, et deducentibus Angelis abire in coelum.

§ 4. Tandem defuncto beato Severino, Clerus et populus Agrippinae Coloniae eum sibi elegit Episcopum, quamvis renitentem. Postquam ergo eam adeptus est sedem, statum Ecclesiae Coloniensis quotidie in melius provehebat, ejus familiae cibum dabat opportuno tempore, oves sibi creditas eleganter instituebat, modis omnibus a peccandi consuetudine retrahebat, calamitosis et afflictis omnibus humaniter subveniebat, urbem ipsam in tantum ornare studens, ut ab incolis aurea Colonia appellaretur. Porro mentis oculos semper referebat ad Dominum, quotidianisque auctus gratiae incrementis, ibat de virtute in virtutem. Postquam autem consenuit, immodico capitis dolore vexatus, more suo sacrata circuivit loca orandi studio. Cumque ad beati Gereonis sociorumque ejus templum, male valentium refrigerium, pervenisset, flexis genibus in Sanctorum memoriam, ubi consueverat, versum illum dicere coepit: *Exultabunt Sancti in gloria ;* moxque coelitus responsum est, *Laetabuntur in cubilibus suis* (*Psal.* 149). Unde ille intellexit, spiritu Dei id ei revelante, illo ipso die sanctos Martyres animas suas coelo reddidisse. Ab eo ergo tempore usque in praesens eodem die quotannis, ipso agente, illorum celebratur solemnitas. Accepit autem pulverem e Sanctorum templo, et sanctae Crucis exprimens signum, eum male affecto capiti suo imposuit, sanusque recessit.

§ 5. Deinde pastorali eum perurgente curâ et sollicitudine, fidei fervore inflammatus, ad Tungros profectus est, idololatriae sordes eliminaturus. Ubi eo pervenit, cum multa auctoritate sacras habebat conciones, errantes reducebat in viam ; malos hortabatur, ut cito resipiscerent ; bonos, ut studerent effici meliores. Cum autem Dominus vellet eum ad laborum capienda praemia evocare, ut cursum vitae felicius absolveret, quadam nocte mediâ surrexit, et ex more solus ad sanctae Dei Genitricis monasterium orandi causâ se contulit, faciens quod propheta dicit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuae* (*Psal.* 118). In ipso autem itinere psallente eo : *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum* (*Ps.* 3), latrones accurrunt, ad jugulandos homines intenti, magnam sibi ex illo praedam pollicentur, unusque ex illis teli ictu eum interficit. Sed cum nihil apud eum praeter simplicem vestem invenirent, ad locum secretiorem corpus exanime absportant, virgultis operiunt, ne prodatur illorum crimen, dolentesque se spe frustratos sua, aufugiunt, nihil praeter cruentam conscientiam secum auferentes *.

§ 6. Mane, oriente die, infaustus caedis ejus nuncius perfertur

* Locus impii facinoris etiam hodie *Grouwelsteeg*, seu *Callis sceleris* appellatur.

ad urbem, luctus et metus omnes occupat, Clerus populusque propere advolant ad locum, ubi sacrum corpus jacebat vili opertum tegmine, reverendo funeri debita persolvunt officia, orant loci ejus Episcopum, alioqui voluntarium, ut eo, quo par est, honore corpus exanime condatur. Incredibili omnium dolore humantur sacri artus: sed interim tanti civis adventu laetantur Angeli in coelis, quo etiam nos ejus intercessione venturos speramus, si fide et opere in ejus vestigiis insistamus. Ferebatur autem sacrum corpus, comitante Clero et innumera populi frequentiâ, cum hymnis congruis ad beatissimae Dei Genitricis, Mariae, oratorium, quod eâ tempestate celeberrimum fuit. Celebratis inde, ut moris est, exequiis cum Psalmodia et Missis, in occulto quodam loco ejus ecclesiae conditum est corpus sacrum perquam honorifice et reverenter: tametsi eximia ejus sanctitas humana officia facile superaret. Quod autem Tungrenses loco abdito illum humarunt, ea causa fuit, quod vererentur, ne Colonienses eum vi quandoque auferrent. Ex eo vero tempore tantas virtutes per merita beati Viri dignatus est Dominus illo in loco operari, ut dicerent incolae eam fidem illum ipsis servare jam in coelis coronatum, quam erga ipsos adhuc in terris degens declarasset. Quicquid ab ejus patrocinio pio sperabatur affectu, fideli effectu complebatur. Illuminabantur caeci, claudi recte ingrediebantur, paralytici curabantur, leprosi mundabantur, daemoniaci liberabantur. Quae omnia si quis velit litteris consignare, lectori fastidium pariet. Ecquis vero dubitet, per ejus merita, ingentia tum facta miracula, cum tanta hodieque fiant, ut nemo possit pro dignitate divinae benignitati gratias agere?

VITA S. MAGLORII

SECUNDI EPISCOPI DOLENSIS IN BRITANNIA MINORI

HABETUR IN MSS. CODICIBUS, SED SINE NOMINE AUCTORIS. VIDETUR SCRIPTA BONA FIDE. STYLUM LAUR. SURIUS MUTAVIT, OMISSIS QUIBUSDAM PARUM AD HISTORIAM FACIENTIBUS.

Vita clausit probab. anno 585 — Britannus.

§ 1. Eximiae sanctitatis vir Maglorius in Britannia majori traxit originem ex parentibus generis nobilitate claris, patre Umbrafelo, matre Affrella, ita ut etiam sanguinis conjunctione beatum Samsonem Episcopum * attingeret. Fuit vero monastici sectator instituti sicut et beatus Samson, et uterque ab Heltuto, sanctissimi

* Erant enim consobrini.

Germani Antissiodorensis Ecclesiae * Episcopi discipulo, et liberalibus disciplinis, et sacris litteris egregie est institutus. Germanus enim in Anglia, sive Britannia majori Pelagianorum confutavit haeresim, eâque compressâ, rediit ad sedem suam. Postea vero beatus Samson, cum semper esset divinis rebus intentus, et religioni praecipue addictus, a Clero et populo electus est Episcopus, et a quibusdam ejus gentis praesulibus, licet invitus, juxta sanctorum Patrum decreta est ordinatus. Factus vero Episcopus, beatum Maglorium, bonis ornatum moribus, jejuniis, vigiliis, precibusque studiose vacantem, corporis quoque castitate conspicuum, ad inferendam mensae Domini, et ad dispensandam vivifici corporis ejus consecrationem (sic enim loquitur Auctor, quemadmodum etiam beatus Ambrosius, ex gestis sancti Laurentii martyris quaedam citans in Officiis) Diaconum ordinavit, eumque ob meritum sanctitatis ejus reverenter habuit. Voluit etiam, ut in tempore plebi ejus dispensaret tritici, id est, verbi divini, mensuram.

§ 2. Cum autem diu in ea gente versatus esset beatissimus Samson, et optimis exemplis, salutaribus institutionibus, nec paucis miraculis ei praeluxisset, tandem divinitus permotus, memor illorum Domini verborum: *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (*Matth.* XXVIII); valefecit plebi suae, et cum beato Maglorio nonnullisque clericis et laicis in Britanniam minorem ** praedicandi causa trajecit. Ubi cum, agente Childeberto Francorum Rege, Episcopi ministerium accepisset, per omnem regionem illam longe lateque diffusa est fama nominis ejus, ita ut plura majoraque, ut in ejus gestis habetur, illic miracula ediderit, quam ante. Multis autem vitae annis ibidem exactis, quibus ei semper Christus vivere fuit, febri tandem correptus decubuit, sentiensque vicinam imminere mortem, beatum Maglorium et Ecclesiae suae fratres ad se vocat, dicit illis venisse tempus migrationis suae, aitque ad beatum Maglorium: « Novi, frater carissime, te post decessum meum hujus Ecclesiae pastorem fore. Hortor igitur, ut in divini amoris cultu propositoque, uti coepisti, magis magisque inardescas, et lumen divinitus haustum non ponas sub modio, sed super candelabrum, ut videant, qui in domo Dei sunt. Equidem hactenus, prout Dominus dedit, pro viribus laboravi: tu porro Dominici gregis tibi commissi curae invigilato, et sollicitus esto, ut merearis quandoque a bonorum omnium recompensatore audire vocem illam jucundissimam: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Haec cum audisset beatus Maglorius et alii, qui

* Scilicet, *Auxerre*.
** *Britannia minor* est Galliae provincia, cui *Bretagne* nomen est.

illic aderant, brevi scilicet illum moriturum, cum multo ejulatu dixerunt ad eum: « Cur nos, pater sancte, deseris, aut quid ita nos derelinquis? » Quibus ille ait: « Nolite, fratres mei, contristari: facessant istae lacrymae. Elias bonum post se reliquit discipulum Eliseum: ego vobis Maglorium relinquo, a Deo vobis datum, qui a primis aetatis initiis summae religionis et sanctae operationis exemplis illustris fuit. » His dictis, in praesentia omnium sancta sanctorum, id est, sacrosanctam Eucharistiam sumens, coronam justitiae, quae ei reposita erat, percepturus, abiit ad sidereas beatae patriae mansiones.

§ 3. Eo sic defuncto, beatissimus Maglorius, juxta sermonem ejus, Dolensis * Ecclesiae regimen adeptus est, Christoque adjuvante, magnarum virtutum de se exempla dedit, non segnis auditor factus illius Dominicae sententiae: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (*Matth.* v). Cumque praeclaris exemplis, sanae doctrinae piis institutionibus, et virtutibus in ea Ecclesia luceret, nocte quadam Angelus Domini adstitit ei dormienti, et ait: « Hactenus quidem, Maglori, ad pascendum Domini gregem in hujus Episcopatus publicâ luce versatus es: at nunc, ut possis liberius uni vacare Deo, et ejus laudibus totum te impendere, remotioris loci pete secessum, vitamque vivas solitariam. Hunc enim locum scias divinitus sancti Samsonis decessoris tui gloriae deputatum: tibi vero Dominus Deus tuus alium praeparabit, in quo pastor bonus multas habebis oves, vitae monasticae deditas, et innumeris clarebis virtutibus. » Eam visionem vir sanctus valde admirans, expergiscitur, aitque ad Dominum: « Gratias tibi ago, bone Jesu, quod per Angelum tuum admonere me dignatus es, ut quod jampridem ardenti desiderio concupieram, re ipsâ perficiam. » Interim cogitare coepit, quemnam potissimum locum sibi deligeret, illis studiis opportunum, quorum esset admonitus ab Angelo. Commodum illi tum in mentem venit locus, quem Rex ejus sedi amplificandae largitus erat. Non diu post Budocum, qui a puero sancte et religiose cum ipso vixerat, pro se Dolensis Ecclesiae Episcopum consecravit, Cleroque et populo valedicens **, abiit ad locum memoratum, cunctis incredibili quodam animi dolere tabescentibus ob discessum pastoris tam boni. Ubi autem pervenit ad amicae solitudinis locum ***, jejuniis, vigiliis, precibus ferventissime incubuit, sed tamen latère non potuit.

§ 4. Sanctitatis ejus fama intra solitudinis latebras coërceri non sustinens, passim increbuit, atque ita ex diversis regionibus

* Gallice, *Dol* in Britannia minori. Haec Dolensis Sedes per Concordatum anno 1801 sancitum suppressa atque Ecclesiae Rhedonensi (*Rennes*) subjecta fuit.

** Hoc accidisse videtur circa annum 594.

*** In insulam, scilicet, quae hodie *Serke* vocatur, media inter Guernesayum (*Guernesey*) et Jersayum (*Jersey*).

variis affecti incommodis ad eum advolabant, caeci, claudi, leprosi, daemoniaci, salutem expetentes. Multi quoque animarum suarum remedia percipere cupientes, ejus sapientiam audituri, ad eum accedebant; plerique etiam multa ei offerebant munera auri, argenti, rerumque aliarum, gratos se illi declarare volentes. Sed ea ille ceu stercora quaedam contemnens, mox in pauperes, viduas, pupillos, captivos, fame affectos liberaliter erogavit. Cernens autem tam multa sibi offerri, tantamque hominum multitudinem ad se confluere, magno animi dolore correptus: « Heu me, inquit, quid mihi prodest reliquisse propria, et aliena appetere? Major mihi jam imminet populorum turba et frequentia, et immensae accedunt opes. Ego vero jampridem mundi hujus cupiditatibus me volebam absolutum, et ecce magis etiam iis nunc videor implicari: cumque terrenarum rerum onera abjecerim, jam, proh dolor, dives effectus sum. » Sub his animi angoribus incidit illi, ut eum, quem Episcopum suo loco ordinarat, ad se accersiret. Fecit igitur sic, et ille ocyus advenit. Narrat ei cum lacrymis, quantam hominum multitudinem patiatur, ait sibi plane se ad desertum aliquem proficisci locum, ubi nulla hominis vestigia existant.

§ 5. Cernens Episcopus multum ejus animi dolorem, prae commiseratione aliquamdiu siluit: deinde blande et familiariter cum eo colloquens: « Scio, inquit, mi domine, propter turbas ad te salutis obtinendae causâ confluentes, magno te moerore affici: sentioque, eâ causâ, relictis illis, ad loca avia te velle commigrare. Sed id si facias, valde tibi formidandum est, pater, ne, dum Christi pauperibus subtrahis spiritalis doctrinae triticum, quod illis vitam praestat, in discrimen te conjicias. Praestabilius enim est oves Domini colligere, quam dispergere: contritosque corde sanare, quam infirmos deserere. Olim in tuam eras intentus messem: jam ut pastor bonus, debes etiam curare alienam, ut ad Christi honorem utramque efficias cumulatiorem, atque ex iis duplicia possideas: futurum hoc ipso Christi imitator, qui populo Judaico primum per seipsum, inde gentibus per Apostolos salutarem doctrinam proposuit. Quas autem nunc molestias capis ex his populis, quibus jugum Christi suave est, et onus leve, eae tibi magnam parabunt apud Dominum retributionem. Nosti tu ipse Christum Dominum, cum in sinu Patris quiesceret, venisse in hujus mundi labores, ut infirmorum languores curaret: unde ipse ait: *Non egent qui sani sunt, medico, sed qui male habent* (*Matth.* IX): quos etiam non refugit, sed pro eis animam suam libenter posuit. Scis quid ex Isaia quandoque turbis audientibus legerit: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me, contritos corde* (*Is.* LXI), et caetera. Haec illum dicentem beatus Maglorius grato

animo audivit, sciens a Domino dictum ad Apostolos: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit* (*Luc*. x).

§ 6. Non multo autem interjecto tempore Comes Lojescon, valde quidem opulentus, sed septennio jam lepra infectus, frustra in medicos magnis erogatis pecuniis, qui curare eum non poterant: ubi in insula, in qua morabatur, celeberrimam comperit beati Maglorii famam cum quibusdam e suis venit ad eum, rogans ut fusis ad Dominum precibus, faciat medicinam morbo tam infesto. Ad quem vir Dei: « Quinam, inquit, fieri potest, ut immundus curet immundum? Ego quoque immundus sum corpore. » Indixit vero triduanum ei jejunium, et ipse quoque cum quibusdam sacerdotibus et Levitis, religiosisque viris triduo jejunavit. Eo exacto jejunio, adhibitis litaniis, jubet eum in cupam balneatoriam inferri, manusque ei imponens, sublatis in coelum oculis, dicit: « Domine Jesu Christe, per quem omnia facta sunt, qui Naaman per prophetam tuum in Jordane flumine a lepra mundasti, qui propter peccatores salvandos e coelis in terras descendisti, non pro justificationibus nostris, sed pro miserationibus tuis multis hominem istum qui ad me venit tuam cupiens experiri clementiam, ad laudem et gloriam nominis tui purges a lepra, ut omnes, qui id viderint, te collaudent: qui vivis et regnas cum Deo Patre et Sancto Spiritu per infinita secula seculorum, Amen. » Haec cum dixisset, manu sua totum ejus corpus attingens, adeo ab eo lepram omnem profligavit, ut nec cicatrix quidem ulla permaneret, et caro ejus instar pueri restitueretur. Ea tam repentina et admiranda curatio quibus verbis celebrata et praedicata sit ab illis qui viderunt et audierunt, nos satis explicare non possumus.

§ 7. Tum vero Comes Lojescon ad ejus pedes advolutus, non sine lacrymis pro tanto munere Deo et illi gratias egit. Multae, ut diximus, opes et possessiones ei erant: e quibus terram quamdam beato Maglorio dedit, sed partem illius dimidiam sibi reservans. In ea terra multae erant aves pulcrae, et magnitudine admiranda: ingens quoque proventus piscium ex sinu maris. Cum autem beatus Maglorius perlustraret eam partem, quam Comes ei largitus erat, aves et pisces omnes alterius patris ad ipsius portionem se transtulerunt. Tulit id indigne uxor Comitis, hortaturque eum, ut beati Viri portionem sibi vindicet, alteram ei relinquat. Facit ille, quod mulier improba suasit: sed ecce repente aves et pisces omnes redeunt ad beati Viri possessionem. Id conspicatus Comes, ductus poenitentiâ, utramque partem perpetuo retinendam illi assignat, moxque aves et pisces pristina sua domicilia in utraque repetunt, uti antea sub ipso Comite consueverant. Ejus rei fama procul diffusa, omnibus non immerito magnae admirationi fuit. Porro ea in terra Vir sanctus ecclesiam condidit et collegium monachorum, quos illic habuit

sexaginta duos, eosque vitâ et doctrinâ sua eruditos, Deo et sanctis ejus debitae servitutis officia praestare docuit. Qualem autem ipse eo in loco se praebuerit, quibusque virtutibus enituerit, nullus facile dicendo possit consequi: nos de ejus sanctissima conversatione pauca tantum commemorabimus.

§ **8**. Ab ipso matris utero vixit castissimus, virginitatis conservandae studiosissimus. Pane vescebatur hordeaceo et viliori legumine, eoque parce. Quartâ et sextâ feria prorsus nihil sumebat cibi: quartâ quidem feriâ *, quod tum impii Judaei in necem Domini Jesu conspirarunt: sextâ autem, quod eum Cruci affixerunt. Carnem suam perpetuo cilicii usu macerabat. Vestes exteriores habuit nec admodum viles, nec sane pretiosas, sed mediocres, ut humanos applausus et gloriolam declinaret, quae est aeternae mortis muscipula. Toto eo tempore, quo relictâ Dolensi Ecclesiâ, solitudinem expetiit, nec vinum, nec siceram bibit. Perpaucis autem pisciculis diebus solemnibus dumtaxat idque a monachis religiosis et divinae contemplationi deditis coactus, pro magnis deliciis vescebatur. Cum caeteri fratres nocturnis horis membra quieti darent, ille clam recipiebat ad maris oram, illicque usque ad noctis preces, quas Matutinas vocant, pervigil Dominum orabat. Multam ad ipsum adventantibus hospitalitatem prompto animo exhibebat, sciens scriptum esse: *Hilarem datorem diligit Deus* (2. *Cor.* IX). Denique ut multa paucis expediamus, nulla non virtute ornatus fuit.

§ **9**. Accidit quandoque, ut quidam ex famulis ejus, pisces in usus fratrum in mari capientibus, in aquas lapsus suffocaretur. Non latuit ea res beatum virum. Itaque multum flens et ejulans, dicit se reum mortis illius: moxque adjunctis sibi fratribus, totâ die coram altari prostratus, obsecrat Dominum, ne propter hominis illius interitum in se effundat furorem suum. Deinde postquam sol occubuit, cum monachis litanias et psalmos concinentibus ad litus maris accedit, prosternesque se, cum lacrymis rogat Dominum, ut vel mortuum sibi reddant undae, quem vivum absorbuerant. Finitis precibus, mare tumescens èvomit hominem, prius quidem extinctum, at nunc plane redivivum. Sentiens Vir Dei se tam liberaliter exauditum a Domino sacrificium ei offert, polliceturque se propter illam hominis mortem, cujus, ut diximus, reum se arbitrabatur, nullum unquam piscem in cibum sumpturum.

§ **10**. Cum sic autem innumeris clareret virtutibus et miraculorum signis, obitum suum longe ante praescivit. Nam pridie ejus diei, quo sacrosancta Paschatis solemnitas celebrabatur illi in templo more suo nocte vigilanti, Angelus Domini candidissimus apparuit, aitque illi familiariter: « Sancte Maglori, age

* Solemne erat monachis antiquis jejunium quartae feriae, ut videre licet in ipsorum Regulis.

quod agis, operare quod operaris: nec dubites nomen tuum scriptum in libro coelestis militiae. Visum est Altissimo, cujus voluntati ab ineunte aetate haud segniter obtemperasti, dignam tuo certamine mercedem tibi in coelis restituere. » Audiens haec Maglorius, laetus, quidem ex promissione, sed incertus de visione, certiorem efficere, his terque sua verba repetiit, ita dicens: « Nihil haesites de hac visione, Maglori. Sicut enim ego sum perpetuus minister summae veritatis, ita legatio mea omnis plane falsitatis expers est. Certissime igitur annuncio tibi, propediem te cum insigni ex hoste reportata victoria et triumpho, e corpore migraturum in coelos, et praesentem Dei vultum inter illos beatae patriae cives sine fine jucundissime conspecturum. » Tum vero beatus Maglorius rogavit sanctum Angelum, ut antequam discederet, largam ipsi impertiret benedictionem. Sed Angelus respondit: « Quonam modo ego tibi benedicam, cui benedixit is, a quo Sancti omnes benedicti et sanctificati sunt? » Atque ita post mutuam salutationem, Angelus, cum multo lumine recessit ad superos: porro Maglorius, uti coeperat, noctem duxit pervigilem.

§ **11**. Post dies paucos rursus ei apparens Angelus, jussit eum de suo obitu esse securum, dixitque ei, quod ob servatam carnis integritatem centesimum in coelis fructum esset percepturus. Tradidit etiam ei tamquam brevi morituro viaticum. Atque ab illo die de suo obitu sollicitus, nisi causa inevitabilis et multis profutura adesset, usque ad diem vocationis suae semper versum hunc ore repetebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae* (*Psal.* 26): nec unquam visus est a templo recedere. Tandem expleto labentis vitae cursu, fratribus valedicens, et inter verba sanctae exhortationis animam expirans, felici migratione pervenit ad Christum *. Ejus pia intercessio nobis obtineat veniam peccatorum, cujus est pretiosa mors in conspectu Domini, qui vivit et regnat per infinita secula seculorum, Amen.

* Beatissimi Maglorii exuviae, anno 963, dum Normanni in Gallia omnia late vastarent, diruerentque, Parisios, ubi etiam nunc in Ecclesia S. Jacobi de Alto Passu (*S. Jacques-du-Haut-pas*) pia devotione coluntur, translatae fuere.

MARTYRIUM S. ARETHAE

ET EORUM QUI CUM EO DECERTARUNT, SS. MARTYRUM; ET HISTORIA EORUM QUAE TUNC FACTA SUNT IN REGIONE HOMERITIDE, VEL SABAEA

AUCTORE SIM. METAPHRASTE.

Passi sunt anno 523 — Arabes.

§ 1. Instabat jam quintus annus, ex quo Justinus acceperat sceptra Romani imperii: quo quidem tempore imperabat etiam Aethiopibus Elesbaan, vir, qui propter pietatem et justitiam, apud omnes maximum nomen fuit consecutus: in civitate autem Auxum * regiam construxerat. Ditione tenebat Arabiam felicem, quae olim quidem Saba, nunc autem vocatur Homeritis, Dunaan Hebraeus, vir impius, et Christianorum generi inimicissimus: qui etiam omnes, qui erant in sua potestate, habebat circumcisos, partim quidem judaicam sequentes superstitionem, partim autem plane gentiles, Soli et Lunae sacrificantes, et daemonibus, quos etiam more gentis honorabant statuis et columnis. Porro autem ab Elesbaan odio habebatur Hebraeus, quod omnibus fere, qui sunt sub coelo, Christum Deum praedicantibus, et verum Dei filium, et nobis factum carne similem, ipse eum vilipendens, inficiabantur haec omnia, velans et adumbrans suorum majorum scelus, quod in Cruce admiserant: adeo ut Rex pius saepe cum eo bello congressus, vi fuderit ac fugarit, et tributum pèndere coëgerit. Verum ille quidem non stans pactis conventis, insurrexit contra Regem Elesbaan. Elesbaan autem eum rursus valido adortus exercitu fortiter expugnavit, et in fugam convertit. Denique ad illum cavendum relicto exercitu, in suam rediit ditionem.

§ 2. Interim non poterat Hebraeus quiescere, sed ut acceptae cladis deleret ignominiam, cum suos collegisset, et eos, qui erant in praesidio, invasisset, omnes bello perdidit, et jussit omnes, qui inveniebantur Christum esse Deum confitentes, citra ullam interire misericordiam. Nullus autem fuit ex iis, qui erant sub ipso, Christianis, qui se non huic impio edicto submiserit, illius animi formidans saevitiam. Quaedam tamen civitas frequens populo, sita in Homeritide, quae vocatur Nagran, cum jam longo abhinc tempore venisset ad agnitionem veritatis, et pietatem

* *Auxumae*, Aethiopibus *Aksum*, fuit sedes veterum regum Aethiopiae superioris, quae *Abyssinia* vulgo nuncupatur.

suscepisset, nempe ex quo Constantius, magni Constantini filius, ad Sabaeos, qui nunc vocantur Homeritae *, orti vero sunt ex Cetura Abrahae, misit legatos: et Rege illius gentis muneribus sibi conciliato, aedificavit hac in civitate ecclesias: et quemdam virum pium, qui ad vitam declinarat monasticam, et moralibus et activis virtutibus erat magnus. atque adeo omnibus sui temporis superior, misit, ut praeesset iis, qui ad veram accesserant religionem. Quo quidem tempore Judaeis resistentibus, et barbaro suadentibus, ne tam facile hospitem admitteret in civitatem, neque circa res divinas aliquid innovaret, nisi prius vir religiosus aliquod signum ostenderet (quomodo solent isti petere, ut qui sint increduli), quod quidem si praestiterit, tunc ei concederet ingressum in civitatem: ille divinis fretus promissis, quod signa sequentur eos qui crediderint, annuit citra ullam dubitationem: et eorum quae petebantur, miraculorum magnam ostendit operationem. Ab illo jam tempore civitas Dominum pure colens, et Orthodoxa divinorum Patrum sequens dogmata, perseverabat, si quid erat mali, repellere, et alienam effugere religionem, adeo ut ne sineret quidem eam ad aures pervenire.

§ 3. Invidens ergo malignus, totum, quantus erat, subiens Hebraeum, eum armat adversus civitatem, partim quidem opinans fore, ut id esset molestum pio Regi Aethiopum; partim autem eo spectans, ut in Christum suam expleret insaniam, et genus Christianorum omnino everteret. Itaque venit validum adducens exercitum: et cum circumcirca esset castrametatus, valloque et fossa moenia circumdedisset, obsedit Nagran, minitans se illam expugnaturum, et omnes, qui in ipsa erant, interempturum, nisi Cruce Domini, a civibus in excelso positâ, quam execrationis signum (proh dolor!) stultus vocabat, ad nihilum redactâ, deinde Christum quoque negassent, qui fuerat in ea suspensus. Quod eo quidem consilio faciebat, ut cum eos illo, quod inde veniebat, praesidio nudasset, hoc tam valido defectos auxilio deinde invaderet. Quidam ergo execrandi hujus Regis satellites, in orbem obeuntes civitatem, eadem vociferabantur: et, si parèrent quidem, dicebant fore, ut dona et honores a Rege consequerentur: sin autem non parèrent, et Galilaeo animum adhiberent, pro monarchia inducentes multorum principatum, igni et gladio traderentur. Porro autem ipse quoque Dunaan execrandâ et audaci linguâ his falsa quaedam addebat, et jactanter dicebat: « Nullam potuit Jesus opem ferre Christianis in mea potestate constitutis, quos omnes, et ipsos illorum sacerdotes et monachos gladio et igne prius consumpsi, ne parcens quidem sacris illorum templis: et nunc maximo coacto exercitu, nempe

* *Homeritae* dicebantur a Graecis, a caeteris vero *Hamyaritae*, seu gens Hamyar, ab antiquissimo quodam Rege Hamyar, e progenie Sabae et Jectan. — *Nagran*, vero, ab Arabibus vocatur *Nedjran*: cujus urbis nunc sola rudera supersunt.

centum et viginti millibus hominum, ad vos veni, aut omnino persuasurus, aut perditurus. »

§ 4. Cives autem : « Videmus, dixerunt, o Rex, te linguae multum indulgère, et attribuere imbecillitatem ei, qui est solus Deus. Sed Rapsaces dux exercitus Sennacherib non parvum tibi dederit exemplum : qui cum ipse quoque aliquando in Deum, magna loquentem et jactantem vibrasset linguam, quot hominum millia perdiderit, et cum quanto dedècore recesserit, pauci sunt qui nesciant. Quod autem nos accusas, quod multorum principatum, et multos deos inducamus, nos, qui multis ab hinc servulis, tamquam haereditatem, a majoribus veram accepimus religionem, nec monarchià in arctum adducimus divinitatem, nec abundantià personarum inducimus multorum principatum: sed unam naturam citra divisionem in tres personas dividentes, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum confitemur : Filium vero ipsum, quem vos contumeliis, incèssitis, hominem esse factum, ut divina praedixerunt responsa, et a vestris majoribus actum fuisse in Crucem propter salutem omnium, cum illi male ignorassent dispensationis divinae mysterium, et tertio die resurrexisse a mortuis, et rursus ad coelum ascendisse, et in altum sublatum fuisse ad suum Patrem et credimus, et praedicamus. »

§ 5. Non sustinentes autem hos sacros audire sermones aures profanae, ad facta se contulerunt. Itaque ad obsidendam Rex conversus civitatem, adversus eam movebat omnes machinas, omnes exitus diligenter custodiens et muniens, et putans fore, ut multorum dierum fame eos in suam redigeret potestatem. Et cum collegisset omnes Christianos, qui erant in agris et suburbiis, alios quidem interemit, alios vero iis, qui erant in ejus ditione, vendidit in servitutem. Cum autem pii cives se adversus omnia fortiter defenderent, et tempus quod terebatur, Tyranno spem reddidisset valde exilem, statuit dolo capere civitatem. Itaque petit, ut ei liceret ingredi civitatem, ut videret scilicet ea, quae ibi erant, prius terribili prolato jurejurando, et iis, quae dicebantur, interposito ipso legis Deo, se nihil eis esse facturum praeter ea quae consueverant: neque coacturum, ut patriam abjurarent religionem: neque aliquando aliud malum magnum, aut parvum eis esse facturum: sed solum ea visurum, quae sunt in civitate, et annuum tributum accepturum, quod prius dabatur : deinde autem se illinc statim excessurum.

§ 6. Haec cum dixisset, et pacta conventa iniisset, et postremum jurasset jusjurandum, persuadet iis, qui sunt in civitate. cum Deo universum permisissent, qui est testis sacramenti, et hoc solum dixissent: « Regibus nos cedere didicimus. Quod si tu secus statueris facere, quam nobis dixisti, Deus, qui est spectator jurisjurandi, id omnino ulciscetur, neque diu differet vindictam. Nobis enim, dicebant, o Christe Salvator, et Fili Dei, et

Deus, pro te vel omnibus privari facultatibus, atque adeo ipsâ vitâ, non leve est lucrum. Absit autem, ut tuum nomen negemus, ut est impiorum institutum: nec si tale quid fecerimus, nos, o Sol, adspicias. » Quae simul atque dixissent, totas portas aperiunt, et intra ipsam civitatem, tamquam lupum in stabulum, malum Regem admittunt. Ille autem cum et figuram, et situm, et illam civitatis laudasset frequentiam, et civium quoque splendorem, egressus est, in eos, qui habitabant civitatem, gravia versans, ut indicavit exitus, jusjurandum, et pacta conventa, et quaecumque alia eis praebuit ad fidem faciendam, ea esse existimans puerilem deceptionem.

§ 7. Cum autem jam se pararet ad eos evertendos, vocat extra civitatem. Aderant vero quicumque erant insignes opibus et gloria. Prae caeteris autem is, qui et canitie, et sapientiâ, et morum modestia erat praestantissimus, divinus, inquam, Arethas, cui ipsi quoque fuerat commissa rectio civitatis. Omnes igitur commendabant, extollebant, laudibusque celebrabant, et omnem honorem tribuebant ei, qui videbatur esse Servator et Rex. Ille autem sibi culpae dandum esse tribuens, quod differret cerni malus, non amplius exspectans aperit, qui intus latebat, Dunaan. Et jussit protinus omnes custodiri in vinculis. Deinde etiam privavit facultatibus, et rogavit, ubinam esset Paulus eorum Episcopus. Cum autem jam duobus ante annis eum intellexisset esse mortuum *, non habens in quem iram immitteret, contendit ad pulverem, et jussit sepulcrum effodere, et illius corpus comburentes in aërem ventilare. Aliud quoque excogitat furiosa anima, nec eam capit satietas aliquid moliendi adversus Christianos: sed jubet accendi rogum, qui multâ aleretur materiâ, et statim civitatis, et ejus, quae est circumcirca, regionis sacerdotes, et monachos, et Deo consecratas virgines, quin etiam feminas, quae vitam elegerant monasticam, omnes simul in eum injici. Ii enim, inquit, sunt plane causa aliorum interitus, persuadentes Crucifixum colere, tamquam Deum. Ad haec perinde ac si non sufficeret, quod factum fuerat, ad ejus incomparabilem ostendendam improbitatem, ut alios quoque sibi subjungeret, vehementer contendit, et jussit praecones obire civitatem et regionem, proclamantes ut Christum negarent, et viverent Judaice, èadem quae Rex sentientes.

§ 8. Porro autem ipse quoque Rex Arethae similia consulebat, adjiciens, quod ipsi quoque norant Romani, illius majores in Crucem egisse hominem: « Quomodo enim, dicebat, fuisset flagris caesus Deus, qui est naturâ incorporeus? Quomodo autem mortem adeo turpem et ignominiosam natura gustarit immortalis? Alioqui autem multi quoque ex Romanis, qui sunt apud

* Paulus Episcopus obiisse videtur anno 521.

vos, jactantes se Nestorium habere magistrum *, ipsi quoque rursus dicunt, se non ut Deum, sed ut hominem et Prophetam quendam oportere Christum honorare. Quae nisi vera essent, nec ego ad tantam processissem insaniam, ut ipse negarem in Christum fidem, et vos ad similem vocarem negationem. Quomodo enim, qui legem quidem teneo ac tueor, et patrios mores ac ritus valde amplector, repello autem quicquid fuerit novi: et ideo Jesum quoque odio habeo, hominem, qui divinitatem sibi impudenter attribuit? Neque enim Soli et Lunae, neque aliis rebus creatis, neque diis gentium rogo vos cultum tribuere (absit, ut sim adeo emotae mentis), sed Deo soli, qui omnia producit, et est pater rerum generatarum: qui cum sit impatibilis, et expers materiae, generare nescit patibiliter. »

§ **9**. Cui generosus Aretha cum sociis: « Cur haec dixisti, o Rex? Neque nos dicimus Deum gignere patibiliter, sed impatibiliter, ut mens sermonem gignit. Illum autem asserimus nostrae naturae motum misericordiâ, misisse Filium, ad hominum, inquam, beneficium, adeo ut et carnem acceperit ex puella virgine, et per omnia nobis similis factus sit absque peccato, et omnia impleverit, quae de ipso a Prophetis multis ante annis dicta sunt: quae quidem tu quoque scis, qui legisti illorum libros. Qui etiam saepe per miracula quae sunt supra hominem, ipsam ostendit divinitatem; et se suscepisse carnem, non est inficiatus. Quid opus est pluribus? Nos eum et Deum, et Dei Filium confitemur, et pro universa respondemus civitate, et aliis Christianis qui sunt nobis subjecti: neque est ullum genus tormenti, quod non propter ipsum parati simus pati. Quid enim nos separaverit a charitate Christi? Nihil autem rei est nobis cum Nestorio, aut cum aliis, qui eodem morbo, quo ipse, laborant, qui hominem, qui citra divisionem, et per hypostasim unitus est Deo Verbo, summâ impudentiâ divellentes a Verbi divina hypostasi, per se consistentem, et solum hominem ausi sunt dicere verbum, quod in carne apparuit: qui etiam, ut merebantur, a divinis patribus ejecti sunt a catalogo orthodoxorum, et sunt in aeternum traditi anathemati. Sed non praetermittet (hoc certo scias) qui maledictis a te appetitur Dominus, quin e vestigio poenas sumat tuorum audacium coeptorum, cum alterius, inquam, tuae blasphemiae, tum jurisjurandi, quod a te fuit conculcatum et eversum, o imprimis impie et scelerate. »

§ **10**. Ille autem cum eorum loquendi libertatem parum sustinuisset, maxime autem Arethae sapientiam, et alium omnem splendorem esset revèritus, benignis verbis eos coepit lenire, eisque et dona, et honores proposuit, acrem ipsorum zelum in pietatem sic refrigerare machinans. Postquam autem vidit Martyres

* Nestoriana haeresis in Nagran irrepserat propter commercium quod hujus urbis aliqui cives cum populis, qui hanc haeresim profitebantur, habebant.

omnino aures non praebere promissis: contra autem quam poterant clarissimâ voce clamare: « Non te negamus, qui es Unus Trinitatis, o Verbum Dei, et Christe: neque tuam irridemus susceptae carnis dispensationem: neque tuis, quas propter nos passus es, perpessionibus et Cruci Judaice insultamus: » eos quidem vinctos adhuc detinuit; in aliam autem multitudinem, quae collecta fuit ex omni genere et aetate, mortis tulit sententiam; uxoribus vero et liberis eorum qui detinebantur, martyrum, ante oculos eorum adductis, provocabat ad Christi negationem, partim quidem minis, partim autem blandis verbis eas aggrediens, nonnunquam omne supplicii genus in eas intentans, liberorumque, et parentum, et facultatum, et ipsius quoque patriae eas terrens amissione. Illae autem dicebant: « Omnibus, o Rex, quae a te offeruntur, sive ea sint bona, sive aliter se habeant, lubenter hodie renunciantes, quae a te maledictis incessitur, Christi Crucem extollimus: et qui in ipsa nostram procuravit salutem, Christum sequimur. Esset enim a ratione alienum, et nimis effeminatum, ex nobis quidem alias, quae cum talibus viris cohabitarunt, qui mortem propter Christum elegerunt: alias autem quae virginitatem exercent, ut quae Christo sint desponsae, non esse animo masculo, et vestram iram plane inconsideratam non nostro sustinere corpore. »

§ **11**. Rex autem: « O feminae, inquit, possum vos merito magnae accusare stultitiae, quod hominis plani, et praestigiatoris, et qui violentâ morte periit, gratiam eligitis, et voluptatibus praesentibus spem, cujus incertus est exitus, praeferre statuistis. » Quaedam autem ex acrioribus matribus, et monachis, non ferentes Christi contumeliam, usae sunt in Regem verbis asperioribus, eum ipsum, qui maledictis incessabatur, Christum vocantes ad ultionem. Quod quidem aegre ferens Hebraeus, in eas communiter pronunciat sententiam, ut gladio feriantur. Licebat ergo videre mulieres sanctas trahi crinibus, et sic duci ad supplicium, vel potius ferri promptis et alacribus pedibus, et sitire mortem propter Christum. Magna vero erat et praeclara inter eas contentio. Monachae enim virgines nequaquam concedebant primas partes iis quae erant junctae matrimonio. « Recordemini, dicentes, quod prius vobis fuimus propositae, et in templi ingressu, et in sacramentorum participatione, et in statione, et in sessione; et ideo oportet nunc quoque nos ante vos et vestros maritos consequi martyrium. » Martyrum autem uxores, quae jam etiam vocabantur matres, nequaquam ferebant in praesentia habere secundas partes. Infantes quoque balbutientes matres praetercurrebant, et ipsi quoque carnificem provocabant ad mortem. Sciebant enim alias quoque pueros fuisse Christo propter ipsum sacras oblatas victimas. Sic beatae illae mortem praeripientes, iis qui videbant, magnam afferebant lamentationem: adeo ut

Rex crudelissimus cum admiratione talem vocem emiserit: «Qualem omnibus fere hominibus errorem immisit Galilaeus, ut qui vel ipsam mortem contemnere persuaserit, et pro illo prodere suas animas et corpora?»

§ **12**. Interim autem quaedam quoque femina, quae duas filias habebat, et primas partes inter eas, quae erant in civitate, obtinebat, longeque praestabat aliis genere, divitiis, gloriâ et pulcritudine, atque in juvenili adhuc aetate vidua relicta fuerat, insectatur Tyrannum. Ille autem statim jubet suis ministris, ut eam ad se adducant cum honore et reverentia, et ei efficiant commodum aditum. Illa vero etsi hoc modo adduceretur, aegre ferebat tamen se ab aliarum mulierum abesse martyrio. Tertio autem die post jussionem, cum honore ad Regem adducitur cum filiabus. Ille vero placide eam intuens, et eam ab initio incipiens allicere: « Fama, inquit, annunciat te esse modestam, ornatam et prudentem: quin etiam ipse vultus et adspectus fert iis, quae dicuntur, testimonium. Praeterea autem vulgo fertur te quoque esse genere claram, et abundare divitiis, et tibi non deesse splendorem. Ne ergo quomodo stultae, quas ego perdidi, sustineas ipsa quoque Deum dicere eum qui fuit crucifixus: fuit autem homo vorax, et vini potator, amicusque publicanorum et peccatorum, et nec patriis fuit contentus legibus: sed tui nobilitati faciens convenientia, renuncia quidem Nazareno: et velis nobiscum sentire, et simul cum Regina versari in regia. Sic enim vives deinceps liberius, et liberata a malis quae oriuntur ex viduitate, magis poteris aliis opem ferre. Venit enim ad nos fama, ipsae autem res quoque testantur, quod cum et magnas habeas divitias, et plurimas facultates acceperis a majoribus, et sint multi qui tibi serviant, pudori tamen et virtuti omnibus postpositis, in nullius alterius viri ne in conspectum quidem venisti, nisi ejus, qui fuit tibi legitimo conjunctus matrimonio. Ne nunc ergo, ne nunc (hoc ego tibi consulo) pulcritudinem tuam, et juventutem, et filiarum virginitatem lictorum manibus tradideris, quae magis contumeliâ afficiunt, quam puniunt: sed desistens Crucifixo gloriam tribuere, et nostris cedens legibus, et tibi et liberis prospice quae sunt utilia. »

§ **13**. Beata autem illa apposite et erudite respondens: « Cum eum, inquit, o Rex, quem oporteret honorare, ut qui tibi dederit potentiam, et hanc purpuram, et hoc diadema, immo vero ipsam quoque essentiam, et vitam, tamquam Dei Filius et Deus, ingrato animo contemptum audaci linguâ injuria afficias, non timens ne fulmen dejectum te comburat, et me honorare velis, vestrum ego honorem summam duco ignominiam. Cessa gladium in teipsum impellere. Absit autem, ut ego a tali lauder lingua, quae se armavit contra Deum. Neque eo procedam amentiae, ut verser cum iis qui Deo sunt adeo inimici, et in peccatorum habitem

tabernaculis. » Cum Rex haec audiisset, irâ corde accensus, adspexit ad eos qui aderant, et cum dixisset: « Quam impudenter in nos se gerit haec execranda muliercula; » jubet ejus capiti auferri tegumentum, et ejus filiarum: et sic eas nudo capite, et promissâ comâ, in castra duci per ignominiam.

§ 14. Egrediens ergo generosa mulier, cum vidisset magnam feminarum multitudinem flentem et ejulantem, quod talis nobilitas afficeretur contumeliâ, illa eas severe et magnifice intuens: « Scio, inquit, o amicae, quod propter nos dolorem accipitis, partim quidem fortasse propter naturae cognationem, partim autem quod indigna ac pudenda videar pati cum filiabus. Sed ne doleatis. Nos enim non ideo negaverimus Effectorem coeli et terrae, neque quae sunt ad tempus, aeternis praetulerimus. Nam mihi quidem a majoribus per successionem pietas et vera religio; et a Christo denominari, et eum nosse Deum, tradita mihi fuerunt in haereditatem. Non mihi autem soli, sed universae quoque meae cognationi. Propter quem ego amplexa continentiam, viduitatem praetuli matrimonio; et ex facultatibus, quas habebam, plurimum distribui pauperibus. Sunt vero adhuc mihi magnae divitiae in auro et argento, et magna multitudo servorum: multae autem possessiones et greges. Verum licet tota bona mihi suppetant, nolui tamen, ut multae aliae mulieres solent, ad alium maritum intueri, etiamsi cum multis casibus et calamitatibus, quae viduis evenire consueverunt, saepe sim colluctata: quod quidem vel solum sufficit ad mollem adhuc et tenerum animum incitandum ad secundas nuptias. Et fortasse nullus meam damnasset juventutem, quae ipsum ad hoc habebat patronum divinum Apostolum. Sed haec omnia parvifaciens, in hoc solum animum intendo, ut cum Christo sim una cum Sanctis quae praecesserunt, mulieribus et martyribus. Ego autem vobis jam secundo appareo. Nam prius in matrimonio sponsi qui erat ad tempus: nunc vero in nuptiis immortalis et alieni ab interitu, ad quem festino, et cui immaculatam conservavi continentiam, me videtis. Filias quoque ipsi studeo despondere, ut quae earum hucusque integram ad hoc virginitatem conservarim. Hinc mihi plenus est animus voluptate et bonâ spe. Rogo vos igitur, ut mihi potius congratulemini, neque tam abjecto animo lamentemini, et mihi transmutetis festum in tristitiam. Porro autem vobis quoque consulerim, ut vos undique muniatis, et magnam adhibeatis cautionem, ne vobis non advertentibus, auferat fidei thesaurum qui est callidus suffurandi artifex, et maximum vobis hoc damnum afferat, quod pertingit usque ad ipsam animam. Jam vero quaecumque hic estis mulieres gentiles, et Hebraeae (multae enim, ut video, hic adestis ad spectaculum), vos quoque depositis, Gentiles quidem, longis fabulis et nugis, et diis qui sunt solo nomine; Hebraeae autem, umbrâ tandem et figuris et aenigmatibus, discite veritatem,

et accedentes ad Verbum et Deum, qui est Unus Trinitatis, per ejus cultum illuminemini, et divini baptismatis regenerationem, neque sic simul pereatis in vestris impietatibus. »

§ **15**. Cum Martyr haec et alia plura diceret mulieribus, quidam ex iis qui cum Rege sentiebant, illi haec renunciarunt, et quod perverteret multitudinem. Rex itaque, eâ rursus accersitâ, simulans mansuetudinem : « Magna, inquit, usus sum in te patientia, hoc consulto et non inconsiderate faciens propter benignitatem, ut fracta lacrymis quae propter te funduntur, et propter filias, nobis pareas. » Illa autem : « Quis me, inquit, o Rex, si tibi paruerim, liberarit ab igne, qui non potest extingui ? » Sic dixit, et coelum statim intuens : « Absit, inquit, o Rex immortalis, ut te negem, qui es solus Unigenitus Dei filius, et credam viro qui te habuit contemptui, et nos decepit perjurio. » Non ferens itaque Hebraeus libertatem loquendi generosae feminae, sed depositâ scenâ, et ablatâ fictione, torveque eam et furiose intuens : « Audacissima, inquit, mulier, ego tibi jam carnes discerpam ac dilacerabo, et intestina contrectabo : et si quid ex iis fuerit reliquum, id apponam devorandum canibus. Videbo autem, quisnam te sit e meis manibus erepturus, etiamsi maxime exspectas fore, ut det tibi auxilium Nazarenus. » Tunc execrandi Tyranni verba non ferens prima filiarum Martyris, annum jam agens duodecimum, Tyranni oculos consputavit. Qui autem circumsistebant, non zelum, et id, quod jure fuerat factum, laudantes, sed tempori servientes, ipsam et sororem ense, mox conficiunt : et cum ex defluente sanguine manibus plane feri homines accepissent, eum matri offerunt. Rex enim ita jusserat. Illa vero (o fortem et generosum animum !) et lubenter eum gustat, et, cum ad coelum sustulisset oculos : « Tibi, inquit, Domine Christe, hoc meum offero sacrificium, et tibi Martyres exhibeo castas virgines, quae egressae sunt ex utero meo : cum quibus me quoque connumeratam introduc in tuum thalamum, et, ut dicit sanctus David, ostende matrem propter filios laetantem. »

§ **16**. Rex autem gravissimo aegritudinis animi stimulo sauciatus, ut qui omnem spem plane abjecisset, in eam fert sententiam, cum haec dixisset iis qui simul erant : « Ejus quidem et filiarum mirati sumus pulcritudinem (verum enim fatebor), multo autem magis victus sum ab earum temperantia et moderatione. Et ideo mihi venit in mentem admirari, ad quantam amentiam processerunt Christiani, ut colant hominem, qui morte periit violentâ, et suam ei permittant salutem, qui fuit planus et praestigiator, et se Deum temere appellavit. »

§ **17**. Sequenti autem die cum in loco excelso consedisset, vocavit Aretham cum sociis, qui erant numero trecenti et quadraginta. Qui cum adstitissent, magnum intuens Aretham qui erat affabilis, et moderatus, et moribus maximam ostendebat

virtutem: « Cur tanta es, inquit, audaciâ, o caput execrandum, ut in nostram quidem insurgas potentiam, toti autem civitati, et tantae persuadeas regioni, ut te solum colant tamquam tyrannum, et verbis tuis utantur tamquam legibus: nostrarum vero legum et verborum nullam ducant rationem, et execrandum hominem Deum appellent, qui cum sibi auxilium ferre non potuerit, vos eum vobis adhibuistis adjutorem: et nec tuum patrem es imitatus, qui ante te imperavit Nagrae: iis autem qui nos praecesserunt, Regibus fuit obedientissimus? Sed nisi mutatus, et ad te rediens, hanc vanam repuleris opinionem, non te profunda senectus, nec simulatus hic habitus juvabunt: sed tu et omnes tui, èadem patiemini, quae viri et feminae prius interfecti: quos quantum juverit Mariae et fabri filius, omnes sciunt. » Senex autem stans cogitabundus, et aperte ostendens se aegre ferre superbiam verborum Regis, cum se sustinuisset, et collegisset spiritum, et ex imo suspirasset: « Nos es, inquit, o Rex, causa eorum quae dicuntur aut fiunt: sed nostri cives qui meam contempserunt sententiam quae tibi non permittebat ingredi civitatem: contra autem, adversus te depugnare incitabat, et cum tuis tam multis millibus manus conserere, ut cum Madianitis olim Gedeon cum paucis, et, Christo, qui nunc a te contemnitur, vires addente et confirmante, te expugnare, et demetere, et omnino delere, virum impium et foedrifragum, et immemorem pactorum conventorum, quibus te civitatem et nos servaturum pollicebaris.»

§ 18. Quidam autem ex iis qui cum Rege considebant, volens ingeniose Sancti verba reprehendere, et tempori valde serviens: « Sed non, inquit, sic vos docet lex Moysi, contumeliâ afficere Christum Domini. Dicit enim: *Principi populi tui non maledices* (*Exod.* XXII). Porro autem ipsa quoque scripta vestra vobis jubent Regem honorare, seu sit bonus, seu secus. » Cui Sanctus: « Tu autem, inquit, fortasse non audisti, quod ab Achab dictum est Eliae, cum dixit eum evertere Israël. Cui ille sic respondit: *Non ego everto, sed tu, et domus patris tui* (3. *Reg.* XVIII): non usque ad Achab solum sistens contumeliam, sed eos etiam comprehendens qui erant in ea domo. Quomodo ergo se quispiam in Deum pie gerens, et Regem arguens, quod se inique gerat, unquam offenderit ac violaverit legem, qui non est vèritus os in coelum ponere, et creatorem appetere maledictis? Sed, ut video, ejus patientiam et tolerantiam contemnitis, et nos facere similia procuratis. Tu autem, Rex, cum sis naturâ tam injustus, et male facere paratissimus, et nec sanctus in iis quae ad Deum pertinent, nec in homines benignus, putas fore, ut illum lateas oculum, quem nihil latet? Atqui Regem esse oportet veracem et benignum, ut verbis attrahat benevolentiam eorum qui sunt in sua ditione: rerum autem fine et eventu fidem facere veritatis, et quod se divine gerat, gloriam habere: quales ego vidi in India

et Aethiopia, et ante te in Homeritide: quos vera dicentes, et se benigne gerentes in subjectos, non, ut tu Rex, pejerantes, sed aliis promissa implentes, quasi ut Deum honorabat populus. Et Deus quidem eorum quae a te fiunt, odio habens improbitatem, te, qui in eum fuisti impius et infidelis, mox deponet ab imperio, idque tradet viro fideli et bono: roborabit autem et extollet genus Christianorum, magnamque suam efficiet Ecclesiam, quam tu igne consumpsisti, et humi dejecisti. Ego autem sum beatus, non ob id praesertim, quod in hac vita in bona fui existimatione: sed quia in profunda senectute (jam enim ago nonagesimumquintum annum, videns filios filiorum, et filias filiarum) subeo martyrium, et tam magnam et populo tam frequentem civitatem, et totam regionis ipsius gentem Deo offero: qui etiam mei perpetuam conservabunt memoriam, summas illi agentes gratias. »

§ **19**. Ad populum autem conversus, et ad commartyres, (erant enim non solum visu jucundissimus, sed etiam in concionibus ad populum facundissimus), sic dixit: « Viri cives, et amici, et cognati, et quicumque propter consuetudinem et rerum communionem ad nos attinetis, quae patriae quidem et nobis civibus evenerunt, cum non prius consideraverimus, neque scrutati fuerimus id quod erat futurum, sed fallaci homini, et qui nos fraude studebat capere, crediderimus, ipsâ novimus experientiâ, ut qui cum iis qui foris erant, molestiarum fuerimus participes. Quae vero in Deum linguam movens locutus est hic superbus, ipsis auribus audivistis. Quod autem ad Christi Dei provocet negationem, testantur quidem eorum qui praecesserunt, plurimae et omne genus caedes: testantur autem haec quoque vincula, quae pro pietate nobis sunt imposita. Et fuisset quidem sapientium, non esse timidos, et vitae nimis cupidos, neque huic callido et improbo veteratori credere, fidem adhibentes jusjurando, quod est promptissimum malorum artificium: sed bellum adversus ipsum suscipere, et, Deo pugnam nobiscum capessente, ulcisci hunc impium. Cum autem res nostrae ad eam adductae sunt necessitatem, ut vel Tyranno parentes, et nos impie gerentes, vitam agamus miseram: vel non parentes, et pietatem exercentes, beatum finem adipiscamur, studeamus immortalem gloriam consequi per martyrium. Nec me existimet aliquis, tamquam jam senem, et plenum dierum, finem cupere, et ideo alios ad mortem incitare: sed consideret unusquisque vestrum, mortem esse commune debitum et juveni, et seni, et esse inevitabilem corporis dissolutionem. Itaque non exspectetur finis communis, et qui sua sponte venit: sed studeat quilibet, ut sit quam fieri poterit gloriosus et beatus. Quidnam autem dixerit quispiam martyrio gloriosius, aut quaestuosius, aut piis hominibus beatius? Ego enim, si fieri posset, propter Christum mori saepe et ipse eligerem, et aliis consulerem: sicque esset et major

gloria, et lucrum longe copiosius. Sed cum hoc haberi non possit a natura, quod, vel invitis nobis, illa ex se facit, praeripiamus cum gloria: et id tamquam proprium constituentes, astute fallamus necessitatem. Nullus nostrum, o fratres, sit adeo vitae cupidus, et adeo pusilli et abjecti animi, ut pro brevi et misera vita perdat aeternitatem, et, quae nunquam, solvitur, beatitudinem. Communi omnium inimico a nobis haud detur pars aliqua, ne cum unum fuerit suffuratus, glorietur perversus, tamquam qui omnes ceperit. Sed qui est quidem talis, procul sit a choro Martyrum, neque sit falso nominis particeps. Si quis enim te, Christe et verbum Dei, negaverit hujus vitae desiderio, ab ipsa excidat, et dehiscens eum terra devoret. Si quis autem ex mea cognatione, aut familiaritate, desiderio bonorum praesentium te relicto Creatore, sequatur hunc regem interitui obnoxium et impium: ne ei detur, o Rex Christe, hic frui iis, quae videntur jucunda et delectabilia, et tradatur iis, quae sunt illic, tormentis. »

§ **20**. Haec dixit, et statim universa multitudo calidas effundens lacrymas: « Esto bono animo, exclamavit. Nemo enim te deseret. Nam tui, ut vides, desiderio omnes vel ante te mori properamus, et praeripere hunc beatum finem et desiderabilem. » Ille autem ad haec: « Ego, ait omnibus, ego vos omnes praecedam, et ero vobis in Deo certus viae dux. Ut vos mihi primas conceditis in omnibus, ita vos mihi concedite, ut primus ad Christum accedam. Verumenimvero hoc quoque vobis ultimum do mandatum: Si quis meorum filiorum, aut eorum, qui genere ad me attinent, relictus fuerit, permanens in hoc puro cultu Christianorum, sit haeres mearum facultatum. Porro autem tres illas ex iis, quae mihi restant, possessiones pulcherrimas volo attribui Catholicae Ecclesiae, quae est aedificanda: quas etiam jam consecro. » Haec cum dixisset, et populo benedixisset, et: Sit tibi gloria, o Domine, propter omnia, subjunxisset, conversus dicit Regi: « Laudo te, o Rex, quod usus sis patientiâ, et non confuderis, aut interruperis meam orationem, ut mos fuit olim Regibus. Quoniam ergo nosti nostrum scopum et institutum, nempe quod fieri non potest, ut, Christi cultu relicto, nos tibi assentiamur, fac quod superest, tempus non terens diutius. »

§ **21**. Cum sciret ergo Rex eorum mentem esse immutabilem, nec fieri posse, ut eos ad suam traducat sententiam, jussit eos duci ad quemdam torrentem, qui vocatur Odias, et ipsis illic amputari capita. Ad quem cum venissent, et se prompto et alacri animo ad preces convertissent: « Domine, Domine, dixerunt, virtus nostrae salutis, obumbrasti super caput nostrum in die belli. Nunc quoque deduc nos in vitam aeternam: quoniam nihil ex omnibus nobis pluris fuit, quam tui dilectio, non patria, non genus, non divitiae: sed omnia propter te prodidimus, etiam ipsam

vitam, et tamquam occisionis oves sumus reputati. Et nunc te supplices rogamus: fiat ultio sanguinis servorum tuorum, qui fuit effusus. Extolle manus tuas super istorum superbiam. Suscipe ac defende eorum filios, qui pro te moriuntur. Corrobora civitatem, quae gloriatur tuo pretioso sanguine et Cruce, et perpessionibus. Vides, quemadmodum eam tui affecerunt inimici: attonderunt ejus ornamentum: profanarunt sanctuarium tuum: templum sanctum tuum exusserunt: quod tibi placeat, ut rursus extollatur et roboretur, dando sceptra Regibus Christianis, eosque magnos et amplos reddendo in tuo nomine. Qui autem in honore nostrum habebunt martyrium, da eis vitam citra ullam offensionem, bonorum copiam, et veniam peccatorum. Nos vero qui tuum adventum dileximus, in aeterna suscipe tabernacula, et annumera inter eos, qui tibi ab aeterno placuerunt. » Haec cum dixissent, se invicem sunt amplexi. Primus autem divinus Arethas cervice inclinatâ, ictum gladii laetanter excipit, et ita ei caput amputatur. Porro autem reliquus quoque chorus, jucunda et quae solvi non poterat, sodalitas, cum quammaxima potuerunt celeritate, se venerando unxissent illius sanguine, tamquam unguento aliquo pretioso, consequenter ad mortem contenderunt, quam gladio propere acceperunt, sibi invicem tempus propemodum invidentes, utpote quod quid majus ad honorem tribueretur ei, qui prius erat mortuus, prae illo, qui deinde sequebatur *.

§ 22. Quaedam autem mulier habens puerum praetercurrentem, non plus quam quinque annos natum, cum videret ea quae fiebant, et ad similem accensa esset aemulationem, citissime accurrens, cum ipsa quoque accepisset sanguinem, se illo unxit et filium. Deinde ipsum Regem ludificabatur, eum vocans Tyrannum, et quammaxima poterat voce dicens: « Erit Hebraeorum Regi, sicut Pharaoni. » Illius vero satellites, iis, quae dicebantur, auditis, comprehensam statim mulierem ducunt ad ipsum Regem, et maledicta, quibus illum acerbe appetebat, renunciant cum magna accessione. Ille autem, cum nec ei fecisset dicendi potestatem, et nec eam quidem interrogasset, eam condemnat, ut igne moreretur. Statim ergo fuit congesta materia, et ignis ei subjectus: et flamma se in altum sustulit, sulfure et pice et sarmentis nutrita. Deinde fuit etiam alligata mulier: et eam lictorum manus complectebantur, ut cum fuisset eis onus portatu facile, sic in mediam flammam recta conjiceretur. Puer autem, qui solus remanserat, dolebat, indignabatur, aegre ferebat, non secus ac recens nati pulli, non ferens matris absentiam. Porro autem in gyrum vertens oculos, et amicissimâ linguâ matrem requirens, videt Regem

* S. Arethae, tamquam urbis Nagran principi, ante caeteros calix Sanguinis Domini porrigebatur; et nunc, eamdem ob causam, primus inter proceres capite detruncatur. Passi sunt die 20 octobris, anno 523. Percelebre autem in toto Oriente est hoc Martyrium: de ipso meminit et Mahumetes in Corano, surâ 85.

sedentem in excelso, et ad ipsum accurrit, oculos habens plenos lacrymis. Deinde se provolvit ad illius pedes pro matre rogans ut poterat. Ille autem eo accepto, et genibus imposito (erat enim puer scitus et elegans, et qui, ut puer suaviter balbutiebat), rogabat cum quo mallet versari, et quem magis diligeret. Ille autem matrem, dicebat, matrem: et eam deflebat assidue. « Propter eam enim, inquit, veni, et rogo, o Rex, eam solvi, ut me quoque simul assumat ad martyrium. Illa enim me saepe ad hoc hortata est. »

§ 23. Attendens autem Rex verba pueri: « Quid est autem hoc, inquit, quod dicis martyrium? O, quae etiam infantes sapientes reddit, tuam, Domine, gratiam? » — « Pro Christo, inquit, mori, et rursus vivere. » — « Sed quis est hic Christus? » rursus dicit Rex. Puer autem: « Veni huc, inquit, ad Ecclesiam, et eum tibi ostendam. » Interim autem cum matrem adspexisset, flens dixit: « Sine, sine me venire ad matrem. Video enim eam trahi, et male affici a lictoribus. » Rex autem: « Cur huc, dixit, venisti, matre relicta? Sed sis hic nobiscum, et dabo tibi quoslibet fructus pulcherrimos. » Hoc ille quidem dixit, tamquam cum simplici puero, atque adeo puero se loqui existimans. Ille vero longe supra aetatem prudentiâ praeditus, plane renuebat, dicens: « Non hic manebo: matrem desidero. Nam arbitratus te esse Christianum, veni pro ea rogaturus. Cum Judaeum autem invenerim, tecum nec volo quidem versari, neque sustineo a te omnino aliquid accipere: hoc autem solum mihi concede, o Rex, ut ad matrem revertar. » Regem stupore affecit pueri sapientia. Quidam aut ex iis qui circumsistebant, excogitantes aliquid sapientius, censebant, ut infans abduceretur ad Reginam, sic teneram aetatem conantes allicere. Nam cum Rege quidem consuetudinem existimabant esse puero insolitam ut virilem et asperiorem: quod si audierit Reginam et mulierem, prompto et alacri animo eam secuturum, ut qui adhuc apud matrem blande educaretur, et molliori delectaretur consuetudine. Verum pueri rursus intelligentia superavit illorum calliditatem. Et nec eis quidem omnino ad haec dabat responsum; sed vehementer solum vocabat matrem, et in eam cum animo totos defigebat oculos.

§ 24. Cum eam autem vidisset injici in ignem, vehementius inflammatus visceribus, audet statim puer aliquid fortius et cum stetisset ad genua tyranni Dunaan, se inclinans, acriter ipsum Regem mordet in femore. Ille autem simul atque sensisset morsum, et fuisset conturbatus, eum repente abjicit, et eum tradit cuidam ex Senatu, ut ab illo aleretur maxime Judaice, et abjuraret Christianismum. Et ille quidem abibat, accepto puero, admirans ea quae facta fuerant, et simul etiam narrans aliis. Interim autem puer, eo insciente, cursu contendit ad matrem, et insilit in mediam fornacem, matremque, ut ei videbatur, complexus, et

pulcherrimum bustum seipsum ei tradens, fit cum ipsa haeres coronae martyrii. Cum haec sic fierent, patientium Christianorum moti misericordiâ ii qui erant circa Regem, et ipse Senatus, rogabant ut caeteros relaxaret, et non penitus perderet tam magnam civitatem, et populo tam frequentem, et quae quotannis magna pendebat vectigalia. Postquam autem hac in re annuit dura illa anima et Pharaonitica, crudelitatemque vicit avaritia, quid facit? Cum hujus civitatis, et totius regionis juvenes tam masculos, quam feminas redegisset in servitutem, quorum erant multa millia, et alios quidem ipse retinuisset, alios autem tradidisset quibus voluit, reversus est in regiam, liberâ civitate effectâ servâ, quae dedicata erat soli Trinitati, quam ipse Christus redemit proprio sanguine, et quae ei obtulit tantam Martyrum multitudinem, eorum victorias et certamina praeclare praedicans orbi terrae.

§ 25. Et haec quidem ita se habebant. Revertente autem Hebraeo, apparuit ignis aliquot diebus, totâ nocte implens aërem, qui ipsum Dunaan, et ejus terrebat exercitum, et conjiciendam praebebat Dei iram adversus impios. Deinde ignis quoque desuper, qui erat perfecta plaga, pluit in terram. Sed ne sic quidem potuit corrigi sceleratus, neque flecti sub potenti manu Dei. Tanto autem furore erat accensus adversus Christianos, ut etiam ad Regem Persarum * miserit legationem, et rogaverit, ut ipse quoque faceret similia, et omnes, qui in sua ditione inveniebantur, Christianos perderet funditus: si vellet, inquiens, solem habere propitium, et ejus patrem: sicut ille nugabatur esse Deum Hebraeorum. Scripsit etiam ad Alamùndarum Ducem Saracenorum, qui erant sub Persis, promittens se ei etiam daturum pecunias, si moveat persecutionem adversus Christianos, qui sunt ei subjecti. Sed ille quidem erat adeo infestus Christianis, et sic faciebat: justitia autem nequaquam cessavit implere suas partes in iis quae sic fiebant. Justinus enim cum sic ei visum esset, hortatus est Alamùndarum, ut foedera pacis iniret cum Saracenis Romanorum vectigalibus: et missus est Abraamius vir pius et presbyter, qui hac fungeretur legatione. Aderant autem illic quoque a Rege Persarum, cum alii quidam, tum Isaacius quoque presbyter, qui praeerat Christianis Orthodoxis, qui in Perside erant. Aderat autem Silas quoque Episcopus Nestorianorum, cum quibusdam aliis, partim quidem pro Hebraeo fungens legatione, partim vero volens convenire Orthodoxos, et disputare adversus recta dogmata.

§ 26. Cum autem coram dictis Legatis legerentur litterae Regis Homeritarum, et Silas assentiretur scopo ejus qui scripserat, et diceret Christum solum esse hominem, et non Deum: Quomodo enim, inquiens, qui nascitur ex muliere, et componitur ex eo,

* Rex Persarum erat tum temporis Cavades.

qui est in ipsa, sanguine, et involvitur fasciis, et paulatim accipit incrementum, deinde etiam laborat, et sitit, et tandem in crucem agitur, et moritur, Deus esse dicitur, ut citra rationem Abraamio videtur et Isaacio? Haec cum sic dicerentur, ii viri pii non ferentes diutius Deum affici contumeliâ, scissis suis vestibus, eos vocabant haereticos, et magno animo eos expellebant ab Ecclesia catholica, Nestorium eorum magistrum damnantes, ut qui tales seminasset zizanias. Deinde etiam fusius persequebantur ea quae pertinebant ad divinam carnis susceptae dispensationem: ipsique orthodoxa divinorum Apostolorum et patrum sequentes dogmata, Deum perfectum, et hominem perfectum confitebantur Christum, in una hypostasi duas naturas conjungentes citra confusionem. Atque cum sic quidem Silas a scopo excidisset, inanibus (ut dicitur) manibus est reversus, et sic vanâ spe est delusus: Abraamius autem ipse quoque foedere inito cum Alamùndaro, salutatoque Isaacio in Persidem revertente, rediit et ipse, atque omnia exposuit Justino Imperatori, et praesertim quae a Rege Homeritarum facta et scripta sunt contra Christianos.

§ 27. Ille autem sine mora scripsit ad Asterium Alexandriae Episcopum, ut incitaret Regem Aethiopum ad movendum arma adversus Homeritas. Eadem quoque ipsi Regi Aethiopum per litteras nunciavit, eumque docuit, quemadmodum delevisset Hebraeus omnes Christianos, qui erant in sua potestate: et quemadmodum Nagran civitatem populo frequentissimam, fecisset inhabitabilem, omnibus puberibus partim quidem interfectis, partim autem redactis in servitutem: quodque Regem etiam Persarum et Alamùndarum idem ille incitasset, ut facerent similia. Postremum adjecit, fore, nisi ipse exsurgeret ad ultionem, ut Deus e vestigio ei irasceretur. Et haec quidem Imperator Justinus. Ipse quoque Patriarcha Alexandrinus postea quam cum monachis orthodoxis, qui erant in Nitria et in Scete, multas Deo fudit supplicationes, Regi illi ea significavit, quae pio videbantur Justino. Non latebant autem nec prius quidem Aethiopum Regem ea quae facta fuerant, sed tempore anni prohibente (erat enim hiems), vel invitus quievit. Itaque cum validum collegisset exercitum tam ex suis, quam ex auxiliis usque ad centum et viginti millia, naves autem Indicas septuaginta in ipsa hieme construxisset, quin etiam ex negotiatoribus Persis et Aethiopibus, qui illuc venerant mercaturae gratiâ, naves alias collegisset ad sexaginta: cumque eas, quae ex ipsis collapsae fuerant, instaurasset ac refecisset, et omnia parasset, veris initio movit exercitum, armisque et equis, et alio apparatu properabat, ut proelio confligeret cum inimicis. Et per continentem quidem ab inferiori parte Aethiopiae, misit quindecim millia Aethiopum ad Homeritidis partes magis Occidentales, ut ipse quidem per mare cum navibus, illi autem per terram irruentes, hostes in medium coërcerent.

§ 28. Caeterum illi quidem cum multos dies iter fecissent per loca arida et transitu difficilia, omnes interierunt, ut qui nec pervenire ad Homeritam, nec ad regionem suam potuerint redire. Rex autem cum jam esset navigaturus, venit ad templum, ad cujus fores regiâ veste, aliisque insigniis imperii depositis, ingressus quidem est in privato habitu: stans autem ex adverso arae, cum Deum multum orasset, et facta ab ipso in Aegypto miracula atque in ipsa solitudine pro Hebraeis, in memoriam revocasset: « Illi, dicebat, fuerunt ingrati in te benefactorem, neque illi solum, sed ii etiam, qui ex eis nati sunt. Tu enim scis, Domine, quam se male gesserint in tua civitate, ut qui populum illum per dolum circumvenerint, et consilium inierint adversus Sanctos tuos, et in eos qui restant, adhuc mala machinentur. Quod si nostra peccata id merentur, sed ne tu nos tradas illorum manibus: quod autem ipse volueris, hoc excepto, nobis impone supplicium, ne forte dicant: *Ubinam est ipsorum Christus, propter quem gloriantur, et Crux ejus?*» Haec cum precatus fuisset cum lacrymis, egreditur e templo, et e civitate, et ad quemdam monachum, qui propter virtutis operationem dignus erat habitus, ut praevideret futura, et in angusta turricula jam quadragintaquinque annos fuerat inclusus, pedes venit in eodem habitu, de proelio sciscitaturus. Attulit autem composita quoque thymiamata, in quibus etiam aurum latenter immiscuerat. Quae cum tradidisset seni, quaerebat preces, et significationem eorum quae erant eventura. Ille autem, dolo deprehenso, cum quisnam esset, optime nosset: « sit tecum, inquit, Deus, qui etiam tecum regnat. Verumenimvero abi, munitus Martyrum sacrificio, quod Deus est odoratus, et precibus Pontificis Alexandriae, et lacrymis Justini. »

§ 29. Haec cum audiisset Elesbaan, et eum non tentasset amplius, benedictione acceptâ, abiit laetus. Et cum jussisset exercitui, ne ferrent viaticum plusquam viginti dierum navigavit. Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum. Nam ipse quoque et suis, et auxiliaribus collectis copiis, praesidium tenebat in terra et in mari. Verum cum ille exercitum, qui erat in terra, ab afflictione et malorum perpessione audiit periisse, non amplius timens hostem a continenti, in sola maris versabatur custodia. Itaque considerans angustissimum esse fretum, quod est inter Aethiopes et Homeritas, neque superare latitudinem duorum stadiorum, et alioqui habere etiam saxa, multis in locis latentia, cum gravem ferream construxisset catenam, et quae posset ferre vim ventorum et undarum, et eam utrinque in terra alligasset ipse Dunaan, ut existimabat, Elesbaan prohibebat aditum, ubi quidem erant latentes petrae, plumbum circulis catenae appendens, et ferrum faciens requiescere, ubi autem erat profundum, colligans cum lignis levissimis, et sublevans catenam. Deinde

virtutem : « Cur tanta es, inquit, audaciâ, o caput execrandum, ut in nostram quidem insurgas potentiam, toti autem civitati, et tantae persuadeas regioni, ut te solum colant tamquam tyrannum, et verbis tuis utantur tamquam legibus: nostrarum vero legum et verborum nullam ducant rationem, et execrandum hominem Deum appellent, qui cum sibi auxilium ferre non potuerit, vos eum vobis adhibuistis adjutorem: et nec tuum patrem es imitatus, qui ante te imperavit Nagrae: iis autem qui nos praecesserunt, Regibus fuit obedientissimus? Sed nisi mutatus, et ad te rediens, hanc vanam repuleris opinionem, non te profunda senectus, nec simulatus hic habitus juvabunt: sed tu et omnes tui, èadem patiemini, quae viri et feminae prius interfecti: quos quantum juverit Mariae et fabri filius, omnes sciunt. » Senex autem stans cogitabundus, et aperte ostendens se aegre ferre superbiam verborum Regis, cum se sustinuisset, et collegisset spiritum, et ex imo suspirasset: « Nos es, inquit, o Rex, causa eorum quae dicuntur aut fiunt: sed nostri cives qui meam contempserunt sententiam quae tibi non permittebat ingredi civitatem: contra autem, adversus te depugnare incitabat, et cum tuis tam multis millibus manus conserere, ut cum Madianitis olim Gedeon cum paucis, et, Christo, qui nunc a te contemnitur, vires addente et confirmante, te expugnare, et demetere, et omnino delere, virum impium et foedrifragum, et immemorem pactorum conventorum, quibus te civitatem et nos servaturum pollicebaris.»

§ 18. Quidam autem ex iis qui cum Rege considebant, volens ingeniose Sancti verba reprehendere, et tempori valde serviens: « Sed non, inquit, sic vos docet lex Moysi, contumeliâ afficere Christum Domini. Dicit enim : *Principi populi tui non maledices* (*Exod.* XXII). Porro autem ipsa quoque scripta vestra vobis jubent Regem honorare, seu sit bonus, seu secus. » Cui Sanctus : « Tu autem, inquit, fortasse non audisti, quod ab Achab dictum est Eliae, cum dixit eum evertere Israël. Cui ille sic respondit: *Non ego everto, sed tu, et domus patris tui* (3. *Reg*. XVIII): non usque ad Achab solum sistens contumeliam, sed eos etiam comprehendens qui erant in ea domo. Quomodo ergo se quispiam in Deum pie gerens, et Regem arguens, quod se inique gerat, unquam offenderit ac violaverit legem, qui non est vèritus os in coelum ponere, et creatorem appetere maledictis? Sed, ut video, ejus patientiam et tolerantiam contemnitis, et nos facere similia procuratis. Tu autem, Rex, cum sis naturâ tam injustus, et male facere paratissimus, et nec sanctus in iis quae ad Deum pertinent, nec in homines benignus, putas fore, ut illum lateas oculum, quem nihil latet? Atqui Regem esse oportet veracem et benignum, ut verbis attrahat benevolentiam eorum qui sunt in sua ditione: rerum autem fine et eventu fidem facere veritatis, et quod se divine gerat, gloriam habere: quales ego vidi in India

et Aethiopia, et ante te in Homeritide: quos vera dicentes, et se benigne gerentes in subjectos, non, ut tu Rex, pejerantes, sed aliis promissa implentes, quasi ut Deum honorabat populus. Et Deus quidem eorum quae a te fiunt, odio habens improbitatem, te, qui in eum fuisti impius et infidelis, mox deponet ab imperio, idque tradet viro fideli et bono: roborabit autem et extollet genus Christianorum, magnamque suam efficiet Ecclesiam, quam tu igne consumpsisti, et humi dejecisti. Ego autem sum beatus, non ob id praesertim, quod in hac vita in bona fui existimatione: sed quia in profunda senectute (jam enim ago nonagesimumquintum annum, videns filios filiorum, et filias filiarum) subeo martyrium, et tam magnam et populo tam frequentem civitatem, et totam regionis ipsius gentem Deo offero: qui etiam mei perpetuam conservabunt memoriam, summas illi agentes gratias. »

§ **19**. Ad populum autem conversus, et ad commartyres, (erant enim non solum visu jucundissimus, sed etiam in concionibus ad populum facundissimus), sic dixit: « Viri cives, et amici, et cognati, et quicumque propter consuetudinem et rerum communionem ad nos attinetis, quae patriae quidem et nobis civibus evenerunt, cum non prius consideraverimus, neque scrutati fuerimus id quod erat futurum, sed fallaci homini, et qui nos fraude studebat capere, crediderimus, ipsâ novimus experientiâ, ut qui cum iis qui foris erant, molestiarum fuerimus participes. Quae vero in Deum linguam movens locutus est hic superbus, ipsis auribus audivistis. Quod autem ad Christi Dei provocet negationem, testantur quidem eorum qui praecesserunt, plurimae et omne genus caedes: testantur autem haec quoque vincula, quae pro pietate nobis sunt imposita. Et fuisset quidem sapientium, non esse timidos, et vitae nimis cupidos, neque huic callido et improbo veteratori credere, fidem adhibentes jusjurando, quod est promptissimum malorum artificium: sed bellum adversus ipsum suscipere, et, Deo pugnam nobiscum capessente, ulcisci hunc impium. Cum autem res nostrae ad eam adductae sunt necessitatem, ut vel Tyranno parentes, et nos impie gerentes, vitam agamus miseram: vel non parentes, et pietatem exercentes, beatum finem adipiscamur, studeamus immortalem gloriam consequi per martyrium. Nec me existimet aliquis, tamquam jam senem, et plenum dierum, finem cupere, et ideo alios ad mortem incitare: sed consideret unusquisque vestrum, mortem esse commune debitum et juveni, et seni, et esse inevitabilem corporis dissolutionem. Itaque non exspectetur finis communis, et qui sua sponte venit: sed studeat quilibet, ut sit quam fieri poterit gloriosus et beatus. Quidnam autem dixerit quispiam martyrio gloriosius, aut quaestuosius, aut piis hominibus beatius? Ego enim, si fieri posset, propter Christum mori saepe et ipse eligerem, et aliis consulerem: sicque esset et major

gloria, et lucrum longe copiosius. Sed cum hoc haberi non possit a natura, quod, vel invitis nobis, illa ex se facit, praeripiamus cum gloria: et id tamquam proprium constituentes, astute fallamus necessitatem. Nullus nostrum, o fratres, sit adeo vitae cupidus, et adeo pusilli et abjecti animi, ut pro brevi et misera vita perdat aeternitatem, et, quae nunquam, solvitur, beatitudinem. Communi omnium inimico a nobis haud detur pars aliqua, ne cum unum fuerit suffuratus, glorietur perversus, tamquam qui omnes ceperit. Sed qui est quidem talis, procul sit a choro Martyrum, neque sit falso nominis particeps. Si quis enim te, Christe et verbum Dei, negaverit hujus vitae desiderio, ab ipsa excidat, et dehiscens eum terra devoret. Si quis autem ex mea cognatione, aut familiaritate, desiderio bonorum praesentium te relicto Creatore, sequatur hunc regem interitui obnoxium et impium: ne ei detur, o Rex Christe, hic frui iis, quae videntur jucunda et delectabilia, et tradatur iis, quae sunt illic, tormentis. »

§ **20**. Haec dixit, et statim universa multitudo calidas effundens lacrymas: « Esto bono animo, exclamavit. Nemo enim te deseret. Nam tui, ut vides, desiderio omnes vel ante te mori properamus, et praeripere hunc beatum finem et desiderabilem. » Ille autem ad haec: « Ego, ait omnibus, ego vos omnes praecedam, et ero vobis in Deo certus viae dux. Ut vos mihi primas conceditis in omnibus, ita vos mihi concedite, ut primus ad Christum accedam. Verumenimvero hoc quoque vobis ultimum do mandatum: Si quis meorum filiorum, aut eorum, qui genere ad me attinent, relictus fuerit, permanens in hoc puro cultu Christianorum, sit haeres mearum facultatum. Porro autem tres illas ex iis, quae mihi restant, possessiones pulcherrimas volo attribui Catholicae Ecclesiae, quae est aedificanda: quas etiam jam consecro. » Haec cum dixisset, et populo benedixisset, et: Sit tibi gloria, o Domine, propter omnia, subjunxisset, conversus dicit Regi: « Laudo te, o Rex, quod usus sis patientiâ, et non confuderis, aut interruperis meam orationem, ut mos fuit olim Regibus. Quoniam ergo nosti nostrum scopum et institutum, nempe quod fieri non potest, ut, Christi cultu relicto, nos tibi assentiamur, fac quod superest, tempus non terens diutius. »

§ **21**. Cum sciret ergo Rex eorum mentem esse immutabilem, nec fieri posse, ut eos ad suam traducat sententiam, jussit eos duci ad quemdam torrentem, qui vocatur Odias, et ipsis illic amputari capita. Ad quem cum venissent, et se prompto et alacri animo ad preces convertissent: « Domine, Domine, dixerunt, virtus nostrae salutis, obumbrasti super caput nostrum in die belli. Nunc quoque deduc nos in vitam aeternam: quoniam nihil ex omnibus nobis pluris fuit, quam tui dilectio, non patria, non genus, non divitiae: sed omnia propter te prodidimus, etiam ipsam

vitam, et tamquam occisionis oves sumus reputati. Et nunc te supplices rogamus: fiat ultio sanguinis servorum tuorum, qui fuit effusus. Extolle manus tuas super istorum superbiam. Suscipe ac defende eorum filios, qui pro te moriuntur. Corrobora civitatem, quae gloriatur tuo pretioso sanguine et Cruce, et perpessionibus. Vides, quemadmodum eam tui affecerunt inimici: attonderunt ejus ornamentum: profanarunt sanctuarium tuum: templum sanctum tuum exusserunt: quod tibi placeat, ut rursus extollatur et roboretur, dando sceptra Regibus Christianis, eosque magnos et amplos reddendo in tuo nomine. Qui autem in honore nostrum habebunt martyrium, da eis vitam citra ullam offensionem, bonorum copiam, et veniam peccatorum. Nos vero qui tuum adventum dileximus, in aeterna suscipe tabernacula, et annumera inter eos, qui tibi ab aeterno placuerunt. » Haec cum dixissent, se invicem sunt amplexi. Primus autem divinus Arethas cervice inclinatâ, ictum gladii laetanter excipit, et ita ei caput amputatur. Porro autem reliquus quoque chorus, jucunda et quae solvi non poterat, sodalitas, cum quammaxima potuerunt celeritate, se venerando unxissent illius sanguine, tamquam unguento aliquo pretioso, consequenter ad mortem contenderunt, quam gladio propere acceperunt, sibi invicem tempus propemodum invidentes, utpote quod quid majus ad honorem tribueretur ei, qui prius erat mortuus, prae illo, qui deinde sequebatur *.

§ **22**. Quaedam autem mulier habens puerum praetercurrentem, non plus quam quinque annos natum, cum videret ea quae fiebant, et ad similem accensa esset aemulationem, citissime accurrens, cum ipsa quoque accepisset sanguinem, se illo unxit et filium. Deinde ipsum Regem ludificabatur, eum vocans Tyrannum, et quammaxima poterat voce dicens: « Erit Hebraeorum Regi, sicut Pharaoni. » Illius vero satellites, iis, quae dicebantur, auditis, comprehensam statim mulierem ducunt ad ipsum Regem, et maledicta, quibus illum acerbe appetebat, renunciant cum magna accessione. Ille autem, cum nec ei fecisset dicendi potestatem, et nec eam quidem interrogasset, eam condemnat, ut igne moreretur. Statim ergo fuit congesta materia, et ignis ei subjectus: et flamma se in altum sustulit, sulfure et pice et sarmentis nutrita. Deinde fuit etiam alligata mulier: et eam lictorum manus complectebantur, ut cum fuisset eis onus portatu facile, sic in mediam flammam recta conjiceretur. Puer autem, qui solus remanserat, dolebat, indignabatur, aegre ferebat, non secus ac recens nati pulli, non ferens matris absentiam. Porro autem in gyrum vertens oculos, et amicissimâ linguâ matrem requirens, videt Regem

* S. Arethae, tamquam urbis Nagran principi, ante caeteros calix Sanguinis Domini porrigebatur; et nunc, eamdem ob causam, primus inter proceres capite detruncatur. Passi sunt die 20 octobris, anno 523. Percelebre autem in toto Oriente est hoc Martyrium: de ipso meminit et Mahumetes in Corano, surâ 85.

sedentem in excelso, et ad ipsum accurrit, oculos habens plenos lacrymis. Deinde se provolvit ad illius pedes pro matre rogans ut poterat. Ille autem eo accepto, et genibus imposito (erat enim puer scitus et elegans, et qui, ut puer suaviter balbutiebat), rogabat cum quo mallet versari, et quem magis diligeret. Ille autem matrem, dicebat, matrem: et eam deflebat assidue. « Propter eam enim, inquit, veni, et rogo, o Rex, eam solvi, ut me quoque simul assumat ad martyrium. Illa enim me saepe ad hoc hortata est. »

§ 23. Attendens autem Rex verba pueri: « Quid est autem hoc, inquit, quod dicis martyrium? O, quae etiam infantes sapientes reddit, tuam, Domine, gratiam? » — « Pro Christo, inquit, mori, et rursus vivere. » — « Sed quis est hic Christus? » rursus dicit Rex. Puer autem: « Veni huc, inquit, ad Ecclesiam, et eum tibi ostendam. » Interim autem cum matrem adspexisset, flens dixit: « Sine, sine me venire ad matrem. Video enim eam trahi, et male affici a lictoribus. » Rex autem: « Cur huc, dixit, venisti, matre relicta? Sed sis hîc nobiscum, et dabo tibi quoslibet fructus pulcherrimos. » Hoc ille quidem dixit, tamquam cum simplici puero, atque adeo puero se loqui existimans. Ille vero longe supra aetatem prudentiâ praeditus, plane renuebat, dicens: « Non hic manebo: matrem desidero. Nam arbitratus te esse Christianum, veni pro ea rogaturus. Cum Judaeum autem invenerim, tecum nec volo quidem versari, neque sustineo a te omnino aliquid accipere: hoc autem solum mihi concede, o Rex, ut ad matrem revertar. » Regem stupore affecit pueri sapientia. Quidam aut ex iis qui circumsistebant, excogitantes aliquid sapientius, censebant, ut infans abduceretur ad Reginam, sic teneram aetatem conantes allicere. Nam cum Rege quidem consuetudinem existimabant esse puero insolitam ut virilem et asperiorem: quod si audierit Reginam et mulierem, prompto et alacri animo eam secuturum, ut qui adhuc apud matrem blande educaretur, et molliori delectaretur consuetudine. Verum pueri rursus intelligentia superavit illorum calliditatem. Et nec eis quidem omnino ad haec dabat responsum; sed vehementer solum vocabat matrem, et in eam cum animo totos defigebat oculos.

§ 24. Cum eam autem vidisset injici in ignem, vehementius inflammatus visceribus, audet statim puer aliquid fortius et cum stetisset ad genua tyranni Dunaan, se inclinans, acriter ipsum Regem mordet in femore. Ille autem simul atque sensisset morsum, et fuisset conturbatus, eum repente abjicit, et eum tradit cuidam ex Senatu, ut ab illo aleretur maxime Judaice, et abjuraret Christianismum. Et ille quidem abibat, accepto puero, admirans ea quae facta fuerant, et simul etiam narrans aliis. Interim autem puer, eo insciente, cursu contendit ad matrem, et insilit in mediam fornacem, matremque, ut ei videbatur, complexus, et

pulcherrimum bustum seipsum ei tradens, fit cum ipsa haeres coronae martyrii. Cum haec sic fierent, patientium Christianorum moti misericordiâ ii qui erant circa Regem, et ipse Senatus, rogabant ut caeteros relaxaret, et non penitus perderet tam magnam civitatem, et populo tam frequentem, et quae quotannis magna pendebat vectigalia. Postquam autem hac in re annuit dura illa anima et Pharaonitica, crudelitatemque vicit avaritia, quid facit? Cum hujus civitatis, et totius regionis juvenes tam masculos, quam feminas redegisset in servitutem, quorum erant multa millia, et alios quidem ipse retinuisset, alios autem tradidisset quibus voluit, reversus est in regiam, liberâ civitate effectâ servâ, quae dedicata erat soli Trinitati, quam ipse Christus redemit proprio sanguine, et quae ei obtulit tantam Martyrum multitudinem, eorum victorias et certamina praeclare praedicans orbi terrae.

§ **25**. Et haec quidem ita se habebant. Revertente autem Hebraeo, apparuit ignis aliquot diebus, totâ nocte implens aërem, qui ipsum Dunaan, et ejus terrebat exercitum, et conjiciendam praebebat Dei iram adversus impios. Deinde ignis quoque desuper, qui erat perfecta plaga, pluit in terram. Sed ne sic quidem potuit corrigi sceleratus, neque flecti sub potenti manu Dei. Tanto autem furore erat accensus adversus Christianos, ut etiam ad Regem Persarum * miserit legationem, et rogaverit, ut ipse quoque faceret similia, et omnes, qui in sua ditione inveniebantur, Christianos perderet funditus: si vellet, inquiens, solem habere propitium, et ejus patrem: sicut ille nugabatur esse Deum Hebraeorum. Scripsit etiam ad Alamùndarum Ducem Saracenorum, qui erant sub Persis, promittens se ei etiam daturum pecunias, si moveat persecutionem adversus Christianos, qui sunt ei subjecti. Sed ille quidem erat adeo infestus Christianis, et sic faciebat: justitia autem nequaquam cessavit implere suas partes in iis quae sic fiebant. Justinus enim cum sic ei visum esset, hortatus est Alamùndarum, ut foedera pacis iniret cum Saracenis Romanorum vectigalibus: et missus est Abraamius vir pius et presbyter, qui hac fungeretur legatione. Aderant autem illic quoque a Rege Persarum, cum alii quidam, tum Isaacius quoque presbyter, qui praeerat Christianis Orthodoxis, qui in Perside erant. Aderat autem Silas quoque Episcopus Nestorianorum, cum quibusdam aliis, partim quidem pro Hebraeo fungens legatione, partim vero volens convenire Orthodoxos, et disputare adversus recta dogmata.

§ **26**. Cum autem coram dictis Legatis legerentur litterae Regis Homeritarum, et Silas assentiretur scopo ejus qui scripserat, et diceret Christum solum esse hominem, et non Deum: Quomodo enim, inquiens, qui nascitur ex muliere, et componitur ex eo,

* Rex Persarum erat tum temporis Cavades.

qui est in ipsa, sanguine, et involvitur fasciis, et paulatim accipit incrementum, deinde etiam laborat, et sitit, et tandem in crucem agitur, et moritur, Deus esse dicitur, ut citra rationem Abraamio videtur et Isaacio? Haec cum sic dicerentur, ii viri pii non ferentes diutius Deum affici contumeliâ, scissis suis vestibus, eos vocabant haereticos, et magno animo eos expellebant ab Ecclesia catholica, Nestorium eorum magistrum damnantes, ut qui tales seminasset zizanias. Deinde etiam fusius persequebantur ea quae pertinebant ad divinam carnis susceptae dispensationem: ipsique orthodoxa divinorum Apostolorum et patrum sequentes dogmata, Deum perfectum, et hominem perfectum confitebantur Christum, in una hypostasi duas naturas conjungentes citra confusionem. Atque cum sic quidem Silas a scopo excidisset, inanibus (ut dicitur) manibus est reversus, et sic vanâ spe est delusus: Abraamius autem ipse quoque foedere inito cum Alamùndaro, salutatoque Isaacio in Persidem revertente, rediit et ipse, atque omnia exposuit Justino Imperatori, et praesertim quae a Rege Homeritarum facta et scripta sunt contra Christianos.

§ 27. Ille autem sine mora scripsit ad Asterium Alexandriae Episcopum, ut incitaret Regem Aethiopum ad movendum arma adversus Homeritas. Eadem quoque ipsi Regi Aethiopum per litteras nunciavit, eumque docuit, quemadmodum delevisset Hebraeus omnes Christianos, qui erant in sua potestate: et quemadmodum Nagran civitatem populo frequentissimam, fecisset inhabitabilem, omnibus puberibus partim quidem interfectis, partim autem redactis in servitutem: quodque Regem etiam Persarum et Alamùndarum idem ille incitasset, ut facerent similia. Postremum adjecit, fore, nisi ipse exsurgeret ad ultionem, ut Deus e vestigio ei irasceretur. Et haec quidem Imperator Justinus. Ipse quoque Patriarcha Alexandrinus posteaquam cum monachis orthodoxis, qui erant in Nitria et in Scete, multas Deo fudit supplicationes, Regi illi ea significavit, quae pio videbantur Justino. Non latebant autem nec prius quidem Aethiopum Regem ea quae facta fuerant, sed tempore anni prohibente (erat enim hiems), vel invitus quievit. Itaque cum validum collegisset exercitum tam ex suis, quam ex auxiliis usque ad centum et viginti millia, naves autem Indicas septuaginta in ipsa hieme construxisset, quin etiam ex negotiatoribus Persis et Aethiopibus, qui illuc venerant mercaturae gratiâ, naves alias collegisset ad sexaginta: cumque eas, quae ex ipsis collapsae fuerant, instaurasset ac refecisset, et omnia parasset, veris initio movit exercitum armisque et equis, et alio apparatu properabat, ut proelio confligeret cum inimicis. Et per continentem quidem ab inferiori parte Aethiopiae, misit quindecim millia Aethiopum ad Homeritidis partes magis Occidentales, ut ipse quidem per mare cum navibus, illi autem per terram irruentes, hostes in medium coërcerent.

§ 28. Caeterum illi quidem cum multos dies iter fecissent per loca arida et transitu difficilia, omnes interierunt, ut qui nec pervenire ad Homeritam, nec ad regionem suam potuerint redire. Rex autem cum jam esset navigaturus, venit ad templum, ad cujus fores regiâ veste, aliisque insigniis imperii depositis, ingressus quidem est in privato habitu: stans autem ex adverso arae, cum Deum multum orasset, et facta ab ipso in Aegypto miracula atque in ipsa solitudine pro Hebraeis, in memoriam revocasset: « Illi, dicebat, fuerunt ingrati in te benefactorem, neque illi solum, sed ii etiam, qui ex eis nati sunt. Tu enim scis, Domine, quam se male gesserint in tua civitate, ut qui populum illum per dolum circumvenerint, et consilium inierint adversus Sanctos tuos, et in eos qui restant, adhuc mala machinentur. Quod si nostra peccata id merentur, sed ne tu nos tradas illorum manibus: quod autem ipse volueris, hoc excepto, nobis impone supplicium, ne forte dicant: *Ubinam est ipsorum Christus, propter quem gloriantur, et Crux ejus?*» Haec cum precatus fuisset cum lacrymis, egreditur e templo, et e civitate, et ad quemdam monachum, qui propter virtutis operationem dignus erat habitus, ut praevideret futura, et in angusta turricula jam quadragintaquinque annos fuerat inclusus, pedes venit in eodem habitu, de proelio sciscitaturus. Attulit autem composita quoque thymiamata, in quibus etiam aurum latenter immiscuerat. Quae cum tradidisset seni, quaerebat preces, et significationem eorum quae erant eventura. Ille autem, dolo deprehenso, cum quisnam esset, optime nosset: « sit tecum, inquit, Deus, qui etiam tecum regnat. Verumenimvero abi, munitus Martyrum sacrificio, quod Deus est odoratus, et precibus Pontificis Alexandriae, et lacrymis Justini. »

§ 29. Haec cum audiisset Elesbaan, et eum non tentasset amplius, benedictione acceptâ, abiit laetus. Et cum jussisset exercitui, ne ferrent viaticum plusquam viginti dierum navigavit. Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum. Nam ipse quoque et suis, et auxiliaribus collectis copiis, praesidium tenebat in terra et in mari. Verum cum ille exercitum, qui erat in terra, ab afflictione et malorum perpessione audiit periisse, non amplius timens hostem a continenti, in sola maris versabatur custodia. Itaque considerans angustissimum esse fretum, quod est inter Aethiopes et Homeritas, neque superare latitudinem duorum stadiorum, et alioqui habere etiam saxa, multis in locis latentia, cum gravem ferream construxisset catenam, et quae posset ferre vim ventorum et undarum, et eam utrinque in terra alligasset ipse Dunaan, ut existimabat, Elesbaan prohibebat aditum, ubi quidem erant latentes petrae, plumbum circulis catenae appendens, et ferrum faciens requiescere, ubi autem erat profundum, colligans cum lignis levissimis, et sublevans catenam. Deinde

etiam validum inducens exercitum, venit in eum locum, in quem exspectabatur venturus esse Rex Aethiopum.

§ **30**. Ille autem cum vento usus esset secundo, accessit ad locum speculandum, et praemisit decem naves: quae cum dolum nescirent, ex improviso ingressae sunt in angustissimum fretum. Quo in loco etiam Deus facit miracula, parva esse ostendens potentiae humanam inventionem, ubi ipse adjuvare et opem ferre voluerit. Magnus enim quidam fluctus incurvatus, cum veluti refluxum quemdam fecisset aquae, portans unum ex navigiis, posuit super catenam, adeo ut videretur navis esse cuidam rupi innixa. Deinde, exorta quaedam procella cum mare repente conturbasset, extollit fluctus montibus pares magnitudine: et undarum aliae quidem amovebant ligna catenae alligata, aliae autem tollentes naves in altum, transmiserunt omnes supra catenam. Illa autem et a venti vehementia et a fluctibus, qui in eam irrumpebant, disrupta, praebuit caeteris navibus inoffensum aditum adversus Homeritam. Decem igitur praedictae appulerunt littori, quod aberat ducenta stadia, ubi Rex erat cum exercitu. Reliquae autem naves vento retroactae, nihil poterant efficere. Emissis triginta millibus cataphractorum equitum, Dunaan impediebat eorum qui erant in decem navibus, exitum in terram. Viginti autem ex dispersis navibus, ubi erat ipse Elesbaan, haud multo post illuc ipsae etiam appulerunt. Tertio vero die reliquae quoque apparentes naves, appulerunt et ipsae longe inferius. Opinatus autem Dunaan inter plures esse Regem, majore accepto exercitu illuc venit, parvâ relictâ custodiâ, ubi erat re verâ Elesbaan. Cum autem tereretur tempus, nec e navibus educerentur acies, defecerat quidem aqua et cibus iis qui erant in navibus: equitibus autem Hebraeis Sol erat molestus, totoque die eos vehementer impetebat.

§ **31**. Caeterum equitibus suis Dunaan magna machinatus est tabernacula, eorumque umbra depulit aestum, qui afferebat molestiam. Porro autem misit etiam quendam ex suis cognatis cum viginti millibus equitum ad speculandam partem illam, in qua erat Elesbaan. Quidam autem ex Eunuchis Regis arbitratus eum exire ad se exercendum, acceptis quinque aureis lanceolis, cum eo est egressus. Cum is autem Elesbaan copias invenisset vigilantes, quarum pars jam e navibus egressa, locum in littore occuparat, accepto Eunucho, et tribus ex suis, abiit procul ad venationem. Quidam autem ex Elesbaan exercitu oppressi fame, equos noctu conscenderant, ut hostes effugerent. Qui cum in eos incidissent, alios quidem occiderunt, Regis autem cognatum capientes, et aureas lanceas portantes, ad naves redierunt. Eas autem cum accepisset Rex pius, statim Deo dedicavit. Ipse autem reliquo armato exercitu immisso in breviores naves, egressus est ad hostes, qui erant in littore, et pugnâ terra marique commissâ,

Hebraeos, qui terga dederant, jure belli omnes occidit, adeo ut ne unus quidem sit relictus rei gestae nuncius. Cum autem haberet cognatum Regis, qui ei ostendebat viam, quae ducit ad civitatem Phare, in qua erat regia Dunaan, ad illam ascendit. Qua potitus, ut qui incustoditam offendisset civitatem, capit omnes divitias, quae erant in regia, et ipsam etiam Reginam.

§ **32**. Verum cum captam urbem, et regiam occupatam, atque suos bello captos audiisset Dunaan, timens ne aliqui ex cognatis deficerent ad Elesbaan, mente ei a Deo ablatâ, cum aurea catena se et illos alligasset, sedebat nullam rerum curam gerens. Qui autem in pluribus navibus erant Aethiopes, cum nihil audivissent de suo Rege Elesbaan, aut de iis, quae gesserat, et laborarent inopiâ rerum necessariarum, essentque animo dubii et perplexi, conversi sunt ad Deo supplicandum. Et cum magnas quidem naves inter se alligassent, et super oblonga ligna vela deinde vinxissent, et veluti quamdam civitatem in mari essent fabricati: extrinsecus autem breviores naves, quae quoddam murorum imitabantur propugnaculum, ordinassent, omnes simul congregati, cum lacrymis Deo longam obtulerunt supplicationem. Deinde cum sacra gustassent mysteria, et se armassent, descenderunt in naves breviores: et stantes ex obliquo, ne acciperent aliquod damnum a telis hostium, eas ipsi majores post se trahentes impulerunt ad terram, donec appulsa eorum latera fixa fuerunt in littore, adeo ut naves essent ipsis pro muro. Hostes vero irruentes cum lanceis, confringebant latera breviorum navium, et magnâ molestiâ afficiebant Aethiopes. Qui cum lacrymis rursus Domini invocabant auxilium. Ipse autem eos exaudiit: et statim vox quaedam fuit de coelo exaudita, quae dicebat: Gabriel, Gabriel, Gabriel *: et quidam ex illis, qui naves impellebant, virgam ferens ferream, quae superne quidem habebat Crucem, inferne autem lanceam, cum enatasset, et unius equi caudam apprehendisset, in ejus latus figit lanceam adeo, ut mox turbatus equus dejecerit hostem, et alii equites timore affecti, ceciderint in terram.

§ **33**. Confidentes itaque Aethiopes cum descendissent e navibus, et manus conseruissent cum hostibus, eos fuderunt, et omnes interfecerunt, et regium ingressi tabernaculum, inveniunt aureâ catenâ vinctum cum iis, qui genere ad ipsum attinebant, Dunaam Regem Hebraeum. Cum autem intellexissent suum quoque Regem praestantissimum, et omni ex parte optimum Elesbaan illic occupasse regiam, propere ad eum accesserunt, et omnia, quae gesta fuerant, exposuerunt. Ille autem praesidio relicto in civitate, maxima abiit celeritate. Et cum invenisset Dunaan aureâ illâ vinctum catenâ, ipsum interfecit et cognatos, Deum laudans, et insultans Christi hostibus, poenam dantibus

* Archang. Gabriel maximâ colitur veneratione inter Aethiopes; qui ei, in Kalendario suo tres dies, scilicet, 18 decembris, 30 martii et 13 junii sacrarunt.

audacium suorum facinorum, quae admiserant in Christum, et Christi Crucem. *Laetabitur enim justus* (inquit magnus David) *cum viderit vindictam* (*Ps.* 57). Et ideo qui ex eis fuerunt vulnerati, non fuerunt *vulnerati gladio* (ut dicit divinus Isaias), neque mortui eorum, *mortui bello* (*Isa.* 22). Est enim res fortis et dura, ira Dei (ipse me rursus docet), ut grando, quae deorsum fertur, non habens tegumentum: ut aquae magnae multitudo, quae trahit regionem. Reversus ergo Elesbaan ad civitatem Phaer, omnes interemit, qui erant in regia, et cum vellet ecclesiam in ea aedificare, fuit ipse primus opifex aedificii. Significavit autem omnia, quae gesta fuerant, Pontifici Alexandriae, et per illum Justino Imperatori. Patriarcha autem Alexandriae, ordinatum Episcopum misit ad Homeritas. Qui cum illis consecrasset templum, quod fuerat aedificatum, baptizat quidem omnes, qui erant in civitatibus et pagis Homeritarum, in nomine sanctae Trinitatis. Ex eis autem ordinat Diaconos et Presbyteros: et ecclesiis, quae erant in regione, reddit statum suum solitum.

§ **31**. Divinissimus autem Rex ipse Elesbaan simul cum eo venit Nagram Martyrum civitatem: et cum illic extruxisset ecclesiam, et quinque possessiones regias ei attribuisset, et deinde etiam ex Martyris Arethae possessionibus tres addidisset, ut ille mandaverat in fine martyrii, et collegisset omnes, qui fuerant redacti in servitutem, et alias dispersi in tempore, persecutionis, et Arethae martyris filium Ducem gentis constituisset, et curam gessisset loci, in quo jacebant ibi consummatae Martyrum reliquiae. et jus asyli illic constituisset, vadit iterum in regiam. Ubi cum Homeritis Abramium quemdam virum pium, et Christi nomine gloriantem elegisset Regem, et sanctissimo Episcopo ad decem millia Christianorum Aethiopum tradidisset, laetus redit in suam regiam cum praeda et spoliis innumerabilibus, dans etiam exercitui non parvam pecuniae portionem. Deo autem agens gratias pro tanta victoria et gratia, volensque seipsum dignum reddere majoribus, cum diadema quidem regium misisset Jerosolymam, ipse indutus cilicio, et noctu egressus e regia et ipsa civitate, ascendit in unum montem ad monasterium virorum, qui exercebantur. Et cum se in exigua clausisset domuncula, et vovisset illinc non egredi toto tempore vitae, regulam suscepit monasticam, ex iis, quae sunt mundi, nihil possidens praeter solam stòream, et poculum ad aquam bibendam, et pauco pane et aquâ vivens, et oleribus viridibus, si quis afferret, cum nullum ex mundanis vidisset totâ vitâ, non ad aliquid aliud mentem habens erectam, nisi ad soli Deo vacandum. Denique cum diu sic se divine exercuisset, sic etiam e vita excedit: In Christo Jesu Domino nostro: Quem decet omnis gloria, honor et veneratio, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA S. SENOCH ABBATIS

AUCTORE SANCTO GREGORIO TURONENSI EPISCOPO

Lib. De vitis Patrum, Cap. 15.

Obiit anno 576 — Natione Taifalus *.

§ 1. Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes, et omnia vanitas (*Eccle.* I). Verum est ergo, quod omnia, quae geruntur in mundo, sunt vanitas. Unde fit, ut sancti Dei, quos nullus libidinum aestus exussit, nullus concupiscentiae exagitavit stimulus, quos nullum luxuriae coenum nec in ipsa, ut ita dicam, cogitatione tentavit, astu tentatoris elati, visi sint sibi esse justissimi, et ab hoc jactantiae cothurnosae perflati supercilio, saepius corruerint. Factumque est ita, ut quos non valuit majorum criminum gladius trucidare, levis vanitatis fumus addictos facile pessumdaret: sicut et ipse ille, de quo nunc nobis sermo futurus est, cum multis virtutibus floruisset, pene in illo arrogantiae barathro òbrutus occubuisset, si eum non exhortatio fratrum fidelium attenta recuperasset.

§ 2. Igitur beatus Senoch Pictavi ** pagi, quem Theiphaliam vocant, oriundus fuit, et conversus ad Dominum, clericusque factus, monasterium sibi instituit. Reperit enim intra territorii Turonici *** terminum parietes antiquos, quos eruderans a ruinis, habitationes dignas aptavit, reperitque ibi oratorium, in quo ferebatur celebrem nostrum orasse Martinum : quod diligenti cura compositum, erecto altari, loculoque in eo ad recipiendas Sanctorum reliquias praeparato, ad benedicendum invitat Episcopum. Affuit tunc Euphronius beatus Episcopus, qui, consecrato altari, eum Diaconatus honore donavit. Celebratis igitur Missis, cum capsulam reliquiarum in loculo cuperent collocare, extitit capsa prolixior, nec recipi in loculum poterat. Tunc prostratus Diaconus cum ipso Sacerdote pronus ad orationem, lacrymas precibus mixtas effudit, obtinuitque petita. Mirum dictu ! ita loculus divinitus amplificatus, capsulaque constricta est, ut in eum spatiosissime non sine admiratione reciperetur.

§ 3. In hoc loco collectis tribus monachis, Domino assidue serviebat, et in primis arcto vitae tramite incedebat, exiguos cibos et tenues potiones sumens. Diebus autem Quadragesimae sanctae addebatur augmentum abstinentiae, ciborum diminutione. Nam

* *Taifali* populus erat e Gothorum stirpe. Vitia nefanda eum inquinabant. Ipsum meminit Ammianus Marcellinus.

** Gallice, *Poitou*.

*** *Turonum* urbs principalis erat quae nunc gallice vocatur *Tours*.

esus illi panis tantum hordeaceus erat, et aqua, de utrisque elementis libras singulas per dies singulos sumens. Rigorem vero hiemis sine ullo pedum tegmine pati contentus erat, manibus ac pedibus, simul et collo ferreâ catenâ revinctus. Dehinc a fratrum contemplatione semotus, solitariâ se reclusit in cellulâ, orans assidue, atque in vigiliis et orationibus, die noctuque sine ambiguitate perdùrans. Conferebat autem devotio fidelium plerumque pecuniam, quam non in abditis loculis, sed in pauperum marsupiis condebant, illud Dominici eloquii oraculum saepe commemorans: *Nolite thesaurizare vobis thesaurum super terram: quia ubi fuerit thesaurus tuus, illic erit et cor tuum* (*Matth.* VI). Dabat enim hic quae accipiebat, pro Dei intuitu in diversis necessitatibus indigentium. Unde factum est, ut in vita sua de his amplius quam ducentos, a nexu servitutis, debitique onere sublevarit.

§ 4. Cum autem nos in Turonicum * venissemus, egressus est de cellula, venitque ad inquirendos nos: salutatisque ac deosculatis, regressus est iterum. Erat enim (ut diximus) valde abstinens, sanans infirmorum languores. Sed ut de abstinentia sanctitas, ita de sanctitate vanitas coepit obrepere. Nam egressus de cellula, jactantiâ cothurnosâ ad requirendos visitandosque parentes, in pagum Pictavensem, cujus supra meminimus, abiit. Regressusque tumidus arrogantià, sibi soli placere nitebatur. Sed objurgatus a nobis, et acceptâ ratione, quod superbi longe fiant a regno Dei, ita se purgatum jactantiâ, humilem reddidit, ut nulla in eo penitus radix superbiae remaneret, adeo ut profiteretur, dicens: « Vera nunc esse cognovi quae beatus Apostolus sacri oris contestatur eloquio, dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (1. *Cor.* I). »

§ 5. Sed cum per eum Dominus super infirmos multas faceret virtutes, et ille ita se dixisset includere velle, ut nunquam humanis adspectibus appareret, consilium suasimus, ut non se perpetuo in hac conclusione constringeret, nisi in illis dumtaxat diebus, qui inter depositionem sancti Martini, ac Dominici natalis solemnitatem habentur: vel in illis similiter quadraginta, quos ante Paschalia festa in summa duci abstinentia patrum sanxit auctoritas: reliquis vero diebus, infirmorum gratiâ, populis se praeberet. Audito autem consilio nostro, libenter quae dicta sunt accepit, implevitque sine ambiguitate. Denique quia de conversatione ejus pauca prolocuti sumus, ad virtutes, quas per illum medicabilis divinae potentiae dextera operari dignata est, accedamus.

§ 6. Caecus quidam, Popusitus nomine, ad eum venit (erat autem tunc beatus Senoch jam Presbyter ordinatus), qui dum aliquid alimenti postulat, tactis a sancti Sacerdotis manu oculis, ut

* S. Gregorius ad cathedram Turonensem promotus fuit anno 573.

signum salutare meruit, protinus visum recepit. Alius quoque Pictavensis puer, hujusmodi morbo laborans, auditâ confessoris hujus operâ, pro luminis perditi receptione precatur. Non moratur ille, sed invocato Christi nomine, Crucem oculis caeci imponit, statimque defluente rivo sanguinis, lux intravit, ac post viginti annorum curricula, orbatae fronti geminorum siderum jubar inclaruit. Duo pueri membris omnibus debiles, et in modum sphaerae in rotunditate contracti, ejus conspectibus sunt delati, quibus impositis manibus, redintegratis artubus, unius horae momento utrumque reddidit absolutum. Geminavitque deinde geminae virtutis beneficium. Puer cum puella coram eo contractis manibus adstiterunt (erat autem tunc medium Paschalis festum solemnitatis), cumque pro suae directionis medela Dei famulo supplicarent, et ille pro ea, quae ad ecclesiam convenerat, populi frequentiâ haec agenda differret, indignum se clamitans, per quem Deus infirmis praebere beneficia dignaretur, supplicantibus cunctis, manus eorum suis suscepit in manibus: quibus attrectatis, directisque digitis, sanos abscedere jubet. Benaja quoque (hoc enim erat nomen mulieris), oculos deferens clausos, tactu salutaris dexterae benedicta, illuminata discessit.

§ 7. Sed nec illud òcculi aequum puto, quod saepius ejus oratio virus serpentium exinanire obtinuit. Duo enim tumidi morsu hydri, ejus pedibus prosternuntur, deprecantes ut virus, quod mala bestia artubus moribundis injecit, suâ virtute discuteret. At ille orationem fudit ad Dominum, dicens: « Domine Jesu Christe, qui in principio cuncta mundi elementa creasti, et serpentem illum humanis dignitatibus aemulum, sub maledicto esse sanxisti; tu depelle ab his famulis tuis veneni hujus malum, ut non angues de his, sed hi de angue valeant triumphare. » Haec autem cum dixisset, palpavit omnem compagem corporis eorum, statimque compresso tumore, virus mortiferum nocendi perdidit vires.

§ 8. Dies Dominicae resurrectionis advenerat, et homo quidam dum ad ecclesiam pergeret, vidit pecorum multitudinem, suam segetem depascentem; ingemuit, et ait: « Vae mihi, quia annualis mei laboris opera ita dèperit, ut nihil prorsus ex ea remaneat. » Et accepta secure, amputatis ramis, aditum sepis claudere coepit, confestimque contracta manus invita retinuit, quod voluntarie comprehendit. Dolore vero instigante, ad sanctum confessorem moestus accessit, trahens post se ramum, quem manu constrinxerat, narravitque omnia, sicut gesta erant. Tunc ille oleo benedictione sanctificato, manum manu stringens, abstracto ramo, sanitati restituit. Sed et deinceps multos a serpentium morsu, et pustulae malignae veneno, signo Crucis locato desuper, reddidit sospitati. Nonnullis autem obsessis daemonis saevi livore ut manus imposuit, extemplo, fugatis daemonibus, mentem eorum

energiâ turbatam, ad integritatem intelligentiae reparavit. Omnibus vero, quoscumque per eum a diversis infirmitatibus dextera divina salvavit, si inopes fuissent, ipse cibum vestitumque dispensatione hilari porrigebat. Tantaque ei cura de egentibus fuit, ut etiam pontes super alveos amnium diligenter instrueret, ne quis inundantibus aquis naufragia saeva lugeret.

§ 9. His ergo virtutibus clarus in populis declaratus, cum esset annorum circiter quadraginta, modicâ pulsatus febre, per triduum lectulo decubavit. Nunciatumque est mihi, cum transitus esset propinquus. At ego velocius illuc properans, ad lectulum ejus accessi, sed nihil ab eo collocutionis elicere potui: erat enim valde fessus. Dehinc interposito quasi unius horae spatio, spiritum exhalavit. Congregata est autem ad ejus exequias multitudo illa redemptorum, quos supra diximus ab eo vel a jugo servitutis, vel a diversis debitis absolutos, quosque vel alebat cibo, vel vestitu tegebat. Plangebant enim, dicentes: « Cui nos, Pater sancte, relinquis? » Post haec sepulturae locatus, saepius se manifestis virtutibus declaravit. Nam trigesimo ab ejus obitu die, cum ad ejus tumulum Missa celebraretur, Chaidulphus quidam contractus, dum stipem postulat, ad ejus sepulturam accedit: qui dum pallam * superpositam osculis veneratur, dissolutis membrorum ligaturis, directus est. Multa autem ibi gesta comperi, de quibus haec tantum memoriae habenda notavi.

SANCTORUM CHRYSANTHI ET DARIAE

HISTORIA

SCRIPTA A VARINO ET ARMENIO.

HABETUR IN METAPHRASTE: CONSENTIUNTQUE ANTIQUI MSS. CODICES LATINI.

Martyrii laureâ donati anno, ut videtur, 283, Romae.

§ 1. Ad aedificationem, utilitatemque nostram Deo placuit, ut martyrum, qui superioribus temporibus extiterunt, certamina litterarum monumentis consignarentur, non ut mortalium laudibus eos satiaret, quos convivio dignos fecit sempiterno; sed ut eorum exemplo nos commoneret, ut hujusce vitae voluptates aspernaremur, et gloriae perpetuae gratia breves miserias aequo animo perferremus. Omnis enim corporis dolor, si levis est, facile perferri potest: sin gravis, celerem finem habet. Quamobrem negligendus

* De palla vel pallio, quod olim sepulcris imponebatur, haec habet eruditissimus Ruinart: « Haec videtur fuisse sanctitatis nota, si cui tumulo pallium imponeretur. »

est et alacriter subeundus, ut mors aeterna vitetur. Quod si dolores isti, qui cum hodie sint, cras non erunt, cum hodie nascantur, cras extinguentur, ita molesti sunt; quanto illi acerbiores putandi, quibus nullus proponitur finis? Quid quod exempla non desunt eorum, qui convalescendi causâ se, suaque medicis dedunt, seque et secari et uri permittunt, et pocula sumunt amarissima, mortisque metu nec amaritudinem sentiunt, nec ignem reformidant, nec ferrum recusant? Quod si fallacis et incertae istius vitae studiosi, quo mortem differant, et ferri et ignis molestias sustinent, et amara hauriunt medicamenta: quanto alacrius acerbitates illae sunt perferendae, quae nos exiguum ad tempus cruciant et premunt, ut in perpetuum extollamus? quae amara nobis tormenta adhibent, ut sempiterna dulcedine perfruamur? quae breve praebent incendium, ut perpetuum refrigerium assequamur? Haec Dei Martyres considerantes, ut de hostibus victoriam reportarent, omnia acerbitatum tormentorumque genera pertulerunt. Sperabant enim, se brevi vitâ gloriâque contemptâ, aeternam illam assecuturos: et vitaturos perpetuum ignem, si temporarium hunc pertulissent. Hujus nos item verae gloriae cupidi, mundum mundique cupiditates contemnamus: et quae a Sanctis gesta sunt, minime obscurâ fide celebremus: inprimisque sanctorum Martyrum Chrysanthi et Dariae historiam non minus illis, qui credituri sunt, quam nobis, qui credimus, profuturam, pura mente conscribamus.

§ 2. Vir quidam Alexandrinus, in civitate sua illustris ac princeps, ordinisque Senatorii, nomine Polemius, Romam cum filio suo Chrysantho concessit. Qui a Senatu Romano amice susceptus, maximisque honoribus ab Imperatore Numeriano * auctus, sellam in Senatu Romanorum obtinuit. Hic filium unicum Chrysanthum, quem disciplinis omnibus imbuendum curaverat, Philosophorum studio tradidit. Erat autem adolescens ingeniosus, et ad discendum aptissimus. Quantae autem prudentiae fuerit, res ipsa indicabit. Cum enim omne scriptorum genus diligenter conquireret, incidit in libros Evangeliorum. Quibus accurate perlectis, sic ipse secum: « Tamdiu te decuit, Chrysanthe, tenebrarum libros evolvere, quoad veritatis lumen invenires. Non est autem sapientis, nec prudentis, ut a lumine rursum ad tenebras revertaris. Perderes enim labores, quos suscepisti, si laborum fructum abjiceres. Est autem laborum fructus, qui a Deo quaerentibus datur. Sic enim praecipit Deus, quemadmodum legisti: *Quaerite, et invenietis* (*Luc.* II). Quamobrem si quod quaesisti, atque invenisti, reliqueris, amentibus ac stultis eris hominibus similis. Studiose igitur complèctere, quod toto est animo complectendum. Omnia, quae gravia molestaque sunt, dèsere. Magnam jacturam facies, nisi id, quod tot laboribus

* Numerianus Caesar renuntiatus est anno 282; anno sequenti imperium obtinuit.

pervestigasti, inventum generose retinueris. Aurum invenisti, invenisti argentum, invenisti lapides pretiosos. Idcirco quaesisti, ut reperires: et ideo reperisti, ut possideres. Cave sinas a te ipso diripi, quod invenisti. Utere, fruere primitiis laborum tuorum, et vide, ne, si eas rejeceris, frustra conquisivisse, atque expetisse videare. »

§ 3. Haec cum secum ipse locutus esset, quaeritabat, ecquis esset divinarum Scripturarum magister: et quemadmodum eloquentes ac litteratos homines audierat, sic optabat magistros indoctos et piscatores invenire. Legerat enim Apostolum dicentem: *Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi inquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* (1. *Cor.* I). Haec ille cum quotidie cogitaret, et Christi servos conquireret, cuidam occurrit, qui dicebat, se nosse virum quemdam Christianum, nomine Carpophorum, divinarum Scripturarum peritissimum: qui propter impiam persecutionem, in montibus in spelunca quadam habitaret, qui sane locus perquam paucis notus esset. His auditis, Chrysanthus valde gavisus est: et narrantis genua complexus, cum lacrymis supplicabat, ut locum sibi, in quo vir ille Dei moraretur, indicaret. Dei autem providentiâ factum est, ut qui cum fide quaerebat, ad ejus notitiam mereretur pervenire. Cum igitur sanctum Carpophorum presbyterum convenisset, paucis mensibus omnes divinas Scripturas didicit, et in fide confirmatus, perfectus evasit in Christo, adeo ut septimo post susceptum baptismum die, Jesum Christum filium Dei publice praedicaret. Quem cum propinqui ejus, quidam homines clari et potentes audivissent, patrem ipsius convenerunt, et reprehenderunt, dicentes: « Tibi crimini dabitur, et recidet in caput tuum, quod filius tuus audet contra deos loqui. Dicit enim quemdam Jesum Christum esse verum Deum. Quod quidem si pervenerit ad aures Imperatoris, nec tibi parcetur, nec nobis. Quis enim ausit haec dicere, nisi qui legibus Imperatorum impudenter adversetur? »

§ 4. Iratus igitur Polemius pater, eum in obscuro foedoque carcere includendum curavit, et paucissimo cibo vesperi tantum nutriendum. At Dei vir Chrysanthus eam rem pro exercitatione, non pro supplicio, accepit. Idque vulgatum et omnibus notum fuit. Quidam igitur patri ejus hoc consilium dedit: « Si filium, inquiens, cupis ab hoc proposito dimovere, cura potius, ut in deliciis et voluptatibus versetur: eique pulcherrimam aliquam ac prudentem puellam uxorem adjunge: ut dum se maritum esse intellexerit, Christianum esse obliviscatur. Nam istas tenebras atque cruciatus, quibus tu illum affligis, Christiani laudi potius sibi, quam supplicio, ducunt esse. » Hoc audito, Polemius triclinium veste serica ornari, et eo filium e tenebroso carcere

pretiosis vestimentis indutum duci jubet, e numeroque suarum ancillarum formosissimas deligit, ornatasque atque eleganter comptas, cum filio concludit, procurans ut in omnibus ciborum versetur deliciis, minitansque virginibus, nisi Chrysanthum a Christianae religionis studio ad voluptates pellexerint. Degebat igitur inter puellarum lusus vir Dei: sed in proposito ita perstabat, ut et ciborum delicias contemneret, et virginum, tamquam aspidum, contactus evitaret. Humi cubabat, assidue precationibus incumbebat, puellarum blanditias, tamquam sagittas, fidei clypeo repellebat, et ad Deum clamabat: « *Surge,* inquiens, *Domine, in auxilium meum... Dic animae meae: salus tua ego sum* (*Psal.* 34). Quis enim bellum hoc, quod diabolus excitavit, sustinere queat, nisi praesto adsit victrix dextera tua? Errat, qui se putat posse virtute propriâ libidinem superare, et castitatem servare, nisi misericordiae tuae imbre, carnis extinguantur incendia. Non poterit animus ad aulas tuas appropinquare, nisi te ducem praebueris. Voluptas enim est improba quaedam fera, in vitae nemore latitans, ut animas devoret. Cujus si quis morsus effugerit, is tibi Deo Salvatori debet ex animo gratias agere. Tuum est enim, nos ab ejusmodi periculis liberare.

§ **5**. « Sic et beatus servus tuus Joseph, meretricis, tamquam immanis ferae, manus effugit auxilio tuo. Quem cum pater Jacob deploraret: *Improba,* dicebat, *fera devoravit filium meum:* neque ullam volebat admittere consolationem. Vere enim nihil eum celabas. Sed tamen cum dicerent filii ejus: *Vide, utrum sit haec tunica filii tui:* non indicasti ei: sed rem abscondisti, ut paternis lacrymis subvenires. Uxor enim Putiphar, tamquam fera crudelis, eum invaserat, et unguibus eum, quasi leaena quaedam dilaniabat: et, quod gravissimum est, insidias tendebat, ut solus cum sola dormiret. Sed solus non erat, quoniam tuâ ope eum protegebas. Idcirco enim permisisti, ut eum ex profundo corde lugeret pater, ut justi precibus adolescentulus adjuvaretur. Quid enim aliud erat fera, nisi libido per quam ipse diabolus et femina eum oppugnabant? Caro et sanguis adolescentiae fervebat. Oculorum obtutus invitabant. Accedebat herae potentia, et ad turpitudinem adhortatio. Ornatus muliebris, auro margaritisque distinctus, atque omni lapide pretioso, oculorum aciem perstringebat. Aderat odorum suavitas, et blanditiae, quae lapsus, mortisque occasionem suggerebant. His omnibus Joseph, veluti innocentem agnum, invaserat, et tamquam leaena detinebat. Sed eum ex ore ipsius manus tua, Domine, eripuit. Etenim cum esset nunciatum Jacob, filium ejus vivere, respondit, magnum sibi esse, quod filius viveret: mirum enim esse quod crudelem illam feram effugisset. Tu enim, Domine, eras cum illo, et omnia quae faciebat, ope tua in manibus ejus prospere succedebant. Nunc item ego te, Domine, supplex oro,

audacium suorum facinorum, quae admiserant in Christum, et Christi Crucem. *Laetabitur enim justus* (inquit magnus David) *cum viderit vindictam* (*Ps.* 57). Et ideo qui ex eis fuerunt vulnerati, non fuerunt *vulnerati gladio* (ut dicit divinus Isaias), neque mortui eorum, *mortui bello* (*Isa.* 22). Est enim res fortis et dura, ira Dei (ipse me rursus docet), ut grando, quae deorsum fertur, non habens tegumentum: ut aquae magnae multitudo, quae trahit regionem. Reversus ergo Elesbaan ad civitatem Phaer, omnes interemit, qui erant in regia, et cum vellet ecclesiam in ea aedificare, fuit ipse primus opifex aedificii. Significavit autem omnia, quae gesta fuerant, Pontifici Alexandriae, et per illum Justino Imperatori. Patriarcha autem Alexandriae, ordinatum Episcopum misit ad Homeritas. Qui cum illis consecrasset templum, quod fuerat aedificatum, baptizat quidem omnes, qui erant in civitatibus et pagis Homeritarum, in nomine sanctae Trinitatis. Ex eis autem ordinat Diaconos et Presbyteros: et ecclesiis, quae erant in regione, reddit statum suum solitum.

§ **31**. Divinissimus autem Rex ipse Elesbaan simul cum eo venit Nagram Martyrum civitatem: et cum illic extruxisset ecclesiam, et quinque possessiones regias ei attribuisset, et deinde etiam ex Martyris Arethae possessionibus tres addidisset, ut ille mandaverat in fine martyrii, et collegisset omnes, qui fuerant redacti in servitutem, et alias dispersi in tempore, persecutionis, et Arethae martyris filium Ducem gentis constituisset, et curam gessisset loci, in quo jacebant ibi consummatae Martyrum reliquiae, et jus asyli illic constituisset, vadit iterum in regiam. Ubi cum Homeritis Abramium quemdam virum pium, et Christi nomine gloriantem elegisset Regem, et sanctissimo Episcopo ad decem millia Christianorum Aethiopum tradidisset, laetus redit in suam regiam cum praeda et spoliis innumerabilibus, dans etiam exercitui non parvam pecuniae portionem. Deo autem agens gratias pro tanta victoria et gratia, volensque seipsum dignum reddere majoribus, cum diadema quidem regium misisset Jerosolymam, ipse indutus cilicio, et noctu egressus e regia et ipsa civitate, ascendit in unum montem ad monasterium virorum, qui exercebantur. Et cum se in exigua clausisset domuncula, et vovisset illinc non egredi toto tempore vitae, regulam suscepit monasticam, ex iis, quae sunt mundi, nihil possidens praeter solam stòream, et poculum ad aquam bibendam, et pauco pane et aquâ vivens, et oleribus viridibus, si quis afferret, cum nullum ex mundanis vidisset totâ vitâ, non ad aliquid aliud mentem habens erectam, nisi ad soli Deo vacandum. Denique cum diu sic se divine exercuisset, sic etiam e vita excedit: In Christo Jesu Domino nostro: Quem decet omnis gloria, honor et veneratio, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA S. SENOCH ABBATIS

AUCTORE SANCTO GREGORIO TURONENSI EPISCOPO

Lib. De vitis Patrum, Cap. 15.

Obiit anno 576 — Natione Taifalus *.

§ 1. Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes, et omnia vanitas (*Eccle.* I). Verum est ergo, quod omnia, quae geruntur in mundo, sunt vanitas. Unde fit, ut sancti Dei, quos nullus libidinum aestus exussit, nullus concupiscentiae exagitavit stimulus, quos nullum luxuriae coenum nec in ipsa, ut ita dicam, cogitatione tentavit, astu tentatoris elati, visi sint sibi esse justissimi, et ab hoc jactantiae cothurnosae perflati supercilio, saepius corruerint. Factumque est ita, ut quos non valuit majorum criminum gladius trucidare, levis vanitatis fumus addictos facile pessumdaret: sicut et ipse ille, de quo nunc nobis sermo futurus est, cum multis virtutibus floruisset, pene in illo arrogantiae barathro òbrutus occubuisset, si eum non exhortatio fratrum fidelium attenta recuperasset.

§ 2. Igitur beatus Senoch Pictavi ** pagi, quem Theiphaliam vocant, oriundus fuit, et conversus ad Dominum, clericusque factus, monasterium sibi instituit. Reperit enim intra territorii Turonici *** terminum parietes antiquos, quos eruderans a ruinis, habitationes dignas aptavit, reperitque ibi oratorium, in quo ferebatur celebrem nostrum orasse Martinum : quod diligenti cura compositum, erecto altari, loculoque in eo ad recipiendas Sanctorum reliquias praeparato, ad benedicendum invitat Episcopum. Affuit tunc Euphronius beatus Episcopus, qui, consecrato altari, eum Diaconatus honore donavit. Celebratis igitur Missis, cum capsulam reliquiarum in loculo cuperent collocare, extitit capsa prolixior, nec recipi in loculum poterat. Tunc prostratus Diaconus cum ipso Sacerdote pronus ad orationem, lacrymas precibus mixtas effudit, obtinuitque petita. Mirum dictu! ita loculus divinitus amplificatus, capsulaque constricta est, ut in eum spatiosissime non sine admiratione reciperetur.

§ 3. In hoc loco collectis tribus monachis, Domino assidue serviebat, et in primis arcto vitae tramite incedebat, exiguos cibos et tenues potiones sumens. Diebus autem Quadragesimae sanctae addebatur augmentum abstinentiae, ciborum diminutione. Nam

* *Taifali* populus erat e Gothorum stirpe. Vitia nefanda eum inquinabant. Ipsum meminit Ammianus Marcellinus.
** Gallice, *Poitou*.
*** *Turonum* urbs principalis erat quae nunc gallice vocatur *Tours*.

esus illi panis tantum hordeaceus erat, et aqua, de utrisque elementis libras singulas per dies singulos sumens. Rigorem vero hiemis sine ullo pedum tegmine pati contentus erat, manibus ac pedibus, simul et collo ferreâ catenâ revinctus. Dehinc a fratrum contemplatione semotus, solitariâ se reclusit in cellulâ, orans assidue, atque in vigiliis et orationibus, die noctuque sine ambiguitate perdùrans. Conferebat autem devotio fidelium plerumque pecuniam, quam non in abditis loculis, sed in pauperum marsupiis condebant, illud Dominici eloquii oraculum saepe commemorans: *Nolite thesaurizare vobis thesaurum super terram: quia ubi fuerit thesaurus tuus, illic erit et cor tuum* (*Matth.* vi). Dabat enim hic quae accipiebat, pro Dei intuitu in diversis necessitatibus indigentium. Unde factum est, ut in vita sua de his amplius quam ducentos, a nexu servitutis, debitique onere sublevarit.

§ 4. Cum autem nos in Turonicum * venissemus, egressus est de cellula, venitque ad inquirendos nos: salutatisque ac deosculatis, regressus est iterum. Erat enim (ut diximus) valde abstinens, sanans infirmorum languores. Sed ut de abstinentia sanctitas, ita de sanctitate vanitas coepit obrepere. Nam egressus de cellula, jactantiâ cothurnosâ ad requirendos visitandosque parentes, in pagum Pictavensem, cujus supra meminimus, abiit. Regressusque tumidus arrogantiâ, sibi soli placere nitebatur. Sed objurgatus a nobis, et acceptâ ratione, quod superbi longe fiant a regno Dei, ita se purgatum jactantiâ, humilem reddidit, ut nulla in eo penitus radix superbiae remaneret, adeo ut profiteretur, dicens: « Vera nunc esse cognovi quae beatus Apostolus sacri oris contestatur eloquio, dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (1. *Cor.* i). »

§ 5. Sed cum per eum Dominus super infirmos multas faceret virtutes, et ille ita se dixisset includere velle, ut nunquam humanis adspectibus appareret, consilium suasimus, ut non se perpetuo in hac conclusione constringeret, nisi in illis dumtaxat diebus, qui inter depositionem sancti Martini, ac Dominici natalis solemnitatem habentur: vel in illis similiter quadraginta, quos ante Paschalia festa in summa duci abstinentia patrum sanxit auctoritas: reliquis vero diebus, infirmorum gratiâ, populis se praeberet. Audito autem consilio nostro, libenter quae dicta sunt accepit, implevitque sine ambiguitate. Denique quia de conversatione ejus pauca prolocuti sumus, ad virtutes, quas per illum medicabilis divinae potentiae dextera operari dignata est, accedamus.

§ 6. Caecus quidam, Popusitus nomine, ad eum venit (erat autem tunc beatus Senoch jam Presbyter ordinatus), qui dum aliquid alimenti postulat, tactis a sancti Sacerdotis manu oculis, ut

* S. Gregorius ad cathedram Turonensem promotus fuit anno 573.

signum salutare meruit, protinus visum recepit. Alius quoque Pictavensis puer, hujusmodi morbo laborans, auditâ confessoris hujus operâ, pro luminis perditi receptione precatur. Non moratur ille, sed invocato Christi nomine, Crucem oculis caeci imponit, statimque defluente rivo sanguinis, lux intravit, ac post viginti annorum curricula, orbatae fronti geminorum siderum jubar inclaruit. Duo pueri membris omnibus debiles, et in modum sphaerae in rotunditate contracti, ejus conspectibus sunt delati, quibus impositis manibus, redintegratis artubus, unius horae momento utrumque reddidit absolutum. Geminavitque deinde geminae virtutis beneficium. Puer cum puella coram eo contractis manibus adstiterunt (erat autem tunc medium Paschalis festum solemnitatis), cumque pro suae directionis medela Dei famulo supplicarent, et ille pro ea, quae ad ecclesiam convenerat, populi frequentiâ haec agenda differret, indignum se clamitans, per quem Deus infirmis praebere beneficia dignaretur, supplicantibus cunctis, manus eorum suis suscepit in manibus: quibus attrectatis, directisque digitis, sanos abscedere jubet. Benaja quoque (hoc enim erat nomen mulieris), oculos deferens clausos, tactu salutaris dexterae benedicta, illuminata discessit.

§ 7. Sed nec illud òcculi aequum puto, quod saepius ejus oratio virus serpentium exinanire obtinuit. Duo enim tumidi morsu hydri, ejus pedibus prosternuntur, deprecantes ut virus, quod mala bestia artubus moribundis injecit, suâ virtute discuteret. At ille orationem fudit ad Dominum, dicens: « Domine Jesu Christe, qui in principio cuncta mundi elementa creasti, et serpentem illum humanis dignitatibus aemulum, sub maledicto esse sanxisti; tu depelle ab his famulis tuis veneni hujus malum, ut non angues de his, sed hi de angue valeant triumphare. » Haec autem cum dixisset, palpavit omnem compagem corporis eorum, statimque compresso tumore, virus mortiferum nocendi perdidit vires.

§ 8. Dies Dominicae resurrectionis advenerat, et homo quidam dum ad ecclesiam pergeret, vidit pecorum multitudinem, suam segetem depascentem; ingemuit, et ait: « Vae mihi, quia annualis mei laboris opera ita dèperit, ut nihil prorsus ex ea remaneat. » Et accepta secure, amputatis ramis, aditum sepis claudere coepit, confestimque contracta manus invita retinuit, quod voluntarie comprehendit. Dolore vero instigante, ad sanctum confessorem moestus accessit, trahens post se ramum, quem manu constrinxerat, narravitque omnia, sicut gesta erant. Tunc ille oleo benedictione sanctificato, manum manu stringens, abstracto ramo, sanitati restituit. Sed et deinceps multos a serpentium morsu, et pustulae malignae veneno, signo Crucis locato desuper, reddidit sospitati. Nonnullis autem obsessis daemonis saevi livore ut manus imposuit, extemplo, fugatis daemonibus, mentem eorum

energiâ turbatam, ad integritatem intelligentiae reparavit. Omnibus vero, quoscumque per eum a diversis infirmitatibus dextera divina salvavit, si inopes fuissent, ipse cibum vestitumque dispensatione hilari porrigebat. Tantaque ei cura de egentibus fuit, ut etiam pontes super alveos amnium diligenter instrueret, ne quis inundantibus aquis naufragia saeva lugeret.

§ 9. His ergo virtutibus clarus in populis declaratus, cum esset annorum circiter quadraginta, modicâ pulsatus febre, per triduum lectulo decubavit. Nunciatumque est mihi, cum transitus esset propinquus. At ego velocius illuc properans, ad lectulum ejus accessi, sed nihil ab eo collocutionis elicere potui: erat enim valde fessus. Dehinc interposito quasi unius horae spatio, spiritum exhalavit. Congregata est autem ad ejus exequias multitudo illa redemptorum, quos supra diximus ab eo vel a jugo servitutis, vel a diversis debitis absolutos, quosque vel alebat cibo, vel vestitu tegebat. Plangebant enim, dicentes: « Cui nos, Pater sancte, relinquis? » Post haec sepulturae locatus, saepius se manifestis virtutibus declaravit. Nam trigesimo ab ejus obitu die, cum ad ejus tumulum Missa celebraretur, Chaidulphus quidam contractus, dum stipem postulat, ad ejus sepulturam accedit: qui dum pallam * superpositam osculis veneratur, dissolutis membrorum ligaturis, directus est. Multa autem ibi gesta comperi, de quibus haec tantum memoriae habenda notavi.

SANCTORUM CHRYSANTHI ET DARIAE

HISTORIA

SCRIPTA A VARINO ET ARMENIO.

HABETUR IN METAPHRASTE: CONSENTIUNTQUE ANTIQUI MSS. CODICES LATINI.

Martyrii laureâ donati anno, ut videtur, 283, Romae.

§ 1. Ad aedificationem, utilitatemque nostram Deo placuit, ut martyrum, qui superioribus temporibus extiterunt, certamina litterarum monumentis consignarentur, non ut mortalium laudibus eos satiaret, quos convivio dignos fecit sempiterno; sed ut eorum exemplo nos commoneret, ut hujusce vitae voluptates aspernaremur, et gloriae perpetuae gratia breves miserias aequo animo perferremus. Omnis enim corporis dolor, si levis est, facile perferri potest: sin gravis, celerem finem habet. Quamobrem negligendus

* De palla vel pallio, quod olim sepulcris imponebatur, haec habet eruditissimus Ruinart: « Haec videtur fuisse sanctitatis nota, si cui tumulo pallium imponeretur. »

est et alacriter subeundus, ut mors aeterna vitetur. Quod si dolores isti, qui cum hodie sint, cras non erunt, cum hodie nascantur, cras extinguentur, ita molesti sunt; quanto illi acerbiores putandi, quibus nullus proponitur finis? Quid quod exempla non desunt eorum, qui convalescendi causâ se, suaque medicis dedunt, seque et secari et uri permittunt, et pocula sumunt amarissima, mortisque metu nec amaritudinem sentiunt, nec ignem reformidant, nec ferrum recusant? Quod si fallacis et incertae istius vitae studiosi, quo mortem differant, et ferri et ignis molestias sustinent, et amara hauriunt medicamenta: quanto alacrius acerbitates illae sunt perferendae, quae nos exiguum ad tempus cruciant et premunt, ut in perpetuum extollamus? quae amara nobis tormenta adhibent, ut sempiterna dulcedine perfruamur? quae breve praebent incendium, ut perpetuum refrigerium assequamur? Haec Dei Martyres considerantes, ut de hostibus victoriam reportarent, omnia acerbitatum tormentorumque genera pertulerunt. Sperabant enim, se brevi vitâ gloriâque contemptâ, aeternam illam assecuturos: et vitaturos perpetuum ignem, si temporarium hunc pertulissent. Hujus nos item verae gloriae cupidi, mundum mundique cupiditates contemnamus: et quae a Sanctis gesta sunt, minime obscurâ fide celebremus: inprimisque sanctorum Martyrum Chrysanthi et Dariae historiam non minus illis, qui credituri sunt, quam nobis, qui credimus, profuturam, pura mente conscribamus.

§ 2. Vir quidam Alexandrinus, in civitate sua illustris ac princeps, ordinisque Senatorii, nomine Polemius, Romam cum filio suo Chrysantho concessit. Qui a Senatu Romano amice susceptus, maximisque honoribus ab Imperatore Numeriano * auctus, sellam in Senatu Romanorum obtinuit. Hic filium unicum Chrysanthum, quem disciplinis omnibus imbuendum curaverat, Philosophorum studio tradidit. Erat autem adolescens ingeniosus, et ad discendum aptissimus. Quantae autem prudentiae fuerit, res ipsa indicabit. Cum enim omne scriptorum genus diligenter conquireret, incidit in libros Evangeliorum. Quibus accurate perlectis, sic ipse secum: « Tamdiu te decuit, Chrysanthe, tenebrarum libros evolvere, quoad veritatis lumen invenires. Non est autem sapientis, nec prudentis, ut a lumine rursum ad tenebras revertaris. Perderes enim labores, quos suscepisti, si laborum fructum abjiceres. Est autem laborum fructus, qui a Deo quaerentibus datur. Sic enim praecipit Deus, quemadmodum legisti: *Quaerite, et invenietis* (*Luc.* II). Quamobrem si quod quaesisti, atque invenisti, reliqueris, amentibus ac stultis eris hominibus similis. Studiose igitur complèctere, quod toto est animo complectendum. Omnia, quae gravia molestaque sunt, dèsere. Magnam jacturam facies, nisi id, quod tot laboribus

* Numerianus Caesar renuntiatus est anno 282; anno sequenti imperium obtinuit.

pervestigasti, inventum generose retinueris. Aurum invenisti, invenisti argentum, invenisti lapides pretiosos. Idcirco quaesisti, ut reperires: et ideo reperisti, ut possideres. Cave sinas a te ipso diripi, quod invenisti. Utere, fruere primitiis laborum tuorum, et vide, ne, si eas rejeceris, frustra conquisivisse, atque expetisse videare. »

§ 3. Haec cum secum ipse locutus esset, quaeritabat, ecquis esset divinarum Scripturarum magister: et quemadmodum eloquentes ac litteratos homines audierat, sic optabat magistros indoctos et piscatores invenire. Legerat enim Apostolum dicentem: *Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi inquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* (1. *Cor.* I). Haec ille cum quotidie cogitaret, et Christi servos conquireret, cuidam occurrit, qui dicebat, se nosse virum quemdam Christianum, nomine Carpophorum, divinarum Scripturarum peritissimum: qui propter impiam persecutionem, in montibus in spelunca quadam habitaret, qui sane locus perquam paucis notus esset. His auditis, Chrysanthus valde gavisus est: et narrantis genua complexus, cum lacrymis supplicabat, ut locum sibi, in quo vir ille Dei moraretur, indicaret. Dei autem providentiâ factum est, ut qui cum fide quaerebat, ad ejus notitiam mereretur pervenire. Cum igitur sanctum Carpophorum presbyterum convenisset, paucis mensibus omnes divinas Scripturas didicit, et in fide confirmatus, perfectus evasit in Christo, adeo ut septimo post susceptum baptismum die, Jesum Christum filium Dei publice praedicaret. Quem cum propinqui ejus, quidam homines clari et potentes audivissent, patrem ipsius convenerunt, et reprehenderunt, dicentes: « Tibi crimini dabitur, et recidet in caput tuum, quod filius tuus audet contra deos loqui. Dicit enim quemdam Jesum Christum esse verum Deum. Quod quidem si pervenerit ad aures Imperatoris, nec tibi parcetur, nec nobis. Quis enim ausit haec dicere, nisi qui legibus Imperatorum impudenter adversetur? »

§ 4. Iratus igitur Polemius pater, eum in obscuro foedoque carcere includendum curavit, et paucissimo cibo vesperi tantum nutriendum. At Dei vir Chrysanthus eam rem pro exercitatione, non pro supplicio, accepit. Idque vulgatum et omnibus notum fuit. Quidam igitur patri ejus hoc consilium dedit: « Si filium, inquiens, cupis ab hoc proposito dimovere, cura potius, ut in deliciis et voluptatibus versetur: eique pulcherrimam aliquam ac prudentem puellam uxorem adjunge: ut dum se maritum esse intellexerit, Christianum esse obliviscatur. Nam istas tenebras atque cruciatus, quibus tu illum affligis, Christiani laudi potius sibi, quam supplicio, ducunt esse. » Hoc audito, Polemius triclinium veste serica ornari, et eo filium e tenebroso carcere

pretiosis vestimentis indutum duci jubet, e numeroque suarum ancillarum formosissimas deligit, ornatasque atque eleganter comptas, cum filio concludit, procurans ut in omnibus ciborum versetur deliciis, minitansque virginibus, nisi Chrysanthum a Christianae religionis studio ad voluptates pellexerint. Degebat igitur inter puellarum lusus vir Dei: sed in proposito ita perstabat, ut et ciborum delicias contemneret, et virginum, tamquam aspidum, contactus evitaret. Humi cubabat, assidue precationibus incumbebat, puellarum blanditias, tamquam sagittas, fidei clypeo repellebat, et ad Deum clamabat: « *Surge,* inquiens, *Domine, in auxilium meum... Dic animae meae: salus tua ego sum* (*Psal.* 34). Quis enim bellum hoc, quod diabolus excitavit, sustinere queat, nisi praesto adsit victrix dextera tua? Errat, qui se putat posse virtute propriâ libidinem superare, et castitatem servare, nisi misericordiae tuae imbre, carnis extinguantur incendia. Non poterit animus ad aulas tuas appropinquare, nisi te ducem praebueris. Voluptas enim est improba quaedam fera, in vitae nemore latitans, ut animas devoret. Cujus si quis morsus effugerit, is tibi Deo Salvatori debet ex animo gratias agere. Tuum est enim, nos ab ejusmodi periculis liberare.

§ **5.** « Sic et beatus servus tuus Joseph, meretricis, tamquam immanis ferae, manus effugit auxilio tuo. Quem cum pater Jacob deploraret: *Improba,* dicebat, *fera devoravit filium meum:* neque ullam volebat admittere consolationem. Vere enim nihil eum celabas. Sed tamen cum dicerent filii ejus: *Vide, utrum sit haec tunica filii tui:* non indicasti ei: sed rem abscondisti, ut paternis lacrymis subvenires. Uxor enim Putiphar, tamquam fera crudelis, eum invaserat, et unguibus eum, quasi leaena quaedam dilaniabat: et, quod gravissimum est, insidias tendebat, ut solus cum sola dormiret. Sed solus non erat, quoniam tuâ ope eum protegebas. Idcirco enim permisisti, ut eum ex profundo corde lugeret pater, ut justi precibus adolescentulus adjuvaretur. Quid enim aliud erat fera, nisi libido per quam ipse diabolus et femina eum oppugnabant? Caro et sanguis adolescentiae fervebat. Oculorum obtutus invitabant. Accedebat herae potentia, et ad turpitudinem adhortatio. Ornatus muliebris, auro margaritisque distinctus, atque omni lapide pretioso, oculorum aciem perstringebat. Aderat odorum suavitas, et blanditiae, quae lapsus, mortisque occasionem suggerebant. His omnibus Joseph, veluti innocentem agnum, invaserat, et tamquam leaena detinebat. Sed eum ex ore ipsius manus tua, Domine, eripuit. Etenim cum esset nunciatum Jacob, filium ejus vivere, respondit, magnum sibi esse, quod filius viveret: mirum enim esse quod crudelem illam feram effugisset. Tu enim, Domine, eras cum illo, et omnia quae faciebat, ope tua in manibus ejus prospere succedebant. Nunc item ego te, Domine, supplex oro,

ut mihi adversus istas feras opituleris, ut quemadmodum serpentes dormiunt ad vocem incantantium, sic ipsae, me precante, dormiant, ne mihi libidinis bellum inferre queant. Quoniam agnosco te verum Deum, qui homines in te credentes defendis, et invictam illis virtutem elargiris. » Haec ille cum dixisset, tam ingenti virgines somno sunt oppressae, ut nisi ex triclinio exportarentur, excitari non possent. Foris igitur ceperunt cibum. Verum, cum in locum, ubi erat Chrysanthus, revertissent, gravis eas rursum somnus complexus est.

§ 6. Nunciatur hoc patri ab iis, quibus id erat curae: qui filium coepit, ut mortuum, deplorare. Quidam autem ex amicis ejus: « Magicam, inquit, artem didicit a Christianis, et adversus simpliciores puellas facile illi procedunt incantationes. Quamobrem eruditam aliquam et prudentem introducito, et eum in sententiam suam adducet, et alliciet ad voluptatem. » — « Ubinam, inquit Polemius, puellam ejusmodi reperiemus, quae id perficere valeat? » — « Est inter virgines Minervae una, respondit amicus ejus, ornatissima, quae vultu est admodum venusto, ingenii acumine, et prudentiâ atque eloquentiâ singulari, et jam nubilis aetate. Antevertamus igitur, et petamus eam, indicemusque illi, quomodo sese habeat adolescens, ut eum ab instituto removeat, atque ipsi conjungatur. » Perficiuntur haec, atque ipsa Minervae virgo, Darìa nomine, componitur: quae veste splendida, atque ornatu pretioso fulgens, ad Chrysanthum audacter ingreditur, blandisque sermonibus, et dulci atque ornata oratione conatur adolescentem a proposito removere. Verum Chrysanthus, Dei praesidio munitus, diaboli jacula fidei scuto rejecit, et Spiritum Sanctum invocans, sic eam est allocutus:

§ 7. « Si temporariae conjunctionis causâ, o virgo praeclara, tam elegantem ornatum et tam dulcem orationis copiam adhibuisti, ut me hominem mortalem, alterius amore inflammatum, ab animi proposito abduceres, et mentem meam immutares: quanto magis debes operam dare, ut immortalis Regis filii Dei tibi amorem concilies? quod quidem si volueris, non erit difficile. Nam si animam simul cum corpore, mundam, et ab omni macula puram integramque servâris, et cor tuum aeque ac corpus, exornâris; et quemadmodum extrinsecus splendes, sic mores tuos intrinsecus composueris, Angeli favebunt tibi; Apostoli et Martyres erunt amici; et operam dabunt, ut ipse Christus sit sponsus tuus, qui thalamum tibi incorruptis lapidibus et margaritis construet in coelo, dabitque delicias in paradiso perpetuas, et juventutis florem largietur immortalem, inscribentque dotem in libro vitae sempiternae. » His Darìa verbis commota: « Nulla me, inquit, amoris causa hoc modo ornatam huc adduxit, sed patris tui lacrymis impulsa veni, ut te parenti restituerem, et ad deorum cultum revocarem. »

— « Si qua, respondit Chrysanthus, tenes argumenta, quibus id mihi vere persuadeas, et consilium mutabo, et te diligenter audiam. Itaque pro communi utilitate de his disseramus. » — « Nihil, inquit Darìa, magis utile aut necessarium est hominibus, quam religionem colere, et cavere, ne, eâ neglectâ, maximum deorum numen ad iram concitemus.» — « Quem, inquit Chrysanthus, o virgo sapientissima, cultum diis exhibendum putas? » — « Eum, inquit illa, per quem ipsi quoque nostri custodes fiant. » — « Quonam pacto, Chrysanthus ait, nostri custodes esse poterunt, qui canum ipsi egent custodiâ, ne a nocturnis furibus diripiantur, quique et ferreis figuntur clavis et plumbo confirmantur, ne ab aliquo dejecti praecipites ruant? » — « Si imperita, inquit Darìa, hominum multitudo sine simulacris posset numina colere, non esset necessarium illa conflare, et constituere. Nunc autem ex marmore, et auro, et argento, atque aere conficiuntur, ut cultores propriis oculis discant, quos cogitatione complecti, venerari, timereque debeant. » — « Disquiramus igitur, inquit Chrysanthus, quid referant ista simulacra, ut intelligamus, utrum iis adorationis cultus debeatur.

§ 8. « Deus nec censendus, nec existimandus est is, qui non omni sanctitate, gloriaque praestet. Quid igitur habet falcifer Saturnus probitatis, qui proprios filios vix dum in lucem editos sustulit, immo vero devoravit, ut ipsius cultores conscripsere? Aut quid in ipso Jove laudandum putas, qui quot dies vixit, tot flagitia, tot adulteria, tot homicidia perpetravit? Insidiator patris, filiorum occisor, stuprator matronarum, sororis maritus, occupator regni, magicae artis inventor, multiplicium formarum opifex, satelles daemonum, mortis conciliator, iis denique criminibus obstrictus, et eorum architectus facinorum, quae ne audire quidem fas est. Qui igitur talis extiterit, eum tu ne credideris esse deum? Quod autem talis fuerit, scriptores ipsi testantur; qui, quos stulti ac dementes homines deos appellant, eos et Reges fuisse, et in bellis gerendis fortes ac strenuos, et suo tempore interiisse memorant. Ostende igitur, quid in ipso Jove virtutis fuerit, qui ad mortem usque tam inimicus extitit omnis honestatis, ut et ipsum aëra raptu Ganymedis coinquinarit, et terram, dum sorores proprias, ut dixi, constuprarit. Jam in ipso Mercurio quid deprehendis divinitatis? Cujus forma capitis, porcum et monstrum imitatur, in vertice autem solum capillos habet et alas? Hic magicis artibus absconditas in terra pecunias indagabat; et incantationibus ac virga, serpentum virus extinguebat; idque daemonum auxilio, quibus quotidie vel suem, vel gallum mactabat. Quae porro in ipso Hercule sanctitas fuit? Qui vicinis e medio tollendis fatigatus, seipsum divino nutu vivum in ignem conjecit, et combustus est miser cum clava et pelle, quas ipse gestabat. Quid? In ipso Apolline quae virtus extitit?

Vel in arcanis sacrificiis Dionysiacis, vel in ebrietatibus et incontinentia? Reliquum est, ut ad reginam Junonem, et stultam Palladem, Veneremque impudicam veniamus. Reperiemus autem ipsas inter se contendentes ac decertantes, quaenam ipsarum pulcritudine caeteris antecelleret. Omnium poëtarum, et oratorum, atque historicorum libris judicium illud decantatur, quod ob spretae formae contumeliam vindicatum est. Cur enim indignatae sunt illae? Cur haec laetitia gestiit, nisi foedae voluptatis gratia? Probavit hanc pastoris sententia, illas improbavit. Cum igitur omnes isti ab honore divinitatis exciderint, cuinam omnium populorum consensus divinos honores adjudicabit? Nihil autem est, quamobrem minutiores deos recenseamus. Unum enim est caput, cui reliqua membra apte consentiunt. Nam quis eorum tam stultus est, ut se deum, aut deam esse glorietur, cum Saturnus, et Jupiter, et Venus, quibus majorem impii arbitrantur esse neminem, dei non sint? Quod si isti, qui primas obtinent, miseri scelestique sunt, ut demonstravimus, quanto sunt infeliciores, qui illos, ut deos venerantur et colunt?

§ 9. « Quando, inquit Daria, poëtarum figmenta nullius sunt pretii, ad Philosophos confugiamus, quorum prudentia, vitiis omnibus amputatis, virtutis cervices subjicit. Hi variis interpretationibus mundi gubernationem significant. Nam deorum nomina allegorice interpretantes, Saturnum dicunt esse tempus, Jovem caloris intensionem, Junonem aërem appellant, Venerem ignem, Neptunum mare, Cererem terram: idemque faciunt in reliquis diis. » — « Sed eorum, inquit Chrysanthus, imagines fieri solent quae semper adesse non possunt; terra autem nunquam non adest; ignis item semper est praesto; et aër omnibus patet. Itaque cur haec ex simulacris opera humana confectis adoranda censueritis, ignoro, et nullo pacto intelligo. Cur enim imagines et simulacra potius, quam ipsas res, adoratis? Estne Rex ullus, aut principes, qui seipsum despici contemnique jubeat, et effigiem suam adorari? Quod si nemo est, qui ita praecipiat, nec ullus principatus id patiatur, confitendum est necessario, statuis istis et imaginibus non elementa, non deos èxprimi, sed homines mortales. » — « Argumenta tua, inquit Daria, rationem meam confirmant. Docui enim rerum imagines ab hominibus imperitissimis coli: nos autem res ipsas adorare. » — « Scite, inquit Chrysanthus, sententiam tuam conaris argumentis nostris confirmare. Omnes igitur elementorum cultores in medium adducamus. Ii si terram venerationis gratia tantum colunt, dignum ac debitum illi honorem exhibeant; neque illam arent, aut alio pacto scindant et exerceant; sed ab aratro, ligoneque temperent. Alius autem neget esse deam, aratrumque et ligonem diligenter adhibeat, atque agricolae munus impigre obeat, nec ullum ei honorem, ut cultor aut adorator ipsius habeat. Cuinam, quaeso,

fructus uberes reddet? Nonne illi qui eam citra ullam adorationem exercet? Atqui, si dea est, ut asseritis, cultoribus et adoratoribus suis deberet omnia bona largiri. Neptunum itidem, si quidem est deus, sic adores, ut hiberno tempore naviges: et cultu atque adoratione, non autem piscatione, confidens, pisces exspectato. Alius autem elementum inanimatum, atque omni divino honore putet indignum; sed opportuno tempore fluctibus sese committat, et obsonium, non mare adorando, sed piscando conquirat. Utri prospere cessuram navigationem, aut piscationem putas? Nonne illi qui recte et opportune munus illud aggredietur? Idem de reliquis elementis dicendum est. Nihil enim suis tribuent adoratoribus, quippe quae non motu proprio, sed nutu divino hominum necessitatibus serviunt. Nam Dei jussu terra solis calore concipit, et coeli pinguedine gramina et plantae nutriuntur, et temporibus opportunis augentur, et fruges fructusque ferunt. Quamobrem ille solus merito colendus et adorandus est, qui largitur haec omnia: non autem res ipsae, quae nobis ab eo donantur, adorandae sunt. Neque enim litterarum elementa discipuli, nec tabulas aut libros, sed praeceptores ipsos venerantur. Nec homines aegri, cum a morbo fuerint liberati, medicamentis aut ferro, sed ipsi medico honorem habent. »

§ **10**. Chrysantho ita disserente, credidit Daria. Et de communi sententia constituerunt, ut conjugium inter se esse dicerent; sed tamen in timore Dei virginitatem servarent. Cum igitur sub matrimonii nomine Chrysanthus jam libente patre liber esset, Dariam domi suae baptizandam curavit. Quae, suscepto virginitatis velo, virgo sanctissima fuit: et exiguo temporis spatio Scripturas divinas omnes didicit. Benevole igitur inter se non corporea conjunctione, sed Spiritus Sancti societate, versabantur. Et quemadmodum per Chrysanthum innumerabilis virorum multitudo, sic per Dariam incredibilis feminarum numerus ad Christi gratiam concurrebat, et multae virgines, dimissis sponsis, sese dicabant Christo. Multi item adolescentes, spretis mundi deliciis, ac voluptatibus superatis, castitatemque complexi, eidem Christo se consecrabant. Caeterum in civitate seditio repente orta est, publiceque populus Celerinum Praetorem adit. Clamant adolescentes, se desponsas sibi mulieres propter Dariam amisisse. Vociferantur feminae, sibi Chrysanthum maritos eripuisse, atque ita suscipiendae prolis spem àdimi. Odiosa igitur crimina objiciebantur; et magnus erat tumultus ac perturbatio. Itaque statim eos Praetor corripi jubet, et nisi diis immolent, variis tormentis affici. Tum Chrysanthus Claudio Tribuno traditur. Claudius autem eum militibus tradit: « Abducite eum, inquiens, ex urbe ad templum Jovis: ubi si invicto Herculi sacrificare recusaverit, variis eum, donec obtemperet, cruciatibus torquete. » Tunc eum milites nervis madefactis vinciunt, ut illis arescentibus, et ad ossa usque

penetrantibus, angeretur. Confestim igitur vinctus ita premebatur, ut nervorum tormentum oculus videre non posset. Milites enim nervos miro artificio, novisque rationibus connectebant. Verum cum vincientium manus quievissent, dicto citius vincula sunt dissoluta. Quapropter milites indignati, eum in carcerem conjecerunt, et triplici còmpede strinxere: quae quidem cum ipsi adstarent, et illuderent, in pulverem redacta est. Tunc milites sublatum lotio conspergebant, dicentes: « Maleficia tua nunc tibi non prosunt.» Sed foetoris loco, odoris suavitatis est consecuta, non aliter, quam si roseus liquor diffusus esset.

§ **11**. Vitulo igitur excoriato, ipsum in ejus pelle nudum incluserunt, et in sole collocarunt. Verum cutis ejus nibil est laesa, nec ullum vir Dei sensit incommodum, quamvis totum diem in vehementi calore, ardentique sole permansisset. Catenis igitur vinctum obscuro in loco concluserunt. Sed illico fractae sunt catenae; et tamquam lampades accensae forent, ibi splendor illuxit. Quamobrem Claudio Tribuno cuncta nunciarunt. Qui cum ad carcerem accessisset, et splendorem adspiceret, jussit, ut Chrysanthus foras ad se veniret. Et: « Quaenam, inquit, est vis praestigiarum, quibus haec efficis? Omnes ego magos, incantatoresque domui: nec ullam tantam magiae potentiam inveni. Omnes a me victi sunt; omnis eorum malitia meae cessit voluntati. Caeterum cum te videam virum praeclarum et sapientem, non aliud abs te requiro, nisi ut audax deseras Christianorum institutum, quo tumultus atque seditio in populo Romano excitatur, teque genere tuo dignum praebeas, et omnipotentibus diis debita facias sacrificia.» — «Si in te, inquit Chrysanthus, inesset scintilla prudentiae, facile intelligeres, me non magicâ arte, sed Dei virtute, adjuvari. Verum tu me ita adspicis, quemadmodum et deos tuos, quos inique colis. Nam si oculi tui recte cernerent, cognosceres deos tuos videndi vim non habere. Et si veritatem aures audirent tuae, plane animadverteres, eos vocem clamantium non audire. Si in animo tuo sensus aliquis esset intelligentiae, perspiceres eos nihil intus habere, praeter pulverem et plumbum.» Tunc Claudius Tribunus eum palis alligatum, virgis caedi jussit. Allatae igitur sunt virgae, quae quidem in manibus militum erant admodum durae, sed viri sancti corpori admotae, instar papyri, molles factae sunt. Quod quidem animadvertens Tribunus, eum solvi atque èrigi, vestimentisque indui imperavit. Et ad milites conversus: « Ego, inquit, ut scitis, omnes magorum et incantatorum fraudes deprehendi: hîc autem nullum esse humanum maleficium comperio, sed divinae virtutis potentiam. Nam et nervorum vincula sponte dissoluta sunt, et compedes confractae, et corii humiditas in solis ardore per totum diem non exaruit; et locus carceris obscurissimus, luce illustratus est; et virgae, quae in militum manibus erant asperrimae, inter verberandum, veluti

papyrus, effectae sunt molles. Quamobrem cum sinceritas in re, et justitia, et veritas appareat, quid reliquum est, nisi ut nos omnes ad hujus viri genua prostrati, veniam petamus eorum, quae inique in illum patravimus, precemurque, ut nos huic Deo conciliet, qui eos, a quibus colitur, in omni bello victores facit? Etenim quemadmodum nos vicit, sic omnes principes nostros et Imperatores superabit. »

§ **12**. His dictis, Claudius cum omnibus militibus ad sancti Chrysanthi genua procidit: « Vere, inquiens, cognovimus, Deum tuum esse verum Deum. Quamobrem oramus te, ut nos in ejus cognitione instituas, eique quovis modo concilies.» — « Si ad Dei cognitionem, inquit Chrysanthus, vultis pervenire, opus est, ut recte, non pedibus, sed animo, progrediamini. Sic enim unicuique nostrum propinquus est Deus, ut eum corde, fideque conquirimus. » Cumque multis verbis eos instituisset, credidit Claudius tribunus, et Hilaria uxor ipsius, et duo filii Jason et Maurus, et omnes amici cum tota familia. Crediderunt et milites cum omnibus domesticis suis: et uno omnes animo eodem die baptizati sunt, et in doctrina Chrysanthi permanebant, ejus de fide in Dominum nostrum Jesum Christum sermones libenter audientes: et omni cum timore et reverentia cupiebant pro Christi nomine pati. Cum igitur omnes in Dominum credidissent, res pervenit ad aures Numeriani Imperatoris, qui jussit Claudium tribunum, lapide collo ejus alligato, in medium mare projici, et de omnibus militibus haberi quaestionem, ut qui abnegare Christum recusarent, capite plecterentur. Caeterum tantam Deus gratiam credentibus largitus est, ut ambo Claudii filii, sine ulla quaestione Christum confiterentur, et pro nomine ejus libentissime mortem appeterent. Quorum exemplum imitati reliqui, uno omnes animo eàdem horâ martyrii gloriam adepti sunt.

§ **13**. Erat autem in eo loco, ubi interfecti sunt, vetus monumentum : in quo homines Christiani, cum illud expurgassent, nocte omnia sanctorum Martyrum corpora posuerunt, haud procul ab urbe, juxta viam, quae Mauri nuncupatur. Cum autem frequentius eum in locum ingrederetur Hilaria Claudii uxor, a quibusdam comprehensa est. Quae cum abstraheretur : « Sinite me, inquit, precationem meam absolvere, et veniam quocumque volueritis. » Cum igitur genibus flexis, expansisque manibus, oculos in coelum sustulisset : « Domine, inquit, Jesu Christe, quem ex toto corde confiteor, nunc me filiis meis adjunge, quos ex ventre meo ad tuam religionem advocasti. » Haec cum dixisset, tacitae precationi se dedit, atque inter precandum, spiritum reddidit. Qui autem illam comprehenderant, repentinam ipsius mortem commiserati, duabus cum ipsa ancillis ejus relictis, discesserunt. Illae vero diligenter sepelierunt ; et super ipsam parvum monumentum aedificarunt. Erat enim locus ipsius : et quia prope

ipsum Sancti positi fuerant, ex eo tempore illic sibi domicilium constituerat.

§ 14. At Numerianus Imperator jussit Chrysanthum in carcere profundissimo custodiri, ut simul cum Darìa variis cruciatibus afficeretur. Conjectus igitur est in carcerem Tullianum, profundissimum ac teterrimum, atque foedissimum *, nudus, et ferreis vinctus compedibus; Darìa vero in lupanar detrusa. Quibus vario tormentorum genere affectis, variâ Dominus gratiâ opitulatus est. Chrysantho enim odoris suavitatem et lumen attulit; Darìae vero leo, qui e stadio fugerat, auxilio fuit. Domum enim, ubi illa erat et supplex precabatur, ingressus, sese in medio extendit. Quod cives cum ignorarent, salacissimum quemdam juvenem ac flagitiosissimum miserunt. Sed cum esset ingressus, insiliit in eum leo, prostravitque, et pedibus conculcans, Christi virginem intentis oculis respiciebat, ut quid fieri vellet, imperaret. At, re cognita: « Adjuro te, inquit sancta Darìa, per Filium Dei, ut permittas illi audire sermonem meum.» Leo autem, ipso relicto, fores observabat, ne quispiam alius introiret.

§ 15. Tunc Darìa ad juvenem: « Ecce, inquit, leonis feritas, Christi nomine audito, Deum colit; tu autem homo ratione praeditus, tot in flagitiis sceleribusque versaris, infelix. Quorum enim pudère te oportebat, in iis te jactitas et gloriaris.» At ille prostratus ad pedes ejus, clamare coepit: « Jube, inquiens, me incolumem egredi, et ego omnibus praedicabo Christum, quem tu adoras, esse verum Deum, nec aliud esse Deum praeter ipsum. » Jussit igitur Darìa leoni, ut eum exire sineret. Cumque leo ab ostio recessisset, egressus est; et per totam urbem cursitabat magna voce: « Cognoscite, inquiens, omnes Romani, Darìam esse deam.» Cum autem audaces e stadio homines accessissent, ut leonem corriperent, divinâ virtute leo singulos humi dejecit, detinebatque eos ad pedes sanctae Darìae, nihil eis mali faciens. Dixit autem illis sancta Darìa: « Si in Christum credideritis, poteritis incolumes abire: sin minus, dei vestri liberent vos.» At illi unâ omnes voce clamarunt, dicentes: « Qui non credit Christum esse Deum vivum et verum, hinc ne discedat vivus. » Et cum haec dixissent, discesserunt clamantes: « Credite, populi Romanorum, non esse alium Deum, nisi Christum, quem Darìa praedicat. » Tum Celerinus Praetor jussit ignem ad fores domus, ubi Darìa cum leone erat, accendi. Igne autem viso, timuit leo, rugituque coepit signa doloris dare. At Darìa: « Ne timeas, inquit, neque enim comburèris, neque capièris unquam, aut occidèris, sed naturali morte interibis. Metu igitur deposito, egrèdere, et abi in pace: quoniam is, quem in me honorasti, liberabit te. » Cervice

* Hunc carcerem ita describit in *Catilinario* Sallustius: " Est locus in carcere, quo Tullianum appellatur, ubi paulum ascenderis ad laevam, circiter viginti pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus juncta, sed inculta tenebris et odore foeda atque terribilis ejus facies. „ Desuper, anno 1539, erecta fuit ecclesia in honorem S. Josephi.

igitur inclinatâ, discessit leo, et per mediam urbem incedens, neminem laesit. Qui autem ex ore ejus erepti fuerant, baptismum omnes susceperunt.

§ 16. Haec omnia Imperatori Numeriano nunciata sunt, qui Ponto praetori jussit, ut Chrysanthum et Dariam, nisi diis immolarent, variis tormentis excruciatos morte acerbissimâ afficeret. Cum igitur eos Praetor hortatus esset, ut immolarent, et multa ultro citroque dicta essent, jussit Chrysanthum in armamentario suspendi. Sed confractum est lignum, et vincula dissoluta sunt, et faces extinctae. Quicumque autem sanctam Dariam contingebant, manuum ipsorum nervi obstupebant, et magnis doloribus cruciabantur. Quod quidem Praetor intuitus timuit, et celeriter ad Imperatorem accurrens, quod factum erat nunciavit. Qui haec non virtuti divinae, sed magicis artibus attribuens, jussit eos extra Urbem abduci in via quae appellatur Salaria, effossa terra, vivos obrui. Illuc igitur sancti Chrysanthus et Daria perducti, cum in foveam canentes et precantes descendissent, congestâ terrâ atque lapidibus obruti sunt, et martyrio coronati, mortem simul ac sepulturam invenerunt: et quemadmodum in hac vita spiritu conjuges extiterant, sic unanimes ex ea discesserunt, et a Deo suscepti sunt sacrificium vivens, et meritis affecti praemiis immortalitatis.

§ 17. Porro cum Dei gratia multae virtutes et curationes eo in loco fierent, et solemnis martyrii ipsorum dies ab incredibili virorum et feminarum, et puerorum multitudine celebraretur in specu quodam propinquo, Numerianus, auditâ re, speluncae os atque aditum obstrui jussit *. Quod quidem celeriter factum est. Cumque undique terra demitteretur, omnes divinorum mysteriorum communionem suscipientes, martyrii coronam summo cum gaudio perceperunt: inter quos erat presbyter Diodorus, Marianus diaconus, et clerici, atque alii quamplurimi fideles, quorum nomina conquirere supervacaneum ducimus, cum reperiri nequeant. Haec autem omnia, ut gesta sunt, nos Varinus et Armenius fratres conscripsimus, jussu sanctissimi Papae Stephani, et in omnes civitates misimus, ut cuncti intelligerent, sanctos Martyres Chrysanthum et Dariam, a Domino martyrii praemium in coelesti regno percepisse: cui gloria et imperium, nunc et semper et in secula seculorum, Amen.

* Corpora SS. Chrysanthi et Dariae translata fuisse videntur ad monasterium Effliae, quod est in regno Borussiae, anno 844.

MARTYRIUM SS. MARCIANI ET MARTYRII

NOTARIORUM

AUCTORE SIM. METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

Passi sunt anno 351 — Graeci.

§ 1. Versabatur quidem jam quoque prius dogma Arianum in ditione Romanorum, et vastabat ejus partes, nec sinebat vulgus orthodoxos pure tueri Homousion. Sed nondum id malum tanta utebatur libertate, nec habebat tam multos, qui ei adhaererent. Cum autem jam venisset imperium ad Constantium, filium Magni Constantini, quem etiam ex rebus gestis Magnum vocarunt, invidiae pater, et bonis ab initio invidens inimicus, non valens persuadere Christianis, ut ea repellerent, quae erant Christianorum, per quosdam, qui fuerant indigne adepti dignitatem Sacerdotii, se Constantio insinuans, eum totum quantum inducit ad Arianismum. Hinc illud impium dogma Arianorum, tamquam arma aliqua, impositum potentiae Imperatoris, dilatabatur et augebatur, et quantamcumque regionem Romanorum tenebat imperium, per vim contendebat ad suam adducere opinionem. Id * igitur, qui Homousii tenebant opinionem, et quae sunt Christianorum, exercebant, ut Christianos decet, afficiebantur malis innumerabilibus, maxime cum Eusebius et Philippus (quorum alter quidem ornatus fuerat honore Praepositi, Philippus autem erat Praefectus praetorio), fuissent Constantio fomes amoris Arianorum. Isti ** et beatum Paulum expelli ab Ecclesia, et impium ejus loco introduci Macedonium volebant, et omnia faciebant, a quibus quidem verbis, a quibus autem factis, a quonam denique damno abstinentes adversus eos qui tuentur Homousion? Nam alios quidem effecerunt relinquere civitatem; alios autem damnarunt perpetuo, eoque injusto, exsilio; aliis vero procurarunt etiam a vita decessum. Hinc frontibus inscriptae turpes notae, tacitae fidem significantes Orthodoxam, et alia mala innumerabilia excogitata fuerunt adversus Christianos; etiamsi parva videbantur piis omnia propter Christum, et cum spe futurorum non conferenda. Hinc secundus *** quidem hic Paulus, qui cognomen habuit a confessione, expellitur a Sede Pontificatus. Illotis autem, ut dicitur, pedibus sacra profanantur.

§ 2. Horum ergo Constantii temporum opus est et Marcianus, et Martyrius: quibus patria quidem est urbs magna regia; educatio autem et eruditio, qualem vir pius habere optaverit. Mores,

* Legendum videtur: *Ob id.* ** Scilicet, Ariani.
*** Quo haec vox respiciat, facile non esset declarare.

benignitas et moderatio, est accuratum, quo illi cognoscuntur, indicium. Si autem oportet breviter et vere dicere, id erant inter caeteros virtute, quod esse imperio cognoscebatur eorum patria inter urbes. Nam quomodo ipsa omnibus aliis praesidet civitatibus, et eo quod regia et sit, et nominetur, primum habet honorem; eodem modo hi quoque in omnibus bonis obtinebant dominatum; nec erat praeclarum aliquid omnino, in quo non isti haberent primas. Apud divinum ergo Paulum, commorantes, cum scribae essent eorum, quae ab illo fiebant, et populo divinos libros legerent, tam vehementem in Christum amorem alebant, ut nihili ducentes insaniam Imperatoris, vehementi impetu contenderent adversus Christi hostes, nec omnino tolerandum putarent Dei verbum eo deducere, ut censeatur res creata: sed esse quidem cum Patre expertem principii, et ejusdem essentiae ostenderent, Arianorum autem profanas novitates ad nihilum redigerent.

§ **3**. Illorum ergo verbis, non secus ac telis, sauciati infelices, cum nec possent eis resistere, nec eos sustinere in disputatione, non secus ac ignem cinere, animo suo fraudem celantes, primum quidem blandis verborum illecebris eos aggrediuntur; deinde se etiam esse pecunias daturos stulti sunt polliciti illis, qui aegre ferebant, quod non animae statim auferrentur propter Christum. Ii ergo non illecti blanditiis, non victi pecuniis, sed pietatis et recti dogmatis volentes esse accurati custodes, contendebant ad bravium supernae vocationis, quod etiam solum ab eis desiderabatur, et quod omnino cupiebant assequi. Cum ergo et minae Arianorum, et adulationes, et bonorum omnium promissiones nihil haberent virium, et esse viderent inexpugnabilem Martyrum constantiam, eos condemnant morte, quam propter Christum desiderabant.

§ **4**. Cum autem jam pervenissent ad locum consummationis, tempus petunt ad orationem. Quod cum accepissent, oculos et manus simul tollunt in coelum, et dicunt: « Domine Deus, qui singulatim finxisti corda nostra, qui intelligis in omnia opera nostra, suscipe in pace animas tuorum famulorum. Quoniam propter te mortificamur et reputamur, tamquam oves occisionis; et gaudemus sic a vita praesenti discedere propter nomen tuum, et ad eam quae est apud te, pede alacri properamus. » Has cum preces fudissent ad Deum universorum, et *Amen* subjunxissent, gladio plagam accipiunt; et Marcianus ac Martyrius finem accipiunt martyricum vigesimoquinto mensis Octobris. Pretiosas autem eorum reliquias cum sustulissent quidam Orthodoxi et fideles, et praeclare composuissent, in psalmis et hymnis ad moenia civitatis honorifice deposuerunt in insigni tumulo; ubi etiam subierunt illam martyricam et beatam consummationem: ad gloriam Patris, et Filii, Sanctique Spiritus, nunc et semper et in secula seculorum, Amen.

DE IISDEM MARTYRIBUS

EX SOZOMENI ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIB. IV, CAP. II.

Eo tempore, quo Macedonius Episcopatu ecclesiae Constantinopolitanae abdicatus esset, malum in caedem prorupit. Nam cum alii nonnulli, tum Martyrius et Marcianus obtruncati sunt, quos, utpote Pauli convictores, a Macedonio fertur Praefecto traditos esse; et cum accusarentur tamquam auctores necis Hermogenis et seditionis contra eum conflatae, fortiter mortem oppetivisse. Quorum alter subdiaconus erat; alter, videlicet Marcianus, Cantor, et sanctarum Scripturarum Lector. Horum quidem insigne sepulcrum est, pro moenibus Constantinopolis extructum, et velut monimentum Martyrum, templo circumdatum: quod templum aedificare coepit quidem Joannes, Sisinius autem absolvit, perfecitque: qui duo postea Ecclesiae Constantinopolitanae fuere Antistites. Nam indignum censuerunt, eos honore martyrii carère, quos Deus ipse honore affecerat: quandoquidem locus, ad quem abducti, securi percussi sunt, cum ante inaccessus esset, a spectris purgatus est, inque eo homines daemoniis agitati morbo liberati, atque multa alia praeterea miracula ad eorum sepulcrum edita. Sed de Martyrio et Marciano haec hactenus. Quod si eadem cuiquam minime credibilia videantur, nullius pene negotii erit, ab illis qui ea ipsa explorare cognita habent, accuratius perdiscere, etenim istis multo sunt fortasse admirabiliora narraturi.

MARTYRIUM S. MINIATIS

MILITIS FLORENTINI

AB INCERTO QUIDEM AUCTORE, SED ERUDITE, MUTATO PRIORIS HISTORIAE, QUAE IN VETUSTIS MSS. LIBRIS EXTAT, STYLO CONSCRIPTUM.

Martyrio coronatus est anno probab. 250, Florentiae.

§ 1. Eo tempore, quo Romanum Imperium Decius * tenebat, saeva persecutionis tempestas passim Ecclesias Dei populata est; nec tamen conjuratorum in Christi arma militum charitatem aquae multae potuerunt extinguere, aut flumina obruere. Siquidem, spretâ tormentorum immanitate, fortia credentium pectora

* Decius imperatori Philippo successit medio octobri an. 249; periit, exeunte anno 251.

felici ubique cruore rubuerunt. Et Roma quidem, quae cunctis urbibus caput altius extulerat, generosius quoque ad martyrium plurimo cum milite processit. Illis sane diebus beatus Sixtus Pontifex * gloriosâ ob confessionem Domini passione occubuit; Laurentius vero Archidiaconus ejus, igne crematus, summum invictissimae fidei praebuit exemplum. Hoc sanguineo dirae mensae epulo tyrannus non exsaturatur; sed sicut tigris, hausto semel sanguine, pollutas non patitur mansuescere fauces, ardentius in necem Christicolarum, si quos ibi inveniret, ingreditur Florentiam. Quae civitas odoranti quadam tunc vernabat rosa: quo flore ob rubeum purpurantis Martyrum sanguinis colorem, in bello redimitur mater Ecclesia, sicut ob quietum confessionis candorem in pace habet lilia.

§ 2. Habitabat enim ibi miles electus, thoracem fide textum robusto gestans in pectore; qui in suburbio a ministris Decii comprehensus, conditionemque ac nomen interrogatus: « Christianae, inquit, professionis sum; Minias ** autem mihi nomen est inditum. » Itaque tam intrepida veri Dei cultus assertio magnum sciscitantibus furorem accendit, gaudentque scelerati satellites se invenisse, quem Imperatoris crudelitas oblectetur punire. Retractum igitur ex itinere, ac statutum pro tribunali, Decius vultu et voce minaci compellans: « Tu ne es, inquit, Minias, qui mente sinistrâ immortalium majestati deorum obtrectans, totam conturbas provinciam, Christianam nescio quam ineptam persuadens religionem? » Tunc ille: « Minias, inquit, ego sum, servus ac vinctus Jesu Christi, vivi ac veri omnipotentis Dei, qui te suae contemptorem disciplinae perpetuo destinabit incendio, nisi ab istorum discesseris cultura, quibus spiritu vitae vacuis, tu profanâ caecus dementiâ, preces fundis ac curvas genua. Etenim ea demum extrema est insania, adorare metalla et ligna, in quibus etsi artifex humanam expressit imaginem, rationis tamen sensum et divinitatis inspirare non potuit potentiam: quibus si honorem ac sacrificia voves, convenientius multo maxime est, ut eorum adores fabros, ne, his videlicet neglectis, non libeat numina formare quae, ut tu credis, te regnumque tuum sub continua pace et incolumitate possint tueri. »

§ 3. Tum tyrannus confusum se àutumans, si fixam adolescentiae et immobilem constantiam inexpugnatam relinquat, primo blandimentorum armis succinctus, superare eam aggreditur, sicque exorsus est: « Annos vividae juventutis tuae abrumpere horremus, florem speciositatis tuae poenis afficere indignum judicamus: sed deorum injuriae, quibus pertinaciter ac blasphemo ore oblòqueris, sacrilegum est non contraire. Consule ergo in medium, ut et in

* Scriptor noster hîc in errorem incidit, quum certum sit S. Xystum et S. Laurentium martyrii coronam adeptos fuisse, in persecutione Valeriani imperatoris.
** Italice, *Miniato*.

deorum videlicet, quibus universus subjectus est orbis, inclinèris culturam, et nobis invisa de te sumendi exempla non inducas necessitudinem. Perpende patrum nostrorum te plus vidisse prudentiam, nec frivolum esse potuisse, quod tam religiose ipsi celebraverunt. Si respicere volueris, divitiarum tibi affluentiam ac gloriae apponemus splendorem, omnique quam desiderat cor tuum, te perfrui donabimus laetitiâ. » — « Et quale, respondit Minias, tu gaudium praestabis qui in siti impietatis durans, terramque sanguine Sanctorum inebrians, aeterni miseriam luctus evadere non potes? » Tunc Decius efferâ corripitur irâ, praecipitque horribilem, cui devorandus objiciatur, adduci feram. Paretur ergo, immanisque adducitur pardus. Non cessit servus Christi terroribus, sed apprehendit scutum orationis, dicens: « Domine Deus, esto adjutor meus, et ne derelinquas me, Domine Deus salutis meae. » Vix verba finierat, et fera divino telo tacta expirat. Arguitur vir sanctus maleficiis haec effecisse; dicitur immundorum spirituum praesidio confisus, contra deos praesumpsisse. Sicque fidei et virtutis meritum foedae fit existimationis ac saevitiae argumentum, et quod incredulos ad fidem vocare, animosque a ferocitate debuit mitigare, errorem adauxit, rabiemque exacuit.

§ 4. Itaque fornax succendi jubetur, ut nisi diis credat et sacrificet, vir sanctus in eam protrudatur. Verumtamen Decius etiam tunc pollicetur, quod si sibi consenserit, nihil ab eo de his quae prima mortales putant, frustra petierit. Tunc sanctus Minias proclamat, opes perituras se nolle habere, adjiciens, ejus qui fecit coelum et terram, et omnia quae coeli ambitu continentur, fidem se tenere, et mercedem per omne genus tormentorum exspectare; asseritque se in tribulationibus non deserendum ab eo qui filios Israël de terra egressos Aegypti, sicco per mare Rubrum pede duxit, et Susannam de falso crimine absolvit, Danielemque de lacu leonum, ac tres pueros de medio eripuit ignium. Jam majori caminus, quam solebat, lignorum strue exaestuat, frequentesque Regis ministri Sanctum nudant, oleoque perunctum in ignem praecipitant. Angelus autem Domini cum eo ingreditur, et flammae tam fixa fide victae cedunt; nec eum humanum potuit attingere incendium qui divini fervoris gerebat signaculum. Et dixit ei Angelus: « Visitavit te Dominus, mittens me ad te, ut possis in tormentis non deficere; et ipse te hodie induet coronâ justitiae. » Procubuit illico Martyr Christi, hujusmodi dans preces: « Gratias tibi ago, Domine Jesu, qui per Angelum confortare voluisti me servum tuum. Per te, Domine, Ananias, Azarias, Misaël vaporem camini, septies quam solebat ardentis, non senserunt; tu medius inter eos ambulabas, faciens refrigerium. Et nunc, Domine, potes et me ab omni pressura liberare. » His dictis, signo sanctae Crucis se consignavit, omnisque ignis

sic excussus est, ut nec tepor quidem incendii remaneret; liberatusque miles Domini, tripudians egreditur.

§ 5. Dolet impius Imperator se vinci, jubetque multo horribiliorem adduci belluam, quae Sanctum deglutiens, finem imponat altercationi. Statim adducitur leo saevissimus, et paratur ad beati viri interitum: qui et ipse signo Crucis contra posito, extinctus est in ictu oculi. Igitur victor Minias liberâ proloquitur voce, se confisum in nomine Domini. feras et tormenta non timere. Augetur itaque saevientis Regis ira et furor, multiplicatur adversus Sanctum fremitus et terror: sed ille coelestia contemplans, immobilis columna perstat. Placet ergo crudeli tyranno suspendi eum et torqueri in eculeo, dicitque se experiri velle, num Deus, in quem credidit ille, se fortior sit, aut tandem de suis manibus ac poenis eum liberet, in quo confidit. Non veritus est haec Minias athleta fortis: quia recordatio priorum, et virtus Dei, qui mirabilis est in sanctis suis, pectus ejus roboravit. Adstrictus ergo patibulo, et quae fuerit ejus, quem praedicat, potentia, sic interrogatus disseruit: « Jesus, cujus servum me confiteor, caecos illuminavit, paralyticos curavit, claudos fecit ambulare, leprosos mundavit, daemonia ejecit, mortuos suscitavit, de fluxu sanguinis mulierem sanavit, ventis imperavit, super mare siccis pedibus ambulavit, de duobus piscibus et quinque panibus quinque hominum millia saturavit, et ut ad summam redeam, beneficia ejus nullus sensus sufficit explicare. »

§ 6. Non tulit ultra crudelis spectator gloriosum militem testimonium Christi tam libero ore praeconari: sed deposito de eculeo, ligneisque verubus praeacutis, sub ungues ejus infixis, omnes digitos ejus praecepit pertundi. Gaudet proeliator Domini in tanto cruciatu, sciens quod passiones hujus temporis condignae non sunt ad futuram gloriam. Facta est autem vox Angeli, dicentis ad eum: « Constans Minias esto; quia Dominus non derelinquet te in tentatione sine adjutorio. » Apposuit iterum novi minis supplicii constantem virum tyrannus territare: sed ille fidentissime protestatur, nunquam se minus timere, quia sciret maxime in tribulatione adesse Domini misericordiam. Invanum furibundus Imperator proclamat: « Nostra abeunt studia; nisi altiori juvemur ingenio, nos turpiter victos operiet confusio. In magica arte, qua Deus suus tormentorum hora eum instruit, haec operatur ludibria. Fervens autem plumbum auribus ejus infundite, ne vocem Dei sui maleficia docentis admittere possit. » Obediunt ministri, condolère se dicunt et còmpati ejus adolescentiae: monent et obtestantur, ut diis credens offerat sacrificia. Respondit Sanctus, detestabilem eam esse sectam, cujus observatoribus id tantum debeatur mercedis, ut sine fine pereant; et expansis manibus orabat: « Domine Deus, ne longe facias auxilium tuum a me. » — « Quid huic, ait Decius, adstrui potest pertinaciae?

Suspendite eum, et pedibus illius gravis molis lapidem alligate, ut vel sic diruptus, lacessere nos desinat. » Et ille, levatis ad coelum oculis: « Domine, ait, exaudi preces meas. » Visus est autem sibi adstare Angelus, vultum habens juvenis, et habitum tamquam ad bellum processurus; hortatur ad fiduciam quae deinde ferenda sint, levia promittens tentamenta.

§ 7. Nunciatur Regi, visum fuisse juvenem juxta eum in veste fulgenti, et micanti facie. Agunt eum in diversa pudor et ira: anxio pectore nova quaerit consilia. Praecipit itaque ferro acuto aures ejus perforari; tentat adhuc eum blandimentis flectere. Sed vir Domini nescius cedere, fidem Jesu extorquere sibi posse negat; Angelum Domini, qui id suaserit, adstitisse affirmat. Videt Decius, quod tormenta beatus Martyr non expavescat, rursusque coram positis thesauris, gemmis et pretiosis vestibus, emollire parat. Tum beatus Martyr Minias deos suos, utpote caecos, mutos, surdos se aspernari, divitias pro stercore deputare respondet; sublevatisque ad coelum oculis, dixit: « Sitivit in te, Domine, anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. » Jam corona martyrii dignum, jam dissolvi et esse cum Christo cupientem Christus exaudivit. Nam tandem capitalem jussus subire sententiam, de hujus vitae aerumnoso carcere feliciter octavo Calendas Novembris exivit, regnaturus perpetim cum eo, cui est honor, virtus et summa potestas in secula seculorum, Amen *.

MARTYRIUM

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI

EXTAT IN ANTIQUIS MSS. CODICIBUS, LAUR. SURIUS ET STYLUM MUTAVIT, ET NONNIHIL HISTORIAM CONTRAXIT, SALVA RERUM FIDE ET INTEGRITATE.

Passi sunt anno 285 vel sequenti — Romani.

§ 1. Sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus **, qui una animi impietate Christi Ecclesiam oppugnandam suscepere, beati viri Quintinus, Lucianus, Ruffinus, Valerius et Eugenius, Romae claris orti natalibus, in Gallias, Christum annunciaturi, sese contulerunt: felicique martyrio sancti laboris cursum consummantes,

* Sacras S. Miniati exuvias sibi vindicant in Italia, Florentini; in Gallia, Mettenses (*Metz*), acriter ob hoc inter se certantes.

** Diocletianus imperium consecutus est anno 284; Maximianus vero Caesar ab ipso fuit electus anno 284. — SS. Crispinus et Crispinianus autem martyrii coronam obtinuerunt ante universalem Diocletiani persecutionem.

ad Christum commigrarunt. Eos secuti pari fidei devotione et generis splendore Crispinus et Crispinianus, Suessiones * venerunt. Sed cum essent Christiani, ob persecutionis immanitatem, hospitii et humanitatis officia eis erant interdicta. Volentes autem ex Apostoli praescriptione labore manuum victum sibi parare, artem sutrinam, quod quieta sit, didicere, facileque Dei beneficio in ea sic caeteros antecelluere, ut multis et cari, et admirationi essent, maxime quod laboris sui nullum exigerent a quoquam pretium, licet artis elegantiâ pene omnes vincerent. Illexit ea res nonnullos, ut non tam artificii eorum necessitate vel operâ, quam verbi Dei audiendi studio invitati, ad eos crebro convenirent. Itaque factum est, ut Christi gratiâ per eos id efficiente, multi, relicto errore et cultu simulacrorum, Deum vivum et verum toto pectore colere et amare concupiscerent.

§ 2. Id ubi percepit impius Maximianus **, confestim Rictiovarum suae crudelitatis administrum, ad eos perquirendos misit. Is vero apud Suessiones reperit eos pauperum calceos consuentes, sciscitatusque est ex eis, quos deos colerent. Respondent illi, se unum eundemque verum Deum colere: Jovem, Apollinem, Mercurium, aliave id genus portenta se nec colere, nec adorare. » Itaque Rictiovarus catenis vinctos adducit ad Maximianum, qui eos ut edictorum imperialium contemptores ad se jubet introduci, aitque ad eos: « Genus vestrum religionemque edicite. » Respondent Sancti: « Romae non obscurâ familiâ orti, in Gallias pro Christi amore vènimus, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus, creator omnium regnans in secula seculorum. Cui servìmus in fide, promptâ animi devotione, cupimusque, cum spiritus hos reget artus, in ejus cultu et famulatu permanère. » His auditis, irâ permotus Maximianus: « Per deorum virtutem, inquit, si in hac stultitia permanseritis, multis vos tormentis excruciatos male perdam, et exempla in vos edam. Si vero diis sacrificaveritis, multis vos opibus auctos, magnis curabo honoribus affici. » Sancti martyres respondent: « Minis tuis non terrebis nos, quibus vivere Christus est, et mori lucrum. Opes vero tuas et honores, quos polliceris, praebeto tuis: nos ejusmodi jam olim, Christi causâ, contempsimus, et contempsisse laetamur. Tu quoque si nosses Christum et amares, non modo divitias et ipsum quoque imperium, sed vanos etiam daemonum cultus facile respueres, atque ab ejus benignitate vitam reciperes sempiternam. Quod si vero in hac vanitate perstiteris, cum malis daemonibus, quorum colis simulacra, in tartarum demergèris.» Maximianus dicit: « Sufficiat vobis hactenus multos vestris periisse maleficiis et malis artibus. » Respondent martyres: « Ignoras,

* Suessionis urbs, gallice *Soissons*, celeberrima utique et valde antiqua est. Ab Augusto dicta fuit *Augusta Suessionum*. Sedem habet episcopalem.
** Qui tum in Gallia commorabatur bellum agens cum *Bagaudis*.

miser, benignum Deum, qui te indignum permisit evehi ad imperium: cum tu illius immortale regnum in terris frustra coneris evertere. »

§ 3. Tum Maximianus furore accensus, tradit eos Rictiovaro, obtestaturque, ut dire eos excruciandos, teterrimâque morte perdendos curet. Mox crudelis immanis tyranni administer, jubet Sanctos viros ad trochleam extensos fustibus caedi. Illi vero animis coelestia contemplantes, Christi opem et auxilium implorant. Audiens Rictiovarus eos preces Christo offerentes, quos putabat prae doloris acerbitate ejulaturos, fert indignissime, mandatque sudes inter digitorum ungues et carnem defigi, ex pelle dorsi corrigias excindi. Parent satellites, acriter in digitos adigunt acutas sudes; Martyres inter horrendos cruciatus spe gaudentes, in tribulatione patientes, orant Dominum, ut ab homine iniquo et doloso ipsos liberet. Non cunctatur bonus Dominus; exiliunt e digitis sudes tanta vi, ut quosdam e ministris interfecisse, alios vulnerasse ferantur. At Rictiovarus prae furore insaniens, molares lapides praecipit ad Martyrum colla alligari, et in flumen eos Axonam * demergi, ut glacie crucientur. Martyres laeti et alacres, divinae virtutis scuto protecti, creaturâ serviente suo Creatori, nec aquis merguntur, nec saxis premuntur, nec frigore constringuntur: immo potius ceu aestivis quibus lavacris recreati, abjecto molari pondere, ad ulteriorem fluminis ripam incolumes ènatant.

§ 4. Eo conspecto miraculo Rictiovarus a malo daemone irâ inflammatus, jubet eis vincula injici, vinctosque custodiri, donec plumbum colliquescat. Eo liquefacto, Martyres jubet in illud deponi. Sed nihil laedit ignis, quos Christi invictâ servabat dexterâ. Orant in medio plumbo sancti Martyres, et tres pueros in camino Chaldaico Dominum laudantes, imitantur, cantantesque dicunt: *Adjuva nos, Deus, salutaris noster, et propter honorem nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum: ne forte dicant gentes: Ubi est Deus eorum?* (*Psal.* 78). Sub his precibus exilit gutta ferventis plumbi in oculum Rictiovari, et magno dolore excruciatum occaecat. At miser ille furore pèrcitus, cum deberet corporis et animi expetere medicinam, picem, adipem et oleum commixtim jubet fervefieri, et Martyres in ea praecitari. Ocyus fit quod jubetur, sed beati Viri immotâ animi spe alacres, fidenter ajunt ad Dominum: « Potes Domine liberare nos ab his impii Rictiovari cruciamentis. Itaque sicut voluisti nos pati pro confessione sancti nominis tui, ita ad ignominiam diaboli et satellitum ejus, ab his poenis illaesos nos educere digneris » His dictis, mox adest sanctus Angelus, et sine dolore extrahit eos ab igne.

* Gallice, *Aisne*.

§ 5. Cernens impius Rictiovarus se nihil suis efficere suppliciis, furibundus in ignem sese praecipitat, et tali morte abit e vita, justo quidem Dei judicio: ut qui multos Christi martyres, ad coelestia regna properantes, ignibus excruciatos interemerat, ipse ad aeterni ignis flammas inextinguibiles, igne extinctus, proficisceretur. Id conspicati victores Martyres, piis animis Deum orant, ut ipsos de certaminis conflictatione ereptos, jubeat propitius ad se pervenire. Eadem autem nocte revelatur eis divinitus, illucescente die percepturos eos laborum et confessionis suae praemium. Visionem veram fuisse, rei mox declaravit eventus. Maximianus enim ubi didicit, quid Rictiovaro suo accidisset, sanctos Martyres praecepit capite puniri. Illi sub ipso mortis articulo gratias agunt Deo, quod a seculo ereptos, ad se ipsos jubeat pervenire; sicque capite caesi, octavo calendas Novembris decedunt e vita *.

§ 6. Corpora eorum relicta sunt canibus et avibus devoranda, sed Christo ea custodiente, nihil mali passa sunt. Eadem autem nocte, ut ferunt, senex quidam pauper, cui erat soror grandaeva, ab Angelo admonetur, ut sanctorum Martyrum corpora colligat, diligenti cura sepulturae mandanda. Surgit senex nihil haesitans, abit cum vetula sorore sua ad locum martyrii; et quia apud Axonam fluvium Martyres perempti erant, facile poterant eorum corpora navigio perduci ad eorum domicilium. Sed quid facerent rebus inopes, viribus imbecilli, quibus nec cymba aderat, nec navigandi industria, nec facultas virium, quâ possent contra tractum fluminis ea ad se adducere? Ubi tandem noctu ad sacra pervenere corpora, prorsus intacta, ecce naviculam conspiciunt in litore, moxque multa concepta fiducia singuli singula tollunt, et tam inoffenso gradiuntur pede, ut videri possint non ferre onera, sed ferri ab oneribus; imponunt naviculae corpora, eunt sursum contra impetum fluminis, et quidem celeriter, nullo neque gubernatore, neque rèmige freti: postquam ad suum venere tugurium, clam illic ea cum multo gaudio sepeliunt. Nemo ambigit hanc virtutem senibus a Christo suppeditatam in gloriam Martyrum suorum, qui ejus causâ libenter mortem pertulere in hoc mundo, quosque ille servandos futuris fidelibus populis in patrocinium, senum illorum ministerio paululum occultare voluit: mox, cessante, ipsius jussu, persecutionis tempestate, eos revelaturus, sicut et fecit.

§ 7. Senes enim illi thesaurum hunc, quem impiis absconderant, fidelibus cum ingenti devotione prodiderunt, dicentes Crispini et Crispiniani Martyrum corpora se habere recondita in tugurio suo. Mox vero, eâ re cognitâ, fidelis populus piae

* Passi dicuntur cum SS. Crispino et Crispiniano alii quinque ab ipsis ad Fidem conversi, scilicet: Claudianus, Papirius, Mercurius, Carisius et Rogatianus. Nemo autem ignorat SS. Crispinum et Crispinianum in artis sutoriae opificum patronos assumptos fuisse.

devotionis affectu confluere coepit ad senum domicilium, quod ex ea frequentia in oratorium versum videbatur, ipsâ quoque Regis aulâ vel palatio honoratius. Porro autem communicato inter se consilio, Clerus et populus sacra corpora inde transferre statuunt. Magno igitur populi coetu collecto, honorifice feretro imposita, cum ingenti exultatione psallentes, ad sepulcra jamdudum praeparata navigio perducunt. Ut autem devotae plebis firmaretur fides, et augeretur exultatio, ubi litus attigit navis, quae sancta ferebat corpora, oblatus est puer caecus, surdus, mutus et claudus : qui cum tactus esset fideliter opertorio feretri, illico totus sanatus est, junctusque collegio fidelium, laudabat Deum, sanus ingrediens pedibus suis. Deinde condita sunt Martyrum corpora in duobus tumulis: quo in loco postea Christiani magnam aedificarunt ecclesiam : in qua Christus Dominus, et Deus Dei Filius suorum Martyrum precibus vota suscipit supplicum, salutemque largitur infirmis: Cui est honor, imperium, gloria indeficiens cum summo Patre ac Sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

DE SS. ROGATIANO ET FELICISSIMO

ALIISQUE MARTYRIBUS

EPISTOLA LXXXI BEATI CYPRIANI EPISCOPI ET MARTYRIS; SECUNDUM ALIOS, LIB. IV, EPIST. I.

Seculo III claruere — Carthaginenses.

§ 1. Saluto vos , fratres carissimi , optans ipse quoque conspectu vestro frui, si me ad vos pervenire loci conditio permitteret. Quid enim mihi optatius et laetius posset accidere, quam nunc vobis inhaerere, ut complecterer manus illas, quae purae et innocentes, et Dominicam fidem servantes, sacrilega obsequia respuerunt? Quid jucundius et sublimius, quam osculari nunc ora vestra, quae gloriosâ voce Dominum confessa sunt; conspici etiam praesentem ab oculis vestris, qui despecto seculo, conspiciendo Deo digni extiterunt? Sed quoniam huic laetitiae interesse facultas non datur, has pro me ad aures et ad oculos vestros vicarias litteras mitto, quibus gratulor pariter et exhortor, ut in confessione coelestis gloriae fortes et stabiles perseveretis: et ingressi viam Dominicae dignationis, ad accipiendam coronam spiritali virtute pergatis, habentes Dominum protectorem et ducem, qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem mundi* (*Matth.* XXVIII).

§ 2. O beatum carcerem, quem illustravit vestra praesentia! O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad coelum! O tenebras lucidiores sole ipso, et luce hac mundi clariores, ubi modo constituta sunt Dei templa, et sanctificata divinis confessionibus membra vestra! Nec quicquam nunc versetur in cordibus et mentibus vestris, quam divina praecepta et mandata coelestia, quibus vos ad tolerantiam passionis Spiritus Sanctus semper animavit. Nemo mortem cogitet, sed immortalitatem; nec temporariam poenam, sed gloriam sempiternam, cum scriptum sit: *Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum ejus* (*Ps.* 115); et iterum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (*Ps.* 50); et iterum ubi loquitur Scriptura divina de tormentis, quae martyres Dei consecrant, et ipsa passionis probatione sanctificant: *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, et tamquam scintillae in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit illorum Dominus in perpetuum* (*Sap.* III).

§ 3. Quando ergo judicaturos vos et regnaturos cum Christo Domino cogitatis, exultetis necesse est, et futurorum gaudio praesentia supplicia calcetis: scientes ab initio mundi sic institutum, ut laboret isthic in seculari conflictatione justitia, quando in origine statim prima Abel justus occiditur, et exinde justi quique, et prophetae, et Apostoli missi. Quibus omnibus Dominus quoque in seipso constituit exemplum, docens ad suum regnum non nisi eos qui se per viam suam secuti sint, pervenire, dicens: *Qui amat animam suam in isto seculo, perdet illam: et qui odit animam suam in isto seculo, in vitam aeternam conservabit illam* (*Joan.* XII); et iterum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest et animam et corpus occidere in gehennam* (*Matth.* X). Paulus etiam nos adhortatur, ut qui ad Domini promissa venire cupimus, imitari Dominum in omnibus debeamus. *Sumus*, inquit, *filii Dei: si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si quidem compatiamur, ut commagnificemur* (*Rom.* VIII). Addit etiam comparationem praesentis temporis et futurae claritatis, dicens: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram claritatem, quae revelabitur in nobis* (*Ibid.*). Cujus claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes et persecutiones tolerare nos convenit: quia etsi sunt multae pressurae justorum, ex omnibus tamen liberantur, qui in Deum fidunt.

§ 4. Beatas etiam feminas, quae vobiscum sunt in eadem confessionis gloria constitutae, quae Dominicam fidem tenentes, et

sexu suo fortiores, non solum ipsae ad coronam proximae sunt, sed et caeteris quoque feminis exemplum de sua constantia praebuerunt. Ac ne quid deesset ad gloriam numeri vestri, ut omnis vobiscum et sexus, et aetas esset in honore, pueros etiam vobis gloriosa confessione sociavit divina dignatio: repraesentans nobis tale aliquid, quale Ananias, Azarias et Misaël illustres pueri aliquando fecerunt: quibus inclusis in caminum cesserunt ignes, et refrigerii locum flammae dederunt, praesente cum illis Domino et probante, quod in confessores et martyres ejus nihil posset gehennae ardor operari: sed quod qui in Deum crederent, incolumes semper et tuti in omnibus perseverarent. Et consideretis diligentius, peto, pro vestra religione, quae apud illos pueros fides fuerit, quae promereri Dominum plenius potuit: ad omnia enim parati, sicut omnes esse debemus, ajunt Regi: *Nabuchodonosor Rex, non opus est nobis, de hoc verbo respondere tibi: est enim Deus, cui nos servimus, potens eripere nos de camino ignis, et manibus tuis, Rex, liberabit nos; et si non, notum tibi sit, quoniam diis tuis non servimus, et imaginem auream, quam statuisti, non adoramus* (*Dan*. III).

§ 5. Cum se crederent, et pro fide sua scirent posse etiam de praesenti supplicio liberari, jactare hoc tamen et vendicare sibi noluerunt, dicentes, Et si non: ne minor esset confessionis virtus sine testimonio passionis: Addiderunt, posse omnia Deum facere, sed tamen non in hoc fidere, ut liberari in praesentia vellent, sed illam libertatis et securitatis aeternae gloriam cogitarent. Quam fidem nos quoque retinentes, et die ac nocte meditantes, toto corde ad Deum prompti, contemptu praesentium futura tantummodo cogitemus, fructum regni aeterni, complexum et osculum Domini, conspectum Dei: ut sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum, gloriosum senem, viam vobis ad gloriam temporis nostri religiosa virtute et divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro, quieto semper et sobrio, excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere praeparavit, et metator quodam modo vester, nunc quoque vos antecedit. Quod ut consummetur in vobis, assiduis orationibus Dominum deprecamur, ut initiis ad summa pergentibus, quos confiteri fecit, faciat et coronari. Opto vos, fratres carissimi ac beatissimi, in Domino semper bene valere, et ad coronam coelestis gloriae pervenire.

VITA S. FRUMENTI INDORUM EPISC.

EX RUFFINI HISTORIA ECCLES. LIB. I, CAP. IX.

Seculo IV floruit.

§ 1. In divisione orbis terrae, quae ad praedicandum verbum Dei sorte per Apostolos celebrata est, cum aliae aliis provinciae obvenissent, Thomae Parthia et Matthaeo Aethiopia, eisque adhaerens citerior India * Bartholomaeo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque Media, sed longo interior tractu India ulterior jacet, multis variisque linguis et gentibus habitata; quam velut longe remotam nullus Apostolicae praedicationis vomeri impresserat: quae tamen temporibus Constantini tali quadam ex causa semina fidei prima suscepit.

§ 2. Metrodorus quidam Philosophus inspiciendorum locorum et orbis perscrutandi gratiâ, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo etiam invitatus Meropius quidam Tyrus Philosophus, simili ex causa, Indiam adire ** voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus litteris, utpote propinquos, instruebat. Quorum unus, qui erat junior, Aedesius, alter Frumentius vocabatur. Igitur pervisis et in notitiam captis his quibus animus pascebatur, cum philosophus redire coepisset, aqua vel caeterorum necessariorum causa ad portum quemdam navis, qua vehebatur, applicuit. Moris est inibi barbarorum, ut si quando foedus sibi cum Romanis turbatum vicinae nuntiaverint gentes, omnes qui apud eos ex Romanis inventi fuerint, jugulentur. Invaditur navis philosophi, cuncti cum ipso pariter perimuntur. Pueruli reperti sub arbore meditantes, et lectiones suas parantes, barbarorum miseratione servati ducuntur ad Regem. Horum ille alterum, idest Aedesium, sibi pincernam fecit; Frumento vero, quem quasi perspicacem deprehenderat et prudentem, rationes suas scriniaque commisit: ex quo et in honore magno apud Regem habiti et amore.

§ 3. At vero moriens Rex, uxorem cum parvulo regni dereliquit haeredem: adolescentibus autem, quid vellent agendi dedit liberam facultatem. Quos tamen Regina suppliciter exorat, tamquam quae nihil haberet in toto regno fidelius, ut secum, usquequo adolesceret filius, regendi regni sollicitudine partirentur, et praecipue Frumentium, cujus prudentia ad moderandum sufficeret regnum: nam alius fidem puram et sobriam mentem

* Sub Indiae nomen, in Ruffino aliisque veteribus scriptoribus, venit et Aethiopia, seu *Abyssinia*.
** Meropius hoc iter suscepisse videtur anno 316. Consule *Pagi*.

simpliciter exhibebat. Idque dum agerent, et regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem ejus et animo instigante, requirere sollicitus coepit, si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent, et ipsis potestatem maximam dare ac monere, ut conventicula per loca singula facerent, ad quae, Romano ritu, orationis causâ confluerent: sed et ipse multo magis èadem facere, et ita caeteros cohortari, favore et beneficiis invitare, praestare quidquid opportunum fuisset, loca aedificiis, aliaque necessaria praebere, et omnino gestire, ut Christianorum ibi semen exsurgeret.

§ 4. Sed cum regius puer adolevisset, qui procurationem regni gerebant, expletis omnibus, et ex fide traditis, multum licet detinentibus et rogantibus ut manerent, Reginâ vel filio, ad urbem tamen nostram revertuntur. Et Aedesio festinante Tyrum, parentes propinquosque revisere; Frumentius Alexandriam pergit dicens, aequum non esse, opus occultare Dominicum. Igitur rem omnem, ut gesta est, exponit Episcopo, ac monet ut provideat virum aliquem dignum, quem, congregatis jam plurimis Christianis, et ecclesiis constructis in barbarico loco, Episcopum mittat. Tum vero Athanasius * (nam is nuper sacerdotium susceperat) attentius et propensius Frumentii dicta gestaque considerans in concilio sacerdotum, ait: « Et quem alium inveniemus virum talem, in quo sit Spiritus Dei, sicut in te, qui haec possit implere? » Et tradito ei sacerdotio, redire eum cum Domini gratia, unde venerat, jubet. Qui cum Episcopus perrexisset ad Indiam, tanta ei data esse a Deo virtutum gratia dicitur, ut signa per eum Apostolica fierent, et infinitus numerus barbarorum converterentur ad fidem. Ex quo Indiae partibus et populi Christianorum et Ecclesiae factae sunt, et sacerdotium coepit. Quae nos ita gesta, non opinione vulgi, sed ipso Aedesio Tyri presbytero postmodum facto, qui Frumentii comes prius fuerat, referente, cognovimus.

Hucusque Ruffinus: his addit Petrus de Natalibus lib. 9, cap. 113 in *Vita Frumentii*, eum plenum sanctitate in pace quievisse sexto Kal. Novembris, et gloriose sepultum in regia civitate **.

* Magni S. Athanasii Vitam lege in *Surio*, Vol. V, pag. 37 etc.
** Quae erat *Auxuma* seu *Aksum*. Vide superius in S. Arethae Martyris Vita.

BEATI PETRI DAMIANI

SERMO HISTORICUS

IN FESTIVITATE S. FIDELIS MARTYRIS *

Passus est sec. IV — Italus.

§ 1. Nostis, fratres carissimi, quia idcirco ad audiendas Martyrum Christi victorias frequenter ex institutione Ecclesiastica convenimus, ut dum eorum gestis instruimur, ad amorem coelestis patriae, quam viriliter decertantes adepti sunt, ferventius accendamur: dumque illos audimus edicta Regum, minas principum, tribunalia judicum contemnentes, tot suppliciorum genera percurrisse, pudeat ingenuos fidelium animos saltem carnis suae vitiis non obsistere. Pudendum namque est, sic bellatorum Christi spectare victorias, ut dum alios triumphalibus titulis insignitos, spolia ex hostibus reportare conspicimus, ipsi in pace domestica surrepentibus vitiis, velut insidiantibus adversariis enerviter succumbamus. Porro autem beati martyres, et antequam in certamine sanguinem funderent, diversis floruere virtutibus. Nobis autem, quia pro defensione fidei mori non possumus, consummata victoria est, si in sanctarum conversatione virtutum vivere studeamus, ut inde nos protinus transferamur ad regnum, unde illi meruere martyrium. Ex vitae quippe meritis,

* De S. Fidele M. haec, quae sequuntur, in Libro SS. PP. Ecclesiae Novocomensis, sub die XXIX octobris, habentur: " Cum Diocletianus Imperator, odio, quod habebat, in Christum Dominum, perdere et penitus abolere nomen Christianum decrevisset, communicatâ imperii administratione Maximiano, qui eadem insaniâ tenebatur, Nicomediam se còntulit, ibique omnium superiorum principum, crudelitatem in Christianarum persecutione longe superavit. Quem animi furorem aemulatus Maximianus, ipse Mediolani Christianis se hostem infestissimum exhibuit. Hac enim temporum calamitate Fidelis, Maximiano ob generis claritatem et corporis robur atque animi virtutem, inter viros militares valde carus a beato Materno Mediolanensi Episcopo baptizatus est. Fidelis itaque, et suâ sponte, et sancti Materni suasionibus incitatus, Christianos, qui in vinculis erant, frequens invisebat, sumptum suppeditabat, et omnia pietatis Christianae officia eis exhibebat: nihilque magis exoptabat, quam ut eos in libertatem assereret. Communicato itaque cum sanctis Carpophoro et Exanto consilio, sanctos Christi martyres Cassium, et socios, qui in vinculis tenebantur, e carceribus eduxit. Et ut illius tyranni persecutionum tempestates, quae in dies vehementius excitabantur, declinaret, Comum se cum illis contulit, ubi aliquandiu orationibus et jejuniis vacantes, vitam extra hominum frequentiam simul duxerunt. Audiens postea Fidelis Maximianum, cognitâ eorum fugâ, vehementius exacerbatum satellites ad eos insequendos, et interficiendos misisse, vale dicens sociis, conscensâ naviculâ, Summolocanum vicum in extrema Larii ad septentrionem ora contendit. Quo in loco a persecutoribus comprehensus tentatur, ut Deos veneratus ad Imperatorem rediret, propositis ei honoribus, et gratiâ, quam inde maximam esset consecuturus; quod si renueret facere, se habere in mandatis, ut eum quovis tormentorum genere discruciatum necarent. Verum Fidelis in fidei constantia roboratus, cum nec promissis, nec minis, aut terroribus commoveretur, nec ullâ ratione ei persuadèri posset, ut idolorum sacra suscipiens Christum negaret, primo fustibus debilitatur, tum acriter multis aliis torquetur tormentis, et demum in Christi confessione persistens, datis libenter cervicibus, securi percutitur. Ejus sacrum corpus, quod ibi sepultum in obscuro, et ignobili loco jacebat, post multa temporum curricula cuidam sanctae mulieri divinitus admonitae manifestatum, Ubaldus Episcopus Comensis plurimo inde comitatu Comum detulit ad Ecclesiam sanctae Euphemiae, ibique summâ laetitiae significatione, in marmoreo tumulo, maximâ celebritate, reposuit ad majus Altare templi, quod ex immutato honoris Sancti causâ titulo, S. Fidelis nomine nuncupatur. "

quibus illi obtinere meruerunt sui certaminis palmam, inde nos absque ullo persecutionis obstaculo perducimur ad coronam. Aliud igitur in sanctis Martyribus solummodo venerari et admirari debemus, aliud etiam imitari. Admiremur scilicet constanter et ingenue morientes: imitemur honesta morum conversatione viventes. Veneremur in illis, quod corpus suum pro fide diversis tradidere suppliciis: imitemur autem, quod carnem suam ante crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Admiremur illos viriliter morientes, ne vitam ipsi negarent: sed et imitemur per charitatis zelum sanctis exhortationibus insistentes, ut ad vitam et alios traherent. Et ut breviori quod gestio sermone concludam, tunc memoria Martyrum digne recolitur, si dum mors eorum ingerit audita miraculum, praecedens etiam vita ducitur in exemplum.

§ 2. Ecce beatus martyr iste Fidelis, cujus hodie festivitatem colimus, sicut gestorum ejus testatur historia, et antequam martyrii praeberetur occasio, vitam martyrio dignam duxisse cognoscitur. Nam cum claris natalium titulis fulgeret, et arridente rerum copiâ, viam mundi posset non ingloriosus arripere, spreto magnarum quorumlibet patrocinio, religioso devotus Episcopo maluit adhaerere, ut se patenter ostenderet non ad gratiam vel divitias anhelare potentis, sed benedictionem potius eligere sacerdotis. Cum quo videlicet non ad litigiorum forensium jurgia, non ad praestigiosa figmenta scenarum, non ad theatralia dignum duxit commeare spectacula, sed Martyrum potius carceres visitabat. Et quia devotus Martyribus fuit, quandoque martyr fieri et ipse promeruit. Sic et olim dispensator ille domus regiae Abdias, quia Prophetas centum in specubus absconditus pavit, prophetalem gratiam et ipse postmodum digne remuneratus accepit *. Et qui tunc pane simul et aqua Prophetarum aluit piae sedulitatis ministerio turbam, nunc Prophetiae suae oraculis, coelestibus videlicet alimentis, universam recreat et pascit Ecclesiam. Sic Josue, qui Moysi, ductori videlicet Israëliticae plebis, obsequium famulatus impendit, eidem postmodum plebi et laudabiliter praefuit, et de ejus adversariis cum magna gloria triumphavit **. Quid Eliseum referam, qui dum ab Elia separari nec ad momentum patitur, ejus subinde spiritum duplicem promeretur ***? ac si jam tunc Dominus illud Evangelicum intonaret: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet* (*Matth.* x).

§ 3. Enimvero nec solum sanctis Martyribus beatus iste Fidelis officium piae humilitatis exhibuit, sed diligentiam suam ad lucrandos etiam eos, qui idolorum erroribus tenebantur, extendit. Et sicut ipse propriis videtur verbis asserere, dum in

* In III. Reg. XVIII. ** In Josue I.
*** In IV. Reg. II.

seculari militia versaretur, magis divino parebat imperio, quam terreno, adeo ut nonnullos a profana idololatriae cultura compesceret, et ad veri Dei notitiam salutiferis admonitionibus advocaret. Militaribus quidem castris intererat, sed coelestis militiae signa gerebat. Armatus denique videbatur cum eis admisceri, sed pro coelestibus castris sociare sibi alienae professionis milites satagebat. Quibus nimirum non terrenae militiae balteum, non temporalis stipendii donativum, sed coelestis promittebat curiae municipium. Sub terrenae itaque militiae chlamyde pro castris coelestibus stabat, ut de terrena trànsfugas faceret, quibus numerum militiae coelestis augeret. Huic et David simile quid fecisse cognovimus, videlicet cum apud Achis Regem Geth, Saulem fugiens moraretur *. Opulenta nimirum spolia de his saepe regionibus auferebat, quibus praedictus Achis imperabat: et, ut ait Scriptura, percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem, tollensque oves, et boves, et asinos, et camelos, et vestes, revertebatur, et veniebat ad Achis. Quem cum interrogaret Achis: In quem irruisti hodie? fatebatur ille se contra meridiem Juda, vel contra regiones Israël insiluisse. David itaque alienigenae Regi quasi devotum se, urgente necessitate praebuerat, sed ex profano ejus populo strages plurima coacervabat: beatus vero Fidelis sub secularis professione militiae in procinctu castrorum coelestium desudabat. Propterea mundo, immo principi hujus mundi, cui specietenus servire videbatur, illudens, sequaces quosque satagebat abstrahere, potiorisque militiae coetibus aggregare.

§ 4. Ille igitur ferro nationes barbaricas obtruncabat; iste gladio spiritus, quod est verbum Dei, a carnali vita, inconditi et revera barbarici ritus homines occidebat. Ille diversorum turmas animalium rapuit; hic brutos homines ad Ecclesiae stabulum, et capessendae rationis pabulum vitale perduxit. Ille quaesitus Dei se populo testabatur extitisse contrarium; iste etiam parti fidelium quodam modo se perhibebat obsistere, dum secularem militiam videretur cum infidelibus bajulare. Militari namque professione hoc superficietenus videbatur asserere, quod haereditatem Dei, cujus ipse par erat, diversis moribus, velut quibusdam gladiis, oppugnaret. Sic nimirum, sic sancta fraus liberius procedebat, dum is, cui suspicio deerat, acquirendis Christo fidelibus insistebat. Videmus igitur quia beatus Fidelis ad coronam martyrii, merito praecedente, pervenit, qui lucrandis animabus verae charitatis studio et ante martyrium desudavit. Quasi enim bona terra et ferax prius germen sancti operis protulit, et sic deinde triumphalis gloriae lumen excepit. Hinc est enim quod in hujus mundi primordio prius terra germinare praecipitur, sequenti vero die luminaria in coelo fiunt: quia necesse est nos primo sanctae

* In I. Reg. XXVII.

operationis vitales fructus afferre, ut ad contemplandum summae veritatis lumen valeamus postmodum pervenire. Domum nempe suam supra firmam petram in pace fundaverat, unde postmodum venti minarum furerent, dum diversi suppliciorum fluctus impingerent, immobilis permanebat: et tamquam radix egregii trunci robur prius in occulto conceperat, quo fulta postmodum adulta seges auris impellentibus non cadebat. In pace igitur ex bona operatione promeruit, quod invictus in persecutionis stadio et imperterritus stetit. Elaboravit in otio, quod superavit in bello. Intra pacis moenia conquisivit, quod in campo victor obtinuit.

§ 5. Inter caetera autem meritorum ejus insignia, illud quantae gloriae est, quod beatus hic et invictissimus martyr, mox ut capite caesus est, turbida tempestas et nimia coruscatio dicitur emersisse? Hoc siquidem divinae fuit aequitatis indicium, ut per hoc manifeste claresceret, quod qui Martyrem suum recipiebat in gloria, tortores ejus digne terrebant in ira. Ad terrificandum itaque reprobos coruscatio et tempestas erupit, quibus videlicet comitantibus supernus arbiter ad judicium venit, sicut per Prophetam dicitur: *Ignis ante eum praeibit*, *et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* 49). Porro in morte Domini elementa turbata leguntur. Quantae ergo dignitatis est, quamque nobilis insigne triumphi, adinstar Dominicae mortis, etiam in decollatione martyris elementa fuisse commota? Ut ex aliqua parte mortis ejus moriendo teneret formam, cujus imitatus est vivendo doctrinam.

§ 6. Illud etiam parvipendendum non est, quod quidam ex persecutoribus a daemonio perhibetur arreptus, qui nimirum cum promitteret sepulturae se corpus Martyris cum magna reverentia traditurum, si eo interveniente mereretur a daemonio liberari, mox ut cadaver martyris tetigit, daemon abscessit. In hoc etiam ejusdem nostri Redemptoris perspicue videtur exemplum. Siquidem ex ipsis persecutoribus Domini quicumque mysterium sacrosancti corporis ejus attingere meruerunt, a daemonum jugo soluti sunt, ipso redempti sanguine, quem fuderant. Atque ut in martyrio suo servus passionem Domini sui videatur quasi pedisequus imitari, dum carnifices principi suo miracula, quae per beatum Martyrem ostensa fuerant, nunciarent, cuiquam talia referre omnino prohibuit, perpetuoque celari territus imperavit. Quis enim hoc audiens, non illud protinus ad memoriam revocet, quod principes sacerdotum dixere custodibus: *Dicite*, inquiunt, *quia discipuli ejus nocte venerunt*, *et furati sunt eum*, *vobis dormientibus: et si auditum fuerit a Praeside*, *nos suadebimus ei*, *et securos vos faciemus* (*Matth.* XXVIII). Isti quidem docuere custodes, ut mendacium fingerent: ille praecepit officialibus, ut veritatem silentio supprimerent. Utrique nimirum veritatis sunt

inimici, dum aut commenta fallaciae nequiter fabricant, aut veritatem silentio malignitatis occultant.

§ 7. Nos autem, fratres carissimi, qui tam egregii constantiam proeliatoris audivimus, qui tantae virtutis insignia tamquam posita sub oculis intuemur, et ipsi virtutes habere cum Dei omnipotentis auxilio studeamus. Pudeat sub ignaviae torpore languescere, qui alios cernimus cum tanta ad coelum gloria pervenire. Incalescat mens nostra ad agonem certaminis: et si non timet audacter cum hoste confligere, non dubitet duce Christo facilem sibi victoriam provenire. Et quidem nobis minor est labor, cum tamen commune sit praemium. Quis enim nesciat incomparabiliter esse difficilius, gladio cervicem subdere, quam gulae illecebras cohibere? Quis non malit aestuare laboribus, vel nuditate frigescere, quam flammarum furentium incendia sustinere? Quis non levius censeat esurire et sitire, quam radi ungulis, vel bestiarum morsibus tradi? An non periculosius est, in publico minantia frementium Regum mandata contemnere, quam latenter in mente pravis cogitationibus contraire? semetipsum morti ultroneum tradere, quam voluntates proprias, et carnis desideria refrenare? Cum itaque minus laborando ad eamdem beatitudinem tendimus, cur decertantes in stadio imitari negligimus ut consortes in patria victoribus existere valeamus? Pugnemus igitur, fratres mei, et infestantium nos vitiorum illecebras amputare curemus: non enim possumus hic gaudere de seculo, et illic regnare cum Christo. Et quidem beatos Martyres cum membris diaboli dimicasse cognoscimus: nos autem cum ipso iniquorum capite infoederabilis pugnae luctamen habemus. Illi vicerunt eum per membra sua immaniter saevientem: nos superare praecipimur sub insidiarum fraudibus latitantem. Utroque modo triumphum de illo gloriosus martyr Fidelis obtinuit, qui in pace per aedificationis gratiam ab ejus vinculo nonnullos eripuit, et oblato persecutionis articulo, blandientem nihilominus, et terrentem per sua membra contempsit. Victus vicit, dejectus ascendit, proprium caput gladio subdidit, et cervicem diaboli perpetuae victoriae pede calcavit. Nunc proculdubio inter ignitos supernae Jerusalem lapides emicat, et cum purpuratis commilitonibus Imperatori suo coelestis harmoniae carmen alternat. Felici nimirum commercio fragilem corporis exuit tunicam, et candidam immortalitatis adeptus est stolam. Caput decollatus amisit, et pretioso nunc lapide coronatus incedit. Ille quippe eum remunerat in aeterna jam quiete victorem, qui et inter bella dudum protexerat decertantem, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

SERMO MEGINHARDI MONACHI

DE S. FERRUTIO MART.

HABETUR IN ANTIQUIS MANUSCRIPTIS CODICIBUS.

Sec. V, ut videtur, martyrii gloria decoratus est.

PROLOGUS AUCTORIS AD ADELGERUM ABBATEM.

Domino Adelgero cum grege sibi credito, Meginhardus exiguus, omne datum optimum, descendens a patre luminum. Juxta laudem sapientiae veridicam, qui propriam novit occultare stultitiam, suam praestat abscondenti scientiam. Unde saepe rogati in laudem sancti Ferrutii scriptis aliquid edere, maluimus silendo latere, quam palam subsannationi nugas promendo patere. Neque enim minimum nos illa Tulliana declamatio terruit, quae tepidos sic carpens scriptores intonuit: *Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris* *. Diutina siquidem deliberatione fluctuantes, vacaremus ne, an scriberemus, effectiva tandem illa charitas vicit, quae non nisi operando ardoris sui flammas exerere novit. Qui vero nos tantilli per subarescentis stillam rivuli, quicquam nos praestare putemus fluctibus Rheni, qui quicquid naturâ pretiosum, quicquid moralitate decorum, quicquid ratione splendidum mundus quadrangulariter teres usquam mortalibus effert, divae tumidus totum Moguntiae ** confert? Ambrosios enim gremio confovet, qui divinum vertice melliflui nectaris odorem adspirent; Augustinos, qui divinitatem inter Cherubim speculando, miris armaria tractatibus adaugent: Gregorios, qui verbi divini pabula vigilantissime ruminantes, in promptuariis ex hoc in illud eructuantibus, opportune promendo recondant. Ibi fons philosophicus prata virentia rivis septenis inundat, gratisque potentes dulcedine terni saporis inebriat. Unde suppliciter imploramus culminis celsitudinem vestri, quatenus inter aurea gemmeaque, quibus abundatis, poculorum genera, cratèrae vilis vel gustum non dedignemini, fraternaeque mentis munusculum, humilitatis saltem gratiâ non aspernemini. Sed ecce dum supra vires conamur, sub onere labimur, et ad

* In *I Tuscul. Quaest.*

** *Moguntia* vel *Mogontia*, germ. *Mainz*, ital. *Magonza*, nobilissima Germaniae urbs, a Druso, decem annos ante X. N. fundata, atque a Francis Regibus, maxime a Carolo Magno, summopere ampliata, aedificiisque instructa. Eam dignitate archiepiscopali exornavit S. Bonifacius. Ibidem, seculis elapsis, plura concilia provincialia sunt celebrata magni ponderis et momenti.

gressum liberum non valentes erigi, per terram trahimur depressi; ut in nobis impleatur, quod beatus Gregorius humiliter de se profitetur, quia vires quas imperitia denegat, charitas ministrat. Ipsius ergo meritis intervenientibus, cujus in laudem ex informi materia sermo cudetur, oculus noster interior Spiritu Sancto mundante purgetur, aridumque cordis nostri desertum fonte in vitam aeternam saliente rigetur: quatenus quicquid dicetur, Deo gratum, egregio Ferrutio dignum, prudentiaeque vestrae placabile reperiatur.

§ 1. Cum per organum Spiritus Sancti familiare, mirabilem et gloriosum Dominum in sanctis suis * admoneamur laudare, non solum quotidianis obsequiis, sed et excellentiori quadam devotione par est eos honorare. Summis enim studiis devotionis obsequium videtur exequendum, quod sanctis delatum, recurrit in Christum. Verum non homo solus divinae debitor provocatur laudis, sed creatura potius omnis, rationalis videlicet, irrationalis et insensibilis. Per se quippe Deum laudat creatura rationalis et intelligibilis: per hominem vero irrationalis et insensibilis, dum eam homo considerans, vota conditori solvit jubilationis. Laudant autem Dominum et ipsa, quoniam laudationem Domini eorum pàrturit causa. Quae autem dicuntur insensibiles creaturae, si vel ipsum Conditorem valeant sentire, paucis libet considerare. Si sensus a sentiendo dicitur, omnis creatura Deum sentire probatur. Secundum se namque creatorem sentit creatura, ubi etiam se non sentit vita. Est autem sensus a sentiendo, quo creatura Deum sentiens, ejus obtemperanter òbedit imperio. Nam imperante fide si transferantur montes, insensibiles utique Deum sentiunt rupes. Omnis ergo creatura sensum habet in Deum.

§ 2. Martyrum autem Christi memoriam, omnium fidelium devotione recolendam, festivis gaudiis laudibusve debitis venerari, quid ferat emolumenti, juxta vires ingenioli nostri in initio dicendi operae pretium duximus perscrutari. Nam si desit emolumentum, ex supervacuo causae tractatur negotium. Omnis itaque profectus, de causa parturiente progreditur. Sed omnis causa efficiens esse probatur. Omne autem efficiens, majus est eo, quod efficitur. Unde recte quaerenda videtur causa gaudiorum, quo lucidius pateat emolumentum. Neque enim parvulorum more nos decet effluere: qui genuino mox ab utero in incolatus hujus aerumnam profusi, sicut gratis vagitibus, nesciisque ploratibus ora rigantur, sic et in varios gratulationum gestus sine causa laxantur. Nos vero, qui jam quae parvulorum sunt, evacuavimus, qui robur virile, solido cibo spiritualium pasti deliciarum, induimus, qui per speculum et in aenigmate videmus, quod facie revelata sumus visuri, gaudia nostra gaudiorumque proventus ratione

* In Psalmo 150.

conducit contemplari. Quid autem rectius causam dixerim gaudiorum vel profectus nostri, quam bonitatem Dei? Ipse namque bonitatis origo, profectusque totius perfectissima consummatio. justus rerum dispensator atque moderator, humanaeque salutis amator, electis suis agonizantibus gratiam largitur pro gratia, dum pro laboribus momentaneis praemia tribuit sempiterna, peccatores atque sceleratos, largus in misericordia, bonitate salvat gratuita.

§ 3. Prospiciens enim fragilitati delinquentium, spirituum coelestium et hominum, vitae puritate actionisque sinceritate sibi placentium, nobis providit patrocinium: quatenus erratis nostris innumerabilibus offensus, ipsis placaretur intervenientibus. Et hoc merito gaudiis religiosis, officiosâque recolimus veneratione, sanctos videlicet gratiâ laboreque meruisse, ut apud judicem districtum nobis valeant prodesse. Quod autem gratius emolumentum, quam ipsorum interventu nexibus exui delictorum, diversis mundi casibus èripi, post mortemque cum ipsis, si tamen fideliter eos imitemur, gaudiis sempiternis perfrui? Quid autem prodest eos magnopere venerari, quos in quantum carnalis conversationis fragilitas admittit, non satagamus imitari? Ipsi quippe, sumpta cruce, Christum sunt imitando secuti: nos, vero tardi atque desidiosi si Christum non possumus sequi, forma sint nobis vel homines puri. Habet etenim moderna pax Ecclesiae martyrium suum, certamen habet proprium, quo contra multiformes versutissimi hostis insidias legitime confligentes, Sanctorum quoquomodo per gratiam Christi mereamur esse consortes. Si enim, ut ait Apostolus, passionum socii fuerimus, simul et consolationis erimus *; et si mortis Christi similitudini complantati facti fuerimus, simul et resurrectionis erimus **.

§ 4. Est ergo facile, solemni celebratione Martyres venerari: sed arduum atque difficile, Martyres imitari. Abjiciat autem Christianus, quod libet: vincat animo, quod terret, et imitationem plenariam exerceat. Arctum enim iter duae res nobis faciunt et angustum, contemptus voluptatum atque tolerantia passionum. In his ergo si vicerimus, veri erimus Christi Martyrumque laudatores, veri erimus et imitatores. Jam vero certaminis athletarum Christi materiam subtilius intueamur, quatenus insignium contemplatione meritorum, laudibus eos venerabilius prosequamur. Universitatis ergo conditor Deus, inter omnia quae bona creavit, et hominem bonum plasmavit, sed non summe: illius autem essentialis summique boni participatione; cujus immutabilis boni omne quod est mutabile, in quantum est, bonum est participatione. Neque enim summum poterit esse, quod est mutabile. Hunc denique, quem ad imaginem et similitudinem divinam manus sacra confixit, immortalitate decoravit, prudentia, ratione,

* In II. Cor. I. ** In Rom. VI.

consilio praemunivit, arbitrii libertate donavit: ut pro dignitate conditionis imperaret mundo, soli serviret Deo, pro famulatu spontaneo digne remunerandus, vel pro contemptu voluntario merito puniendus. Hunc igitur angelus apostata beatitudinis locum, quem superbiendo perdiderat ipse, invidiose dolens subiturum, dolis circumventum dejecit incautum: sicque cum omni prole posthuma possedit eum, quasi jure sibi subjectum. Jure quippe quodammodo possedit, quem sibi consensisse vi nullâ coëgit, sed suggestione solâ consentaneum subegit.

§ 5. Cumque generalem totius humanae propaginis massam, praevaricationis hujus complecteretur reatus, Deoque contempto, mundus hosti maligno serviret universus, creator omnium Deus, natura bonus, voluntate potens, opere misericors, propter nimiam charitatem suam hominis lapsi misertus, per aetates seculi cunctas, electionis quaedam sibi vasa servavit, per quae pietate paternâ caeteros ad originalem beatitudinem quandoque respirare monuit et instruxit. Verum hoc seductor ille fraudulentus non aequanimiter tulit; sed vasa misericordiae per vasa perditionis et irae impugnare non destitit. Nam in Genesi * qui vocantur filii Dei, nisi justi et timorati? Nec immerito, dum pro divini cultus obsequio filiationis illis proveniret adoptio. Et horum memoria benedicta, sic ex thymiamatis Davidici emànat fragrantia: *Haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Jacob* (*Psal.* 23); et *Generatio rectorum benedicetur* (*Psal.* 111); et id genus plurima, quibus passim redundat divina pagina. Qui vero per filios hominum, nisi peccatores exprimuntur, qui carnis pro fragilitate in omnem lasciviam dissoluti, detestandorum operum executione reprobantur? De his in thymiamate supradicto sic exhalatur, ubi juxta proprietates aromatum, cum dulcibus amara miscentur: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* et infra: *Contritio et infelicitas in viis eorum* (*Psal.* 13). Sapientiae quoque sacrarium, licet in fine pertusum, Christique vas electionis eximium, iisdem pene verbis, sed eodem sensu, erroris eorum inter caetera sic describunt devia. Qui commutaverunt incorruptibilis Dei gloriam in imaginis corruptibilis hominis figuram, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Et quia non in notitia Deum probaverunt habere, tradidit illos in passiones ignominiae.

§ 6. Sic ab initio duae civitates, per multas constructae sunt diversitates: una Dei, altera diaboli: hac de virtute in virtutem proficiente, illa sacrilegiis omnique vitiorum immanitate semper decidente. Civitas quippe Dei, Jerusalem est illa coelestis, verae visio pacis, quae partim adhuc in membris Christi peregrinatur in terris, partim cum Domino regnat in coelis. Civitas vero diaboli, Babylon est illa confusionis plena, quae seducendo fornicari

* In Genesi VI.

facit omnes gentes in prostitutione sua *. Studiorum ergo varietate, dum suo quaeque cresceret molimine, princeps hujus mundi persequebatur in membris suis civitatem Dei. Aemulationis enim diversitas virtutibus perpetem cum vitiis parit conflictum: quoniam in universali furore vitiorum, generalis non capit constantia virtutum. Haec igitur aemulatio, haec innocentiae conditio sanctum sanguinem a rerum manet initio. Denique protomartyr justus Abel per Cain malignum necatur: Hebraei Deicolae in tribulationis camino per Chaldaeos examinantur, filii Israël per Aegyptios affliguntur: per apostatantem populum Domini prophetae sancti mortificantur: cruentissimo genere mortis per Antiochum Machabaei trucidantur. Et hi quidem vocabulo tali merito videntur insigniti, qui certamine forti cum antiquo serpente congressi, gloriosissimi reportaverunt insignia triumphi. In his, ut ita dixerim, primum animus enituit militiae triumphalis: quia licet ante eos omnibus pene justis, pro rectitudinis zelo persecutionem passis, Deum tamen negare, et idolis manufactis inservire cogebatur nullus, exceptis pueris tribus, fornacis per Nabuchodonosor probatis ignibus. His ergo tunc novum, et retro seculis inauditum, digne concessum est hoc victoriae genus, quasi jam instaret tempus, quo testium Christi victoriosissimus horum trita vestigia sequeretur exercitus. Hinc inter cunctos veteris Testamenti martyres, horum tantum cum Evangelicae fidei triumphatoribus infra sacrosanctae actionis mysteria veneratur memoria: ut quorum par extitit agonis materia, parque victoria, pari triumphi decorentur et gloriâ.

§ 7. Inter haec, dilectissimi, dominator ille truculentissimus in omne mortalium genus adhuc potestatis suae vires exercuit, nec ullo modo jugum captivitatis excùtere valuit, qui libero pollens arbitrio, hosti se sponte per consensum subdidit. Hoc, inquam, jugum ratione nulla poterat solvi, donec a facie computresceret olei (*Isa.* x). Ineffabilis igitur dispensatione pietatis, et inenarrabilis gratia dilectionis, ad humani redemptionem generis Deus Pater ex coelestis militiae virtutibus nullum, sed Filium suum misit Unigenitum, ut ex carne virginea carnem indueret, et eadem formâ eademque materiâ, quam vicerat, hostem debellaret, hominemque libertati pristinae restitueret. Hic aequitatis magno jure et incomprehensibilis opus erat arte sapientiae: quia quod malignus ille sub juris sui jamdiu possederat ditione, non potuit perdere, nisi eàdem, quam vicerat, naturâ revincente. Hominis itaque factor homo factus, in terris virginea suxit ubera, regens sidera, panis vivus esuriit, fons vitae sitivit, lux dormivit: ab itinere via fatigata, falso veritas est accusata: judex vivorum et mortuorum a mortali judicatur, ab injustis justitia damnatur, spinis botrus coronatur, fundamentum suspenditur, virtus

* In Apoc. XVII et XIX.

infirmatur, salus vulneratur, vita moritur. Propter hoc quippe qui erat sine initio, ex materno ortum habere dignatus est utero: ut illius humilitas nostra fieret sublimitas. Crux ejus nostra victoria, mors illius nostra salus et vita. In hoc denique apparuit Filius Dei, ut solveret opera diaboli. Congressus ergo cum leviathan carne, quam induerat, hamum divinitatis latentem inescavit, sicque moriens, hostem, dum se vicisse crederet, prostravit, tartaroque spoliato, victor resurrexit: coelosque conscendens, aditum nobis vitae, quem ignea clausit atque versatilis rhomphea, reseravit. Hinc praedicationis Apostolicae sub Christo vero sole per orbem rutilante fulgore, zelo ductus princeps seculi hujus, vasa doluit suae captivitatis auferri, spoliaque distribui.

§ 8. Efferatus itaque persecutiones commovit, proelia concitavit. Unde potestas terrena conspirans, contra Christi nomen armatur, persecutionis turbo grassatur, fidelis quisque pro fidei verae confessione mactatur. Imperiale per totum orbem nimis urgebat edictum, nomen funditus extirpari Christianum. Lege promulgatur publica, sanciri delatoribus praemia: Christianos vero sacrificantes, muneribus et honoribus amplissimis cumulari: vel in Christo perseverantes, pro majestatis regiae contemptu variis et exquisitis cruciatibus mortificari. Tum vero corpora sancta passim rapiuntur, caeduntur, igne cremantur, membratim discerpuntur, modis omnibus crudeliter afficiuntur. Neque vero artubus exanimatis parcebatur: laniabantur, incendebantur, spargebantur, nec saltem sepeliri sinebantur, et quibus per Christum coeli aperiebantur, ab infidelibus communis omnium viventium mater terra negabatur. Inter haec millena discrimina tyrones Christi malunt occìdi, quam vinci: quorum virilis constantia infatigatâ semper triumphat perseverantiâ. Hoc est sanctorum Martyrum commune consilium, commune commercium, contemnere fugientia, comparare permanentia: vivere moriendo, ne moriantur vivendo: et semel moriendo semper vivere, quam paululum vivendo perpetualiter interire. Hoc est, inquam Sanctorum, commune prudensque consilium, hoc commune felixque commercium. Horum sufferentiam miram cum principibus suis mundus inhorruit, in quorum cordibus jam vilescens aruit: qui nec blandimentis molliebantur, nec tormentis acerrimis frangebantur.

§ 9. Neque vero in hoc procinctu Dominico soli coronabantur viri; feminae quoque licet sexu fragili, animo tamen agonizabant virili: sed et virgines tenellae, dum lascivum gestiunt corporis sexum domare, cruento corpore seculum, Christo auxiliante, domuere. Est itaque corona gloriosior, ubi sexus infirmior: quia virilis animus in feminis majus aliquid facit, quando sub pondere passionis fragilitas feminea non deficit. Gemit autem nunc cum suis satellitibus horum pedibus prostratus inimicus, quos, ut videbatur, ignominiose morientes, est se vicisse gavisus: dolet

eorum interventu molimina cuncta malignitatis suae cassari: dolet eorum suffragiis corporis et animae impedimenta sublevari. Haec ergo, fratres, agonis materia Sanctorum, haec est nostrorum causa gaudiorum, hoc nostri profectus emolumentum, hoc in Sanctos non minimum pietatis devotionisque documentum.

§ **10**. In hoc exercitu candidato triumphantium militum Christi, qui cum patientia proni cucurrerunt in hujus stadio seculi, velut pretiosissimum Dominici serti margaritum, specialis noster patronus, gloriosissimus videlicet Ferrutius, virtutum gloriâ clarus, meritorum praerogativâ praefulget venerandus. Hic itaque dum in his moribundis degeret membris, contempsit mortem quandoque venturam, ut vitam acquireret sine fine mansuram, fideli prudentique consideratione perdens, quod et retentum periret, ut quod perire non posset, moriens inveniret. Huic quippe praesagio quodam Ferrutii nomen est inditum: quia sicut ferro non solum lapides et ligna, sed et caetera vincuntur metalla: ipsum vero non nisi solo vincitur igne: sic ille solo divini amoris victus ardore, machinamenta cuncta mundanae spiritualisque devicit malitiae. Verum quia vitae vel passionis ejus tempora seu gesta non reperiuntur, laudis ipsius praeconia non silebuntur, dum meritorum insignia frequenti miraculorum attestatione panduntur. Licet enim signa secundum Apostolum *, non fidelibus, sed infidelibus data sint, necessario tamen aliquando conferuntur et fidelibus: quatenus quorundam Sanctorum actus cum occulto Dei judicio lateant, signorum experimento merita pateant. Non autem in laudibus divinis Ferrutius solus absque gestorum rememoratione celebratur, cum in utriusque testamenti serie viri praecipui sine genealogiis commemorentur. Sic quippe Melchisedech ille, qui in veri sacerdotii typo panem et vinum obtulit; sic Elias, qui populum Israël in gladio et igne judicavit: sic prophetarum plurimi repente videntur induci: sic in novo Thomas, Bartholomaeus et Matthias Apostoli: sic perplures martyrum Christi, quorum merita placeat non eo minus venerari, quo constat ortus eorum vel actus sine periculo nesciri.

§ **11**. Quod autem sancti Ferrutii latent actus, sive Scriptorum penuriâ contigisse conjicimus, quos priscis temporibus in Germanorum partibus non adeo floruisse cognovimus; seu certe si quibuscumque studiis exarati fuerant, bellorum deperisse turbinibus. Sic quippe Jerosolymis lex divina flammis legitur Chaldaicis incensa; sic urbium plurimarum et nobilissimarum credibile indicatur periisse monimenta. Neque enim facile persuaderi potest Moguntiam, excellentissimis Galliarum civitatibus conferendam, litteralis immunem studii tunc temporis torpuisse, gentiumque cunctarum mercibus uberrime refertam, liberalibus disciplinis, quibus praestantissimus omnium divitiarum honor

* In I. Cor. xiv.

debetur, caruisse. Sed ex innumerabilibus forte bellorum cladibus, quae Galliam Germaniamque vastaverunt, cum Moguntiae, tum plurimarum urbium, quae non extant, monimenta perierunt. In Chronicis itaque curiosius requisitis invenimus Archadii, Honorii Theodosiique junioris temporibus, sub Pharamundo, Clodio, Meroveoque Francorum Regibus, Romanis adhuc imperantibus, Gallias a diversis attritas gentibus, urbes solo tenus dirutas, incolis captivatis, villas exustas: ubi cum supellectili reliquâ, liberalis etiam, si qua fuerat, poterat abolèri disciplina. Unde ne pro certis incerta probasse videamur, quod habemus in promptu sequamur, magnaliumque Dei laudatores potius, quam judiciorum ejus incomprehensibilium scrutatores, inveniamur. Proposuimus autem hoc sermone ad gaudium spirituale mentes audientium provocare, quo plus per charitatem aedificantem, ad Sanctorum societatem proficiamus, quam per scientiam inflantem, ab interni gaudii delectatione deficiamus. Sed humani tarditas ingenii, quia vix ad intellectualium perceptionem potest adduci, nisi cordis internâ prius cognitione pascantur exteriori, juxta quod Apostolus ait: *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale* (1. *Cor*. xv); dicemus secundum quod percepimus, non quidem narratione plenâ Martyris hujus sanctissimi certamina, sed summatim perstringentes novissima.

§. 12. Ex litteris itaque mausolei, quo sacratissima medelaeque scia * reconduntur ossa, vir iste beatus cognoscitur Moguntiae demoratus, amoreque divino cingulum militare solvisse, altaribusque sacris, Christo deinceps victurus, arma devovisse. Hinc, urbis praefectus irâ commotus, incertum Christianus an ethnicus, ultra Rhenum castello Sanctum transmigravit exsilio, ferroque vinctum carceri mancipavit tenebroso. Diutinâ vero maceratus inediâ, per sex menses beneficia non experiebatur humana: sed carnali destitutus juvamine, spirituali divinitus solamine fulciebatur. Hinc itaque poculum passionis amarum non exhorruit: securus autem calicem mortis exhausit, quem prius pro exemplo summus bibit medicus, ne lethalem eum, sed medicinalem, crederet aegrotus. Securus, inquam, mortis exhauserat calicem, quia per hanc amaritudinem ad inaestimabilem se perventurum speravit dulcedinem. Poenas igitur fortiter ** currens, calicem Domini laetus bibit, sicque mense septimo felix in Domino quievit ***. Pulcre vero qui, posthabitis actualis vitae laboribus, Deo vacare disponebat in contemplationibus, impedimentis absolvitur popularibus, loco munitiori atque secretiori destinatur, vinculis amoris Christi constringitur, tenebris mundanae noctis addicitur, ut lumine veri solis indeficienti potiatur: materialis fame panis

* Videlicet, ossa quae scientiam atque virtutem medicandi possident.
** Forte legendum est: *ferens*.
*** Quo anno S. Ferrutius e vita discesserit, mihi non est compertum.

SERMO MEGINHARDI MONACHI

DE S. FERRUTIO MART.

HABETUR IN ANTIQUIS MANUSCRIPTIS CODICIBUS.

Sec. V, ut videtur, martyrii gloria decoratus est.

PROLOGUS AUCTORIS AD ADELGERUM ABBATEM.

Domino Adelgero cum grege sibi credito, Meginhardus exiguus, omne datum optimum, descendens a patre luminum. Juxta laudem sapientiae veridicam, qui propriam novit occultare stultitiam, suam praestat abscondenti scientiam. Unde saepe rogati in laudem sancti Ferrutii scriptis aliquid edere, maluimus silendo latere, quam palam subsannationi nugas promendo patere. Neque enim minimum nos illa Tulliana declamatio terruit, quae tepidos sic carpens scriptores intonuit: *Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris* *. Diutina siquidem deliberatione fluctuantes, vacaremus ne, an scriberemus, effectiva tandem illa charitas vicit, quae non nisi operando ardoris sui flammas exerere novit. Qui vero nos tantilli per subarescentis stillam rivuli, quicquam nos praestare putemus fluctibus Rheni, qui quicquid naturâ pretiosum, quicquid moralitate decorum, quicquid ratione splendidum mundus quadrangulariter teres usquam mortalibus effert, divae tumidus totum Moguntiae ** confert? Ambrosios enim gremio confovet, qui divinum vertice melliflui nectaris odorem adspirent; Augustinos, qui divinitatem inter Cherubim speculando, miris armaria tractatibus adaugent: Gregorios, qui verbi divini pabula vigilantissime ruminantes, in promptuariis ex hoc in illud eructuantibus, opportune promendo recondant. Ibi fons philosophicus prata virentia rivis septenis inundat, gratisque potentes dulcedine terni saporis inebriat. Unde suppliciter imploramus culminis celsitudinem vestri, quatenus inter aurea gemmeaque, quibus abundatis, poculorum genera, cratèrae vilis vel gustum non dedignemini, fraternaeque mentis munusculum, humilitatis saltem gratiâ non aspernemini. Sed ecce dum supra vires conamur, sub onere labimur, et ad

* In *I Tuscul. Quaest.*

** *Moguntia* vel *Mogontia*, germ. *Mainz*, ital. *Magonza*, nobilissima Germaniae urbs, a Druso, decem annos ante X. N. fundata, atque a Francis Regibus, maxime a Carolo Magno, summopere ampliata, aedificiisque instructa. Eam dignitate archiepiscopali exornavit S. Bonifacius. Ibidem, seculis elapsis, plura concilia provincialia sunt celebrata magni ponderis et momenti.

gressum liberum non valentes erigi, per terram trahimur depressi; ut in nobis impleatur, quod beatus Gregorius humiliter de se profitetur, quia vires quas imperitia denegat, charitas ministrat. Ipsius ergo meritis intervenientibus, cujus in laudem ex informi materia sermo cudetur, oculus noster interior Spiritu Sancto mundante purgetur, aridumque cordis nostri desertum fonte in vitam aeternam saliente rigetur: quatenus quicquid dicetur, Deo gratum, egregio Ferrutio dignum, prudentiaeque vestrae placabile reperiatur.

§ 1. Cum per organum Spiritus Sancti familiare, mirabilem et gloriosum Dominum in sanctis suis * admoneamur laudare, non solum quotidianis obsequiis, sed et excellentiori quadam devotione par est eos honorare. Summis enim studiis devotionis obsequium videtur exequendum, quod sanctis delatum, recurrit in Christum. Verum non homo solus divinae debitor provocatur laudis, sed creatura potius omnis, rationalis videlicet, irrationalis et insensibilis. Per se quippe Deum laudat creatura rationalis et intelligibilis: per hominem vero irrationalis et insensibilis, dum eam homo considerans, vota conditori solvit jubilationis. Laudant autem Dominum et ipsa, quoniam laudationem Domini eorum pàrturit causa. Quae autem dicuntur insensibiles creaturae, si vel ipsum Conditorem valeant sentire, paucis libet considerare. Si sensus a sentiendo dicitur, omnis creatura Deum sentire probatur. Secundum se namque creatorem sentit creatura, ubi etiam se non sentit vita. Est autem sensus a sentiendo, quo creatura Deum sentiens, ejus obtemperanter òbedit imperio. Nam imperante fide si transferantur montes, insensibiles utique Deum sentiunt rupes. Omnis ergo creatura sensum habet in Deum.

§ 2. Martyrum autem Christi memoriam, omnium fidelium devotione recolendam, festivis gaudiis laudibusve debitis venerari, quid ferat emolumenti, juxta vires ingenioli nostri in initio dicendi operae pretium duximus perscrutari. Nam si desit emolumentum, ex supervacuo causae tractatur negotium. Omnis itaque profectus, de causa parturiente progreditur. Sed omnis causa efficiens esse probatur. Omne autem efficiens, majus est eo, quod efficitur. Unde recte quaerenda videtur causa gaudiorum, quo lucidius pateat emolumentum. Neque enim parvulorum more nos decet effluere: qui genuino mox ab utero in incolatus hujus aerumnam profusi, sicut gratis vagitibus, nesciisque ploratibus ora rigantur, sic et in varios gratulationum gestus sine causa laxantur. Nos vero, qui jam quae parvulorum sunt, evacuavimus, qui robur virile, solido cibo spiritualium pasti deliciarum, induimus, qui per speculum et in aenigmate videmus, quod facie revelata sumus visuri, gaudia nostra gaudiorumque proventus ratione

* In Psalmo 150.

conducit contemplari. Quid autem rectius causam dixerim gaudiorum vel profectus nostri, quam bonitatem Dei? Ipse namque bonitatis origo, profectusque totius perfectissima consummatio, justus rerum dispensator atque moderator, humanaeque salutis amator, electis suis agonizantibus gratiam largitur pro gratia, dum pro laboribus momentaneis praemia tribuit sempiterna, peccatores atque sceleratos, largus in misericordia, bonitate salvat gratuita.

§ 3. Prospiciens enim fragilitati delinquentium, spirituum coelestium et hominum, vitae puritate actionisque sinceritate sibi placentium, nobis providit patrocinium: quatenus erratis nostris innumerabilibus offensus, ipsis placaretur intervenientibus. Et hoc merito gaudiis religiosis, officiosâque recolimus veneratione, sanctos videlicet gratiâ laboreque meruisse, ut apud judicem districtum nobis valeant prodesse. Quod autem gratius emolumentum, quam ipsorum interventu nexibus exui delictorum, diversis mundi casibus èripi, post mortemque cum ipsis, si tamen fideliter eos imitemur, gaudiis sempiternis perfrui? Quid autem prodest eos magnopere venerari, quos in quantum carnalis conversationis fragilitas admittit, non satagamus imitari? Ipsi quippe, sumpta cruce, Christum sunt imitando secuti: nos, vero tardi atque desidiosi, si Christum non possumus sequi, forma sint nobis vel homines puri. Habet etenim moderna pax Ecclesiae martyrium suum, certamen habet proprium, quo contra multiformes versutissimi hostis insidias legitime confligentes, Sanctorum quoquomodo per gratiam Christi mereamur esse consortes. Si enim, ut ait Apostolus, passionum socii fuerimus, simul et consolationis erimus *; et si mortis Christi similitudini complantati facti fuerimus, simul et resurrectionis erimus **.

§ 4. Est ergo facile, solemni celebratione Martyres venerari: sed arduum atque difficile, Martyres imitari. Abjiciat autem Christianus, quod libet: vincat animo, quod terret, et imitationem plenariam exerceat. Arctum enim iter duae res nobis faciunt et angustum, contemptus voluptatum atque tolerantia passionum. In his ergo si vicerimus, veri erimus Christi Martyrumque laudatores, veri erimus et imitatores. Jam vero certaminis athletarum Christi materiam subtilius intueamur, quatenus insignium contemplatione meritorum, laudibus eos venerabilius prosequamur. Universitatis ergo conditor Deus, inter omnia quae bona creavit, et hominem bonum plasmavit, sed non summe: illius autem essentialis summique boni participatione; cujus immutabilis boni omne quod est mutabile, in quantum est, bonum est participatione. Neque enim summum poterit esse, quod est mutabile. Hunc denique, quem ad imaginem et similitudinem divinam manus sacra confixit, immortalitate decoravit, prudentia, ratione,

* In II. Cor. I. ** In Rom. VI.

consilio praemunivit, arbitrii libertate donavit: ut pro dignitate conditionis imperaret mundo, soli serviret Deo, pro famulatu spontaneo digne remunerandus, vel pro contemptu voluntario merito puniendus. Hunc igitur angelus apostata beatitudinis locum, quem superbiendo perdiderat ipse, invidiose dolens subiturum, dolis circumventum dejecit incautum: sicque cum omni prole posthuma possedit eum, quasi jure sibi subjectum. Jure quippe quodammodo possedit, quem sibi consensisse vi nullâ coëgit, sed suggestione solâ consentaneum subegit.

§ 5. Cumque generalem totius humanae propaginis massam, praevaricationis hujus complecteretur reatus, Deoque contempto, mundus hosti maligno serviret universus, creator omnium Deus, natura bonus, voluntate potens, opere misericors, propter nimiam charitatem suam hominis lapsi misertus, per aetates seculi cunctas, electionis quaedam sibi vasa servavit, per quae pietate paternâ caeteros ad originalem beatitudinem quandoque respirare monuit et instruxit. Verum hoc seductor ille fraudulentus non aequanimiter tulit; sed vasa misericordiae per vasa perditionis et irae impugnare non destitit. Nam in Genesi * qui vocantur filii Dei, nisi justi et timorati? Nec immerito, dum pro divini cultus obsequio filiationis illis proveniret adoptio. Et horum memoria benedicta, sic ex thymiamatis Davidici emànat fragrantia: *Haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Jacob* (*Psal.* 23); et *Generatio rectorum benedicetur* (*Psal.* 111); et id genus plurima, quibus passim redundat divina pagina. Qui vero per filios hominum, nisi peccatores exprimuntur, qui carnis pro fragilitate in omnem lasciviam dissoluti, detestandorum operum executione reprobantur? De his in thymiamate supradicto sic exhalatur, ubi juxta proprietates aromatum, cum dulcibus amara miscentur: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* et infra: *Contritio et infelicitas in viis eorum* (*Psal.* 13). Sapientiae quoque sacrarium, licet in fine pertusum, Christique vas electionis eximium, iisdem pene verbis, sed eodem sensu, erroris eorum inter caetera sic describunt devia. Qui commutaverunt incorruptibilis Dei gloriam in imaginis corruptibilis hominis figuram, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Et quia non in notitia Deum probaverunt habere, tradidit illos in passiones ignominiae.

§ 6. Sic ab initio duae civitates, per multas constructae sunt diversitates: una Dei, altera diaboli: hac de virtute in virtutem proficiente, illa sacrilegiis omnique vitiorum immanitate semper decidente. Civitas quippe Dei, Jerusalem est illa coelestis, verae visio pacis, quae partim adhuc in membris Christi peregrinatur in terris, partim cum Domino regnat in coelis. Civitas vero diaboli, Babylon est illa confusionis plena, quae seducendo fornicari

* In Genesi VI.

facit omnes gentes in prostitutione sua *. Studiorum ergo varietate, dum suo quaeque cresceret molimine, princeps hujus mundi persequebatur in membris suis civitatem Dei. Aemulationis enim diversitas virtutibus perpetem cum vitiis parit conflictum: quoniam in universali furore vitiorum, generalis non capit constantia virtutum. Haec igitur aemulatio, haec innocentiae conditio sanctum sanguinem a rerum manet initio. Denique protomartyr justus Abel per Cain malignum necatur: Hebraei Deicolae in tribulationis camino per Chaldaeos examinantur, filii Israël per Aegyptios affliguntur: per apostatantem populum Domini prophetae sancti mortificantur: cruentissimo genere mortis per Antiochum Machabaei trucidantur. Et hi quidem vocabulo tali merito videntur insigniti, qui certamine forti cum antiquo serpente congressi, gloriosissimi reportaverunt insignia triumphi. In his, ut ita dixerim, primum animus enituit militiae triumphalis: quia licet ante eos omnibus pene justis, pro rectitudinis zelo persecutionem passis, Deum tamen negare, et idolis manufactis inservire cogebatur nullus, exceptis pueris tribus, fornacis per Nabuchodonosor probatis ignibus. His ergo tunc novum, et retro seculis inauditum, digne concessum est hoc victoriae genus, quasi jam instaret tempus, quo testium Christi victoriosissimus horum trita vestigia sequeretur exercitus. Hinc inter cunctos veteris Testamenti martyres, horum tantum cum Evangelicae fidei triumphatoribus infra sacrosanctae actionis mysteria veneratur memoria: ut quorum par extitit agonis materia, parque victoria, pari triumphi decorentur et gloriâ.

§ 7. Inter haec, dilectissimi, dominator ille truculentissimus in omne mortalium genus adhuc potestatis suae vires exercuit, nec ullo modo jugum captivitatis excùtere valuit, qui libero pollens arbitrio, hosti se sponte per consensum subdidit. Hoc, inquam, jugum ratione nulla poterat solvi, donec a facie computresceret olei (*Isa.* x). Ineffabilis igitur dispensatione pietatis, et inenarrabilis gratia dilectionis, ad humani redemptionem generis Deus Pater ex coelestis militiae virtutibus nullum, sed Filium suum misit Unigenitum, ut ex carne virginea carnem indueret, et eadem formâ eademque materiâ, quam vicerat, hostem debellaret, hominemque libertati pristinae restitueret. Hic aequitatis magno jure et incomprehensibilis opus erat arte sapientiae: quia quod malignus ille sub juris sui jamdiu possederat ditione, non potuit perdere, nisi eàdem, quam vicerat, naturâ revincente. Hominis itaque factor homo factus, in terris virginea suxit ubera, regens sidera, panis vivus esuriit, fons vitae sitivit, lux dormivit: ab itinere via fatigata, falso veritas est accusata: judex vivorum et mortuorum a mortali judicatur, ab injustis justitia damnatur, spinis botrus coronatur, fundamentum suspenditur, virtus

* In Apoc. XVII et XIX.

infirmatur, salus vulneratur, vita moritur. Propter hoc quippe qui erat sine initio, ex materno ortum habere dignatus est utero: ut illius humilitas nostra fieret sublimitas. Crux ejus nostra victoria, mors illius nostra salus et vita. In hoc denique apparuit Filius Dei, ut solveret opera diaboli. Congressus ergo cum leviathan carne, quam induerat, hamum divinitatis latentem inescavit, sicque moriens, hostem, dum se vicisse crederet, prostravit, tartaroque spoliato, victor resurrexit: coelosque conscendens, aditum nobis vitae, quem ignea clausit atque versatilis rhomphea, reseravit. Hinc praedicationis Apostolicae sub Christo vero sole per orbem rutilante fulgore, zelo ductus princeps seculi hujus, vasa doluit suae captivitatis auferri, spoliaque distribui.

§ 8. Efferatus itaque persecutiones commovit, proelia concitavit. Unde potestas terrena conspirans, contra Christi nomen armatur, persecutionis turbo grassatur, fidelis quisque pro fidei verae confessione mactatur. Imperiale per totum orbem nimis urgebat edictum, nomen funditus extirpari Christianum. Lege promulgatur publica, sanciri delatoribus praemia: Christianos vero sacrificantes, muneribus et honoribus amplissimis cumulari: vel in Christo perseverantes, pro majestatis regiae contemptu variis et exquisitis cruciatibus mortificari. Tum vero corpora sancta passim rapiuntur, caeduntur, igne cremantur, membratim discerpuntur, modis omnibus crudeliter afficiuntur. Neque vero artubus exanimatis parcebatur: laniabantur, incendebantur, spargebantur, nec saltem sepeliri sinebantur, et quibus per Christum coeli aperiebantur, ab infidelibus communis omnium viventium mater terra negabatur. Inter haec millena discrimina tyrones Christi malunt occìdi, quam vinci: quorum virilis constantia infatigatâ semper triumphat perseverantiâ. Hoc est sanctorum Martyrum commune consilium, commune commercium, contemnere fugientia, comparare permanentia: vivere moriendo, ne moriantur vivendo: et semel moriendo semper vivere, quam paululum vivendo perpetualiter interire. Hoc est, inquam Sanctorum, commune prudensque consilium, hoc commune felixque commercium. Horum sufferentiam miram cum principibus suis mundus inhorruit, in quorum cordibus jam vilescens aruit: qui nec blandimentis molliebantur, nec tormentis acerrimis frangebantur.

§ 9. Neque vero in hoc procinctu Dominico soli coronabantur viri; feminae quoque licet sexu fragili, animo tamen agonizabant virili: sed et virgines tenellae, dum lascivum gestiunt corporis sexum domare, cruento corpore seculum, Christo auxiliante, domuere. Est itaque corona gloriosior, ubi sexus infirmior: quia virilis animus in feminis majus aliquid facit, quando sub pondere passionis fragilitas feminea non deficit. Gemit autem nunc cum suis satellitibus horum pedibus prostratus inimicus, quos, ut videbatur, ignominiose morientes, est se vicisse gavisus: dolet

eorum interventu molimina cuncta malignitatis suae cassari: dolet eorum suffragiis corporis et animae impedimenta sublevari. Haec ergo, fratres, agonis materia Sanctorum, haec est nostrorum causa gaudiorum, hoc nostri profectus emolumentum, hoc in Sanctos non minimum pietatis devotionisque documentum.

§ **10**. In hoc exercitu candidato triumphantium militum Christi, qui cum patientia proni cucurrerunt in hujus stadio seculi, velut pretiosissimum Dominici serti margaritum, specialis noster patronus, gloriosissimus videlicet Ferrutius, virtutum gloriâ clarus, meritorum praerogativâ praefulget venerandus. Hic itaque dum in his moribundis degeret membris, contempsit mortem quandoque venturam, ut vitam acquireret sine fine mansuram, fideli prudentique consideratione perdens, quod et retentum periret, ut quod perire non posset, moriens inveniret. Huic quippe praesagio quodam Ferrutii nomen est inditum: quia sicut ferro non solum lapides et ligna, sed et caetera vincuntur metalla: ipsum vero non nisi solo vincitur igne: sic ille solo divini amoris victus ardore, machinamenta cuncta mundanae spiritualisque devicit malitiae. Verum quia vitae vel passionis ejus tempora seu gesta non reperiuntur, laudis ipsius praeconia non silebuntur, dum meritorum insignia frequenti miraculorum attestatione panduntur. Licet enim signa secundum Apostolum *, non fidelibus, sed infidelibus data sint, necessario tamen aliquando conferuntur et fidelibus: quatenus quorundam Sanctorum actus cum occulto Dei judicio lateant, signorum experimento merita pateant. Non autem in laudibus divinis Ferrutius solus absque gestorum rememoratione celebratur, cum in utriusque testamenti serie viri praecipui sine genealogiis commemorentur. Sic quippe Melchisedech ille, qui in veri sacerdotii typo panem et vinum obtulit; sic Elias, qui populum Israël in gladio et igne judicavit: sic prophetarum plurimi repente videntur induci: sic in novo Thomas, Bartholomaeus et Matthias Apostoli: sic perplures martyrum Christi, quorum merita placeat non eo minus venerari, quo constat ortus eorum vel actus sine periculo nesciri.

§ **11**. Quod autem sancti Ferrutii latent actus, sive Scriptorum penuriâ contigisse conjicimus, quos priscis temporibus in Germanorum partibus non adeo floruisse cognovimus; seu certe si quibuscumque studiis exarati fuerant, bellorum deperisse turbinibus. Sic quippe Jerosolymis lex divina flammis legitur Chaldaicis incensa; sic urbium plurimarum et nobilissimarum credibile indicatur periisse monimenta. Neque enim facile persuaderi potest Moguntiam, excellentissimis Galliarum civitatibus conferendam, litteralis immunem studii tunc temporis torpuisse, gentiumque cunctarum mercibus uberrime refertam, liberalibus disciplinis, quibus praestantissimus omnium divitiarum honor

* In I. Cor. XIV.

debetur, caruisse. Sed ex innumerabilibus forte bellorum cladibus, quae Galliam Germaniamque vastaverunt, cum Moguntiae, tum plurimarum urbium, quae non extant, monimenta perierunt. In Chronicis itaque curiosius requisitis invenimus Archadii, Honorii Theodosiique junioris temporibus, sub Pharamundo, Clodio, Meroveoque Francorum Regibus, Romanis adhuc imperantibus, Gallias a diversis attritas gentibus, urbes solo tenus dìrutas, incolis captivatis, villas exustas: ubi cum supellectili reliquâ, liberalis etiam, si qua fuerat, poterat abolèri disciplina. Unde ne pro certis incerta probasse videamur, quod habemus in promptu sequamur, magnaliumque Dei laudatores potius, quam judiciorum ejus incomprehensibilium scrutatores, inveniamur. Proposuimus autem hoc sermone ad gaudium spirituale mentes audientium provocare, quo plus per charitatem aedificantem, ad Sanctorum societatem proficiamus, quam per scientiam inflantem, ab interni gaudii delectatione deficiamus. Sed humani tarditas ingenii, quia vix ad intellectualium perceptionem potest adduci, nisi cordis internâ prius cognitione pascantur exteriori, juxta quod Apostolus ait: *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale* (1. *Cor*. xv); dicemus secundum quod percepimus, non quidem narratione plenâ Martyris hujus sanctissimi certamina, sed summatim perstringentes novissima.

§. 12. Ex litteris itaque mausolei, quo sacratissima medelaeque scia * reconduntur ossa, vir iste beatus cognoscitur Moguntiae demoratus, amoreque divino cingulum militare solvisse, altaribusque sacris, Christo deinceps victurus, arma devovisse. Hinc, urbis praefectus irâ commotus, incertum Christianus an ethnicus, ultra Rhenum castello Sanctum transmigravit exsilio, ferroque vinctum carceri mancipavit tenebroso. Diutinâ vero maceratus inediâ, per sex menses beneficia non experiebatur humana: sed carnali destitutus juvamine, spirituali divinitus solamine fulciebatur. Hinc itaque poculum passionis amarum non exhorruit: securus autem calicem mortis exhausit, quem prius pro exemplo summus bibit medicus, ne lethalem eum, sed medicinalem, crederet aegrotus. Securus, inquam, mortis exhauserat calicem, quia per hanc amaritudinem ad inaestimabilem se perventurum speravit dulcedinem. Poenas igitur fortiter ** currens, calicem Domini laetus bibit, sicque mense septimo felix in Domino quievit ***. Pulcre vero qui, posthabitis actualis vitae laboribus, Deo vacare disponebat in contemplationibus, impedimentis absolvitur popularibus, loco munitiori atque secretiori destinatur, vinculis amoris Christi constringitur, tenebris mundanae noctis addicitur, ut lumine veri solis indeficienti potiatur: materialis fame panis

* Videlicet, ossa quae scientiam atque virtutem medicandi possident.
** Forte legendum est: *ferens*.
*** Quo anno S. Ferrutius e vita discesserit, mihi non est compertum.

afficitur, ut verbi divini pabulo satietur. Et hic quidem senis mensibus, quasi sex seculi hujus aetatibus, variis tribulationum pressuris examinatus, mense septimo, velut aetate septima cum Electis omnibus requietionis sabbatum celebrat festivus, exspectans feliciter octavam, solemnitatem scilicet resurrectionis celeberrimam, cum corruptio mutabitur incorruptione, mortaleque vestietur immortalitate (1. *Cor.* XV); cum Jerusalem coelestis civis effectus, Agnum quocumque ierit, comitabitur (*Apoc.* XIV); cum spiritibus Angelicis sociatus, contemplatione divinâ satiabitur.

§ **13**. Sed forte quaeritur ab aliquo, cur Sanctus hic inter Martyres solemni glorificetur officio, cum sanguinem non fuderit pro Domino? Huic autem facilis objicitur a sano sapiente responsio, quia martyrium sola sanguinis non facit effusio, non etiam sola carnis afflictio, sed et mundi cordis contritio, salutarisque spiritus humiliatio. Neque enim minoris apud Deum meriti, squaloris carcerarii, tenebrarum, vinculorum, solitudinis, longaeque famis morosa credenda est excruciatio, quam momentanea capitis obtruncatio. Nec dubitandum reor Athletam Christi constantissimum, qui in his tormentis spiritum gessit invictissimum, cervices sponte carnifici praebiturum, si sic iniquitatis dictaretur judicium. Iniquissimus autem judex maluit hunc in poenis differri, sperans ejus vel fame constantiam flecti: qui non expavesceret, fortassis autem optaret, pro Christo gladio plecti. Martyr ergo digne praedicatur, inter Martyres merito colitur, quem etsi sanguinis purpurâ non venustat, virtutum tamen tormentorumque venustissime ornat varietas. Hujus ergo Viri beatissimi corpus presbyter Eugenius, adnitente Berengario, summâ cum diligentia collectum, castello tumulavit, titulumque causam summatim perstringentem composuit, sperans in resurrectione se cum eo partem habiturum, quem humanitatis obsequiis prosecutus est vel defunctum.

§ **14**. Ibi denique membra sacratissima, beneficiis divinitus comitata, a civibus frequentata, usque ad Lulli * venerabilis pacifice quieverunt pontificatus tempora, qui post sanctissimum Martyrem atque pontificem Bonifacium, sedis Moguntiacensis strenue rexit populum. Hic itaque praedecessoris atque magistri sui sequax egregius, cum per sedis suae dioecesim ecclesias construeret, monasteria fundaret, regnumque Francorum Christianae religionis cultu longe lateque nobilitaret, reliquias sancti Ferrutii in Laetantium locum ** transtulit, Deoque sub coenobialis normae disciplina militantes adunare curavit, spiritu ferventes, spe gaudentes, idipsum invicem sentientes, animas suas castificantes in obedientia charitatis, in amore fraternitatis. Boni vero pastoris

* De S. Lullo, vide superius in hoc ipso volumine pag. 479.

** Hic locus vocatur nunc *Bleidenstadt*. Coenobium vero, ibi a S. Lullo aedificatum, in Canonicorum Capitulum, seculis posterioribus, conversum fuit.

usus providentiâ, fratribus ipsis, ne deficerent in mandatorum Domini via, victus atque vestitus sufficientes redditus contradidit, ipsumque locum, donec in corpore vixit, summâ devotione pro Sancti reverentia coluit. Postquam autem domus ejus terrestris habitationis hujus luteae soluta est, ut non manufactam, sed aeternam in coelis inhabitaret, pontificatus illius pariter et religionis successores Richolfus, Haistolphus et Rabanus, eadem devotione locum sanctum coluerunt, ecclesiam amplificaverunt, tumbam sanctarum exuviarum decenter composuerunt, pauperes Christi sacris ossibus excubantes humanitatis summae consolatione foverunt.

§ **15**. Et nos, fratres carissimi, Deum, ex quo, per quem, et in quo sunt cuncta, quae sunt bona, laudemus, et pro modulo nostro secundum multitudinem miserationum ejus glorificemus, qui nobis talem dignatus est conferre patronum, cujus excellentia meritorum, solamen laborum, et fructum nobis aeterno rum obtineat praemiorum. Praesentem vero nostrum specialemque patronum imploremus omnes, imploremus singuli sedulitate votorum, quatenus fragilitatis nostrae percipiat gemitus, humanos nostros excessus apud supernos excuset auditus, pie patrocinando nos foveat, pastorem nostrum protegat, familiam defendat, locum custodiat, a spirituum malignorum nos tueatur insidiis, ab innumeris hujus mundi eruat periculis: ut ipsius et omnium Sanctorum intervenientibus meritis, ad illa pertingere mereamur gaudia beatitudinis, quae non vidit oculus, nec auditus, nec humanus capere valuit intellectus, quae Deus ante tempora secularia suis praeparavit dilectoribus: cujus honor, laus et imperium sine fine permanet in secula seculorum, Amen.

HISTORIA BREVIS

S. NARCISSI EPISC. JEROSOL.

EX ECCLESIAST. HISTORIAE

EUSEBII CAESARIENSIS LIB. VI, CAP. VIII ET IX.

INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLO.

Obiit ineunte sec. III.

§ **1**. Ubi Severus imperium ad annos decem et octo administraverat, Antoninus * ejus filius, ad eum honorem evehitur. Eodem tempore unus ex eorum numero, qui in ea turbulenta persecutionis tempestate se fortes et invictos praestitissent, et post

* Scilicet, *Caracalla* (Marcus Aurelius Antoninus Bassianus), qui, fratrem Getam sibi adjungens, imperio potitus est anno 211.

certamina, pro fidei confessione suscepta, essent integri et incolumes divinâ providentiâ servati, nomine Alexander *, quem modo Episcopum Ecclesiae Jerosolymitanae fuisse monstravimus, propterea quod confessione fidei Christianae temporibus persecutionis nobilitatus erat, Episcopatu, quem dixi, cum adhuc Narcissus **, qui eum in eo officio anteibat, superstes esset, dignatus fuit. Praeter multas alias admirabiles res gestas, quas qui ex ea Ecclesia sunt, ex sermone ac traditione fratrum, gradatim et ordine succedentium, de Narcisso narrant, hoc praeterea miraculum ab eo editum referunt:

§ 2. In magna et solemni Paschatis vigilia, oleum diaconis et ministris Ecclesiae defuisse perhibent. Unde cum universam multitudinem gravis quaedam aegritudo et demissio animi occuparet, Narcissum ferunt his, qui luminaria apparabant, praecepisse, ut aquam ex puteo quodam qui erat in proximo, haurirent, et ad ipsum afferrent. Quo absque mora peracto, eum super aqua oravisse, mandasseque ut cum vera et constanti in Dominum fide, eam in luminarium vasa infunderent. Quod ubi fecerant, contra omnem rationem, incredibili quadam et divinâ virtute, naturam aquae in olei naturam commutatam: et pro certo illius miraculi indicio, fratres complures, qui illic erant, eo quidem tempore permultum ex illo oleo reservaverunt, ex quo etiam aliquantulum ad nostram usque aetatem custoditum est. Pleraque item alia, memoria quidem digna, de vita istius viri commemorant, in quibus ejusmodi quiddam traditum est:

§ 3. Cum quidam nequam perditi homunciones gravem et severam eam rationem, qua per universam vitam tum in hominibus acriter admonendis, tum in eorum vitiis corrigendis uti consuevit, neutiquam ferre possent, prae metu, ne ipsi propter infinita scelera, quorum sibi ipsis conscii erant, judicati ab eo poenas luerent, coeperunt contra illum, consutis dolis, conspirare, et turpem quandam criminationis calumniam in eum conjicere: deinde quo magis auditoribus criminationis falso objectae fidem facerent, eam jurejurando confirmare, atque unus sic dejerare: « Si non vere dixerim, opto ut ignis incendio misere dispeream. » Alter vero sic: « Si non vere dixerim, opto ut foedo ac saevo morbo corpus absumatur. » Tertius autem hoc modo: « Opto, si non vere dixerim, ut luminibus penitus orbatus sim. » Verum quamvis nemo ex fidelibus, propter nobilitatam ac testatam inter omnes omnino Narcissi castimoniam, atque adeo ob vitae rationem ex virtutis regula traductam, illis vel gravissimo jurejurando se obstringentibus, animum aut fidem adhibuerit: ille ipse tamen partim prae indignitate objectae criminationis, partim prae

* S. Alexander Ep. et Mart. die 18 martii colitur. Vide *Surium* (vol. III).
** S. Narcissus, dum episcopatum Jerosolymitanum teneret cum S. Theophilo Concilio praefuit, quod in Palaestina, anno 195, coactum fuit ad statuendum diem solemnitatis paschalis.

cupiditate vitae in sapientiae ac virtutis studio degendae, quam jamdiu optaverat, ab oculis universae multitudinis se penitus removit, et in solitudine locisque desertis ad multorum annorum spatium vitam transegit. Verum sublimis ille divinae justitiae ultionisque obtutus, his sceleribus patratis, minime acquievit: sed quamcelerrime impios illos et nequam homines, qui inter jurandum tam diris execrationibus se contra seipsos obligassent, gravibus calamitatibus oppressit.

§ 4. Primus igitur illorum, scintilla perexigua noctu in aedes, quibus inhabitabat, ex nulla causa antegressa subito ruente, misere cum tota familia et stirpe sua rapido flammarum ardore omnino conflagravit. Alterius corpus eodem morbo, quam sibi tamquam mulctam fore imprecatus esset, ab extremis pedum digitis ad caput usque infectum, contabuit. Tertius aerumnosos priorum eventus adspiciens, et Dei, qui oculis omnia intuetur, inevitabilem ultionem admodum reformidans, palam inter omnes maleficia, communiter a se suisque sociis per fraudem contra Narcissum admissa, confessus est: sed tamen dum pro delicto gravissime condolescebat, tantis et tam acerbis lamentis se afflictavit, et usque eo lacrymas effundere non destitit, quoad utrumque oculum sibi penitus extinxisset. Atque hi pro ea criminatione, falso contra Narcissum conficta, tales poenas persolverunt.

§ 5. Ubi Narcissus se in locum desertum subduxisset, et a nemine esset pro certo cognitum, quo se recepisset, his qui finitimis Ecclesiis praeerant, visum fuit, ut alterum Episcopum suffragiis crearent. Dius igitur (hoc enim nomine erat) delectus est; cui non longo tempore Ecclesiam gubernanti successit Germanion: quo mortuo, Gordius Episcopatum obtinet. Cujus temporibus Narcissus, tamquam ex mortuis ad vitam denuo revocatus a fratribus (quippe omnes illos deinceps, tum quod tam placido ac quieto animo falso accusatus decesserat, tum quod singulari divinae sapientiae et virtutis amore flagrabat, tum praeterea omnium maxime, quod Deus de ejus accusatoribus debita supplicia sumere dignatus est, in majorem sui admirationem rapiebat), ut Ecclesiae gubernacula denuo susciperet, vehementer rogatus est. Et cum Narcissus non amplius propter ingravescentem aetatem * ministerio praeesse posset, Alexander, de quo supra locuti sumus, alterius Ecclesiae Episcopus, divinâ providentiâ per revelationem, quae noctu ipsi secundum quietem apparuisset, ut cum Narcisso in ministerio Ecclesiae fungendo conjungeretur, accersitus est. Unde Alexandrum, cum tamquam divino quodam oraculo ex Cappadocum regione, ubi primum in Episcopatus gradu fuisset locatus Jerosolymam tum voti, tum locorum visendorum causâ contenderet, illius Ecclesiae fratres eum excipiunt benignissime, et non amplius domum reverti permittunt: idque propter aliam

* Annum aetatis suae agebat, ut fertur, cx.

revelationem, ipsis itidem noctu visam: quae quidem voce evidentissimâ profusa, eis qui erant inter illos ob virtutem spectatissimi, perspicue significavit, ut extra portas civitatis egressi, eum Episcopum admitterent, qui ipsis a Deo ante designatus erat. Quo ad hunc modo gesto, Jerosolymitani communi Episcoporum consensu, qui finitimas Ecclesias procurabant, necessario illum apud se manere coëgerunt.

§ 6. Idem ipse Alexander in suis epistolis, quas ad Antinoitas scripsit, quaeque adhuc apud nos extant, Narcissi collegae sui in praefectura Ecclesiae Jerosolymitanae gerenda mentionem facit, ista in extrema illa epistola ad verbum scribens: « Salutat vos Narcissus, qui hic ante me Episcopatus locum occupavit, et centum jam et sexdecim annos praetergressus, mecum in eodem ministerio quorundam precibus conjunctus fuit: qui obsecrat vos, ut idem mecum sentiatis, eademque sitis voluntate. »

MARTYRIUM SS. ZENOBII ET ZENOBIAE

EJUS SORORIS

AUCTORE SIM. METAPHRASTE. EST IN TOMIS ALOYSII.

Passi sunt anno 280 — Asiani.

§ 1. Aegae * est civitas, quae sita quidem est in sinu Jonico**, habitatur autem a Cilicibus: cujus ea pars quidem, quae vergit ad continentem, non est magna: latam autem et porrectam in satis magnam latitudinem propinqui maris portus excipit. Ea tulit beatum Zenobium, natum ex piis parentibus, radicis bonae re vera bonum germen. Qui cum decessissent, is relictus fuit apud patruum. Patruus vero, cum esset re vera vir divinus, et virtutis studiosus, videns puerum rite sequentem paternam pietatem, et quomodo universae ejus haereditatis, ita etiam virtutis factum esse haeredem, affini suae Teclae eum despondit, par Deo gratum propter pietatem, et insigne bonis omnibus operibus. Ex eis ergo natus est Zenobius: deinde etiam soror ejus Zenobia (hoc enim eis nomen impositum fuit a parentibus), sanctum par, rami fertiles spiritalibus operibus.

§ 2. Cum autem egregius Zenobius jam ad ephèbi pervenisset aetatem, eis quidem moriuntur parentes; consumuntur vero facultates, partim quidem in ventres pauperum, partim autem ad

* Animadvertendum est olim plures fuisse civitates hujus nominis.
** Qui nunc dicitur *Golfo d'Alessandretta*, in Asia Minori.

curam infirmorum. Tam pulcre enim medicinam didicerat Zenobius, et in aegrotos ostendebat tantam miraculorum effectionem, ut nec solum quidem ejus manus contactum possent morbi sustinere, sed ejus solâ fugarentur praesentiâ. Hoc autem non erat opus artis, sed donum gratiae, et praemium virtutis. Non solum autem sanitatis, sed etiam victus erat suppeditator Zenobius: et omnibus, qui ad ipsum accedebant, suppeditabat tam quae ad morbi pertinebant curationem quam quae ad alimentum corporis, quocumque morbo detinerentur, et quibuscumque cibis opus haberent. Quin etiam non solum dabat gratis, sed etiam ipsum praeceptum longo intervallo superabat. Nam praeceptum quidem dicit: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x). Ille autem, praeter medicinam, adjungebat etiam alimentum aegrotorum, non solum gratis curans, sed etiam cum curatione praebens mercedem. Talis quidem sacrosanctus Zenobius obtigit Cilicum * regioni, quo tempore Imperator Romanorum, deditus simulacris et impiae ac falsae religioni, mortuus est in impiis dogmatibus. Sed illius quidem tam imperii, quam furoris in Christianos, relictus est haeres Diocletianus. Statim autem Lysiam praeficit Ciliciae, qui et ad cruciandum erat violentissimus, et ad illiciendum blanditiis maxima vi praeditus. Ille autem cum venisset ad Mopsi ** urbem, excitat persecutionem adversus Christianos, eamque gravissimam, et maxime horribilem. Tres autem numero adolescentes, Claudius, Asterius et Neon, fuerunt etiam exerciti in illa persecutione: quos tulit quidem Isauria, Larandus autem exercuit. Ii enim a Lysia vehementibus et multis subjecti cruciatibus, in crucem acti extra muros, subierunt mortem maleficorum: eorum autem corpora projecta sunt devoranda a feris et volucribus. Et Lysias quidem talem ostendebat insaniam adversus Christianos.

§ **2**. Egregius igitur Zenobius cum in tanta virtute vitam egisset, et divina revelatione Christi gregem pascendum suscepisset, et Ciliciae fuisset creatus Episcopus, in posterum etiam duplicem ostendit curationem: ut qui non solum corporibus, sed etiam animis mederetur, et illa quidem a morbis, has vero liberaret ab impietate. Hinc dicitur Indi cujusdam Praefecti conjugem incidisse in morbum immedicabilem. Is autem erat cancer, qui in interiorem partem thoracis incubuerat. Propter quem congregatae omnes manus medicorum, artesque et medicamenta, ostensa sunt illi morbo cedere. Uxoris ergo vicem dolens Indus, et undenam tanti mali inveniret solutionem, diligenter perscrutans, a quodam mercatore accepit de Zenobio, eum multos curare aegrotos solo verbo, et manuum impositione. Ille autem statim nihil

* *Cilicia*, postquam sub Turcarum dominationem venit, duabus in provinciis divisa fuit, quarum altera vocatur *Selefkeh*, altera vero *Adana*.

** In Cilicia sita est. Nuncupatur etiam *Mopsuestia*.

cunctatus, sed statim cum conjuge et liberis iter ingressus, venit Aegas. Talis enim est, qui affligitur, animus, et ad id, quod audierit exequendum acerrimus propter spem meliorem libertatis. Cum illuc ergo venisset, rogabat de Zenobio, ubinam esset, et apud quem degeret: et omne ponebat studium, ut eum videret. Cum hoc autem modo se haberet Indus, et tam magni faceret illum videre, ei apparet visio, quae ei vere, et non in somnis, jubebat accedere ad ecclesiam Christianorum. « In ea enim, inquit, invenies eum, quem quaeris, » Cum is ergo surrexisset, cum uxore statim venit ad templum. Et cum in eo invenisset Sanctum, stantem in medio multitudinis, et ex ore suo emittentem doctrinae fontes suavissimos, dimotis iis, qui circumsistebant, speciosos illius pedes, et bona revera evangelizantis ardentissime apprehensant supplices, misericordemque et clementem illam animam orant et obsecrant, ut a malo liberentur. Nam etsi in uxoris thorace inesset morbus, mariti tamen multo magis tangebat animum. Ille autem curationis mercedem ab eis postulat pietatem, et ut a patrio errore discedentes, ad agnitionis veritatem transfugerent. Quod quidem prompto et alacri animi studio se facturos eis profitentibus, excipiens Sanctus: « In nomine Jesu Christi, inquit, qui sanavit mulierem profluvio sanguinis laborantem *, sana esto, mulier, et liberare a morbo. » Statimque gravis ille morbus verbo, tamquam flagello aliquo, fuit expulsus: et divinum baptismum et ipse, et uxor, et liberi fuerunt assecuti. Deinde etiam cum fuissent participes sacramentorum, domum laeti redierunt, ut qui cum morbo mulieris, qui erat in thorace, unâ quoque perdidissent morbum deceptionis, et sanitate animae fuissent locupletati.

§ 4. Alia quoque mulier, quae in virtute vivebat Antiochiae, et opem ferebat multis indigentibus, in morbum incidit gravissimum. Eum medici nominat phagedaenam. Exortus autem inter mamillas, vastabat omnia circumcirca. Omnem ergo aliam desperans ipsa quoque curationem, egreditur noctu e civitate: cumque venisset per Seleuciam **, et ad litus accessisset, et navem quandam ascendisset, appellit Aegas. Et ardenti studio ad sanctum accedens, ei ostendit gravem illam affectionem, eumque rogat et supplicat, ut vel ante illius oculos moriatur, et cito exsolvat debitum, vel liberetur a malo, quod eam affligit. Morbus enim ei tantam afferebat necessitatem, et tantum dolorem, ut etiam mortem peteret loco beneficii, et ea videretur esse liberatio a malis. Cum his motus fuisset sanctus, et manu Crucis signum fecisset, et deinde divinum Christi nomen invocasset (o Dei judicia, o benignitatem, quae nullis potest verbis exprimi), rumpitur quidem statim

* In Matth. IX.

** Haec est *Seleucia Ciliciae*, quae nunc Selefkeh vocatur. Tres autem aliae urbes, ita nuncupatae, extitere.

morbus, qui solum implevit sanie: solvitur autem mulier a doloribus, et revertitur sana Antiochiam.

§ 5. Quae autem post haec sequuntur, sunt Diocletiani persecutio adversus pietatem, et Deo inimicum ab eo profectum edictum, et Lysias illius saevitiae et inhumanitatis minister acerrimus. Qui cum accepisset divinum Zenobium praedicare unum solum Deum, ejusque praecepta et voluntatem studiose et diligenter amplecti, et ejus invocatione morbos omnes facile solvere, et manum abunde suppeditantem porrigere egentibus eum statim comprehendit, et cum in media praesedisset civitate, et eum coram ipso curasset sistendum: « Saepe, inquit, o Zenobi, a me de te est auditum: sed cum non facile possem soli famae credere, propterea te in meum adduxi conspectum, ut etiam oculos haberem testes eorum quae audivi: et ut paucis absolvam, haec duo tibi propono, ut vel pareas pio edicto Imperatorum, et diis nobiscum sacrifices: quod quidem efficiet, ut tu maximum honorem assequaris, et magnas opes, et vitae splendorem, et aliorum bonorum remunerationes tibi conciliabit (hoc tibi potes certo persuadere), vel ut damneris ad plagas, vincula, cruciatus, et caetera tormenta. Quorum quisnam est alius finis, nisi mors omnino saevissima, et plena maximo dolore? » Ad haec egregius Zenobius: « Mihi, inquit, unus est verus Deus Jesus Christus, in quo ego confido, a quo est ipsa essentia et vita, et propter quem est mihi mori lucrum: neque enim quicquam ex iis quae hic sunt jucunda et delectabilia, est conferendum cum ea quae est illic, remuneratione. » Quamobrem saevus indignatus Lysias, sublime in ligno tollit Athletam, et tormenta infert ejus corpori: « Videamus, dicens, an Christus sit venturus, ut ei opem ferat. »

§ 6. Interea vero, currens alicunde, venit ad eum Zenobia soror ejus. Quae cum eum adspexisset in ligno, et vel ex ipso spectaculo repleta fuisset audaciâ, et, si quid est molle, aut imbecillum, aut muliebre, id totum abjecisset, et se vere esse ejus sororem ostendisset: « Superbe, inquit, Tyranne, quidnam sceleris admisit frater, quod tu eum sic torques? » Ille autem (o sinistram, et dolosam, et illiberalem animam!) ad mulieris dicendi libertatem placidissime respondit et lenissime, ut et in eam, utpote feminam se blandis verbis insinuaret, et induceret, ut imbecilliorem. « Sacrifica enim, inquit, Zenobia, tu quoque, diis, nec sustineas videre speciem ac vigorem et florem tui corporis, miserabiliter multis ac variis tradi suppliciis: quorum, o mulier, dedecus est longe ipso dolore gravius. » Illa autem simul cum fratre loqui incipiens, veluti uno quodam motu animi et consensu: « Non nobis, dixerunt, persuadebis, o Tyranne, Deum verum et vivum permutare cum simulacris mortalium hominum, nec si fieri quidem posset, ut tu innumerabiles nobis mortes afferres, et

non hanc unam quae nobis vel ab ipsa natura debetur necessario. » Haec ergo cum dixissent, Martyres statim lecti excipiunt ferrei, et igni sub lectis accenditur. Aderat autem Lysias quoque acclamans : « Veniat Christus, et opem ferat iis qui pro ipso patiuntur. » Zenobius autem ei honeste dixit : « En adest, suum rorem praebens nobis medicinam, etiamsi tu hoc non possis videre, cum sis circumdatus tantâ caligine impietatis. »

§ 7. Tyrannus ergo cum videret eos tam magno et tam forti animo praeditos, in praesentia quidem cessare facit eorum cruciatum, simul quidem et ad sensum doloris eum nequaquam sufficere existimans, et spe quadam sibi blandiens fore, ut ii persuadeantur, et convertantur, nec perpetuo ita sibi nihil parcant. Cum itaque e lectis ferreis eos fecisset surgere : « Vestri, inquit, modo miseremini, neque sit alter alteri invicem adspectus miserabilis, frater ante oculos sororis atrociter interfectus. » Illi autem moribus et animis magis fratres, quam corporibus : « Tibi, dixerunt, o Judex, potius consulimus, ut tuae animae aliquam curam geras; et timeas quidem gehennam, cujus minae tibi intentantur, et supplicia illa immortalia : discedas autem ab hoc errore manifesto, et ad Deum verum accedas, et ad pietatem. Nos autem tibi erimus apud Deum intercessores, sponsoresque et fidejussores, quod acceptam tuam habebit conversionem, et te placide excipiet, et dignabitur bonis ineffabilibus. » Propter quae Lysias rabie quadam et furore factus acrior, jubet illud par vere bonum injici in lebètes. Lebetes autem subtus habebant ignem valde accensum. Illi vero stantes ante lebetes, cum oculos simul cum anima in coelum sustulissent, dicebant : « Domine Jesu Christe, Deus pacis, suscipe in pace animas nostras. » Finitis precibus, eos statim exceperunt lebètes : et quae erat in eis quidem aqua, vel ipso igne fervebat vehementius. Par autem Martyrum, cum divinum quemdam rorem ab alto sensisset, canens sensim est egressus. Canticum autem erat : *Servasti nos, Domine, ab iis qui nos affligunt : et eos qui nos odio habent, affecisti pudore* (*Ps.* 43).

§ 8. Caeterum Lysias cum eorum mutationis omnem spem abjecisset, ultimam fert in eos sententiam, ut gladio vitam finiant. Cum itaque extra muros civitatis Aegaeorum fuissent Sancti, ut jusserat Lysias, et se rursus dedissent precibus : « Agimus tibi gratias, Christe Deus, dicebant, quod dignatus sis efficere, ut bonum certamen decertaremus, cursum consummaremus, fidem servaremus. Tibi ergo placeat, o Domine, ut simus participes praemii supernae vocationis; et nos refer in numerum eorum qui placuerunt sancto tuo et admirando nomini, quoniam es benedictus in secula. » Statim autem preces effectus est consecutus; et vox quaedam rèsonans e coelo, eis pollicita est coronas. et ad illa evocabat Athletas quae illi consequi optabant per martyrium. Cum autem audiissent vocem ii qui aderant, humi cadunt

proni et lacrymantes propter admirabilem illam auditionem. Atque tricesimo quidem mensis Octobris amputata fuerunt capita Martyribus.

§ 9. Sacra autem illorum corpora ante urbem projecta, cum Hermogenes et Cajus presbyteri profunda nocte cum suis sustulissent, pieque admodum et sancte loculis imposuissent, condunt in ea, quae illic erat, spelunca. Timebant enim insultum impiorum, ne illis etiam ipsas invidèrent reliquias. Ita fuit sanctis his fratribus in omnibus conservata fraternitas: et communem confessionem, communem etiam fecerunt decertationem: et quomodo ex uno utero prodierunt, ita etiam unus locus suscepit utriusque corpora: Ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia nunc et in secula seculorum, Amen.

VITA

S. WOLFGANGI RATISPONEN. EPISC.

BONA FIDE ET GRAVITER CONSCRIPTA, SED SIMPLICI STYLO, QUEM IN GRATIAM LECTORIS MUTAVIT L. SURIUS. HABETUR IN VETUSTIS MSS. EXEMPLARIBUS, SED PRAEFATIO DEEST IN QUATUOR CODICIBUS, QUOS NOS HABUIMUS.

Floruit sec. X — Nat. Germanicus.

§ 1. Beatus Wolfgangus natione Svevus, parentes habuit ingenuos, et qui nec opibus nimium affluerent, nec inopiâ premerentur (id quod Salomon * sibi precatur dari divinitus), sed mediocritate substantiae et facultatum praediti essent, recteque vitam suam instituerent. Porro ab ipsis primae aetatis initiis et ipsius infantiae rudimentis Deum fontem vitae sitiens, et labentia quaeque pro nihilo ducens, magnâ meritorum praerogativâ coepit eminere, quippe qui egregiam cumulandis virtutibus operam navaret. Ferunt nonnulli, matri ejus, cum illo gravida esset, per visum apparuisse, quod stellam in utero gestaret: apte sane et convenienter praeclarae virtuti et sanctitati ejus, ut qui in eorum numerum adscribendus esset, de quibus Scriptura dicit: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates* (*Dan.* XII).

§ 2. Natus vero puer, non multo post baptismi salutaribus undis expiatus est, et Wolfgangus ** appellatus. Confirmat hoc

* In Prov. XXXI.

** *Wolf* idem est ac, latine, *lupus*.

afficitur, ut verbi divini pabulo satietur. Et hic quidem senis mensibus, quasi sex seculi hujus aetatibus, variis tribulationum pressuris examinatus, mense septimo, velut aetate septima cum Electis omnibus requietionis sabbatum celebrat festivus, exspectans feliciter octavam, solemnitatem scilicet resurrectionis celeberrimam, cum corruptio mutabitur incorruptione, mortaleque vestietur immortalitate (1. *Cor.* xv); cum Jerusalem coelestis civis effectus, Agnum quocumque ierit, comitabitur (*Apoc.* xiv); cum spiritibus Angelicis sociatus, contemplatione divinâ satiabitur.

§ **13**. Sed forte quaeritur ab aliquo, cur Sanctus hic inter Martyres solemni glorificetur officio, cum sanguinem non fuderit pro Domino? Huic autem facilis objicitur a sano sapiente responsio, quia martyrium sola sanguinis non facit effusio, non etiam sola carnis afflictio, sed et mundi cordis contritio, salutarisque spiritus humiliatio. Neque enim minoris apud Deum meriti, squaloris carcerarii, tenebrarum, vinculorum, solitudinis, longaeque famis morosa credenda est excruciatio, quam momentanea capitis obtruncatio. Nec dubitandum reor Athletam Christi constantissimum, qui in his tormentis spiritum gessit invictissimum, cervices sponte carnifici praebiturum, si sic iniquitatis dictaretur judicium. Iniquissimus autem judex maluit hunc in poenis differri, sperans ejus vel fame constantiam flecti: qui non expavesceret, fortassis autem optaret, pro Christo gladio plecti. Martyr ergo digne praedicatur, inter Martyres merito colitur, quem etsi sanguinis purpurâ non venustat, virtutum tamen tormentorumque venustissime ornat varietas. Hujus ergo Viri beatissimi corpus presbyter Eugenius, adnitente Berengario, summâ cum diligentia collectum, castello tumulavit, titulumque causam summatim perstringentem composuit, sperans in resurrectione se cum eo partem habiturum, quem humanitatis obsequiis prosecutus est vel defunctum.

§ **14**. Ibi denique membra sacratissima, beneficiis divinitus comitata, a civibus frequentata, usque ad Lulli * venerabilis pacifice quieverunt pontificatus tempora, qui post sanctissimum Martyrem atque pontificem Bonifacium, sedis Moguntiacensis strenue rexit populum. Hic itaque praedecessoris atque magistri sui sequax egregius, cum per sedis suae dioecesim ecclesias construeret, monasteria fundaret, regnumque Francorum Christianae religionis cultu longe lateque nobilitaret, reliquias sancti Ferrutii in Laetantium locum ** transtulit, Deoque sub coenobialis normae disciplina militantes adunare curavit, spiritu ferventes, spe gaudentes, idipsum invicem sentientes, animas suas castificantes in obedientia charitatis, in amore fraternitatis. Boni vero pastoris

* De S. Lullo, vide superius in hoc ipso volumine pag. 479.
** Hic locus vocatur nunc *Bleidenstadt*. Coenobium vero, ibi a S. Lullo aedificatum, in Canonicorum Capitulum, seculis posterioribus, conversum fuit.

usus providentiâ, fratribus ipsis, ne deficerent in mandatorum Domini via, victus atque vestitus sufficientes redditus contradidit, ipsumque locum, donec in corpore vixit, summâ devotione pro Sancti reverentia coluit. Postquam autem domus ejus terrestris habitationis hujus luteae soluta est, ut non manufactam, sed aeternam in coelis inhabitaret, pontificatus illius pariter et religionis successores Richolfus, Haistolphus et Rabanus, eadem devotione locum sanctum coluerunt, ecclesiam amplificaverunt, tumbam sanctarum exuviarum decenter composuerunt, pauperes Christi sacris ossibus excubantes humanitatis summae consolatione foverunt.

§ **13**. Et nos, fratres carissimi, Deum, ex quo, per quem, et in quo sunt cuncta, quae sunt bona, laudemus, et pro modulo nostro secundum multitudinem miserationum ejus glorificemus, qui nobis talem dignatus est conferre patronum, cujus excellentia meritorum, solamen laborum, et fructum nobis aeterno rum obtineat praemiorum. Praesentem vero nostrum specialemque patronum imploremus omnes, imploremus singuli sedulitate votorum, quatenus fragilitatis nostrae percipiat gemitus, humanos nostros excessus apud supernos excuset auditus, pie patrocinando nos foveat, pastorem nostrum protegat, familiam defendat, locum custodiat, a spirituum malignorum nos tueatur insidiis, ab innumeris hujus mundi eruat periculis: ut ipsius et omnium Sanctorum intervenientibus meritis, ad illa pertingere mereamur gaudia beatitudinis, quae non vidit oculus, nec auditus, nec humanus capere valuit intellectus, quae Deus ante tempora secularia suis praeparavit dilectoribus: cujus honor, laus et imperium sine fine permanet in secula seculorum, Amen.

HISTORIA BREVIS

S. NARCISSI EPISC. JEROSOL.

EX ECCLESIAST. HISTORIAE EUSEBII CAESAREENSIS LIB. VI, CAP. VIII ET IX. INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLO.

Obiit ineunte sec. III.

§ **1**. Ubi Severus imperium ad annos decem et octo administraverat, Antoninus * ejus filius, ad eum honorem evehitur. Eodem tempore unus ex eorum numero, qui in ea turbulenta persecutionis tempestate se fortes et invictos praestitissent, et post

* Scilicet, *Caracalla* (Marcus Aurelius Antoninus Bassianus), qui, fratrem Getam sibi adjungens, imperio potitus est anno 211.

certamina, pro fidei confessione suscepta, essent integri et incolumes divinâ providentiâ servati, nomine Alexander *, quem modo Episcopum Ecclesiae Jerosolymitanae fuisse monstravimus, propterea quod confessione fidei Christianae temporibus persecutionis nobilitatus erat, Episcopatu, quem dixi, cum adhuc Narcissus **, qui eum in eo officio anteibat, superstes esset, dignatus fuit. Praeter multas alias admirabiles res gestas, quas qui ex ea Ecclesia sunt, ex sermone ac traditione fratrum, gradatim et ordine succedentium, de Narcisso narrant, hoc praeterea miraculum ab eo editum referunt:

§ 2. In magna et solemni Paschatis vigilia, oleum diaconis et ministris Ecclesiae defuisse perhibent. Unde cum universam multitudinem gravis quaedam aegritudo et demissio animi occuparet, Narcissum ferunt his, qui luminaria apparabant, praecepisse, ut aquam ex puteo quodam qui erat in proximo, haurirent, et ad ipsum afferrent. Quo absque mora peracto, eum super aqua oravisse, mandasseque ut cum vera et constanti in Dominum fide, eam in luminarium vasa infunderent. Quod ubi fecerant, contra omnem rationem, incredibili quadam et divinâ virtute, naturam aquae in olei naturam commutatam: et pro certo illius miraculi indicio, fratres complures, qui illic erant, eo quidem tempore permultum ex illo oleo reservaverunt, ex quo etiam aliquantulum ad nostram usque aetatem custoditum est. Pleraque item alia, memoria quidem digna, de vita istius viri commemorant, in quibus ejusmodi quiddam traditum est:

§ 3. Cum quidam nequam perditi homunciones gravem et severam eam rationem, qua per universam vitam tum in hominibus acriter admonendis, tum in eorum vitiis corrigendis uti consuevit, neutiquam ferre possent, prae metu, ne ipsi propter infinita scelera, quorum sibi ipsis conscii erant, judicati ab eo poenas luerent, coeperunt contra illum, consutis dolis, conspirare, et turpem quandam criminationis calumniam in eum conjicere: deinde quo magis auditoribus criminationis falso objectae fidem facerent, eam jurejurando confirmare, atque unus sic dejerare: « Si non vere dixerim, opto ut ignis incendio misere disperearn. » Alter vero sic: « Si non vere dixerim, opto ut foedo ac saevo morbo corpus absumatur. » Tertius autem hoc modo: « Opto, si non vere dixerim, ut luminibus penitus orbatus sim. » Verum quamvis nemo ex fidelibus, propter nobilitatam ac testatam inter omnes omnino Narcissi castimoniam, atque adeo ob vitae rationem ex virtutis regula traductam, illis vel gravissimo jurejurando se obstringentibus, animum aut fidem adhibuerit: ille ipse tamen partim prae indignitate objectae criminationis, partim prae

* S. Alexander Ep. et Mart. die 18 martii colitur. Vide *Surium* (vol. III).

** S. Narcissus, dum episcopatum Jerosolymitanum teneret cum S. Theophilo Concilio praefuit, quod in Palaestina, anno 195, coactum fuit ad statuendum diem solemnitatis paschalis.

cupiditate vitae in sapientiae ac virtutis studio degendae, quam jamdiu optaverat, ab oculis universae multitudinis se penitus removit, et in solitudine locisque desertis ad multorum annorum spatium vitam transegit. Verum sublimis ille divinae justitiae ultionisque obtutus, his sceleribus patratis, minime acquievit: sed quamcelerrime impios illos et nequam homines, qui inter jurandum tam diris execrationibus se contra seipsos obligassent, gravibus calamitatibus oppressit.

§ 4. Primus igitur illorum, scintilla perexigua noctu in aedes, quibus inhabitabat, ex nulla causa antegressa subito ruente, misere cum tota familia et stirpe sua rapido flammarum ardore omnino conflagravit. Alterius corpus eodem morbo, quam sibi tamquam mulctam fore imprecatus esset, ab extremis pedum digitis ad caput usque infectum, contabuit. Tertius aerumnosos priorum eventus adspiciens, et Dei, qui oculis omnia intuetur, inevitabilem ultionem admodum reformidans, palam inter omnes maleficia, communiter a se suisque sociis per fraudem contra Narcissum admissa, confessus est: sed tamen dum pro delicto gravissime condolescebat, tantis et tam acerbis lamentis se afflictavit, et usque eo lacrymas effundere non destitit, quoad utrumque oculum sibi penitus extinxisset. Atque hi pro ea criminatione, falso contra Narcissum conficta, tales poenas persolverunt.

§ 5. Ubi Narcissus se in locum desertum subduxisset, et a nemine esset pro certo cognitum, quo se recepisset, his qui finitimis Ecclesiis praeerant, visum fuit, ut alterum Episcopum suffragiis crearent. Dius igitur (hoc enim nomine erat) delectus est; cui non longo tempore Ecclesiam gubernanti successit Germanion: quo mortuo, Gordius Episcopatum obtinet. Cujus temporibus Narcissus, tamquam ex mortuis ad vitam denuo revocatus a fratribus (quippe omnes illos deinceps, tum quod tam placido ac quieto animo falso accusatus decesserat, tum quod singulari divinae sapientiae et virtutis amore flagrabat, tum praeterea omnium maxime, quod Deus de ejus accusatoribus debita supplicia sumere dignatus est, in majorem sui admirationem rapiebat), ut Ecclesiae gubernacula denuo susciperet, vehementer rogatus est. Et cum Narcissus non amplius propter ingravescentem aetatem * ministerio praeesse posset, Alexander, de quo supra locuti sumus, alterius Ecclesiae Episcopus, divinâ providentiâ per revelationem, quae noctu ipsi secundum quietem apparuisset, ut cum Narcisso in ministerio Ecclesiae fungendo conjungeretur, accersitus est. Unde Alexandrum, cum tamquam divino quodam oraculo ex Cappadocum regione, ubi primum in Episcopatus gradu fuisset locatus Jerosolymam tum voti, tum locorum visendorum causâ contenderet, illius Ecclesiae fratres eum excipiunt benignissime, et non amplius domum reverti permittunt: idque propter aliam

* Annum aetatis suae agebat, ut fertur, cx.

revelationem, ipsis itidem noctu visam : quae quidem voce evidentissimâ profusa, eis qui erant inter illos ob virtutem spectatissimi, perspicue significavit, ut extra portas civitatis egressi, eum Episcopum admitterent, qui ipsis a Deo ante designatus erat. Quo ad hunc modo gesto, Jerosolymitani communi Episcoporum consensu, qui finitimas Ecclesias procurabant, necessario illum apud se manere coëgerunt.

§ 6. Idem ipse Alexander in suis epistolis, quas ad Antinoitas scripsit, quaeque adhuc apud nos extant, Narcissi collegae sui in praefectura Ecclesiae Jerosolymitanae gerenda mentionem facit, ista in extrema illa epistola ad verbum scribens: « Salutat vos Narcissus, qui hic ante me Episcopatus locum occupavit, et centum jam et sexdecim annos praetergressus, mecum in eodem ministerio quorundam precibus conjunctus fuit: qui obsecrat vos, ut idem mecum sentiatis, eademque sitis voluntate. »

MARTYRIUM SS. ZENOBII ET ZENOBIAE

EJUS SORORIS

AUCTORE SIM. METAPHRASTE. EST IN TOMIS ALOYSII.

Passi sunt anno 280 — Asiani.

§ 1. Aegae * est civitas, quae sita quidem est in sinu Jonico **, habitatur autem a Cilicibus: cujus ea pars quidem, quae vergit ad continentem, non est magna: latam autem et porrectam in satis magnam latitudinem propinqui maris portus excipit. Ea tulit beatum Zenobium, natum ex piis parentibus, radicis bonae re vera bonum germen. Qui cum decessissent, is relictus fuit apud patruum. Patruus vero, cum esset re vera vir divinus, et virtutis studiosus, videns puerum rite sequentem paternam pietatem, et quomodo universae ejus haereditatis, ita etiam virtutis factum esse haeredem, affini suae Teclae eum despondit, par Deo gratum propter pietatem, et insigne bonis omnibus operibus. Ex eis ergo natus est Zenobius: deinde etiam soror ejus Zenobia (hoc enim eis nomen impositum fuit a parentibus), sanctum par, rami fertiles spiritalibus operibus.

§ 2. Cum autem egregius Zenobius jam ad ephèbi pervenisset aetatem, eis quidem moriuntur parentes; consumuntur vero facultates, partim quidem in ventres pauperum, partim autem ad

* Animadvertendum est olim plures fuisse civitates hujus nominis.
** Qui nunc dicitur *Golfo d'Alessandretta*, in Asia Minori.

curam infirmorum. Tam pulcre enim medicinam didicerat Zenobius, et in aegrotos ostendebat tantam miraculorum effectionem, ut nec solum quidem ejus manus contactum possent morbi sustinere, sed ejus solâ fugarentur praesentiâ. Hoc autem non erat opus artis, sed donum gratiae, et praemium virtutis. Non solum autem sanitatis, sed etiam victus erat suppeditator Zenobius: et omnibus, qui ad ipsum accedebant, suppeditabat tam quae ad morbi pertinebant curationem quam quae ad alimentum corporis, quocumque morbo detinerentur, et quibuscumque cibis opus haberent. Quin etiam non solum dabat gratis, sed etiam ipsum praeceptum longo intervallo superabat. Nam praeceptum quidem dicit: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x). Ille autem, praeter medicinam, adjungebat etiam alimentum aegrotorum, non solum gratis curans, sed etiam cum curatione praebens mercedem. Talis quidem sacrosanctus Zenobius obtigit Cilicum* regioni, quo tempore Imperator Romanorum, deditus simulacris et impiae ac falsae religioni, mortuus est in impiis dogmatibus. Sed illius quidem tam imperii, quam furoris in Christianos, relictus est haeres Diocletianus. Statim autem Lysiam praeficit Ciliciae, qui et ad cruciandum erat violentissimus, et ad illiciendum blanditiis maxima vi praeditus. Ille autem cum venisset ad Mopsi ** urbem, excitat persecutionem adversus Christianos, eamque gravissimam, et maxime horribilem. Tres autem numero adolescentes, Claudius, Asterius et Neon, fuerunt etiam exerciti in illa persecutione: quos tulit quidem Isauria, Larandus autem exercuit. Ii enim a Lysia vehementibus et multis subjecti cruciatibus, in crucem acti extra muros, subierunt mortem maleficorum: eorum autem corpora projecta sunt devoranda a feris et volucribus. Et Lysias quidem talem ostendebat insaniam adversus Christianos.

§ **3**. Egregius igitur Zenobius cum in tanta virtute vitam egisset, et divina revelatione Christi gregem pascendum suscepisset, et Ciliciae fuisset creatus Episcopus, in posterum etiam duplicem ostendit curationem: ut qui non solum corporibus, sed etiam animis mederetur, et illa quidem a morbis, has vero liberaret ab impietate. Hinc dicitur Indi cujusdam Praefecti conjugem incidisse in morbum immedicabilem. Is autem erat cancer, qui in interiorem partem thoracis incubuerat. Propter quem congregatae omnes manus medicorum, artesque et medicamenta, ostensa sunt illi morbo cedere. Uxoris ergo vicem dolens Indus, et undenam tanti mali inveniret solutionem, diligenter perscrutans, a quodam mercatore accepit de Zenobio, eum multos curare aegrotos solo verbo, et manuum impositione. Ille autem statim nihil

* *Cilicia*, postquam sub Turcarum dominationem venit, duabus in provinciis divisa fuit, quarum altera vocatur *Selefkeh*, altera vero *Adana*.

** In Cilicia sita est. Nuncupatur etiam *Mopsuestia*.

cunctatus, sed statim cum conjuge et liberis iter ingressus, venit Aegas. Talis enim est, qui affligitur, animus, et ad id, quod audierit exequendum acerrimus propter spem meliorem libertatis. Cum illuc ergo venisset, rogabat de Zenobio, ubinam esset, et apud quem degeret: et omne ponebat studium, ut eum videret. Cum hoc autem modo se haberet Indus, et tam magni faceret illum videre, ei apparet visio, quae ei vere, et non in somnis, jubebat accedere ad ecclesiam Christianorum. « In ea enim, inquit, invenies eum, quem quaeris, » Cum is ergo surrexisset, cum uxore statim venit ad templum. Et cum in eo invenisset Sanctum, stantem in medio multitudinis, et ex ore suo emittentem doctrinae fontes suavissimos, dimotis iis, qui circumsistebant, speciosos illius pedes, et bona revera evangelizantis ardentissime apprehensant supplices, misericordemque et clementem illam animam orant et obsecrant, ut a malo liberentur. Nam etsi in uxoris thorace inesset morbus, mariti tamen multo magis tangebat animum. Ille autem curationis mercedem ab eis postulat pietatem, et ut a patrio errore discedentes, ad agnitionis veritatem transfugerent. Quod quidem prompto et alacri animi studio se facturos eis profitentibus, excipiens Sanctus: « In nomine Jesu Christi, inquit, qui sanavit mulierem profluvio sanguinis laborantem *, sana esto, mulier, et liberare a morbo. » Statimque gravis ille morbus verbo, tamquam flagello aliquo, fuit expulsus: et divinum baptismum et ipse, et uxor, et liberi fuerunt assecuti. Deinde etiam cum fuissent participes sacramentorum, domum laeti redierunt, ut qui cum morbo mulieris, qui erat in thorace, unâ quoque perdidissent morbum deceptionis, et sanitate animae fuissent locupletati.

§ 4. Alia quoque mulier, quae in virtute vivebat Antiochiae, et opem ferebat multis indigentibus, in morbum incidit gravissimum. Eum medici nominat phagedaenam. Exortus autem inter mamillas, vastabat omnia circumcirca. Omnem ergo aliam desperans ipsa quoque curationem, egreditur noctu e civitate: cumque venisset per Seleuciam **, et ad litus accessisset, et navem quandam ascendisset, appellit Aegas. Et ardenti studio ad sanctum accedens, ei ostendit gravem illam affectionem, eumque rogat et supplicat, ut vel ante illius oculos moriatur, et cito exsolvat debitum, vel liberetur a malo, quod eam affligit. Morbus enim ei tantam afferebat necessitatem, et tantum dolorem, ut etiam mortem peteret loco beneficii, et ea videretur esse liberatio a malis. Cum his motus fuisset sanctus, et manu Crucis signum fecisset, et deinde divinum Christi nomen invocasset (o Dei judicia, o benignitatem, quae nullis potest verbis exprimi), rumpitur quidem statim

* In Matth. IX.
** Haec est *Seleucia Ciliciae*, quae nunc Selefkeh vocatur. Tres autem aliae urbes, ita nuncupatae, extitere.

morbus, qui solum implevit sanie: solvitur autem mulier a doloribus, et revertitur sana Antiochiam.

§ 5. Quae autem post haec sequuntur, sunt Diocletiani persecutio adversus pietatem, et Deo inimicum ab eo profectum edictum, et Lysias illius saevitiae et inhumanitatis minister acerrimus. Qui cum accepisset divinum Zenobium praedicare unum solum Deum, ejusque praecepta et voluntatem studiose et diligenter amplecti, et ejus invocatione morbos omnes facile solvere, et manum abunde suppeditantem porrigere egentibus eum statim comprehendit, et cum in media praesedisset civitate, et eum coram ipso curasset sistendum: « Saepe, inquit, o Zenobi, a me de te est auditum: sed cum non facile possem soli famae credere, propterea te in meum adduxi conspectum, ut etiam oculos haberem testes eorum quae audivi: et ut paucis absolvam, haec duo tibi propono, ut vel pareas pio edicto Imperatorum, et diis nobiscum sacrifices: quod quidem efficiet, ut tu maximum honorem assequaris, et magnas opes, et vitae splendorem, et aliorum bonorum remunerationes tibi conciliabit (hoc tibi potes certo persuadere), vel ut damneris ad plagas, vincula, cruciatus, et caetera tormenta. Quorum quisnam est alius finis, nisi mors omnino saevissima, et plena maximo dolore? » Ad haec egregius Zenobius: « Mihi, inquit, unus est verus Deus Jesus Christus, in quo ego confido, a quo est ipsa essentia et vita, et propter quem est mihi mori lucrum: neque enim quicquam ex iis quae hic sunt jucunda et delectabilia, est conferendum cum ea quae est illic, remuneratione. » Quamobrem saevus indignatus Lysias, sublime in ligno tollit Athletam, et tormenta infert ejus corpori: « Videamus, dicens, an Christus sit venturus, ut ei opem ferat. »

§ 6. Interea vero, currens alicunde, venit ad eum Zenobia soror ejus. Quae cum eum adspexisset in ligno, et vel ex ipso spectaculo repleta fuisset audaciâ, et, si quid est molle, aut imbecillum, aut muliebre, id totum abjecisset, et se vere esse ejus sororem ostendisset: « Superbe, inquit, Tyranne, quidnam sceleris admisit frater, quod tu eum sic torques? » Ille autem (o sinistram, et dolosam, et illiberalem animam!) ad mulieris dicendi libertatem placidissime respondit et lenissime, ut et in eam, utpote feminam se blandis verbis insinuaret, et induceret, ut imbecilliorem. « Sacrifica enim, inquit, Zenobia, tu quoque, diis, nec sustineas videre speciem ac vigorem et florem tui corporis, miserabiliter multis ac variis tradi suppliciis: quorum, o mulier, dedecus est longe ipso dolore gravius. » Illa autem simul cum fratre loqui incipiens, veluti uno quodam motu animi et consensu: « Non nobis, dixerunt, persuadebis, o Tyranne, Deum verum et vivum permutare cum simulacris mortalium hominum, nec si fieri quidem posset, ut tu innumerabiles nobis mortes afferres, et

non hanc unam quae nobis vel ab ipsa natura debetur necessario. » Haec ergo cum dixissent, Martyres statim lecti excipiunt ferrei, et igni sub lectis accenditur. Aderat autem Lysias quoque acclamans : « Veniat Christus, et opem ferat iis qui pro ipso patiuntur. » Zenobius autem ei honeste dixit : « En adest, suum rorem praebens nobis medicinam, etiamsi tu hoc non possis videre, cum sis circumdatus tantâ caligine impietatis. »

§ 7. Tyrannus ergo cum videret eos tam magno et tam forti animo praeditos, in praesentia quidem cessare facit eorum cruciatum, simul quidem et ad sensum doloris eum nequaquam sufficere existimans, et spe quadam sibi blandiens fore, ut ii persuadeantur, et convertantur, nec perpetuo ita sibi nihil parcant. Cum itaque e lectis ferreis eos fecisset surgere : « Vestri, inquit, modo misereminí, neque sit alter alteri invicem adspectus miserabilis, frater ante oculos sororis atrociter interfectus. » Illi autem moribus et animis magis fratres, quam corporibus : « Tibi, dixerunt, o Judex, potius consulimus, ut tuae animae aliquam curam geras; et timeas quidem gehennam, cujus minae tibi intentantur, et supplicia illa immortalia : discedas autem ab hoc errore manifesto, et ad Deum verum accedas, et ad pietatem. Nos autem tibi erimus apud Deum intercessores, sponsoresque et fidejussores, quod acceptam tuam habebit conversionem, et te placide excipiet, et dignabitur bonis ineffabilibus. » Propter quae Lysias rabie quadam et furore factus acrior, jubet illud par vere bonum injici in lebètes. Lebetes autem subtus habebant ignem valde accensum. Illi vero stantes ante lebetes, cum oculos simul cum anima in coelum sustulissent, dicebant : « Domine Jesu Christe, Deus pacis, suscipe in pace animas nostras. » Finitis precibus, eos statim exceperunt lebètes : et quae erat in eis quidem aqua, vel ipso igne fervebat vehementius. Par autem Martyrum, cum divinum quemdam rorem ab alto sensisset, canens sensim est egressus. Canticum autem erat : *Servasti nos, Domine, ab iis qui nos affligunt : et eos qui nos odio habent, affecisti pudore* (*Ps.* 43).

§ 8. Caeterum Lysias cum eorum mutationis omnem spem abjecisset, ultimam fert in eos sententiam, ut gladio vitam finiant. Cum itaque extra muros civitatis Aegaeorum fuissent Sancti, ut jusserat Lysias, et se rursus dedissent precibus : « Agimus tibi gratias, Christe Deus, dicebant, quod dignatus sis efficere, ut bonum certamen decertaremus, cursum consummaremus, fidem servaremus. Tibi ergo placeat, o Domine, ut simus participes praemii supernae vocationis; et nos refer in numerum eorum qui placuerunt sancto tuo et admirando nomini, quoniam es benedictus in secula. » Statim autem preces effectus est consecutus; et vox quaedam rèsonans e coelo, eis pollicita est coronas. et ad illa evocabat Athletas quae illi consequi optabant per martyrium. Cum autem audiissent vocem ii qui aderant, humi cadunt

proni et lacrymantes propter admirabilem illam auditionem. Atque tricesimo quidem mensis Octobris amputata fuerunt capita Martyribus.

§ 9. Sacra autem illorum corpora ante urbem projecta, cum Hermogenes et Cajus presbyteri profunda nocte cum suis sustulissent, pieque admodum et sancte loculis imposuissent, condunt in ea, quae illic erat, spelunca. Timebant enim insultum impiorum, ne illis etiam ipsas invidèrent reliquias. Ita fuit sanctis his fratribus in omnibus conservata fraternitas: et communem confessionem, communem etiam fecerunt decertationem: et quomodo ex uno utero prodierunt, ita etiam unus locus suscepit utriusque corpora: Ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia nunc et in secula seculorum, Amen.

VITA

S. WOLFGANGI RATISPONEN. EPISC.

BONA FIDE ET GRAVITER CONSCRIPTA, SED SIMPLICI STYLO, QUEM IN GRATIAM LECTORIS MUTAVIT L. SURIUS. HABETUR IN VETUSTIS MSS. EXEMPLARIBUS, SED PRAEFATIO DEEST IN QUATUOR CODICIBUS, QUOS NOS HABUIMUS.

Floruit sec. X — Nat. Germanicus.

§ 1. Beatus Wolfgangus natione Svevus, parentes habuit ingenuos, et qui nec opibus nimium affluerent, nec inopiâ premerentur (id quod Salomon * sibi precatur dari divinitus), sed mediocritate substantiae et facultatum praediti essent, recteque vitam suam instituerent. Porro ab ipsis primae aetatis initiis et ipsius infantiae rudimentis Deum fontem vitae sitiens, et labentia quaeque pro nihilo ducens, magnâ meritorum praerogativâ coepit eminere, quippe qui egregiam cumulandis virtutibus operam navaret. Ferunt nonnulli, matri ejus, cum illo gravida esset, per visum apparuisse, quod stellam in utero gestaret: apte sane et convenienter praeclarae virtuti et sanctitati ejus, ut qui in eorum numerum adscribendus esset, de quibus Scriptura dicit: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates* (*Dan.* XII).

§ 2. Natus vero puer, non multo post baptismi salutaribus undis expiatus est, et Wolfgangus ** appellatus. Confirmat hoc

* In Prov. XXXI.

** *Wolf* idem est ac, latine, *lupus*.

ipse carmine quodam, quod in armario, inter reliqua ab eo constructo (ut erat componendorum versuum non mediocriter peritus), ita scriptum reliquit :

Struxerat aediculam mandrita Lupambulus istam.

Quod tamen nomen non ab aliqua ignominia accepit, sed quod esset in ejus familia usitatum : quamquam possunt etiam malarum belluarum vocabula et bonam et malam prae se ferre significationem. Videmus enim etiam in Scripturis divinis leonem quandoque in malam accipi partem, ut cum dicitur : *Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret* (1. *Pet.* v); quandoque etiam in bonam, ita ut Christum ipsum significet, ut in Apocalypsi : *Ecce vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v). Ovium quoque et bona est significatio, dicente Scriptura : *Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae* (*Psal.* 78) ; et mala, cum alibi dicit : *Sicut oves in inferno positi sunt* (*Psal.* 47). Patriarcha quoque Jacob de filio suo, Benjamin, inquit, *lupus rapax* (*Gen.* XLIX); et poëta de beato Paulo Apostolo:

O lupe Paule rapax, quid jam remanebit in orbe,
Quod non ore trahas?

Haec et id genus alia permulta satis ostendunt, ex nomine suo neminem vel laudari, vel vituperari, probari, aut reprobari oportere.

§ 3. Crescente autem puero, cum aetatis accessione, Sancti quoque Spiritus gratia in eo augebatur. Itaque cum septem plus minus annos natus esset, parentes ejus cuidam e Clero eum tradiderunt, ut ab eo litteris institueretur. Qua in re id illi spectabant, utpote homines religiosi, quod postea re ipsa feliciter experti sunt, ut filii assidua eruditione instructi, vinculis et nexibus peccatorum , quibus se implicatos sentiebant, absolverentur. Tanta autem animi aviditate puer praeclarae indolis litteras didicit, eaque memoriae tenacitate complexus est, ut intra paucos annos non solum earum externam superficiem caperet, sed ipsas etiam reconditorum sensuum et mysteriorum medullas investigaret. Quamobrem non contentus in scholis trivialibus aut privatis erudiri, patre deducente, eo sibi properandum statuit, ubi tum intra Germaniae fines maxime florerent studia litterarum. Itaque ad Augiense * monasterium se contulit, ubi libenter et comiter exceptus est, quod fama ingenii ejus jampridem eo pervenisset : brevique tempore tantos fecit in doctrina progressus, ut ipsis praeceptoribus, qui acumen illius jam persentirent, admirationi

* Hoc celeberrimum monasterium Ordinis S. Benedicti, a S. Firmino, anno 724, fundatum, situm erat in insula, cui antiquitus *Augia* vel *Sindalazau*, postea *Reichenau* nomen erat, lacus Constantiae. Illo in monasterio omnes artium disciplinae mirum in modum vigebant, florebantque.

esset. Nec ille tamen ab eruditionis excellentia animo intumescebat, nec prae se alios contemnebat : sed cum omnibus in domo Domini sectabatur pacem et concordiam.

§ 4. Per idem tempus eo in loco degebat studii causâ Henricus quidam, illustri Francorum et Svevorum stemmate clarus. Is Wolfgangum praecipuo sibi amore devinciens, obnixe eum precabatur, ut secum Herbipolim, vulgo Wirceburgum *, proficisceretur. Ejus enim Henrici frater Boppo, Ecclesiae Wirceburgensis Episcopus erat, et Stephanum quemdam doctum virum, ex Italia doctrinae causâ accitum, scholae praefecerat, qui omnes illic litteris operam dare volentes accurate erudiret. Cumque in precibus suis Henricus persisteret, omnemque humanitatem, quae homini studioso et peregrino praestanda esset, Wolfgango liberaliter polliceretur, tandem illi assensit. Venientes igitur pariter Wirceburgum, Stephanum ludimagistrum adeunt, atque in ejus se tradunt disciplinam, fruunturque aliquandiu ejus benevolentia et favore. Sed cum locum quemdam in praelectione ** quadam non satis explicaret, adolescentes ita ut soliti erant, ad Wolfgangum tamquam eruditiorem perspicacioremque se conferunt, unoque omnes animo ab eo petunt locum illum sibi exponi. At ille, ut erat humanus et bene peritus, non solum id praestitit, quod rogatus erat, sed quidquid illi loco inerat difficultatis, luculenter edisseruit et explanavit. Id ubi Stephanus ludimagister rescivit, irâ commotus, graviter illi, ne praelectionibus suis adesset, interdixit. Atque ita malignus hostis, hac arreptâ occasione, tam per se, quam per complices suos, servum Dei premere et obscurare conatus est. Sed sicut flamma multo ventorum flatu non solum non extinguitur, sed magis magisque augetur ; ita divini sensus ardor, qui ab ineunte aetate in pectore Wolfgangi incaluerat, nullo tentationum imbre extingui potuit. Atque ex eo tempore (ut ipse fateri solebat, testis sane fide dignissimus), non homine docente didicit arcana Scripturarum, sed tanto sibi sensit majorem ingenii vim et perspicaciam accessisse, quanto hibernos soles aestivi superant.

§ 5. Eum ergo in modum vir Dei quotidianis virtutum auctus profectibus et incrementis, seipso in dies evadebat robustior, et jam in corde suo quasdam meditabatur et disponebat ascensiones in valle lacrymarum ; et nisi amici Henrici precibus retentus esset, cum quo illi magna erat consuetudo et familiaritas, mundum plane contempsisset universum. Sed illud animo versans, charitatem non quaerere quae sua sunt, sed quae alterius, ad tempus distulit, quod postea promptâ animi devotione complevit. Non multo post Henricus ab Othone Magno Imperatore Trevirensem *** accepit Episcopatum, utque eo secum iret, Wolfgangum magnâ animi

* Germanice, *Würtzbourg*, in Bavariae regno.

** Ut in germanicis documentis a Pertz collectis editisque habetur, agebatur tunc *de nuptiis Mercurii et Philologiae*.

*** Germ. *Trier*, gall. *Trèves*, ital. *Treveri*, in Borussia Rhenana.

contentione rogavit. At ille aliquandiu difficilem se praebuit, sed cum tandem videret se bene non posse negare, noluit esse pervicax. Adjunxit igitur se illi hujus quoque itineris comitem. Tum vero praesul ille venerabilis magnum animi studium, amorem et benevolentiam, qua illum complectebatur, re ipsâ declarare cupiens, ejusmodi sacerdotiis sive beneficiis ecclesiasticis et dignitatibus eum afficere voluit, ut per omnem dioecesim ipsius secundum ab eo locum obtineret, aliosque omnes auctoritate anteiret. Verum ille bonus Christi servus, mundi hujus inanem gloriam fugiens, semperque ob oculos versans illud Apostolicum : *Nihil intulimus in hoc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus;* et, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli* (1. *Tim.* VI); tanto honore se affirmabat indignum. Tandem vero in hoc cessit, ut pateretur scholasticos pueros et adolescentes suae curae commendari : nimirum prudenti usus consilio, ut praeclarum doctrinae talentum, ipsi a Domino traditum, aliis impertiens, sicut bonus et fidelis dispensator, uberes ad Dominum suum referret fructus. Pro iis autem docendi laboribus nihil lucri, nullamque mercedem recipere voluit; sed operam dedit, ut alios posset lucrifacere; nec, ut plerique solent didascali, Satyricum illud decantantes : *Nosse volunt omnes, mercedem solvere nemo :* a quovis quicquam exegit, tametsi a permultis cogeretur.

§ 6. Porro autem antequam esset sacerdotio initiatus, a carnibus abstinuit, nec vestes magni pretii expetiit, vigiliis, jejuniis et precibus libenter incubuit, secularia negotia ita tractavit, ut corpore, non animo, illis esset implicatus. Adolescentes, quos erudiendos suscepit, non solum liberalibus disciplinis, sed etiam bonis moribus instruxit. Adeo autem se ad discipulorum captum accommodavit, ut cum capacioribus difficiliora quaeque quae in auctoribus et disciplinis sese offerrent, explicuisset, mox ad rudiores se verteret, et instar nutricis lacteo cibo eos reficeret, qui solidiora capere necdum possent. Si qui autem in ejus discipulis essent tenui fortuna, et humanis auxiliis destituti, eos non solum litteris instituebat, sed etiam corporeis fovebat alimentis. Hac vero ejus vivendi ratione partim oculis, partim auditione compertâ, Henricus Archiepiscopus tum per seipsum, tum per alios suos familiares hortabatur eum, ut aliquod vel Clericorum, vel monachorum coenobium regendum susciperet. Ille vero more suo eam praetexens excusationem, quod omni honore indignus esset, tandem tamen Episcopi auctoritate et praecepto compulsus, consensit clericorum esse Decanus.

§ 7. Hoc vero honore suscepto ita se comparavit vir sanctus, ut improbis et irreligiosis esset terrori et formidini, bonis et piis amori. Effecit autem apud illos tum minis, tum suasionibus, ut, quod prius non fecerant, communi mensâ et dormitorio uterentur,

in coenobio, sive, ut auctor loquitur, in claustro sederent, et lectioni incumberent; peramanterque eos hortabatur, ne interioris hominis cultum et spiritalia exercitia negligerent, cum haberent carnalia, et quae corpori sustentando sufficerent. In iis vero omnibus seipsum eis praebebat exemplum, adeo ut jam ab omnibus non clericus, sed monachus diceretur. Interea Henricus Archiepiscopus, jubente Othone Imperatore, Romam proficiscitur, et cum aliquamdiu illic moratus esset, admodum incommodâ coepit laborare valetudine. Cumque spem recuperandae sanitatis abjecisset, Imperatorem ad se accersivit, resque beati Wolfgangi ei exponens, rogavit eum, ut Treviros litteras mitteret, quibus omnibus interdiceret, ne quam injuriam servo Dei irrogarent. Atque ita ille Romae decessit.

§ 8. Cum autem obitus ejus nuncius Treviros allatus esset, beatus Wolfgangus primo quidem summo animi dolore affectus est: sed deinde seipsum consolari et confirmare coepit, quod quae jampridem de mundi contemptu apud se statuisset, hac oblatâ opportunitate, in rem conferre posset. Postquam igitur apud se deliberavit redire in patriam, Bruno, Archiepiscopus Coloniensis, qui tum etiam ducatum Lotharingiae administrabat, eum ad se accitum apud se retinere conatus est, liberaliter ei promittens omnem humanitatem, atque etiam Episcopi dignitatem. Sed vir sanctus majora et ardua animo consectans, ea recusavit: aliquanto interim tempore nihilo minus haerens apud illum, de quo postea crebro ipse referre solebat, raro se quemquam omni probitate Episcopo Brunoni parem conspexisse. Obiter autem hic observandum venit, qua perfectione jam tum praeditus fuerit beatus Wolfgangus, cui tam ampla promissa et mundi hujus prosperitas, multaque alia, quae longum sit commemorare, ultro oblata cum fuissent, plane recusata sunt ab illo. Magnae enim virtutis et meriti est isthaec omnia relinquere, et in hoc seculo voluntariam complecti paupertatem. Sentiens igitur gloriosus Archiepiscopus Bruno virum Dei arctioris vitae teneri desiderio, peramice et gratulabundus eum pro suo arbitratu a se permisit abire.

§ 9. Veniens ergo ille domum, a cognatis et amicis peramanter acceptus est, sed ita tamen, ut velut alter Ulysses in Syrenes incidisse videretur. Hortabantur enim et obsecrabant eum parentes et propinqui omnes, potiorem ei substantiae haereditariae portionem pollicentes, ne ipsos desereret, dicebantque:

Cum sis cunctorum spes solamenque tuorum,
Atque domus nostrae vis omnis adhaereat in te,
Ne procul hinc abeas, ne nos, dilecte, relinquas:
Nam tibi cuncta damus, quibus in vita est opus ista.

Nec deerant, qui his adjungerent, scripta divina jubere, ut parentibus mos geratur. Sed egregius Christi miles surdis haec

accipiebat auribus, et ipsius Christi sermones iis opponebat, ita dicentis: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x). Legerat quoque fortassis, quod beatus Hieronymus scribit cuidam amico *: « Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum Crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. » Inspiciebat etiam beatissimum Christi baptistam Joannem; qui licet domi sanctam haberet matrem et patrem sacerdotem, tamen utroque derelicto, ne inter homines degens aliqua labe adspergeretur, in erèmum secessit. Id genus exemplis incitatus, parentes seorsum ita fertur allocutus:

§ **10**. « Facultatum vestrarum meliorem partem, quam mihi dare vultis, inter vos dividite. Est vero praepotens quidam ac praedives Dominus, qui amplissimum mihi promisit patrimonium, si me ei servum fidelem exhibere velim Ille ergo est pars haereditatis meae, ille plane restituet haereditatem meam mihi. Illi ego bene confido, fore ut tali me afficiat beneficio, unde et vobis possim aliquid impertiri. Oro igitur vos, ne tantas mihi oblatas opes lacrymis et querimoniis vestris retardetis, sed mihi potius res illis obtinendis necessarias suggeratis. Non enim desidem atque negligentem, sed alacrem ac studiosum vult habere ministrum herus ille, de quo loquor. » Iis beati viri sermonibus exhilarati parentes, nomen heri et locum, quo sit iturus, ex eo percontantur. At ille respondet, in praesentiarum quidem scire id illos non posse, scituros tamen postea. Porro autem sciscitantibus illis, num quem e suis velit habere comitem itineris, prorsus abnuit: atque inde, paucis interjectis diebus, adjunxit sibi duos adolescentes, et spiritualem filium suum Isaac, puta votum suum. Quod ut Deo praestare posset, propter arctiorem monasticae disciplinae observantiam, ad monasterium solitariorum **, in Hercynia silva habitantium, profectus est. Ei monasterio tum praeerat religiosus et spiritualis pater ex Anglorum stirpe procreatus, Gregorius ***: qui in juventute patriam, parentes et feminam ipsi desponsam reliquerat, et monasticum vitae genus complexus fuerat. Cujus vitam virtutibus ornatissimam, ne ab instituto deflectamus, hic pertexere nolumus. Hujus Abbatis magisterio servus Christi Wolfgangus se commendans, veterem cum suis actibus hominem deposuit, novumque monasticae vitae et professionis habitum induit. In quo sane qui ejus vitae rigor, quam accurata monastici instituti observantia et cultus fuerit, ejus praeclarae

* Epist. I ad Heliodorum.

** Monasterium, de quo biographus noster loquitur, est illud quod *Einsieldén*, seu *Eremitarum coenobium* nuncupatur. In Helvetia, in Svitiae (*Schwitz*) pago, situm est; ibique celeberrima B. Virginis imago summa cum devotione colitur.

*** Ab anno 994 usque ad anno 996 Eremitarum coenobio sanctissime praefuit.

virtutes, et multarum salus animarum, abunde declarant. Exacto autem tyrocinii sui tempore, multi e vicinis monasteriis, probitatis ejus fama illecti, ad eum venerunt, quos omnes ille, permissu Abbatis, bonis litteris et honestis moribus instituebat.

§ **11**. Per id tempus beatus antistes Udalricus*, cujus sanctitatis fama Europa omnis adspersa est, causa visitandi fratres pro more ad illud pervenit monasterium. Ubi cum ad aliquot haesisset dies, et de Wolfgangi vita et moribus cognovisset, magno eum amoris studio complecti ac venerari coepit, ita ut non diu post etiam renitentem sacerdotio initiarit. Quo ille honore auctus, muneri suo volens satisfacere, cum multa humilitate scopebat, ut propheta dicit, spiritum suum, et per vota, quae ejus distinxerant labia, Domino fideliter offerebat holocausta medullata. Qua spiritus contritione cum seipsum Domino quotidie mactaret, divinâ est visione affectus. Cum enim pro sua aliorumque salute jugiter Dominum deprecaretur, precesque suas sanctorum suffragiis magno studio commendaret, beatum Christi confessorem Othmarum, cui se suaque creberrime committebat, sibi in somnis adstare vidit: jussusque ab eo in ipsum respicere, ita sibi dicentem audivit: « Quandoquidem rogasti me, ut pro te intercederem, quaedam tibi indicabo, post eventura tibi ob preces meas. Pauper quidem et inops ex hoc migrabis loco, sed alibi, ubi pro Christi amore deges peregrinus, Episcopatum mundi hujus opibus satis affluentem, divinâ praedestinatione consequèris. In quo administrando si fidelem te praebueris, post annos vigintiduos ab hac vita temporaria feliciter proficisceris ad illam sempiternam. Certus autem sis, te eo in loco animam Christo redditurum, ubi in Christi nomine a Christianis mei memoria celebratur. Ego vero in illa hora exitus tui spero me venturum ad locum illum cum aliis beatae patriae civibus, quos tunc habebis consolatores. »

§ **12**. Ab hac visione vir Dei, divinae contemplationi accuratius vacabat, quippe talibus promissis egregie confirmatus: multusque in ea erat cogitatione, quemadmodum divinitus percepta talenta, in aliorum salutem duplicaret. Eaque causâ cum bona venia Abbatis sui, monasterium, non monachum, deserens, immo secundum Apostolum, majora charismata aemulari cupiens, per Alemaniam venit peregrinus in Noricum, atque ad ejus partem orientalem cum aliquot comitibus pergens, praedicandi causâ Pannoniae fines petiit. Ubi cum veterum errorum frutices extirpare, steriles squalentium pectorum agros Evangelico aratro proscindere, et in eos fidei semina dejicere frustra conaretur, a

* S. *Udalricus*, seu *Ulricus*, Augustae Vindelicorum (germ. *Augsbourg* in Bavariae regno) episcopus. Vitae cursum perfecit, octuagenario major, anno 973; atque in Sanctorum albo adscitus fuit a Joanne Pp. XV. Multa et praeclara sane de illo scripsere germanici Historici, quos legere operae pretium existimamus. Surium nostrum consule, Vol. III, pag. 584 etc.

Piligrino* Pataviensi Episcopo a coepto est opere revocatus. Dolebat enim Episcopo, tam egregium cultorem in sulcos steriles tantum conferre laborem. Mansit ergo apud illum Episcopum, omni humanitatis officio ipsum prosequentem, dies aliquot, ejus precibus obsecundans. Interim Episcopus mire sagax, ejus sententiae Apostolicae ** non immemor, quâ monet probare spiritus, utrum ex Deo sint, tum clam, tum palam observavit, quam ille esset sedulus in cultu et servitio divino, quam assiduus in sacra lectione et Scripturae divinae perscrutatione, atque inde pro sua singulari prudentia facile animadvertit eum, quem ut peregrinum exceperat, non esse hominem levem et vagabundum, sed verae fidei domesticum firmum ac stabilem. Quamobrem etiam quibusdam e suis dicebat familiariter: « O felicem illam Ecclesiam, quae ex Domini providentia hunc virum merebitur habere sacerdotem. Mihi quidem hoc cumprimis et utile et necessarium videtur, ut precibus meis efficiam, quo illi Ratisponensis Ecclesiae regimen demandetur. Aequissimum est enim, ut ubi abundat bona voluntas, congrua etiam illi exequendae praestetur facultas. Bonum namque semen, quod hic bonus vir jacere voluit in obdurata corda paganorum, et salutis ministerium, quod illorum caecitas fastidivit, eo ipso agrum Dominicum excolente, fortassis quandoque fructum feret apud Christianos. » Aderant autem tum quidam, qui dicerent: « Quonam pacto homo iste inops et ignotus tanti Episcopatus dignitati par et idoneus esse poterit, praesertim cum plerique alii celebres viri magisque noti, justius eam videantur apud Imperatorem impetraturi? » Quibus Episcopus respondit: « Permultum interest inter divina humanaque judicia. Scrutator namque cordium et renum Deus, a mundi initio elegit contemptibilia et ignobilia, ut confunderet fortia: contra autem mundus, quod suum est, ad horam extollit, sed tandem cum ignominia dejicit. Mihi igitur plane operae pretium facturus videor, si fretus auxilio Marchionis, cujus consiliis libenter utitur et paret Imperator, precibus ab illo contendam, ne patiatur per ambitionem quemquam obtinere sedem Ecclesiae Ratisponensis: sed ob aeternam remunerationem, si quem compererit humilem, modestum, eruditum et ecclesiasticis ministeriis aptum, eum, cujuscumque sit conditionis, ad eam curet provehendum. »

§ **13**. Itaque per legatos Episcopi et Marchionis suggestionem, Imperator Otho secundus, et suae et Ecclesiae utilitati consulens, vel potius divino permotus instinctu, quandoquidem cor Regis in manu Dei est, eos omnes, qui Episcopatum illum ambiebant, rejecit, totumque se ad promovendum virum Dei Wolfgangum contulit: misitque celeres nuncios, qui curarent quamprimum

* Seu *Pilgrin* (Peregrinus), Episcopus Pataviensis (*Passau*, in Bavariae regno), verbo et opere, religione pietateque, omnibusque demum episcopalibus virtutibus, prae ceteris insignis. Anno mortuus est 991.

** In I. Joan. IV.

illum eligi, ac deinde vel invitum Francofurtum, ubi Imperator Christi natalem celebraturus erat, perduci. Abeunt legati Imperatoris, inveniunt beatum virum apud Episcopum supradictum, sed jam cogitantem in patriam, quippe qui nihil horum sciret, alioque animum suum intenderet. Legatis vero indicantibus ei causam adventus sui, primum ille recurrit ad penetralia cordis sui, atque illic se et sua Deo commendat; deinde Episcopo Piligrino, cujus charitate illic detinebatur, ita dicit: « Novum hoc mandatum, quod ab Imperatore ad me affertur, tuâ, ni fallor, operâ impetratum est. Etsi autem exiguitati meae timorem injicit, sed tamen bonae voluntati tuae, qua tantam rem molitus es, Deus praemium reddet. »

§ **14**. Post haec cum legatis Imperatoris profecti sunt Ratisponam *, ubi Clerus et populus, ut Imperator petebat, more ecclesiastico sanctum Wolfgangum unanimiter elegerunt, electumque cum Imperatoris nunciis ad ejus aulam dimiserunt. Cumque in ejus venisset conspectum, ad pedes ejus advolutus, fatebatur se indignum, indoctum, ignobilem, et monasticam professionem consectantem, nihil absque sui Abbatis permissu debere suscipere; simulque orabat, ne sanctum locum ipsius foeditate contaminaret. Imperator autem, cernens illum adeo renitentem, certius inde colligit integritatem ejus, et quam plane illo honore dignus sit. Itaque speciale quiddam in eo agnoscens, quamvis reluctanti multumque ingemiscenti, Episcopatum commendat. Multis inde adjunctis ei fidis itineris comitibus, Ratisponam eum remittit. Quo postquam pervènit, cum canticis laetitiae et voce exultationis excipitur, et more antistitum inauguratus, summo pastori commendatur, atque post dies aliquot a Friderico Archiepiscopo ** illiusque suffraganeis consecratur.

§ **15**. Adeptus igitur tantum ministerium, noluit inane Episcopi habere nomen, sed die noctuque illud diligentissime excoluit, munus suum accurate obeundo. Nec propter Episcopatus fastigium, habitum monasticum mutare voluit: sed qua erat intrinsecus animi humilitate, eam etiam foris prae se ferebat bonorum operum studio atque cultu. Memor quoque sententiae illius: *Principem te constituerunt, noli extolli: sed esto in illis, quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII), non cupiebat dominari in clero, sed conabatur forma esse gregi Dominico, illud assidue mente versans, quod per Ezechielem prophetam adversus malos pastores dicit Dominus: *Vae pastoribus, qui pascebant semetipsos, gregem autem meum non pascebant* (*Ezech.* XXXIV). Perspectis autem et cognitis rebus Episcopatus sui, cum animadverteret in urbe Ratisponensis monasticae vitae religioni multum decedere, crebro suspirans, dixisse fertur: « O si monachos haberemus, caetera

* Germanice, *Regensbourg*, in Bavariae regno.
** Fridericus Archiepiscopus erat urbis *Saltzbourg*.

satis suppeterent. » Quibusdam vero e familiaribus ejus dicentibus, multis locis magnam esse monachórum copiam, dolens et lacrymans dicebat: « O quam defecit sanctus! O quam diminutae sunt veritates a filiis hominum! Quid prodest sanctitatis gestare habitum, operibus destitutum? Monachi, qui ad regulae suae praescriptum vivunt, beatis comparantur Angelis: qui vero seculares et mundo dediti sunt, apostatae censentur. » Dicebat autem haec sanctus vir, quod cerneret monachos in beati Emmerammi coenobio Abbate carere, et ita velut oves sine pastore errare. Id vero inde acciderat, quod Episcopi ab Imperatoribus vel Regibus illud monasterium impetrantes, in suam ditionem redegerant, rebusque ejus et facultatibus pro suo arbitratu usi erant. Illo igitur defuncto Abbate, quem invenerant, nullum deinceps curarunt substituere, veriti scilicet, ne, si monasterio, ut habet vitae monasticae usus et consuetudo, Abbas praeficeretur, ipsorum usurpata potestas vel obsequia imminuerentur. Cum sic autem Episcopi monasterii res et bona sibi vindicarent atque distraherent, nec monachis res necessarias suppeditarent: permittebant eis undecumque possent, victum vestesque sibi comparare.

§ **16**. Sed haec omnia dolebant cordi beati viri. Itaque eis volens remedia adhibere, misit ad Treverense monasterium, ubi corpus beati Maximini quiescit, atque inde accivit Ramuoldum, virum in regulari disciplina strenuum, qui quondam cum ipso Henrici Archiepiscopi cappellanus fuerat. Eum primo instituit Praepositum, deinde Abbatem praefecit monasterio sancti Emmerammi. Sed id ex ejus consiliariis quidam indigne ferentes, dicebant ei: « Quid ita et teipsum, et successores tuos fraudas sancti Emmerammi facultatibus? Multi quidem te laudant, sed in hoc certe non laudant: immo vero vituperant. Fungaris ergo et Episcopi et Abbatis munere, ut tui fecere decessores, ne quarumdam rerum carerent emolumentis. Isthaec tua insipientia, quodam sapientiae sale condienda est.» Iis vir sanctus respondit: « Non me pudet stultum et insipientem dici propter Deum: sed interim vos hoc scire debetis, Wolfgangum nunquam in humeros suos accepturum sàrcinam, quam ferre non possit, nempe ut Episcopus pariter et Abbas dici velit. Sicut enim, teste beato Gregorio, indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio; ita nimirum noxium, simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Sufficit Episcopo, ut summâ vigilantiâ incumbat pastorali officio; satisque negotii habet Abbas, si fratrum curet salutem, resque monasterii sui per omnia bene procuret. Quam ob causam debet etiam ille inter fratres officia distribuere, ut hac ratione de suis oneribus aliquid detrahat. Quod autem me dicitis et successores meos fraudare facultatibus beati Emmerammi martyris: equidem ea illi, cui donata sunt, et

servorum Dei usibus modis omnibus conservare volo. Ita enim mihi vel maxime usui erunt et emolumento, si illis, quibus deputata sunt, quibusque constat inde prospici et provideri oportere, abunde impendantur.» Haec et id genus alia multa dicente beato Wolfgango, adeo obstructum est os loquentium iniqua, ut quod prius carpendum sumpserant, jam egregie commendarent, ita dicentes: « Humanis divina, ut par est, praetulisti; satisque et nostras nugaces confutasti rationes, et tuam eximiam sapientiam declarasti. Nihil jam superest, nisi ut pariter laudemus Deum, qui Ecclesiae suae te dedit dignissimum praesulem. Et jure quidem illum laudamus in secula, et tibi promptis animis ad omnia paremus.» Cum sic ergo Ramuoldum constituisset Abbatem, non passus est vel illum, vel monachos, ejus curae commissos, ullam victus pati penuriam: sed tum animarum, tum corporum curam gerens, praedia omnia sancto Emmerammo sive a Regibus, sive ab aliis principibus collata, et ab ejus antecessoribus vi monasterio ablata, monachorum et hospitum, pauperum quoque et familiae usibus deinceps servitura restituit.

§ 17. Post haec quoque alia duo virginum monasteria, quorum alterum superius, alterum inferius dicitur, intra urbem Ratisponensem ad regularis vitae et disciplinae normam conatus est revocare. Canonicum enim institutum sequentes virgines illae, nihil se illicitum admittere arbitrabantur, si se passim negotiis secularibus immiscèrent. Unde fiebat tamen, ut hac occasione magnam vitae religiosae jacturam facerent. Id vero indesinenter considerans beatus Antistes, cum longo tempore frustra illis corrigendis operam navasset, apud se constituit in aliquo suae ditionis loco monasticae professionis virgines collocare, quarum religiosa conversatione bonisque exemplis aliae illae ad eas imitandas invitarentur: quod quidem etiam sic evènit. Nam cum ad sanctum Paulum Deo sacratarum virginum sive sanctimonialium monasterium instituisset, earum contemplatione aliae mutari coeperunt. Cumque pro iis sanctus Episcopus multas Deo preces offerret, tam divinâ revelatione, quam humana auctoritate meruit confirmari. De inferiori quidem monasterio ejusmodi ei visio oblata est. Solebat vir beatus tam nocturnis, quam diurnis horis cuncta urbis monasteria crebro adire, ibique tum orandi causâ, tum etiam explorandi, quemadmodum divina illic ministeria cultusque divinus perageretur, aliquandiu haerere. Cumque hoc pacto nocte quadam esset in monasterio inferiori, ubi corpus sancti Erardi quiescit, repentino quodam sopore oppresso sanctus Erardus ei appàret, madidâ veste indutus, aitque ad eum: « Precibus illis, quas Deo pro communi salute jugiter offers, scias me favere. Itaque sicut ego tuis, ita tu, quaeso, meis obsecundes votis. Quod me cernis madido tectum indumento, id eâ nòveris causâ accidere, quod sanctimoniales hic degentes, assiduis quidem me

contentione rogavit. At ille aliquandiu difficilem se praebuit, sed cum tandem videret se bene non posse negare, noluit esse pervicax. Adjunxit igitur se illi hujus quoque itineris comitem. Tum vero praesul ille venerabilis magnum animi studium, amorem et benevolentiam, qua illum complectebatur, re ipsâ declarare cupiens, ejusmodi sacerdotiis sive beneficiis ecclesiasticis et dignitatibus eum afficere voluit, ut per omnem dioecesim ipsius secundum ab eo locum obtineret, aliosque omnes auctoritate anteiret. Verum ille bonus Christi servus, mundi hujus inanem gloriam fugiens, semperque ob oculos versans illud Apostolicum : *Nihil intulimus in hoc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus;* et, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli* (1. *Tim.* VI); tanto honore se affirmabat indignum. Tandem vero in hoc cessit, ut pateretur scholasticos pueros et adolescentes suae curae commendari : nimirum prudenti usus consilio, ut praeclarum doctrinae talentum, ipsi a Domino traditum, aliis impertiens, sicut bonus et fidelis dispensator, uberes ad Dominum suum referret fructus. Pro iis autem docendi laboribus nihil lucri, nullamque mercedem recipere voluit; sed operam dedit, ut alios posset lucrifacere; nec, ut plerique solent didascali, Satyricum illud decantantes : *Nosse volunt omnes, mercedem solvere nemo :* a quovis quicquam exegit, tametsi a permultis cogeretur.

§ 6. Porro autem antequam esset sacerdotio initiatus, a carnibus abstinuit, nec vestes magni pretii expetiit, vigiliis, jejuniis et precibus libenter incubuit, secularia negotia ita tractavit, ut corpore, non animo, illis esset implicatus. Adolescentes, quos erudiendos suscepit, non solum liberalibus disciplinis, sed etiam bonis moribus instruxit. Adeo autem se ad discipulorum captum accommodavit, ut cum capacioribus difficiliora quaeque quae in auctoribus et disciplinis sese offerrent, explicuisset, mox ad rudiores se verteret, et instar nutricis lacteo cibo eos reficeret, qui solidiora capere necdum possent. Si qui autem in ejus discipulis essent tenui fortuna, et humanis auxiliis destituti, eos non solum litteris instituebat, sed etiam corporeis fovebat alimentis. Hac vero ejus vivendi ratione partim oculis, partim auditione compertâ, Henricus Archiepiscopus tum per seipsum, tum per alios suos familiares hortabatur eum, ut aliquod vel Clericorum, vel monachorum coenobium regendum susciperet. Ille vero more suo eam praetexens excusationem, quod omni honore indignus esset, tandem tamen Episcopi auctoritate et praecepto compulsus, consensit clericorum esse Decanus.

§ 7. Hoc vero honore suscepto ita se comparavit vir sanctus, ut improbis et irreligiosis esset terrori et formidini, bonis et piis amori. Effecit autem apud illos tum minis, tum suasionibus, ut, quod prius non fecerant, communi mensâ et dormitorio uterentur,

in coenobio, sive, ut auctor loquitur, in claustro sederent, et lectioni incumberent; peramanterque eos hortabatur, ne interioris hominis cultum et spiritalia exercitia negligerent, cum haberent carnalia, et quae corpori sustentando sufficerent. In iis vero omnibus seipsum eis praebebat exemplum, adeo ut jam ab omnibus non clericus, sed monachus diceretur. Interea Henricus Archiepiscopus, jubente Othone Imperatore, Romam proficiscitur, et cum aliquamdiu illic moratus esset, admodum incommodâ coepit laborare valetudine. Cumque spem recuperandae sanitatis abjecisset, Imperatorem ad se accersivit, resque beati Wolfgangi ei exponens, rogavit eum, ut Treviros litteras mitteret, quibus omnibus interdiceret, ne quam injuriam servo Dei irrogarent. Atque ita ille Romae decessit.

§ 8. Cum autem obitus ejus nuncius Treviros allatus esset, beatus Wolfgangus primo quidem summo animi dolore affectus est: sed deinde seipsum consolari et confirmare coepit, quod quae jampridem de mundi contemptu apud se statuisset, hac oblatâ opportunitate, in rem conferre posset. Postquam igitur apud se deliberavit redire in patriam, Bruno, Archiepiscopus Coloniensis, qui tum etiam ducatum Lotharingiae administrabat, eum ad se accitum apud se retinere conatus est, liberaliter ei promittens omnem humanitatem, atque etiam Episcopi dignitatem. Sed vir sanctus majora et ardua animo consectans, ea recusavit: aliquanto interim tempore nihilo minus haerens apud illum, de quo postea crebro ipse referre solebat, raro se quemquam omni probitate Episcopo Brunoni parem conspexisse. Obiter autem hic observandum venit, qua perfectione jam tum praeditus fuerit beatus Wolfgangus, cui tam ampla promissa et mundi hujus prosperitas, multaque alia, quae longum sit commemorare, ultro oblata cum fuissent, plane recusata sunt ab illo. Magnae enim virtutis et meriti est isthaec omnia relinquere, et in hoc seculo voluntariam complecti paupertatem. Sentiens igitur gloriosus Archiepiscopus Bruno virum Dei arctioris vitae teneri desiderio, peramice et gratulabundus eum pro suo arbitratu a se permisit abire.

§ 9. Veniens ergo ille domum, a cognatis et amicis peramanter acceptus est, sed ita tamen, ut velut alter Ulysses in Syrenes incidisse videretur. Hortabantur enim et obsecrabant eum parentes et propinqui omnes, potiorem ei substantiae haereditariae portionem pollicentes, ne ipsos desereret, dicebantque:

Cum sis cunctorum spes solamenque tuorum,
Atque domus nostrae vis omnis adhaereat in te,
Ne procul hinc abeas, ne nos, dilecte, relinquas:
Nam tibi cuncta damus, quibus in vita est opus ista.

Nec deerant, qui his adjungerent, scripta divina jubere, ut parentibus mos geratur. Sed egregius Christi miles surdis haec

accipiebat auribus, et ipsius Christi sermones iis opponebat, ita dicentis: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x). Legerat quoque fortassis, quod beatus Hieronymus scribit cuidam amico *: « Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum Crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. » Inspiciebat etiam beatissimum Christi baptistam Joannem; qui licet domi sanctam haberet matrem et patrem sacerdotem, tamen utroque derelicto, ne inter homines degens aliqua labe adspergeretur, in erèmum secessit. Id genus exemplis incitatus, parentes seorsum ita fertur allocutus:

§ **10**. « Facultatum vestrarum meliorem partem, quam mihi dare vultis, inter vos dividite. Est vero praepotens quidam ac praedives Dominus, qui amplissimum mihi promisit patrimonium, si me ei servum fidelem exhibere velim. Ille ergo est pars haereditatis meae, ille plane restituet haereditatem meam mihi. Illi ego bene confido, fore ut tali me afficiat beneficio, unde et vobis possim aliquid impertiri. Oro igitur vos, ne tantas mihi oblatas opes lacrymis et querimoniis vestris retardetis, sed mihi potius res illis obtinendis necessarias suggeratis. Non enim desidem atque negligentem, sed alacrem ac studiosum vult habere ministrum herus ille, de quo loquor. » Iis beati viri sermonibus exhilarati parentes, nomen heri et locum, quo sit iturus, ex eo percontantur. At ille respondet, in praesentiarum quidem scire id illos non posse, scituros tamen postea. Porro autem sciscitantibus illis, num quem e suis velit habere comitem itineris, prorsus abnuit: atque inde, paucis interjectis diebus, adjunxit sibi duos adolescentes, et spiritualem filium suum Isaac, puta votum suum. Quod ut Deo praestare posset, propter arctiorem monasticae disciplinae observantiam, ad monasterium solitariorum **, in Hercynia silva habitantium, profectus est. Ei monasterio tum praeerat religiosus et spiritualis pater ex Anglorum stirpe procreatus, Gregorius ***: qui in juventute patriam, parentes et feminam ipsi desponsam reliquerat, et monasticum vitae genus complexus fuerat. Cujus vitam virtutibus ornatissimam, ne ab instituto deflectamus, hic pertexere nolumus. Hujus Abbatis magisterio servus Christi Wolfgangus se commendans, veterem cum suis actibus hominem deposuit, novumque monasticae vitae et professionis habitum induit. In quo sane qui ejus vitae rigor, quam accurata monastici instituti observantia et cultus fuerit, ejus praeclarae

* Epist. I ad Heliodorum.

** Monasterium, de quo biographus noster loquitur, est illud quod *Einsielden*, seu *Eremitarum coenobium* nuncupatur. In Helvetia, in Svitiae (*Schwitz*) pago, situm est; ibique celeberrima B. Virginis imago summa cum devotione colitur.

*** Ab anno 994 usque ad anno 996 Eremitarum coenobio sanctissime praefuit.

virtutes, et multarum salus animarum, abunde declarant. Exacto autem tyrocinii sui tempore, multi e vicinis monasteriis, probitatis ejus fama illecti, ad eum venerunt, quos omnes ille, permissu Abbatis, bonis litteris et honestis moribus instituebat.

§ **11**. Per id tempus beatus antistes Udalricus *, cujus sanctitatis fama Europa omnis adspersa est, causa visitandi fratres pro more ad illud pervenit monasterium. Ubi cum ad aliquot haesisset dies, et de Wolfgangi vita et moribus cognovisset, magno eum amoris studio complecti ac venerari coepit, ita ut non diu post etiam renitentem sacerdotio initiarit. Quo ille honore auctus, muneri suo volens satisfacere, cum multa humilitate scopebat, ut propheta dicit, spiritum suum, et per vota, quae ejus distinxerant labia, Domino fideliter offerebat holocausta medullata. Qua spiritus contritione cum seipsum Domino quotidie mactaret, divinâ est visione affectus. Cum enim pro sua aliorumque salute jugiter Dominum deprecaretur, precesque suas sanctorum suffragiis magno studio commendaret, beatum Christi confessorem Othmarum, cui se suaque creberrime committebat, sibi in somnis adstare vidit: jussusque ab eo in ipsum respicere, ita sibi dicentem audivit: « Quandoquidem rogasti me, ut pro te intercederem, quaedam tibi indicabo, post eventura tibi ob preces meas. Pauper quidem et inops ex hoc migrabis loco, sed alibi, ubi pro Christi amore deges peregrinus, Episcopatum mundi hujus opibus satis affluentem, divinâ praedestinatione consequèris. In quo administrando si fidelem te praebueris, post annos vigintiduos ab hac vita temporaria feliciter proficisceris ad illam sempiternam. Certus autem sis, te eo in loco animam Christo redditurum, ubi in Christi nomine a Christianis mei memoria celebratur. Ego vero in illa hora exitus tui spero me venturum ad locum illum cum aliis beatae patriae civibus, quos tunc habebis consolatores. »

§ **12**. Ab hac visione vir Dei, divinae contemplationi accuratius vacabat, quippe talibus promissis egregie confirmatus: multusque in ea erat cogitatione, quemadmodum divinitus percepta talenta, in aliorum salutem duplicaret. Eaque causâ cum bona venia Abbatis sui, monasterium, non monachum, deserens, immo secundum Apostolum, majora charismata aemulari cupiens, per Alemaniam venit peregrinus in Noricum. atque ad ejus partem orientalem cum aliquot comitibus pergens, praedicandi causâ Pannoniae fines petiit. Ubi cum veterum errorum frutices extirpare, steriles squalentium pectorum agros Evangelico aratro proscindere, et in eos fidei semina dejicere frustra conaretur, a

* S. *Udalricus*, seu *Ulricus*, Augustae Vindelicorum (germ. *Augsbourg* in Bavariae regno) episcopus. Vitae cursum perfecit, octuagenario major, anno 973; atque in Sanctorum albo adscitus fuit a Joanne Pp. XV. Multa et praeclara sane de illo scripsere germanici Historici, quos legere operae pretium existimamus. Surium nostrum consule, Vol. III, pag. 584 etc.

Piligrino* Pataviensi Episcopo a coepto est opere revocatus. Dolebat enim Episcopo, tam egregium cultorem in sulcos steriles tantum conferre laborem. Mansit ergo apud illum Episcopum, omni humanitatis officio ipsum prosequentem, dies aliquot, ejus precibus obsecundans. Interim Episcopus mire sagax, ejus sententiae Apostolicae ** non immemor, quâ monet probare spiritus, utrum ex Deo sint, tum clam, tum palam observavit, quam ille esset sedulus in cultu et servitio divino, quam assiduus in sacra lectione et Scripturae divinae perscrutatione, atque inde pro sua singulari prudentia facile animadvertit eum, quem ut peregrinum exceperat, non esse hominem levem et vagabundum, sed verae fidei domesticum firmum ac stabilem. Quamobrem etiam quibusdam e suis dicebat familiariter: « O felicem illam Ecclesiam, quae ex Domini providentia hunc virum merebitur habere sacerdotem. Mihi quidem hoc cumprimis et utile et necessarium videtur, ut precibus meis efficiam, quo illi Ratisponensis Ecclesiae regimen demandetur. Aequissimum est enim, ut ubi abundat bona voluntas, congrua etiam illi exequendae praestetur facultas. Bonum namque semen, quod hic bonus vir jacere voluit in obdurata corda paganorum, et salutis ministerium, quod illorum caecitas fastidivit, eo ipso agrum Dominicum excolente, fortassis quandoque fructum feret apud Christianos. » Aderant autem tum quidam, qui dicerent: « Quonam pacto homo iste inops et ignotus tanti Episcopatus dignitati par et idoneus esse poterit, praesertim cum plerique alii celebres viri magisque noti, justius eam videantur apud Imperatorem impetraturi? » Quibus Episcopus respondit: « Permultum interest inter divina humanaque judicia. Scrutator namque cordium et renum Deus, a mundi initio elegit contemptibilia et ignobilia, ut confunderet fortia: contra autem mundus, quod suum est, ad horam extollit, sed tandem cum ignominia dejicit. Mihi igitur plane operae pretium facturus videor, si fretus auxilio Marchionis, cujus consiliis libenter utitur et paret Imperator, precibus ab illo contendam, ne patiatur per ambitionem quemquam obtinere sedem Ecclesiae Ratisponensis: sed ob aeternam remunerationem, si quem compererit humilem, modestum, eruditum et ecclesiasticis ministeriis aptum, eum, cujuscumque sit conditionis, ad eam curet provehendum. »

§ **13**. Itaque per legatos Episcopi et Marchionis suggestionem, Imperator Otho secundus, et suae et Ecclesiae utilitati consulens, vel potius divino permotus instinctu, quandoquidem cor Regis in manu Dei est, eos omnes, qui Episcopatum illum ambiebant, rejecit, totumque se ad promovendum virum Dei Wolfgangum contulit: misitque celeres nuncios, qui curarent quamprimum

* Seu *Pilgrin* (Peregrinus), Episcopus Pataviensis (*Passau*, in Bavariae regno), verbo et opere, religione pietateque, omnibusque demum episcopalibus virtutibus, prae ceteris insignis. Anno mortuus est 991.

** In I. Joan. IV.

illum eligi, ac deinde vel invitum Francofurtum, ubi Imperator Christi natalem celebraturus erat, perduci. Abeunt legati Imperatoris, inveniunt beatum virum apud Episcopum supradictum, sed jam cogitantem in patriam, quippe qui nihil horum sciret, alioque animum suum intenderet. Legatis vero indicantibus ei causam adventus sui, primum ille recurrit ad penetralia cordis sui, atque illic se et sua Deo commendat; deinde Episcopo Piligrino, cujus charitate illic detinebatur, ita dicit: « Novum hoc mandatum, quod ab Imperatore ad me affertur, tuâ, ni fallor, operâ impetratum est. Etsi autem exiguitati meae timorem injicit, sed tamen bonae voluntati tuae, qua tantam rem molitus es, Deus praemium reddet. »

§ **14**. Post haec cum legatis Imperatoris profecti sunt Ratisponam *, ubi Clerus et populus, ut Imperator petebat, more ecclesiastico sanctum Wolfgangum unanimiter elegerunt, electumque cum Imperatoris nunciis ad ejus aulam dimiserunt. Cumque in ejus venisset conspectum, ad pedes ejus advolutus, fatebatur se indignum, indoctum, ignobilem, et monasticam professionem consectantem, nihil absque sui Abbatis permissu debere suscipere; simulque orabat, ne sanctum locum ipsius foeditate contaminaret. Imperator autem, cernens illum adeo renitentem, certius inde colligit integritatem ejus, et quam plane illo honore dignus sit. Itaque speciale quiddam in eo agnoscens, quamvis reluctanti multumque ingemiscenti, Episcopatum commendat. Multis inde adjunctis ei fidis itineris comitibus, Ratisponam eum remittit. Quo postquam pervènit, cum canticis laetitiae et voce exultationis excipitur, et more antistitum inauguratus, summo pastori commendatur, atque post dies aliquot a Friderico Archiepiscopo ** illiusque suffraganeis consecratur.

§ **15**. Adeptus igitur tantum ministerium, noluit inane Episcopi habere nomen, sed die noctuque illud diligentissime excoluit, munus suum accurate obeundo. Nec propter Episcopatus fastigium, habitum monasticum mutare voluit: sed qua erat intrinsecus animi humilitate, eam etiam foris prae se ferebat bonorum operum studio atque cultu. Memor quoque sententiae illius: *Principem te constituerunt, noli extolli: sed esto in illis, quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII), non cupiebat dominari in clero, sed conabatur forma esse gregi Dominico, illud assidue mente versans, quod per Ezechielem prophetam adversus malos pastores dicit Dominus: *Vae pastoribus, qui pascebant semetipsos, gregem autem meum non pascebant* (*Ezech.* XXXIV). Perspectis autem et cognitis rebus Episcopatus sui, cum animadverteret in urbe Ratisponensis monasticae vitae religioni multum decedere, crebro suspirans, dixisse fertur: « O si monachos haberemus, caetera

* Germanice, *Regensbourg*, in Bavariae regno.
** Fridericus Archiepiscopus erat urbis *Saltzbourg*.

satis suppeterent. » Quibusdam vero e familiaribus ejus dicentibus, multis locis magnam esse monachórum copiam, dolens et lacrymans dicebat: « O quam defecit sanctus ! O quam diminutae sunt veritates a filiis hominum ! Quid prodest sanctitatis gestare habitum, operibus destitutum? Monachi, qui ad regulae suae praescriptum vivunt, beatis comparantur Angelis: qui vero seculares et mundo dediti sunt, apostatae censentur. » Dicebat autem haec sanctus vir, quod cerneret monachos in beati Emmerammi coenobio Abbate carere, et ita velut oves sine pastore errare. Id vero inde acciderat, quod Episcopi ab Imperatoribus vel Regibus illud monasterium impetrantes, in suam ditionem redegerant, rebusque ejus et facultatibus pro suo arbitratu usi erant. Illo igitur defuncto Abbate, quem invenerant, nullum deinceps curarunt substituere, veriti scilicet, ne, si monasterio, ut habet vitae monasticae usus et consuetudo, Abbas praeficeretur, ipsorum usurpata potestas vel obsequia imminuerentur. Cum sic autem Episcopi monasterii res et bona sibi vindicarent atque distraherent, nec monachis res necessarias suppeditarent: permittebant eis undecumque possent, victum vestesque sibi comparare.

§ **16**. Sed haec omnia dolebant cordi beati viri. Itaque eis volens remedia adhibere, misit ad Treverense monasterium, ubi corpus beati Maximini quiescit, atque inde accivit Ramuoldum, virum in regulari disciplina strenuum, qui quondam cum ipso Henrici Archiepiscopi cappellanus fuerat. Eum primo instituit Praepositum, deinde Abbatem praefecit monasterio sancti Emmerammi. Sed id ex ejus consiliariis quidam indigne ferentes, dicebant ei: « Quid ita et teipsum, et successores tuos fraudas sancti Emmerammi facultatibus? Multi quidem te laudant, sed in hoc certe non laudant: immo vero vituperant. Fungaris ergo et Episcopi et Abbatis munere, ut tui fecere decessores, ne quarumdam rerum carerent emolumentis. Isthaec tua insipientia, quodam sapientiae sale condienda est. » Iis vir sanctus respondit: « Non me pudet stultum et insipientem dici propter Deum: sed interim vos hoc scire debetis, Wolfgangum nunquam in humeros suos accepturum sàrcinam, quam ferre non possit, nempe ut Episcopus pariter et Abbas dici velit. Sicut enim, teste beato Gregorio, indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio; ita nimirum noxium, simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Sufficit Episcopo, ut summâ vigilantiâ incumbat pastorali officio; satisque negotii habet Abbas, si fratrum curet salutem, resque monasterii sui per omnia bene procuret. Quam ob causam debet etiam ille inter fratres officia distribuere, ut hac ratione de suis oneribus aliquid detrahat. Quod autem me dicitis et successores meos fraudare facultatibus beati Emmerammi martyris: equidem ea illi, cui donata sunt, et

servorum Dei usibus modis omnibus conservare volo. Ita enim mihi vel maxime usui erunt et emolumento, si illis, quibus deputata sunt, quibusque constat inde prospici et provideri oportere, abunde impendantur.» Haec et id genus alia multa dicente beato Wolfgango, adeo obstructum est os loquentium iniqua, ut quod prius carpendum sumpserant, jam egregie commendarent, ita dicentes: « Humanis divina, ut par est, praetulisti; satisque et nostras nugaces confutasti rationes, et tuam eximiam sapientiam declarasti. Nihil jam superest, nisi ut pariter laudemus Deum, qui Ecclesiae suae te dedit dignissimum praesulem. Et jure quidem illum laudamus in secula, et tibi promptis animis ad omnia paremus.» Cum sic ergo Ramuoldum constituisset Abbatem, non passus est vel illum, vel monachos, ejus curae commissos, ullam victus pati penuriam: sed tum animarum, tum corporum curam gerens, praedia omnia sancto Emmerammo sive a Regibus, sive ab aliis principibus collata, et ab ejus antecessoribus vi monasterio ablata, monachorum et hospitum, pauperum quoque et familiae usibus deinceps servitura restituit.

§ 17. Post haec quoque alia duo virginum monasteria, quorum alterum superius, alterum inferius dicitur, intra urbem Ratisponensem ad regularis vitae et disciplinae normam conatus est revocare. Canonicum enim institutum sequentes virgines illae, nihil se illicitum admittere arbitrabantur, si se passim negotiis secularibus immiscèrent. Unde fiebat tamen, ut hac occasione magnam vitae religiosae jacturam facerent. Id vero indesinenter considerans beatus Antistes, cum longo tempore frustra illis corrigendis operam navasset, apud se constituit in aliquo suae ditionis loco monasticae professionis virgines collocare, quarum religiosa conversatione bonisque exemplis aliae illae ad eas imitandas invitarentur: quod quidem etiam sic evènit. Nam cum ad sanctum Paulum Deo sacratarum virginum sive sanctimonialium monasterium instituisset, earum contemplatione aliae mutari coeperunt. Cumque pro iis sanctus Episcopus multas Deo preces offerret, tam divinâ revelatione, quam humana auctoritate meruit confirmari. De inferiori quidem monasterio ejusmodi ei visio oblata est. Solebat vir beatus tam nocturnis, quam diurnis horis cuncta urbis monasteria crebro adire, ibique tum orandi causâ, tum etiam explorandi, quemadmodum divina illic ministeria cultusque divinus perageretur, aliquandiu haerere. Cumque hoc pacto nocte quadam esset in monasterio inferiori, ubi corpus sancti Erardi quiescit, repentino quodam sopore oppresso sanctus Erardus ei appàret, madidâ veste indutus, aitque ad eum: « Precibus illis, quas Deo pro communi salute jugiter offers, scias me favere. Itaque sicut ego tuis, ita tu, quaeso, meis obsecundes votis. Quod me cernis madido tectum indumento, id eâ nòveris causâ accidere, quod sanctimoniales hic degentes, assiduis quidem me

infundunt lacrymis suis, sed iis infrugiferis, quandoquidem jam multo tempore nihil se corrigunt, nihil ab iis vitiis, propter quae lacrymas et preces mihi fundunt, abstinere conantur. Tu igitur canonicae vitae institutum, quod eis tantae incuriae et negligentiae occasionem praebuit, in monasticum commuta. » Hac visione sanctus praesul instructus, ad introducendam illic monasticam religionem summo animi studio et devotione se accinxit.

§ 18. De superiori vero monasterio itidem reformando tali est miraculo divinitus confirmatus. Cum aliquando more suo eo accessisset, Missamque celebrare vellet, quasdam Sanctorum reliquias, quae illic celeberrimae habentur, in ejus altaris, in quo sacrificaturus erat, cornu sinistro deposuit. Deinde in orationem se prosternens, ardentissimis precibus a Domino postulavit, quandoquidem secularem vel mundo deditam vitam sinistra, spiritalem dextra significat, si illi placeret Canonicam illic vitam, quae negligentes homines sinistrorsum trahit, in monasticam, quae ad dextram tendit, commutari, ut id ea ratione significet, testatumque efficiat, ut ante peractum sacrificium, eas reliquias a sinistro cornu transferat in dextrum. Iis precibus absolutis, Missam celebrare incipit, atque sub ipso sacrificio absque ullo humano contactu reliquiae illae a sinistra in dextram altaris partem divinitus transferuntur. Eo viso miraculo, gratias agit Deo, et sine ulla haesitatione illic quoque vitam monasticam instituit.

§ 19. Ad has autem revelationes accessit etiam humanum auxilium. Eo enim tempore, quo haec gerebantur, Henricus, Caesaris Henrici pater, Bavariae obtinebat principatum. Is cum sedulus et sollicitus esset cultor divinae religionis, id officii beato Wolfgango tum petendo, tum imperando demandavit, ut in supradicta puellarum monasteria monasticae vitae disciplinam inveheret. Hac ergo illi accedente auctoritate et voluntate principis vir Dei tanto studiosius, quanto majori fretus facultate in id incumbebat, ut in omnibus virginum monasteriis, quae in ea urbe vel sub ipsius, vel aliena ditione essent (duo enim illa jam crebro memorata, Duci: tertium vero, quod est sancti Pauli, Episcopo suberat), unam eamdemque sanctitatis regulam ac disciplinam institueret. Intantum autem, gratiâ divinâ largiente, et beato Wolfgango corrigente, in iis sanctimonialibus religio et studium castitatis, vitae regularis professio increvit, ut Dux memoratus, divino compunctus amore, filiam suam Brigidam earum collegio adjungere non dubitarit. Atque etiam in hunc usque diem, beati viri meritis suffragantibus, talia apud eas vigent virtutum incrementa, ut inter caeteras sanctimoniales tamquam specula quaedam sint. Idem potest etiam de sancti Emmerammi monachis dici, quandiu quidem Ramuoldum habuere Abbatem, quem sanctus Episcopus illis praefecerat. Sed illo decedente, aliisque quos ille instituerat, idem eis evènit, quod filiis Israël, quos

post obitum Joseph dura servitute Aegyptii oppresserunt. Ita enim et hos monachos multi mali praepositi cum omnimoda religiosae vitae profligatione contriverunt. Sed his omissis, ad rem redeamus.

§ 20. Cum eo, quo diximus, modo sanctus Wolfgangus in monastica vita instituenda desudasset, non minori studio se accinxit ad Canonicae vitae jura et instituta reformanda. Ea antecessoris sui Michaëlis mala valetudine destituta et labefactata ut vidit, multa sagacitate et industriâ instauravit: primum quidem in id intentus, ut haberent Canonici quae ad victum vestitumque sufficerent; deinde, ut post se custodes idoneos illi provideret; tum quoque, ut simul in refectorio ederent, et extra claustrum horis incongruis ne exirent, neque silentii disciplinam negligerent. Juniores voluit scholae studiis interesse, seniores psalmodiae, lectioni, orationi vacare. Atque ut adolescentes magis fervefent ad capessenda studia liberalium disciplinarum, crebro illorum tabulas vel ceras inspexit. Plerosque ex illis, ad discendum incitabat beneficiis, desides et negligentes objurgabat.

§ 21. Ita autem monasticis et interioribus sive urbanis rebus recte atque ordine constitutis, prudens et circumspectus Dei cultor nequaquam exteriorum curam neglexit, sed sicut oppidanis et coenobitis optimas proposuit institutiones, ita etiam totam perlustrans dioecesim suam, omnes salutiferis concionibus erudiebat. Adeoque cum Missarum erat solemnia celebraturus, plebem assuefecit confluere ad ecclesiam, ut solemnibus diebus vix aedium custodes domi relicti viderentur. Ad mellitas enim conciones et exhortationes ejus sexus uterque certatim advolabat, coelestium aromatum suavitate illectus, perinde ut apes mellis àllicit odor. Quibus pius ille pater et pastor modis omnibus prodesse, seseque ad eorum captum et utilitatem accommodare desiderans, in proponendis regnis coelestis sermonibus haudquaquam uti voluit perplexis et sophisticis sententiis: sed ita melliti oris dulcedinem ineffabili quadam severitate et gravitate temperabat, ut simplici et optimo dicendi genere cujusque intimas cogitationes attingere videretur, atque ea ratione ex auditorum oculis lacrymarum imbres eliceret. Eam enim Spiritus Sanctus ei contulerat gratiam, ut qui concionantem eum attente audirent, aut raro, aut nunquam siccis oculis ex ejus concione abscederent.

§ 22. Quo insigni Dei beneficio pro sua malitia afflictus humanae salutis inimicus, malignitatem et invidentiam suam, quae eum perpetuo cruciat, quibus poterat viribus in illum beatum Antistitem declarabat. Cum enim aliquando in urbe Ratisponensi suo more ad populum concionaretur, malignus daemon derepente concitavit aëra, excitavit turbinem et miram perturbationem, unde sequebatur confusus populi clamor et murmur: in ipso quoque ecclesiae tecto ingentem effecit fragorem, atque intra ipsius templi

parietes sparsit pulverem, et quorumdam oculis tetram offudit caliginem. Quibus rebus ab improviso accidentibus plebs perterrita, immo pene mentis inops effecta, coepit ultro citroque cursitare, incerta quam in partem tutius posset deflectere. Interim vero audiebantur hinc inde id genus voces: « In urbe grassatur dirum incendium, populo in seditionem concitato, multi jugulantur. » Cumque in ejusmodi sedandis vocibus multum esset operae positum, nec tamen quicquam effectum, tandem illi, quos suis praestigiis ludificabat improbus satan, adeo e templo certatim aufugerunt, ut vix pauci relicti viderentur. Tum vero Episcopus, quem ejus tempestatis commotio non latebat, in has erupit voces: « Domine Jesu Christe, adsis nunc eâ, qua soles, benignitate et gratiâ, fidelibus tuis, ut videant gloriam tuam, et teterrimi daemonis ignominiam. » Ea verba mox secuta est serenitas aëris, et serenitatem populi in templum recursus. Cui tum venerabilis Antistes sacrae doctrinae sermonem impertiens, sancto spiritu illi orationis singularem quamdam suavitatem suppeditante, tantum dicendo profecit, ut manifeste inimicus ille victus, et in fugam compulsus sit, qui in illa immodica perturbatione ad horam excitata, pene omnibus aliquid attulerat detrimenti. Unde etiam postea apud fidelem populum ea consuetudo inolevit, et pro lege coepit haberi, ut in stationibus Episcopum turmatim et antecedant, et sequantur, ejus concionem cupidissime complectantur.

§ **23**. Alio tempore beatissimo Episcopo in basilica sancti Pauli Apostoli celebrante Missarum solemnia, multa, ut solebat, populi illic frequentia cernebatur. Cum autem miles quidam ineptus humili veste eum indutum, postea vero sacerdotalibus indumentis ornatum cerneret, rusticâ stoliditate eum despiciens, et apud se murmurans, dixit: « O quantum desipuit tum Imperator, cum pannosum hunc et abjectum hominem multis potentibus, quibus Imperium abundat, in Episcopatus promotione voluit anteferre.» Eam vero murmurationem is, qui novit cogitationes hominum, eodem momento et clementer castigavit, et palam prodidit: ut et ille corrigeretur, et murmuris vitium ab aliis caveretur. Nam confestim immodico correptus terrore, aliis eum sustentantibus, vix residère potuit. Cumque eum dominus ejus tremebundum et pallentem conspiceret, illico accurrens, sciscitabatur quid ipsi accidisset mali. Tum ille, adhibitis sacerdotibus, confessus est, se sinistras de viro Dei cognitiones in se admisisse, et eâ causâ in tam praesens incidisse periculum. Ubi id audivit herus ejus, existimabat facili remedio posse illum curari. Itaque eum secum abducit in aedes suas, et aliquot diebus curam illi adhibet. Sed cum nihil omnino proficeret, reducit eum Ratisponam; veniensque ad Episcopum, ei et aegroti hominis calamitatem, et suam querimoniam vult exponere. Sed vir Dei eum antevertens: «Tace,

inquit: scio quid velis: » conversusque ad Vicedominum Tagminum, ait: « Accipe, frater, aquam benedictam, quae est apud lectulum meum, et adsperge eâ hominem, qui stat ad cubiculi fores. » Facit ille, quod jussit vir Dei, adspergitque miserum. Interim sancto Episcopo contra ostium Crucis signum exprimente, et quaedam salutaria verba proferente, homo illico sanatur.

§ **21.** Jam porro dicendum videtur, quae ejus fuerit quotidiana vitae ratio et consuetudo. Nimirum tanta ei fuit cura recte vivendi, ut vita ejus jure possit omnibus exemplo esse. Etsi vero omnes ejus res gestas minime compertas habemus, et ea ipsa, quae novimus, pro dignitate explicare nequìmus: attamen damus operam, ut e pluribus vel pauca referamus. Postquam igitur Episcopi dignitatem adeptus est, nec melioribus uti vestimentis, nec cibis lautioribus vesci, neque cubile mollius sibi adhiberi voluit, quam ante consuevisset. Iisdem vigiliis et precibus, quibus ante Episcopatum, deditus fuit. Non raro enim sub mediam noctem ita clam surrexit e lecto, ut qui apud eum erant, id vix unquam perciperent; atque in templum ingressus, adeo fores obseravit, ut quid intus ageret, nullus mortalium scire posset. Mansit autem illic usque ad preces matutinas: quibus persolutis, si nondum illucesceret, ut fessos nonnihil fovèret artus, vestitus parum capiebat somni: idque cum ea silentii gravitate, acsi esset in monasterio. Si necessitas cogeret loqui post primam horam canonicam (nam ante illam lectioni vacabat), in familiari colloquio fuit gratissimus et in tractandis disponendisque rebus admodum acutus providus et circumspectus. Qua vero attentione Corporis et Sanguinis Domini sacramenta tractarit et celebrarit, quibus suspiriis et lacrymis, et quam spiritu contribulato Summo Sacerdoti sese mactaverit, id omnem nostram excedit dicendi facultatem. Cum esset ad mensam, non se dumtaxat, sed etiam alios a potu immoderato retrahebat, caeterisque avide comedentibus, ipse gaudebat cibi parsimoniâ, magis intentus ad lectionem, quam semper voluit ad suam mensam adhiberi, quam ad epulas. Mendici et inopes, quos ille vocabat dominos et fratres, coram illo sedebant in subselliis, ut posset suis conspicere oculis, quemadmodum illis ministraretur. In quibus sane Christum se excipere non dubitans, modis omnibus venerabatur et reficiebat eos. Quod si plures essent, omnium pauperrimi ad illum introducebantur: nec tamen quisquam eorum, qui foris manebant, absque eleemosyna dimittebatur. Ex iis enim omnibus, quae mensae ejus inferebantur, tanta copia servabatur, ut non solum pauperes foris manentes, sed etiam circumquaque habitantes inde recrearentur. Surgens autem a prandio, reliquum tempus lectioni impendebat. Post laudes vespertinas, nisi legitimum prohiberet jejunium, propter eos, qui apud ipsum degebant, cum multa gravitate, omni prorsus vanitate exclusâ, etiam coenabat. A

Completorio nihil prorsus nisi precando loquebatur. Ea scilicet vitae ejus fuit institutio quotidiana.

§ 25. Inter haec egregius praesul accurate perquirebat, quo studio, quave cautione sacerdotes, qui in pagis morabantur, subditos baptizarent atque docerent: qua etiam curâ et diligentiâ vasa ad usum Sacramentorum destinata, itemque Missarum vestes atque libros et chrisma tractarent: ante omnia diligenter eis inculcans, ut castitati studerent: ubi etiam haec subjungere solebat: « Sunt quidam adeo mali daemonis fraude occaecati, ut licet flagitiose vivant, illius sacrosancti cibi et potus perceptione se purgari existiment: sed audiant illi prophetam dicentem: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas* (*Jerem.* II)? itemque alium: *Operiebatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra* (*Malac.* II). Quisquis ergo in sordibus est, honorem habeat Deo, nec ausus sit ad ejus sacramentum impudenter accedere, donec poenitentiâ expiet immunditiam suam. » Accidit tum, ut ob vini penuriam quidam ex aqua vel alio potus genere sacrificium offerrent. Quod ubi ille vir Dei còmperit, tantam profudit lacrymarum vim, ut corporis malam valetudinem contracturus videretur. Deinde multâ objurgationis severitate eos castigans, qui id fecerant, frivolam eorum excusationem, quod vinum non haberent, prorsus rejecit, et ne id porro praetexerent, jussit ad se singulis mensibus duodenos venire presbyteros, atque ex ipsius cella vinaria vinum accipere, et aliis distribuere.

§ 26. Cum sic autem pastor egregius gregi suo invigilaret, nec illos quidem benignitatis et misericordiae suae voluit expertes esse, qui aliorum praesulum cura continebantur. Si enim quisquam ex iis indicasset ei, aliquam se vel in divinis, vel humanis rebus pati inopiam, magno dolore animi affectus, et verbis et beneficiis eum sublevabat. Quod cum familiares ejus saepe moleste ferrent, dicerentque unumquemque a suo Episcopo adjuvari debere: ille respondebat: « Eleemosyna Graeca dictio est, significatque misericordiam, vel opus misericordiae, possuntque eo nomine quaevis benignitatis opera comprehendi. Recte enim ille opus exercet misericordiae, qui primo seipsum sibique subjectos in Deo placita conversione non sinit egere: deinde convenienter illi sententiae Apostolicae, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* (*Gal.* VI), suos quoque proximos non cessat adjuvare. Cum aliquando dira fames multos prèmeret, atque ea causa infinita hominum turba ad beatum Wolfgangum conflueret, ille accitis praepositis suis, jussit ut e longinquis regionibus venientibus tantum frumenti darent, quantum vellent: eâ tamen conditione, ut domum reversi, dimidiam ejus partem in pauperes

erogarent. Ne autem dispensatores eo nomine munera acciperent, terribilibus eos adegit sacramentis. Contigit tum, mercatores quosdam causâ frumenti coëmendi illac cum aliis transire, ubi sanctus praesul degebat. Mox igitur quaedam magni pretii vascula pro munere ei mittunt: quae ille, ut erat jucundo vultu, accipi quidem jubet, sed cibo potuque referta cum gratiarum actione remitti. Addito etiam frumento ea, qua diximus, ratione, hilares illos a se dimittit.

§ 27. Ut vero sancti Episcopi humanitas et benignitas testatior fiat, quoddam ejus factum memorabile annotabimus. Intra urbem Ratisponam semper apud eum pauperes morabantur. Ex iis ergo unus in ejus cubiculum ingressus, de cortina ad lectum ejus appensa partem non exiguam praecîdit, et ocyus aufùgit. Vidit id unus e familia, eumque insecutus comprehendit; sed quia flagellare eum ausus non erat, ad beatum virum adduxit. Hortabantur, qui aderant, omnes, ut furcifer ille durissime verberaretur. Sed vir pius, cui derelictus erat pauper, et qui pupillo semper esset adjutor, quasi rhetorem quemdam illis repraesentans, hominis suscepit patrocinium, ostenditque illos potius in culpa esse, quibus cubiculi custodiendi cura esset demandata. Inde conversus ad pauperem: « Quid ita, inquit, facere voluisti? » Ille tremebundus, diras plagas metuens, respondit se penuriâ vestis adactum id fecisse nec teste opus erat, nuditate hominis sermonem confirmante. Tum vir Dei multâ misericordiâ permotus, omnino purgavit eum: « Si bene, inquit, vestitus fuisset, haudquaquam hoc se furto obstrinxisset. A nostra igitur liberalitate, licet sero, accipiat vestimenta: quod si vero etiam vestitus tale quid posthac perpetraverit, poenas dabit. » Iis verbis non solum commotos familiae animos sedavit, sed etiam ad praestandas eleemosynas eos incitavit.

§ 28. Diximus jam nonnihil de misericordia, humanitate et condolentia beati viri. His subjungimus quaedam, unde possit animadverti ingenii ejus acumen in haereticis confutandis. Sicut enim ab exordio nascentis Ecclesiae non defuerunt, quorum linguis malignus daemon adversus catholicam fidem oblatrando, loqueretur vanitatem: sic divinâ agente providentiâ nec illi desiderati sunt, qui sanctae fidei defendendam susciperent veritatem. Itaque haereticus quidam hac ratione conabatur evincere, Verbum carnem factum non esse: « Si Verbum est, inquit, factum non est; si factum, non est Verbum: » pergebatque multâ loquacitate id adstruere. Contigit tum eo accedere beatum Wolfgangum. Eum rogat Otho Imperator, ut respondeat homini. Ille, ut erat humilis et modestus: « Monasticum, inquit, habitum ferimus: contendere nobis non licet. » Mox haereticus majori pervicaciâ repetit verba, quae diximus. Tum vir Dei non ferens Christi injuriam, compulsus ait: « Quando quidem non spiritali, sed

carnali curandus es pharmaco, dic mihi : Quid est Accidens? » Ille arrogantissime respondet : « Accidens est, quod adest vel abest praeter subjecti corruptionem. » Rursumque praesul : « Ecquid est, inquit, formarum accidens? » Ibi ille, divino, ut credimus, jaculo confossus, obmutuit. Episcopus vero ab Imperatore et aliis rogatus, licet multum recusaret, quod impeditiori esset linguâ, succincte expedivit : « Accidens, inquit, est quadriforme. Unum, quod nec accidit, nec recedit, ut incurvum aquilae rostrum. Alterum, quod accidit et recedit, ut somnus et saturitas. Tertium, non accidit quidem, sed tamen recedit, ut infantia et pueritia. Quartum, quod accidit, nec recedit, ut senectus et canities. Ita ergo Filius Dei, qui est virtus et sapientia Dei Patris, cui nihil est impossibile, quasi per accidens inseparabile induit humanitatem, non amittens divinitatem. Sed ejusmodi, oculis fidei contuenda sunt. Ut enim beatus Gregorius ait : « Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. » His atque aliis salutaribus verbis vir sanctus adeo condivit corda audientium, ut ille filius Belial pro errore satisfaciens, ab egregio doctore veniam petierit. At ille promptior ad ignoscendum quam ulciscendum, mulctam ei irrogavit, et ne profanum illum sermonem unquam iteraret, sub Christi testificatione et sub anathemate ei interdixit.

§ 29. Hoc loco etiam dicendum nobis videtur, erga Boëmorum gentem ut se gesserit. Erant Boëmi tum recens * ad fidem traducti, et daemonum simulacra abjecerant illi quidem, sed tepide : ut vero colenda esset Christiana religio, quandoquidem pastore destituti erant, prorsus ignorabant. Rogabant tum Othonem Imperatorem, qui divinae religionis erat cultor praecipuus, clarissimus Dux Henricus et alii fideles, ut quod apud illam gentem inchoatum esset, pro Dei amore regiâ auctoritate absolvendum curaret. Ille tam sanctis precibus libenter annuit, sed quod Boëmia ad Ratisponensis Ecclesiae paroeciam pertineret, nihil absque ejus Episcopi consensu effici potuit. Misit igitur Imperator legatos ad Episcopum, orans ut pro paroecia acceptis praediis, ipsi liceret in Boëmia Episcopum curare instituendum. Eo nuncio accepto exhilaratus vir Dei, cum suis proceribus deliberavit, quid esset Imperatori respondendum. Illis dicentibus, ne precibus ejus consentiret, respondit vir beatus : « Videmus pretiosam margaritam in hujus provinciae humo reconditam, quam nos non comparabimus, nisi distractis rebus quibusdam. Itaque audite, quae dicturus sum : Equidem et me et mea omnia libens impendo, ut illic domus Dei, corroborata Ecclesia, stabiliatur. » His dictis, renunciavit Imperatori, se assensurum precibus ejus.

* Christiana Religio tunc primum in Bohemia diffusa est, cum aliqui Bohemi, nobili genere nati, anno 845, Ratisbonae, baptismum susceperunt. Majus vero incrementum ei attulit Bohemiae Ducis Boriwoy, ejusque conjugis, Ludmilae, conversio, qui a S. Methodio, Slavorum Apostolo, sacrâ baptismatis undâ abluti sunt, anno probabiliter 871.

Cumque tempus permutationis advenisset, tam promptum se exhibuit, ut privilegium * ipse composuerit.

§ **30**. Prophetiae spiritum ei non defuisse, vel ex iis solis satis constat, quae de praestantissimi Ducis Henrici liberis praedixit. Cum enim ad eum ob impertiendam benedictionem, ut crebro solebat, adductus esset, speciosissimam ejus prolem Henricum, qui postea Dei nutu factus est Imperator, Regem appellavit, fratrem ejus Brunonem vocavit antistitem: sororem eorum natu majorem, Reginam: minorem, quam ipse baptizavit, et de sacro fonte suscepit, Abbatissam nominavit. Haec vero, et multa alia, quae ab ore ejus accepimus, sic evenisse videmus, ut ab illo praedicta sunt. Alio tempore cum vir sanctus sub vesperam in pagum Eglolfeshiam venisset, per legatum suum jussit indicari, si qui in vicinis locis confirmari vellent, ut quamprimum ad ipsum accederent. Legatus mox èxequi jussa volens, festinat ad sternendum equum suum. Eum vero ablatum cernens, incredibili coepit moerore àffici, nesciens quid ageret. Cupiebat enim ocyus efficere, quod jussus erat: sed aberat facultas, cum nec spes affulgeret alterius obtinendi equi, nec vires suppeterent, ut pedes tam brevi temporis spatio id, quod Episcopus mandarat, conficeret, maxime quod humus imbribus immodicis irrigata, difficile praeberet euntibus iter. His ille angustiis aliquamdiu agitatus, tandem conceptâ in Deum fiduciâ, statuit pedes èxequi, quod Episcopus praeceperat. Cum igitur in obscura nocte huc illucque graderetur, et in via lutulenta saepius laberetur, ita exclamavit: « Miserere mei, Domine, miserere mei, et tu mi domine, Wolfgange. attendens quantum laboris perpetior, dum tua jussa capesso.» Cumque identidem haec repeteret gemebundus, vidit cominus caballum quemdam, freno et ephippio instructum, adstare. Existimans autem illum non sine aliquo sessore illic subsistere, diligenter circumspexit num quis illic adesset: simul etiam exclamans, ut si quis adsit, sese declaret. Sed cum diu clamanti nemo responderet, conscendit equum, et sui Episcopi jussa executus est. Alterâ luce multis ad percipiendam ab Episcopo confirmationem convenientibus, inventum equum legatus omnibus ostendit, diligenter inquirens, quis ejus herus esset. Sed neque tunc, neque postea repertus est ullus, qui eum suum esse diceret. Inde vero colligebant tum legatus, tum alii, quanta divinitus esset collata gratia beato Wolfgango, qui ipsum invocantes etiam absens adjuvare posset.

§ **31**. Cum Otho secundus Imperator ob illatam ipsi injuriam, Franciam hostili animo et manu ingressus, Lutetiam usque pervenisset **, in reditu ad fluvium quemdam pervenere, cujus aquae

* Privilegium hoc, ut, scilicet, Dioecesis cum suo proprio Episcopo, Pragae institueretur, concessum fuit Bohemis, id enixe efflagitantibus, anno 973.
** Anno 978.

intumuerant, ita ut multi illic submergerentur. Ubi vero beatus Antistes cum suis eo pervenit, tam praesenti periculo commotus, suspexit in coelum, et tum sibi, tum suis bene precatus atque benedicens, jussit suos incunctanter transire flumen. Sed illis adhuc cunctantibus, et Francis interim a tergo acriter instantibus, ille primus in nomine Domini, quod semper in ejus versabatur ore, fluvium ingressus, suos animavit, nec quisquam eorum ullum expertus est periculum. Tum vero omnes id admirantes, prae gaudio in Dei laudes eruperunt. Sed vir humillimus, ne id in publicum efferrent, obnixe eos rogavit.

§ **32**. Aliud hic ejus subjicimus factum memorabile, unde subditi discant parère praepositis suis. Cum aliquando de divina religione suo more necessaria quaedam conferret cum clericis suis, unus ex illis (Busso is dicebatur) parum caute respondit. Cui vir sanctus ex naturali habitudine subirascens, ei dolorem oculorum imprecatus est. Mox ille graviter doluit oculos : sed cum postea eum sanctus vir in choro sedentem videret operto capite, ut solent qui ex oculis laborant, misericordiâ motus, accedit ad eum, rogat quid molestiae patiatur. Ille dicit se male habere in oculis, et humiliter ejus benedictionem èxpetit. Misertus ergo ejus vir pius, oculos ejus consignat, et dolor omnis abscedit. Sed ne ea res divulgaretur, tamquam remedii causâ jussit eum faciem abluere.

§ **33**. Sedente quandoque beato Episcopo apud caementarios in sancti Pauli monasterio, mulier quaedam daemoniaca ad eum adducebatur. Ea simul atque in ejus conspectum venit, humi collapsa, coepit miserandum in modum divexari. Tum vir sanctus suspirans, ait ad eos, qui illi aderant : « Si quidem dignus ego essem quippiam ab omnipotente Deo impetrare, nihil propensius ab eo peterem, quam ut hoc plasma suum velit a mali daemonis infestatione liberare. At nos hoc illis relinquentes, qui digni sunt, vel psalmos aliquot prae commiseratione interim depromamus.» Mox coepit dicere psalmos quosdam, et pro illa misera supplex orare. Illa vero tamquam dormiens jacebat, sed ita tamen, ut membris omnibus contremisceret. Absolutis precibus, dicit ad circumstantes : « Domum illam hinc abducite, et, si possit capere, cibum illi offerte. » Parent illi, comedit illa, et mox restituitur sibi. Alia quoque daemoniaca ei oblata est: sed ille humanam gloriam fugiens, ait ad eos, qui illam adducebant : « Cur aegrotos vestros ad me apportatis ? Ducite eam in templum, et orate pro ea : fortassis Dominus exaudiet vos.» Ducunt illi eam in ecclesiam, sed quod hora opportuna esset offerendi sacrificii, ipse illos secutus, Missam celebravit. Peracto sacrificio, omnes, demptâ illâ daemoniacâ, exierunt e templo : attamen unus e cappellanis, clam se abscondit, scire volens, quid vir sanctus acturus esset. Ille vero post brevem orationem coepit egredi. Tum illa

daemoniaca, suo more debacchans, ei se opposuit. At ille Domino confidens, tamquam percussurus eam, brachium extendit, clam interim dicens, Exi, nequissime. Mox, ut fassus est ille, qui vidit, intolerabilis extitit foetor, et mulier confestim liberata cecidit, et Deo gratias egit. Porro sanctus Episcopus egressus foras, dixit ministris: « Feminam hanc quamprimum e templo educite, et, si velit, cibum ei praebete, pariterque dicite, ne sit ausa posthac ad nos tali ex causa accedere. » Qua re satis ille declarabat, quantopere omnem inanem gloriam declinaret, malens interdum quamdam prae se ferre asperitatem, quam se hominibus venditare.

§ **34**. Nec hoc praetereundum putamus, quod ejus accidit Vicedomino, cujus supra quoque meminimus. Praecipua ille beati viri familiaritate fruebatur, neque id immerito, quippe qui cum multo fidei profectu ei se obsequiosum praeberet. Cum ergo ille esset in urbe quadam aestivo tempore, tonitrua et fulgura extiterunt intantum, ut etiam ipse beatus Episcopus et qui cum illo erant, terrore affecti, multo precandi studio sese communirent. Interea saeviente eâ tempestate, tam immanis quidam fulguris ictus insonuit, ut ejus, in quo erant, domicilii murus magna ex parte scinderetur. Eâ re adeo exanimatus est Vicedominus, ut, qui illic aderant, eum aut mortuum putarent, aut illico moriturum. Praesul autem apprehensa manu ejus, erexit eum, admonens ut viriliter ageret, et confortaretur in Domino, atque ita semivivum restituit sanum. Is ipse Vicedominus postea serenissimi Regis Henrici operâ, factus est Magdeburgensis Archiepiscopus.

§ **35**. In Rubilocensis Ecclesiae territorio quidam diuturno vexatus morbo, integro fere anno cibum omnem fastidivit, ita ut alimenta saluti reparandae accommoda percipere non posset. Misit igitur nuncium ad beatum Wolfgangum, petens obnixe ab eo remedium aliquod sibi adhiberi. Sed vir Dei omnino recusavit, dicens se longe meritis inferiorem, quam ut tale aliquid possit efficere. Interim dum et popularem vult vitare auram, et hominem adjuvare cupit, tamquam pro aliis causis offert Missae sacrificium, et per fidelem presbyterum aegroto illi Dominicum corpus transmittit. Quo ille percepto, paulisper obdormit: deinde cibum potumque cum accepisset, rursus somno corripitur: sicque et mentis et corporis recuperatâ sanitate, gratias agit Deo, ac deinceps incolumis permanet. Hic si ego commemorare velim, quam multi, quibus ille manum imposuit, quique benedictum ab eo panem gustarunt, a morbis curati sint, taedium fortassis lectori allaturus sim. Iis igitur omissis, ad ejus e vita excessum transeamus.

§ **36**. Igitur post multa pietatis et justitiae opera, quibus Deo placere contendebat, et suam gubernare Ecclesiam, venerabilis praesul Ratisponae manens, rerum necessitate poscente, ad

Orientalem, Bavariae regionem * decreverat proficisci: sed febri correptus, eam corporis malam valetudinem vigiliis, precibus et jejuniis, tamquam futurorum praescius, studuit antevertere, ita ut, quicquid habere posset, per manus pauperum in Christi gazophylacium transmitteret, precibusque sedulis Domino vitae exitum commendaret. Inde per Danubium proficiscens, ubi ad eum pervenit locum, quem Puppingam vocant, ulterius progredi non potuit, quod jam tempus resolutionis ejus instaret. Cumque divinitus intelligeret cito eventura, quae olim in visione ei praedicta fuerant, jussit se deferri in beati Othmari oratorium, quod illic erat, et ante ejus aram deponi. Id cum factum esset, nonnihil convalescens resèdit, primumque per confessionem sese expiavit: deinde omnes, qui aderant, de fide, spe et charitate sectanda, luculentâ oratione admonens, eos, omnesque ipsi commissos, cum suspiriis ab imo pectore adductis, Deo et sanctis ejus commendavit. Post accepto viatico, humi se prostravit. Cumque aeditui et cubicularii ejus, omnes e templo, praeter ejus familiares, vellent ejicere, vir Dei illos prohibuit, aitque ad eos: « Aperite ostia, nec quemquam ingredi volentem excludite: nos enim mortales homines, non nisi malefactis erubescere debemus. Mortis autem debitum necessario solvendum nobis est. Itaque cum etiam Christus ipse, qui nihil morti debuit, pene nudus in Cruce mori non erubuerit pro humani generis salute, adspiciat quisque in morte nostra, quid reformidare et cavere debeat in sua. Deus vero pius et bonus misereri dignetur et mei miseri peccatoris, nunc mortem obeuntis, et omnium id cum timore et humilitate adspectantium.» His dictis, reverenter oculos clausit, et tamquam sopori se dans, in pace quievit, animamque felicissime in coelum transmisit, pridie Calendas Novembris **. Mane alterius diei exequias funeri apparantes, angi animis coepere, undenam possent obtinere Episcopum aliquem, qui funus celebraret: et ecce commodum supervenit Hartwicus Salisburgensis Episcopus, et Aribo Comes, vir Dei inter laicos clarissimus. Eos adventuros nocte superiori beatus Wolfgangus significarat, post longa silentia et quamdam morbi remissionem, ad adstantes subito dicens: « Repurgate domum, praeparate hospitium: venient enim hodie ad nos hospites boni. Vera autem me dicere hoc signo cognoscetis: Navis, qua vehebantur bona Hartwici Archiepiscopi et Aribonis praefecti, in Danubio naufragium perpessa est: sed Dei benignitate homines servati sunt, iidemque domini mox post obitum meum huc accedent. » Hoc quidem ita factum est, et ab illis ipsis et multa populi fidelis turba sacrum corpus septimo ab obitu ejus die Ratisponam honorifice est translatum. Ubi cum ad

* Ibi contra Ungarorum incursiones, oppidum Wieselburg, inter flumina Erlaf et Yps, aedificandum curavit.

** Anno 994.

sanctum Petrum esset exceptum, et vigiliarum Missarumque celebrationibus anima Deo commendata, admodum reverenter corpus per cuncta urbis monasteria circumtulere, ad extremum illud inferentes in coenobium beati Emmerammi *, quem, dum in humanis esset, praecipuo honore habuerat. Ibi Missarum solemniis et exequiarum officiis rite peractis, praeclare atque honorifice tumulatum est. Fuit vir sanctus ordine ** duodecimus Ratisponensis Ecclesiae Episcopus. Post ejus obitum multis Dominus miraculis declaravit, eum se collocasse cum principibus populi sui.

§ 37. Eorum autem miraculorum quaedam non sunt in scripta relata. Quae autem fidelium relatione comperta sunt, ex iis nonnulla referemus. Hoc vero imprimis dicendum venit, cum provinciales una cum civibus Ratisponensibus meliorem atque augustiorem vellent basilicam construere (prior enim ex lignis condita erat), et jam muri extruerentur, quemdam tum adductum esse daemoniacum, eumque artifices misericordiâ permotos, in eo loco, ubi sanctus praesul spiritum exhalarat, prostravisse, moxque ejus meritis curatum esse. Deinde vero locum illum a diversis male habentibus frequentatum, multosque sanatos esse. Homo quidam pauperculus, ob multa admissa flagitia in utroque brachio circulis ferreis constrictus, quae res acerrimos quotidie dolores ei afferebat, cum multa sanctorum loca ob eos tollendos dolores et crimina expianda adiisset, tandem sancti Adelberti meritis unius brachii ferreo ligamine est absolutus: alterum vero ablatum est ei, Ratisponae ad beati Wolfgangi monumentum oranti. Henrico Regi, antequam esset Imperator, sanctus Wolfgangus apparuit dormienti. Videbatur ille sibi in sancti Emmerammi ecclesia esse, atque orandi causâ beati Wolfgangi adire sepulcrum. Ibi vero Deum et sanctum Wolfgangum orans, visus est sibi videre eum adstare, et hunc in modum ipsum appellare: « Adspice diligenter charactères in muro, qui est apud tumulum meum, exaratos. » Vidit ille, nec aliud legit, quam, *Post sex*. Expergefactus vero, summopere incumbebat in earum dictionum apprehendam significationem. Primum igitur suspicatus se post sex dies moriturum, multa largitus est pauperibus. At sex evolutis diebus, cum nihil in corpore sentiret molestiae, ad sex menses pertinere arbitrabatur, tumque se obiturum credebat. Sed neque tum male se valere sentiens, ad sex annos earum dictionum significationem retulit. Porro autem etiam sex annis jam exactis, septimo anno a Pontifice Maximo *** Imperator unctus est. Atque tum demum animadvertens, quid sibi ea verba vellent, gratias egit Deo et beato Wolfgango, qui ipsi revelare dignatus esset ea se dignitate potiturum. Caecus quidam apud beati

* Coenobium hoc a S. Wolfgango postea nomen duxit.
** In hoc numero errorem irrepsisse creditur.
*** Idest. a Joanne XIII. anno 967.

Orientalem, Bavariae regionem * decreverat proficisci: sed febri correptus, eam corporis malam valetudinem vigiliis, precibus et jejuniis, tamquam futurorum praescius, studuit antevertere, ita ut, quicquid habere posset, per manus pauperum in Christi gazophylacium transmitteret, precibusque sedulis Domino vitae exitum commendaret. Inde per Danubium proficiscens, ubi ad eum pervenit locum, quem Puppingam vocant, ulterius progredi non potuit, quod jam tempus resolutionis ejus instaret. Cumque divinitus intelligeret cito eventura, quae olim in visione ei praedicta fuerant, jussit se deferri in beati Othmari oratorium, quod illic erat, et ante ejus aram deponi. Id cum factum esset, nonnihil convalescens resèdit, primumque per confessionem sese expiavit: deinde omnes, qui aderant, de fide, spe et charitate sectanda, luculentâ oratione admonens, eos, omnesque ipsi commissos, cum suspiriis ab imo pectore adductis, Deo et sanctis ejus commendavit. Post accepto viatico, humi se prostravit. Cumque aeditui et cubicularii ejus, omnes e templo, praeter ejus familiares, vellent ejicere, vir Dei illos prohibuit, aitque ad eos: « Aperite ostia, nec quemquam ingredi volentem excludite: nos enim mortales homines, non nisi malefactis erubescere debemus. Mortis autem debitum necessario solvendum nobis est. Itaque cum etiam Christus ipse, qui nihil morti debuit, pene nudus in Cruce mori non erubuerit pro humani generis salute, adspiciat quisque in morte nostra, quid reformidare et cavere debeat in sua. Deus vero pius et bonus misereri dignetur et mei miseri peccatoris, nunc mortem obeuntis, et omnium id cum timore et humilitate adspectantium.» His dictis, reverenter oculos clausit, et tamquam sopori se dans, in pace quievit, animamque felicissime in coelum transmisit, pridie Calendas Novembris **. Mane alterius diei exequias funeri apparantes, angi animis coepere, undenam possent obtinere Episcopum aliquem, qui funus celebraret: et ecce commodum supervenit Hartwicus Salisburgensis Episcopus, et Aribo Comes, vir Dei inter laicos clarissimus. Eos adventuros nocte superiori beatus Wolfgangus significarat, post longa silentia et quamdam morbi remissionem, ad adstantes subito dicens: « Repurgate domum, praeparate hospitium: venient enim hodie ad nos hospites boni. Vera autem me dicere hoc signo cognoscetis: Navis, qua vehebantur bona Hartwici Archiepiscopi et Aribonis praefecti, in Danubio naufragium perpessa est: sed Dei benignitate homines servati sunt, iidemque domini mox post obitum meum huc accedent. » Hoc quidem ita factum est, et ab illis ipsis et multa populi fidelis turba sacrum corpus septimo ab obitu ejus die Ratisponam honorifice est translatum. Ubi cum ad

* Ibi contra Ungarorum incursiones, oppidum Wieselburg, inter flumina Erlaf et Yps, aedificandum curavit.

** Anno 994.

sanctum Petrum esset exceptum, et vigiliarum Missarumque celebrationibus anima Deo commendata, admodum reverenter corpus per cuncta urbis monasteria circumtulere, ad extremum illud inferentes in coenobium beati Emmerammi *, quem, dum in humanis esset, praecipuo honore habuerat. Ibi Missarum solemniis et exequiarum officiis rite peractis, praeclare atque honorifice tumulatum est. Fuit vir sanctus ordine ** duodecimus Ratisponensis Ecclesiae Episcopus. Post ejus obitum multis Dominus miraculis declaravit, eum se collocasse cum principibus populi sui.

§ **37**. Eorum autem miraculorum quaedam non sunt in scripta relata. Quae autem fidelium relatione comperta sunt, ex iis nonnulla referemus. Hoc vero imprimis dicendum venit, cum provinciales una cum civibus Ratisponensibus meliorem atque augustiorem vellent basilicam construere (prior enim ex lignis condita erat), et jam muri extruerentur, quemdam tum adductum esse daemoniacum, eumque artifices misericordiâ permotos, in eo loco, ubi sanctus praesul spiritum, exhalarat, prostravisse, moxque ejus meritis curatum esse. Deinde vero locum illum a diversis male habentibus frequentatum, multosque sanatos esse. Homo quidam pauperculus, ob multa admissa flagitia in utroque brachio circulis ferreis constrictus, quae res acerrimos quotidie dolores ei afferebat, cum multa sanctorum loca ob eos tollendos dolores et crimina expianda adiisset, tandem sancti Adelberti meritis unius brachii ferreo ligamine est absolutus: alterum vero ablatum est ei, Ratisponae ad beati Wolfgangi monumentum oranti. Henrico Regi, antequam esset Imperator, sanctus Wolfgangus apparuit dormienti. Videbatur ille sibi in sancti Emmerammi ecclesia esse, atque orandi causâ beati Wolfgangi adire sepulcrum. Ibi vero Deum et sanctum Wolfgangum orans, visus est sibi videre eum adstare, et hunc in modum ipsum appellare: « Adspice diligenter charactères in muro, qui est apud tumulum meum, exaratos. » Vidit ille, nec aliud legit, quam, *Post sex*. Expergefactus vero, summopere incumbebat in earum dictionum apprehendam significationem. Primum igitur suspicatus se post sex dies moriturum, multa largitus est pauperibus. At sex evolutis diebus, cum nihil in corpore sentiret molestiae, ad sex menses pertinere arbitrabatur, tumque se obiturum credebat. Sed neque tum male se valere sentiens, ad sex annos earum dictionum significationem retulit. Porro autem etiam sex annis jam exactis, septimo anno a Pontifice Maximo *** Imperator unctus est. Atque tum demum animadvertens, quid sibi ea verba vellent, gratias egit Deo et beato Wolfgango, qui ipsi revelare dignatus esset ea se dignitate potiturum. Caecus quidam apud beati

* Coenobium hoc a S. Wolfgango postea nomen duxit.
** In hoc numero errorem irrepsisse creditur.
*** Idest. a Joanne XIII. anno 967.

Wolfgangi sepulcrum diutissime orans, repente lumen recepit. Alio tempore mulier aegrota spe salutis obtinendae a suis deportata est in beati Emmerammi martyris ecclesiam. Ubi cum illa ad Sanctorum aras reptando potius, quam incedendo, sedulis precibus eorum expeteret suffragia, tandem vel labore, vel morbo defatigata, apud beati Wolfgangi tumulum humi resedit. Cumque et animo et corpore depressa, ejus meritis et precibus sibi peteret opem ferri, subito contracta membra soluta sunt, tantâque vi separata, ut sanguis inde in humum dimanaret. Primum igitur territa mulier, exclamare coepit prae timore: deinde exiliens sana, gratias egit Deo et beato Wolfgango. Alius quidam gravissime laborans, orandi causâ venit ad beati Emmerammi aedem. Cumque diu pro sui liberatione rogaret, Sanctorum merita implorans, tandem juxta beati Wolfgangi tumbam felici oppressus somno, virum quemdam staturâ procèrum et canitie venerabilem, adstantem videt, eumque sibi audit dicentem: « Quid tu hic agis, aut qua causâ huc venisti? » Respondet ille: « Miser ego, mi domine, huc advèni salutis impetrandae causâ, qua multos jam annos careo.» Tum heros venerabilis virgâ pastoritiâ, quam tenere videbatur, eum attingens: « Surge, inquit, ocyus: sanus enim effectus es. » Confestim ille, qui jam exanimis fere jacebat, per merita beati Viri morbo liberatus exiliit, et prae gaudio clamitans, qua potest virium facultate, Deum et sanctum Wolfgangum laude et praedicatione effert.

INDEX ALPHABETICUS SANCTORUM


QUORUM HISTORIAM

IN SURIO HABES PRO MENSE OCTOBRI

Habita facultate Auct. Eccl.

MONITUM

Ne voluminis hujus molem plus quam expedit augeamus, Martyrologium illustratum, quod superest, ad sequens volumen XI transferre arbitramur.


WIDENER
CANCELLED
3574908
Canceled
NOV 22 '71 H